HISTORIA

Rerum Memorabilium in orbe gestarum,

Ab

Anno Christi Iↄ. cc. xxvi. usque

ad Annum M. C. XXV.

Quam ordine Chronologico ex optimis scriptoribus compendiose digessit,

TIMANNUS GESSELIUS, M. D.

Tomus secundus.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Officinâ THEODORI ab ACKERSDYCK, Bibliopolæ.
cIↄ Iↄ c Lxi.

HISTORIÆ SACRÆ
ET
ECCLESIASTICÆ
NOVI TESTAMENTI

Ordine Chronographico & viâ compendiariâ digestæ,

ab

ANNO CHRISTI IↃ. CC. XXVI,

Vsque ad

ANNUM M. C. XXV,

PARS SECUNDA.

Postquam Christus, cujus regnum non erat de hoc mundo, sed cœleste & spirituale, relictâ terrâ in conspectu Apostolorum suorum ascendisset in cœlum, & paulò ante iisdem enixè suam commendasset pacem, sub immani gentilium Imperatorum persecutione, cum nulli ætati, nulli sexui parceretur, tribus ferè seculis in vita integritate & fidei constantiâ floruit Ecclesia Dei: ita etiam, ut sanguis martyrum diceretur fuisse semen Ecclesiæ. Nam brevi tempore, non sine evidenti & grandi miraculo, per universum orbem tantopere propagata est Christiana religio, ut quò non pervenissent victricibus armis Romani, innocenti, sed indefessâ Apostolorum & Apostolicorum prædicatione, sine vi, sine armis, penetraverit mansueta fides Christi. Externi sumus, *inquit Tertullianus Apolog. cap.* 37. Et omnia vestra implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa,

ſa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum, imò & inacceſſa Romanis loca: *& adverſus Iudaos c.*7. utpote ante quem omnium civitatum portę erant apertæ, & nullę clauſæ, ante quem ſeræ ferreæ & valvę æreæ comminuebantur *&c. Nec tantum numero accreſcebant Chriſtiani, ſed in primis cum ſancta morum ſimplicitate, pietate in Deum, charitate in proximum ardentiſſimè flagrabant. Verumenimverò poſtquam ceſſantibus perſecutionibus per Conſtantinum Magnum primum Imperatorem Chriſtianum, libertas data Eccleſiæ, paulatim ex divitiis rerumque proſperarum abundantia irrepſerunt in Eccleſiam vitia: refrigeſcere cœpit charitas, langueſcere & vacillare pietas, minui virtus, ſolvi diſciplina, ceſſare humilitas, & in earum ſucceſſere locum ambitio, avaritia, luxus, livor, odium, lites, pugnæ innumeræ, acerbæ, æternæ, Chriſtiani quidem nomine multi, ſed re pauci. Turbarunt Eccleſiam Donatiſtæ, Arriani, Macedoniani, Pelagiani, Eutychiani, Monothelitæ: ſæviit inter ipſos Chriſtianos atrocius perſecutio, quam unquam adverſus eos per Decios & Diocletianos Imperatores paganos: nec tantum per ſtudia partium, ſed etiam, ut in factionibus fieri ſolet, per exilia, tormenta, carceres, cædes; ut relictis hominibus cum Chriſto omnis religio in cœlum, unde venerat, reverſa videretur: pulſâ quaſi in exilium ſpiritus lenitate, mentis puritate, vitæ innocentia: ut dum hic eſſet Donati, ille Arrii, iſte Neſtorii, nemo eſſet Chriſti. Non potiut diutius diſſimulare hæc Chriſtianorum vitia Deus. In Eccleſiam Occidentalem innumeri ab Aquilone barbarorum irruperunt exercitus: Britanniam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Italiam, & ipſam Romam occupant Angloſaxones, Gothi, Vandali, Hunni, Longobardi: Orientalem invadunt Perſæ, Avares, Scythæ, Bulgari: Patriarchatum Alexandrinum, Antiochenum, & ipſa Hieroſolyma poſſident Saraceni. Et cum maxima totius orbis*

Chri-

Christiani strages ab his infinitorum populorum inundationibus datæ nihil profecissent ad corrigendos superstites, justo Dei judicio Mahumetes, homo plebeius, sed vafer, in Arabia novam produxit religionem, quæ sanctissimas olim Ecclesias hoc seculo occupat, inquinat, vastat: ut meritò cum Chrsti discipulis spiritualiter dicere possent hujus temporis Christiani: Manè nobiscum Christe, quoniam advesperascit & inclinata est jam dies. *Occidit Sol, obscurata est lux Euangelii, adveniunt tenebræ: de frivolis aut inutilibus quæstionibus assiduè & acriter disceptatur, de sanctitate vitæ nunquam aut tantùm extrinsecus cogitatur: de vocibus ousia & hyposthasi litigatur, de gratia & libero arbitrio contenditur, de natura & voluntate Christi concertatur, de imaginum cultu animosè pugnatur, interim observatio mandatorum Dei, conservatio pacis & unitatis in Ecclesia, verus & sincerus Dei cultus, negligitur, & gratia Dei amittitur: accrescit in imperio Romano religio Mahumetis, & per exteros & efferos populos spissa inscitia, & summa barbaries, decrescit fides & doctrina Christi: miserè discerpitur imperium Romanum, & turpiter scinditur Ecclesia Dei. Quis Hieremias plorans, dignè deplorabit hujus seculi calamitates? quis Ecclesiæ & Imperii pereuntis Threnos convenienter planget? quis idonea exprimet lamenta prostratæ & conculcatæ religionis Christianæ, tam in Oriente quam in Occidente?*

Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniunt ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captiviattem ante faciem tribulantis.

Et egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus. *&c. quod, proh dolor! nos luce meridianâ clarius sequentia secula, & in primis nonum, quo fœdissima scorta, & hominum spurcissima monstra in Ecclesiâ regnabunt, docebit; quod eâ de caussâ illustrissimus Baronius summo jure appellat ferreum, plumbeum & obscurum. Sed conferamus nos denuò ad historiam.*

A. C. 726. ANno 726, *novum horrendumque visum universam Dei Ecclesiam terruit & turbavit*, inquit Baronius: quo eodem fato etiam terruit turbavitque Romanum æternumque illud imperium idem prodigiosum spectrum, & regno & religioni perniciosum, imo exitiosum, ob errorem in cultu imaginum commissum: quo utrique & religioni & imperio hoc præcipuè anno schismatis seu divisionis data sunt manifesta & gravissima exordia. Nam *Roma Romanusque ducatus, rejecto Imperatore, icto cum Francis pacto, tributa Leoni negavit*, ut loquitur Cedrenus. Leo autem Imperator edicto non tantum prohibuerat cultum imaginum in templis, sed eas etiam per suos satellites dejici & comburi jusserat. Quibus à populo cæsis, ardens iracundiâ Princeps, crudelissimè eorum cædem ultus est. *Theophanes, Paulus Diaconus, Cedrenus. Huic errori Germanus Patriarcha Constantinopolitanus non consentiens, à propriâ sede depulsus est, & ejus in loco Anastasius presbyter ordinatus est*, ut loquitur idem Paulus Diaconus. Dissuaserat ille & reprehenderat *liberâ & intrepidâ pietate*, ut loquitur Baronius, acta Leonis, eaque per literas indicaverat Gregorio, Episcopo Romano. *Hac de caussâ Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ Præsidis novæ Romæ societate, & desertâ Imperatoris obedientiâ, nec non illorum, qui eum sequebantur, illos unà cum Imperatore synodico anathemate obstrinxit*; (quod jure negat Otto Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Onuphrius Panuinius, & alii, idque primò ausum fuisse Gregorium VII. affirmant) *& vectigalia, quæ ad id usque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, & Romam, & quidquid Italiæ reliquum erat à Græcorum abstraxit imperio, icto cum Francis fœdere.* Zonaras. Imò hoc eodem anno *Papa Gregorius claves venerandi sepulcri cum vinculis S. Petri, & magnis & infinitis muneribus, bis legationem (quod antea nullis auditum tempo-*

temporibus nec visum fuit) Carolo Martello destinavit, ut si opus esset, in Italiam veniret contra Imperatorem, accepturus Consulatum in Vrbe. Baronius.

Præterea Gregorius nihil non molitus est, quo dejectas & deturbatas in Græcià imagines restitueret: quamobrem etiam scripsit duas ad Leonem epistolas, quibus eum ad imaginum cultum multis verbis & magno zelo, sed rationibus non satis validis exhortatur: narrat enim seriò religiosos homines Christique amantes Dominum Iesum, prout viderant, initio depinxisse, spectandumque proposuisse, Iacobumque similiter ac Stephanum & martyres, hisque conspectis imaginibus homines deinceps in toto terrarum orbe diaboli adorationes reliquisse, hasque adorasse. Affirmat Christum in terris degentem ad Agbarum Edessenorum regem *manu suâ scripsisse, & sacram gloriosamque faciem suam ad eum misisse*, Leonem jubet ad illam non manufactam imaginem mittere, ad quam ait *illic congregari & orare turbas Orientis populorum.* Monet ipsum vel à puerulis parvulis illudi, quos, si eorum obeat scholas, seque profiteatur eversorem esse & persecutorem imaginum, confestim tabellas suas in ejus caput projecturos. Oziam Iudæorum regem verè Leonis fratrem fuisse dicit, qui serpentem æneum confregerat, magno scilicet & inexpiabili scelere. Oziam cum Ezechia confundit Gregorius Papa, & factum illud, quod sacra scriptura inter boni Principis laudes celebrat, ipse damnat. Imò hujus sententiæ hanc ficulneam addit rationem: *Illum siquidem*, inquit, *serpentem sanctificatus David unà cum arcâ sanctâ in templum invexit. Quid enim erat nisi consecratum à Deo æramentum, propter eos, qui tum ægri erant & à serpentibus læsi?* Postremò docet Occidentalium & Septentrionalium provinciarum reges Leonis laureata conculcasse, faciemque conscidisse, cum intellexissent, quæ ille contra imagines egisset, Decapolimque incursionibus infestasse, ipsamque metropolim Ravennam occupasse. In secundâ ad eundem ibidem epistolâ vult imaginum in religione usum esse juris naturalis; non aliter hominum generi antiquitus & à principio traditum, ac panis vinique usum, & aliorum ad vitæ humanæ conservationem pertinentium. Addit Pontifices olim imagines ad Concilia deferre solitos;

Gregor. 2. ad Leonem in anteact. Conc. 7 seu Nicæni 2 & apud Baronium hoc anno.

ſolitos; nec ullum ex Chriſti amantibus & religioſis hominibus fuiſſe, qui iter pergens abſque imaginibus peregrinationes obiret, utpote qui virtute præditi, atque apud Deum probi eſſent. Vide Baronium tomo Annalium nono hoc anno. Præclaris hiſce rationibus conatur Papa Imperatori Leoni perſuadere imaginum adorationem. Obiter hic referam verba Gregorii ſecundi ad Leonem epiſtolâ primâ & prædictâ. *Cur tandem Patrem Ieſu Chriſti non oculis ſubjicimus at pingimus? quoniam quis*, aut potius qualis, *ſit non novimus. denique natura ſpectanda proponi non poteſt aut pingi.* Quare ἀόρατος Deus dicitur Paulo 1 Tim. 1. 17. habitat enim lucem inacceſſam, ideòque per ſe non conſpicitur, at conſpicitur in operibus, *Rom.* 1. 20. apertiſſimè vero in filio, 2 *Cor.* 4. *Hebr.* 1. 3. *Vide Eſaiæ* 40. 18. *&* 46. 5. 6. *&c. Act.* 17. 29. *Iuſtinum Apol.* 2. *Auguſtinum epiſt.* 119. *c.* 11. *& epiſt.* 49. *& de moribus Eccleſ. Cathol.* Baronius verò hæc habet ad marginem primę Gregorii ad Leonem epiſt. ex notis Frontonis Ducæi: *Poſtea uſu venit ut pingatur in Eccleſiâ Deus Pater & ſpiritus ſanctus, non quod ſub aſpectum cadant, ſed ut apparuiſſe in ſcripturis divinis leguntur: ſub formâ ſenioris, & ſub imagine columbæ. Quod enim & ſcribitur, idem & pingitur; cum ſit eadem ratio utriuſque, ſtyli nimirum & penicilli.* Idem dicit Maldonatus apud Cornel. à Lapide in Daniel. cap. 7. v. 9. hujus verſus hæc ſunt verba: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda, thronus ejus flamma ignis* &c. *Cur enim*, inquit Maldonatus, *quem ſcriptura verbis pingit, imo qui ſeipſum imagine hâc ſui in phantaſia Danielis depinxit nobis, ſimili imagine & coloribus pingere non liceat: non enim per imaginem conamur Dei naturam exprimere, utpote quæ neque coloribus, neque verbis, neque cogitatione pingi poteſt; ſed ut ejus effecta & proprietates hac ratione, quâ unâ id poſſumus, exprimamus*, &c. Sed quæſo, quam frigida hæc eſt ſequela? Placuit Deo ita ſe oſtendere Prophetæ, ergo nobis licet picturâ ſenis hominis exprimere Deum, eumque humanâ formâ oſtendere ignaro & ſuperſtitioſo populo, quaſi eâ figurâ effecta & proprietates Dei immenſę & incomprehenſibiles demonſtrari poſſent? Multum, profectò, eo modô detrahitur majeſtati divinæ: ſic autem loquitur Paullus 1 Tim. 6. 16. *Qui ſolus habet*

immor-

immortalitatem, lucem habitans inaccessam; quem vidit nemo hominum, nec videre potest.

Paulatim ex consuetudine pagana & conniventia quorundam Episcoporum in quasdam Ecclesias irrepsit usus imaginum in templis, nam nullæ exstabant imagines in primis Christianorum Ecclesiis, nec ullus in veterum scriptis, me conscio, occurrit locus, quo demonstretur, earum usum in omnes aut plerasque Ecclesias, ante quinti seculi initia receptum fuisse nisi ad simplicem ornatum. Primæ, quæ eas receperunt, fuisse videntur Cappadoces & Ponticæ Ecclesiæ, ut videre licet apud S. Basilium Cæsariensem ejusque fratrem Gregorium Nyssenum, qui vixerunt sub finem quarti seculi, idque in eum finem, ut memoriæ martyrum & martyriorum conservarentur, & etiam ut facilius homines à gentili superstitione ad Christi fidem traducerentur. Sed ut solent omnia in rebus humanis tractu temporis in pejus ruere, sic etiam paulatim itum est ad imaginum cultum, de quo cum hoc tempore plurimum altercarentur Christiani, Imperator Leo eas è templis deturbavit & combussit: at Germanus Episcopus Constantinopolitanus & Joannes Damascenus earum cultum animosè defenderunt. Gregorius vero II. Episcopus Romanus eas non tantum defendendas suscepit, sed quod nunquam antea factum, nunquam auditum, tandem etiam justo & legitimo Italiæ imperio Leonem spoliavit, *abactis interceptisque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus Principibus Constantinopolitanis pendebantur,* ut loquuntur in præfatione synodi septimæ Patres & historia miscella. Quo jure, quâ injuriâ hoc factum sit à Gregorio, à multis disputatur, cum ipse Christus dicat Matth. 22. 21. *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei*, & tributi pensitatio nihil in se habeat, quod divinæ legi repugnet: cum hoc ipse fecerit Christus, & ejusdem Apostoli & universa sancta & vetus sub Imperatoribus paganis Ecclesia. Cæterum si quid Cæsar aut alia potestas præcipiat adversum legi divinæ, Deo potius quam hominibus parendum est. Atqui Deus Deuter. 6. & Christus Matth. 4. dicit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* ὁ θεός ἐστιν εἷς καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον, inquit Josephus, hæc verba adjiciens in præcepto hoc explicando. sed de cultu imaginum alibi latius.

tius: ubi docebimus quosdam imagines statuisse adorandas seu colendas; quosdam eas quidem tolerandas aut in templis collocandas, sed sine cultu: quosdam eos non tantum non tolerandas, sed & exturbandas, imò & tanquam idola comburendas. Sed utrum justa fuerit caussa excommunicandi & deserendi legitimum dominum, cætera catholicum, interdictio cultus imaginum, quęritur, cum Gregorii II. prædecessores non excommunicaverint Constantium, Valentem, Valentinianum Imperatores, Theodoricum, Gensericum Reges Arrianos, nec Anastasium Eutychianum, nec Iustinianum, Baronio Gajanitam, &c.

A. C. 728. Ioannes Damascenus, cognomine Chrysorroas & Mansur floret, *scripsit libros quatuor de fide Orthodoxâ, in quibus ipse primus universam Theologiam recto ordine comprehendit. Eum imitati sunt Magister sententiarum, & Doctores, qui Scholastici dicuntur. scripsit praterea tres Orationes doctißimas adversus impugnatores sacrarum imaginum*, inquit Bellarminus de script. Eccles. De hoc scriptore, suo candore magnam promeritus est laudem Baronius, cum verè judicet an. C. 31. *in multis Damasceni scriptis fidem vacillare, & quampluribus eum scatere mendaciis*: mollius & melius dicit Vossius, *eum in plerisque credulum fuisse plus satis*, lib. 2. de histor. Græcis.

A. C. 729. Cum Frisii religionem Christianam non admitterent, instigat Carolum Martellum Willebrordus, ut eos armis cogat, quare hoc anno Frisiam vastat; fana, lucos, idola subvertit, & cum magnâ prędâ redit. *Annales Frisii.*

A. C. 730. Ex prædictis Damasceni orationibus multa profert Baronius, quasi pro cultu imaginum, cum multò magis inserviant adversus eas: nam dicit *usum imaginum à nullis Conciliis improbatum*: cum tamen canon Concilii Eliberini 36, eas prohibeat: & quomodo improbabunt earũ usum, antequam fuerint in templo admissæ? *Novam fidem doceri non patiemur*, inquit Damascenus: at novum est colere imagines, si loquimur de prisca & pura antiquitate. *De his aliquid statuere non ad reges pertinet, sed ad Concilia*, inquit Damascenus: sed vide, an Reges Iudę non sæpe religiones purgarint, aras, statuas, lucosque sustulerint? Reges Christiani in hac nostra historia res Ecclesiasticas sæpe & sedulò curarint? imò statuæ & idola paganorum non nisi jussu aut assensu Principum è templis exturbata sunt. Oratione secundâ sic ait

Dama-

Damascenus,& nos cum eo: *Audite populi, tribus, lingua,viri,mulieres, pueri,senes, adolescentes,infantes,gens Christiana sancta : si quis Euangelizaverit vobis prater id quod Ecclesia Catholica à sanctis Apostolis, à Patribus, à Conciliis, acceptum ad hunc usque diem servavit, eum ne audieritis,neve serpentis consilium acceperitis, quemadmodum fecit Eva, ex qua mortem est assecuta. Licet Angelus, licet Rex, euangelizet, præter id quod accepistis, aures occludite. Vereor enim illuc usque progredi, quo progressus est Paulus, anathema, inquiens, sit.*

Gregorius II. statim post hanc Italiæ rebellionem moritur, succedit Gregorius III. A. C. 731.

Hoc anno etiam mortuus est Venerabilis Beda presbyter, origine Anglosaxo: qui scripsit præter cætera, Ecclesiasticæ Anglorum historiæ, adjutore Albino abbate, libros quinque, à Iulii Cæsaris in Britanniam adventu, ad annum 731.

Saraceni denuò à Carolo Martello in Galliâ Narbonensi ad internecionem cęsi sunt,qui & Avenionem ab illis captam recepit. Tum & Narbonensem Provinciam,quam ii cum Hispaniâ,cui contributa erat, occupatam tenebant, aggressus, caput ejus Narbonam,ac reliqua deinceps expugnavit oppida,cęsis,qui ad ferendam opem sæpius accurrerant,Saracenis. *Annal. Fuld.* Matrimonium Constantini, filii Leonis Isaurici & Irenes, Chagani Ethnici Regis Avarum filiæ celebratur. *Mirandâ planè,* inquit Baronius, *providentiâ factum est, ut fœmina Barbara, Neophyta, invito & contradicente Imperatore, insuper & persequente suppliciisque addicente cultores sacrarum imaginum, eas ipsas coleret, atque colendas testaretur. Ita Deus infima mundi elegit, ut fortia confundat* &c. A. C. 732.

Sed quæso, *Baroni,* mirandum, si fœmina barbara, inter Ethnicos educata, quibus ipsæ statuæ, opera manuum humanarum, dii sunt, à cultu imaginum Christianarum non abhorreat?

Interim crudeliter Leo imaginum cultores persequitur, undè multi confessores & Martyres. *Baronius.* A. C. 733. 734.

Willebrordus dictus Clemens,cum 40.an. Ecclesiam Trajectensem gubernasset,moritur: succedit in ejus locum Winfridus, postea dictus Bonifacius, natione Anglus. Is pulsus Episcopatu in Anglia, Romamque iturus,& coram Apostolico Papa caussam dicturus,ubi A. C. 737.

 novem

navem conscendit flante favonio pulsus est in Frisiam. Et honorificè susceptus à Barris ac rege illorum Abdgillo, prædicabat eis Christum ac multa illorum millia verbo veritatis instituens, à peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit. Et quod postmodum Willebrordus reverendissimus Christi Pontifex in magna devotione complevit, ipse primus opus Euangelicum cœpit, hiemem cum nova Dei plebe feliciter exigens. *Beda, Annales Frisii, Molanus.* Ille Winfridus sive Bonifacius, secundum Miræum apud Buchelium nostrum an. C. 704, ex Britannià primùm in Frisiam venit, inde Romam profectus à Gregorio II. prædicandi in Germania accepit potestatem, & an. 719 post Radbodi mortem denuò venit in Frisiam ac tribus annis Willebrordo fuit coöperator. Ab Gregorio deinde III. an. 732. incertæ sedis Archiepiscopus &, legatus Apostolicus creatus, an. 742. Ratisbonæ synodum celebravit, cui Carolomannus interfuit: atque alteram Leptinis anno seq. Anno autem 745. demum à Zacharia Moguntinus Archiepiscopus eligitur, & post decem annos apud Frisios martyrio moritur.

A. C. 738. Alphonsus Hispaniarum Rex à Reccaredo ortus, qui in Episcoporum Concilio Rex Catholicus acclamatus erat, ut regni, sic & tituli voluit esse successor: quod intermissum à successoribus Ferdinandus Arragonius Hispaniarum Rex enixis precibus à Julio II. Romano Pontifice impetravit, ut ejusmodi titulus hęreditarius esset suis successoribus: quod Dei benignitate etiam cum augmento dominii, feliciter in posteris perseverat. *Baronius.* sed nostro ævo contrarium expertus est Philippus IV. Hispaniarum Rex.

A. C. 740. Inas fuit ille Angliæ Rex cujus officia pietatis plena infinita produntur, & illud imprimis, quod regnum suum vectigale fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Omnis Anglia hoc tempore illud vectigal pietatis & religionis causſâ Romano Pontifici domesticatim collatum pendit, & nummi illi argentei, vocantur à vulgo Denarii Divi Petri, quos pontificius quæstor, quem non inscienter Collectorem vocant, exigit. Nos hanc olìm quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque muneris obeundi causſâ primùm in Angliam venimus. Hæc *Polydorus Virgilius* scribens ad Henricum VIII. tunc Regem an. C. 1533.

Occa-

Occasione hujus denarii B. Petri audiamus quid idem Polydorus de Annatis dicat. lib. de rerum invent. cap. 2. Cæterum *inquit*, nullum inventum majores Rom. Pontifici cumulavit opes, quam annatarum, quas vocant, usus, qui omninò multò antiquior est; quam recentiores quidam scriptores suspicantur, & annatas, more suo, appellant, primos fructos unius anni sacerdotii vacantis, aut dimidiam eorum partem. Sanè hoc vectigal jam pridem, cum Romanus Pontifex non habuerit tot possessiones, quot nunc habet, & cum oportuerit pro dignitate & pro officio multos magnosque facere sumptus, paulatim impositum fuit sacerdotiis vacantibus, quæ ille conferret. De qua quidem re ut gravi, sæpe reclamatum fuisse testatur Henricus Hostiensis, qui cum Alexandro quarto Pontifice vixit, sic ut Franciscus Zabarella tradat, posthac in Concilio Viennēsi, quod Clemens quintus indixit, qui factus est Pontifex anno salutis humanæ 1405, agitatum fuisse, ut eo deposito annatarum onere, vigesima pars vectigalium sacerdotalium penderetur Romano Pontifici &c.

Bonifacius nonus, sive Vicecomitum potentiam veritus sive augendę ditionis Ecclesiasticæ cupiens, Annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, hac cōditione, ut qui beneficium consequeretur dimidium annui proventus fisco Apostolico persolveret. Sunt tamen qui hoc inventum Joanni 22. ascribant. Hanc autem consuetudinem omnes admiserunt, prętcr Anglos, qui id de solis Episcopatibus concessēre, in cæteris beneficiis non adeò. Confirmatâ hoc modo pecuniis, arce, magistratibus suo nutu in urbe delectis, ditione Ecclesiasticâ, &c. *Platina.*

Magnus Constantinopoli fuit terræ motus, ut corruerint Ecclesiæ, monasteria populusque multus extinctus sit: duravit ferè mensibus undecim. *Theophan. Cedr.*

Longobardi Romam & Campaniam vexant, ea de causa legationem ad Carolum Martellum mittit Gregorius III. & auxilium adversus Longobardos implorat, sed Carolus nec venit, nec auxilium misit. *Anast.* Inde fortasse accidit ut vindice numine, citò & miserando interitu fuerit ex hac vita sublatus. *Baronius.*

Leo Isauricus Imperator moritur, succedit filius Constantinus A. C. 741.
cognomento Copronymus, à stercore quod baptismi tempore in-

fans in aquam excreverat, quod mali ominis esse judicabat Germanus Patriarcha, qui eum baptizabat. *Theophan. Paul. Diaconus. Cedrenus, Zonaras* &c. Artabasdus gener Leonis pellit Constantinopoli Constantinum, & à populo Imperator acclamatur.

Gregorius III. moritur succedit Zaccharias Papa qui invenit totam Italiam valdè turbatam, ut & Ducatum Romanum, persequente Luitprando Longobardorum Rege. *Anastas.*

Carolus Martellus moritur. Vide ejus visionem paulò ante mortem, & historiam de anima ejus damnata ad Inferos, à Baronio refutatam: succedunt filii Carolomannus & Pipinus, illi Orientalis Franciæ pars seu Alemannia & Thuringia contigit, huic Burgundia provincia Neustriaque. *Aimoinus.*

Vide hoc anno epistolam Winfridi seu Bonifacii ad Zacchariam, in quâ quasdam Romani Pontificis actiones, & pravos cleri mores in Franciâ reprehendit, apud *Baronium.*

A. C 743. Conqueritur idem Bonifacius ad Zacchariam Papam de labe Simoniacâ, propter persolutam pecuniam pro tribus palliis, ipso eam exigente Pontifice, & Romanæ Ecclesiæ clericis: Nihil sibi conscius admirabundus respondet Bonifacio Zaccharias. *Baronius.*

Constantinus expugnat Constantinopolim, Artabasdum cum filiis capit, qui privantur oculis, multi alii occiduntur & mutilantur. *Theophanes.*

A. C. 744. Hanc nobis producit epistolam Baronius: quæ etiam invenitur apud Aventinum lib. 3. Annal. Boior. in qua errorem *S. VVinfridi*, cognomento *Bonifacii*, quem vulgo Germanorum Apostolum vocant, castigavit Zaharias Papa, quo baptismum eum verum judicabat, ubi baptizandi formula ex inscitiâ Latinæ linguæ barbarè fuisset pronuntiata. hæc autem sunt Zachariæ Papæ verba:

Reverendissimo ac sanctissimo fratri Bonifacio Coëpiscopo, Zaccharias servus servorum Dei. Vigilius & Sidonius viri religiosi, apud Bojoariorum provinciam degentes, suis apud nos literis usi sunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas injungeret Christianos denuò baptizare. Quod audientes, nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam

dam incidimus, si habetur, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincià sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te, in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta, & per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare: sed, sanctißime frater, si ille qui baptizavit, non errorem aut hæresin introducens, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset; non possumus consentire ut denuò baptizetur. Quia quod tua benè compertum habet sancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari, sed per solam manus impositionem purgari debeat. Censet igitur, ut vides, Zacharias Papa Romanus, ut loquitur Vossius, *sermonis barbarie non mutari veritatem baptismi; sed mutatione formulæ secundum rem ipsam: sicsi quid additur, quod Trinitatis confeßionem abolet, falsus est baptismus, at verus est, si adolet & auget confeßionis claritatem.*

Carolomanno jubente, & Bonifacio consulente, habetur synodus in Germania, &c. Hoc eodem tempore creatus erat Bonifacius, antea Germaniæ Apostolus, Episcopus Moguntinus, in locum Episcopi exauctorati, qui erat homicidii convictus reus, &c. A. C. 745.

A quarta Augusti ad Kalendas Octobr. tenebræ factæ sunt caliginosæ, terræ motus prodigiosus in Palæstina & Syria, ubi multa millia hominum mortua, Ecclesiæ & monasteria corruerunt, & maximè penes eremum sanctæ civitatis. Imo & pestis sævissima grassata est. *Theophanes*. Idque ob offensas sacras imagines. *Baronius*. A. C. 746.

Carolomannus omnibus aliis insciis cum uno fido socio monasticam vitam amplectitur in Cassinensi Cœnobio. *Regino*. A. C. 747.

RachisRexLongobardorum cum uxore & filia monachico habitu induuntur. *Anastasius*. Richardus Rex Angliæ sanctus relicto regno Lucæ in Italia moritur.

Pipinus Martelli filius, Carolomanni frater, mittit Burchardum Wirsburgensem ad Zachariam Papam de caussa regum in Francià, qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habebant:

bant: per quem papa mandavit melius esse illum vocari Regem, penes quem summa potestas esset: datâ suâ auctoritate jussit Pipinum Francorum Regem institui. Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus honoris dignitatem sacrâ unctus unctione, manu S. memoriæ Bonifacii Episcopi & Martyris, & more Francorum elevatus in solium regni Suessione civitate. *Aimoinus.*

A. C. 752. Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum ut Pipinus, qui potestate regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Itaque Hildericus Rex qui ultimus Merovingornm Francis imperavit, depositus & in monasterium missus est. Pipinus vero in civitate Suessionum à S. Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, regni honore sublimatus est. *Annales Pithœi.* Anni ab exordio regni Francorum numerantur 333. nempe ab an. C. 420.

Quo jure Papa legitimum hæredem regno privaverit, in monasterium detruserit, & regnum Franciæ alteri tribuerit, in quod nihil juris habebat, non video. Fuerit iners, negligens, socors. Hildericus, ergo regi adimere regnum licet Pontifici? Multi ignavi & de administrando regno parum solliciti inveniuntur reges, sed in tali casu regni proceres prudentes consiliarios in regni conservationem regi subministrant; Nihil juris eo regum vitio sibi in regna acquirit Pontifex Romanus. Quare ut alii referunt, Papa interrogatus consilium, id approbavit tantum; Franci vero, publico totius gentis concilio, Pipinum Regem declarant, &c.

Moritur post illam actionem statim Zacharias, (*rebus pro Ecclesiæ salute & Apostolicæ sedis auctoritate, non tam piè quam prospere gestis* inquit Sigonius.) quæ subita mors Baronio fuisset justum à Deo illatum in Zachariam supplicium, si Papa non fuisset: sed interim, *Regum tremendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iovis.*

Concessit hic Zacharias regibus Franciæ potestatem Episcopos ordinandi & præficiendi in suo regno. *Baron.* Succedit Stephanus, II. *consensu cleri & populi creatus, humeris omnium (adeò erat omnibus gratus) in Basilicam salvatoris deportatur,* Platina. *Romanus Pontifex humeris hominum circumfertur: hoc inde natum quidam arbitrantur, quod*

Stepha-

Stephanus ejus nominis secundus, ut populo Romano ob insignes animi virtutes vitaque integritatem charissimus statim factus, Pontifex humeris omnium præ gaudio exultantium fuerit sublatus &c. Quem ritum deinceps servarunt successores:. Adeò semper veterum honorum ac pomparum magis quam morum tenax est posteritas. Ego tamen dixerim illud ab ethnicis mutuò sumptum; quando apud Romanos comprimis mos fuit, ut prædivites ac primarii viri lectica à servis gestata veherentur. Juvenalis.

Quadrivio cum jam sextâ cervice feratur,

Hinc atque inde patens, ac nudâ penè cathedrâ. *Et lectica hac Gracè dicitur hexaphorus, quia sextâ cervice, id est, sex servis, ut ait. Iuvenalis ferri solebat. Martialis lib. epigram.* 4.

Cum tibi non essent sex millia Ceciliane,

Ingenti latè vectus es hexaphoro. *Vossius.*

Aistulphus Rex Longobardorum Ravennam capit & Eutychium Exarchum Italia pellit, atque ita Exarchatus Imperatorum Græcorum in Italia desiit, cum annis 182. durasset. *Diaconus.*

Idem Aistulphus onerosum tributum (quod Imperatori Græco solvissent) Romanæ urbis inhabitantibus imponere nititur, imò Urbs ipsa ab eo obsessa dirè vexatur. &c. *Anastasius.*

Stephanus Papa mittit ad Constantinum Imperatorem & ad Pipinum Francorum Regem suos legatos, ut auxilium contra Longobardos, pro Urbis defensione peterent. Redeunt legati ab Imperatore cum literis Imperialibus, legati ad Pipinum missi cum Pipini legatis. Adit Stephanus cum legatis Aistulphum, sed frustra. Quare Stephanus cum legatis Francis in Franciam ad Pipinum proficiscitur. *Anastas.* A. C. 753.

Stephanus in Franciâ à Pipino magnificè & incredibili cum honore excipitur, qui promittit juramento Stephano omne auxilium. Pipinus vero & duo Regis filii à Papa Reges Francorum unguntur. Stephano promittit Pipinus, si victoriam de Longobardis obtineat, se Exarchatum Petro traditurum, quod & præstitit. *Sigonius.* A. C. 754.

Aistulphus mittit Carolomannum jam Monachum Cassinensem, Pipini fratrem, ad Pipinum contra Stephanum decertantem; sed frustra: nam Pipinus omnem suam opem Stephano spoponderat, ratione jam prædictâ obligatus.

Pipinus cum Papa Stephano & exercitu venit in Italiam, Papiam cum Aiſtulpho obſidet. Aiſtulphus jurejurando promittit ſe Ravennam jam Imperatori ereptam Pontifici traditurum & quæ Pontificis erant redditurum. Pipinus redit in Franciam, Stephanus Romam. *Anaſtaſius.* &c.

Conſtantinus Imperator Concilium convocat Cōnſtantinopolim 338. Epiſcoporum contra cultum imaginum, idque appellat Concilium œcumenicum ſeptimum; cujus decreta vide in Concilio Nicæno ſecundo ſub Conſtantino & Irene matre, Tomo Conciliorum ſecundo.

A.C. 755. Pipino in Galliam cum exercitu reverſo Aiſtulphus non ſtans promiſſis, Papam ſummoperè affligit, qui Legatos ad Pipinum mittit, cum litteris ſummæ ſubmiſſionis. *Anaſt.*

Aiſtulphus urbem Romam obſidet, cuncta ferro igneque vaſtat. Hinc ad Pipinum denuò litteræ enixis precibus opem petentes, & ſummoperè obteſtantes mittuntur, inter cætera ſcribit Stephanus: *quia poſt Deum in manibus veſtris noſtras omnium Romanorum animas commiſimus.* &c. *Audis dolores, ut parturientis, & hominis in maximis animi anguſtiis conſtituti, afflicti, excruciati,* &c. inquit Baron.

Quarè ſecundò Stephanus ſcribit litteras ad Pipinum &c. nomine Petri Apoſtoli quaſi è cœlo miſſas, additâ commendatione B. Virginis Mariæ & omnium Angelorum & ſanctorum &c.

Inſcriptio eſt: *Petrus Apoſtolus Chriſti Pipino &c. Gratia & pax.* Initium Literarum, *Ego Petrus Apoſtolus tanquam præſentialiter in carne vivus aſſiſtens coram vobis ago* &c.

In hac cœleſti epiſtola S. Petrus hortatur Pipinum & Francorūm principes, ad ferendam opem Stephano ſuo ſucceſſori & Romanæ urbi, in qua ſua ipſius oſſa requieſcunt. Ideoque inquit: *Ego Apoſtolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendam de manibus adverſariorum hanc Romanam civitatem & populum mihi à Deo commiſſum, & domum, in qua ſecundum carnem requieſco, adhortor* &c. *Pro certò confidite memet ipſum, tanquam in carne vobis vivum aſſiſtere & per hanc adhortationem validis conſtringere, atque obligare adjurationibus. Quia ſecundum promiſſionem quam ab eodem Domino Deo & Redemptore*

noſtro

nostro accepimus, peculares inter omnes gentes, vos omnes Francorum populos babemus &c. *quia etsi carnaliter desum, spiritualiter à vobis non absum. Quoniam scriptum est: qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem accipiet Prophetæ.* Huic suæ adhortationi adjungit Petrus *sanctam Mariam Virginem & thronos, & dominationes, & totam cælestem militiam, quam* dicit suas exhortationes & jussa hisce addere. Pollicetur autem Francorum regibus *suum parrocinium die judicii Dei* & asserit, *se in regno Dei, lucidissima & præclara eis præparare tabernacula & infinita Paradisi gaudia.* Tum addit: *Currite & subvenite, antequam fons vivus arescat* &c. *Ne patiamini perire hanc civitatem Romanam, in qua corpus meum constituit Dominus, quam & mihi commendavit & fundamentum fidei constituit,* &c. *Quicquid enim poscetis à me, subveniam vobis videlicet & patrocinium impendam,* &c. Et minas addit: *minimè permittatis hanc civitatem meam Romanorum à gente Longobardorum laniari, ne lanientur & crucientur corpora & animæ vestræ in æterno atque inexstinguibili igne Tartari cum Diabolo &c. Declaratum quippe est quod super omnes gentes, quæ sub cælo sunt, vestra Francorum gens Apostolo Dei prima exisiit* &c. *firmissimè enim tenete, quod ego servus Dei vocatus Apostolus in omnibus vestris necessitatibus auxiliatus sum & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis præbui & in ante attribuam.* Postea Stephanum Episcopum Romanum Pipino & Francorum principibus diligenter commendat *sanctus Petrus.* Obstupuit proculdubio ob hanc S. Petri epistolam cœlitus missam Pipinus, attamen occasionem pro Episcopo Romano contra Longobardos bellandi, suoque imperio subjiciendi non neglexit arripere prudens & bellicosus Rex.

His acceptis litteris, *inquit Baronius,* Pipinus Rex, qui nihil antiquius unquam habuit, quam Romano pontifici, cui & Regnum acceptum ferebat, inservire, expeditionem in Italiam parat &c. Pipinus venit cum exercitu, transcensis Alpibus in Italiam, Papiam obsidet, & Aistulphum constringit stare promissis & totum Exarchatum per Longobardos Imperatori Græco ablatum Apostolicæ sedi subjicit, cujus rei gratiâ urbis Romæ Patricius constitutus est Pipinus cum filiis. *Leo Ostiensis, Anastasius* &c.

De quibus omnibus receptis civitatibus donationē in scriptis (amissâ for-

tè donatione Constantini) *Beato Petro, qui à Pipino auxilium petierat, atque sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Romanis emisit possidendam : qua & usque in Archivis S. Ecclesia nostra recondita tenetur ad recipiendas verò civitates misit ipse Christianissimus Francorum Rex suum Consiliarium Fulradum, venerabilem abbatem, & continuò ejus eximietas cum suis exercitibus Franciam repedavit.* Hæc & plura Anastas.

Stephanus Papa ereptum Hilderico Regnum in Pipinum confert: Pipinus vicissim Exarchatum, id est, Ravennam cum 20, aut pluribus civitatibus S. Petro & Romano Pontifici tradit, quam ab Aistulpho Græcis Imperatoribus ereptam, Constantinus Copronymus à Pipino per legatos frustra repetebat. *Anastasius, & annales Pithœi. Hic locum habet vulgatum illud dictum*, Da ut des, non tua, sed aliena. *Nam ultrò citròque collatis beneficiis Pontifex à Gallis prophani juris ditiones, Pipini progenies à Pontifice non Regnum modo Galliæ sed Occidentis Imperium accepit. Constantinopolitano Imperio miserrimè spoliato.* M. Ant. Marcellus Senator Venetus lib. de jure seculari Rom. Pontificum.

S. Bonifacius Episcopus Moguntinus & Trajectinus adit Frisios ad prædicandum Euangelium, qui relictâ Christianâ fide ad Paganismum defecerant. At Coloniensis Episcopus asserebat, gentem atque sedem illam Episcopalem constitutam Trajecti, ad suam diœcesin pertinere. In illa sede Willebrordus construxerat Ecclesiam S.Martini & Bonifacius S. Salvatoris. Bonifacius vero Trajecti Episcopum instituit Gregorium, ipse verò cum Eobano, suo Coëpiscopo seu Chorepiscopo itineris sui socio & cum reliquo comitatu descedens in Frisiam, à Frisiis cum suis occiditur Doccomi. *VVilibaldus, Ioannes de Beka, VVilhelmus Heda* &c.

A. C. 756. Desiderius mortuo Aistulpho creatur Rex Longobardorum.

A. C. 757. *Stephanus Papa, cum Ecclesiam Romanam multis divitiis auxisset, moritur, succedit Paullus. Ille Stephanus primus ad Lateranum humeris subeuntium portari voluit, & decrevit ut tabula diplomatum Pontificis plumbo obsignarentur, ut diuturniores essent.* Polyd. Virg.

A. C. 763. Turcæ primò erumpunt è portis Caspiis in Armeniam. Prodigiosa est glacies & vix credibilis in Ponto Euxino & alibi, crassa 30 cubitos. *Theophanes.*

Paulus

Paulus Papa in ægritudine positus, cum nondum adhuc spiritum exhalasset, Constantinus laicus succedit, sed vi militum per Totonem ducem Constantini fratrem, consensu & voluntate Desiderii Regis &c. *Anastasius* & *Onuphrius.*

Laborat Occidens Orthodoxorum complurium protervia, & vivendi licentia non satis Christiana, de qua conquestus est in suis epistolis S. Bonifacius, laborat Oriens Imperatoris in imaginum cultores persecutione. Baron.

Constantinus Papa vi sedem ingressus per vim è sede pellitur, Toto ejus frater, & dux Nepesinus occiditur, eligitur Philippus, quo denuò vi pulso, creatur Stephanus III. multa crudelia Romæ perpetrata contra ejectos Papas & alios. *Anastasius.* A. C. 768.

Pipinus primus Francorum istius familiæ Rex moritur, succedit Carolus Magnus filius, qui inauguratur Wormatiæ, & Carolomannus, qui Suessione. *Regino.*

Sergius cujus operâ Constantinus pseudo-papa pulsus, & Stephanus Papa creatus, vi in tumultu urbis Romæ excœcatur, & paulò post summâ sævitie multis confossus vulneribus occiditur. A. C. 770.

Carolus matrimonio sibi jungit Bertam Desiderii Regis Longobardorum filiam, quod à Stephano Papa non tantum dissuasum sed & sub anathemate, Carolo id negligente, prohibitum erat, quam tamen sequenti anno repudiabat. *Regino.* qui multas addit Stephani rationes, quare id Carolo dissuaserit, inter cætera dicit pro certo affirmare Stephanum, ab hac Longobardorum natione leprosos originem ducere. sed aliam caussam, *inquit*, habuit Stephanus, ne Franci cum Longobardorum gente affinitate juncti edocerentur de sceleribus Pontificum, & ita aliquid dignitati Pontificum detraheretur. *Calv.*

Carolomannus Caroli Magni frater moritur & ejus morte Francorum Monarchiam acquirit Carolus, Princeps sine controversia maximus, armis invictus & doctrinarum studiis excultus. *Aimoin.* A. C. 771.

Stephanus Papa moritur, succedit Hadrianus. A. C. 772.

Desiderius occupat diversas Exarchatus civitates; Ravennates Romanosque vexat, Urbique obsidionem minatur.

Hadrianus Papa duas mittit legationes ad Carolum Magnum, dum in magna angustia & tribulatione versatur, ob Desiderium, Romanas civitates invadentem; deprecans ejus excellentiam, ut A. C. 773.

ſicut pater Caroli Pipinus, ipſe etiam ſubveniret ſanctæ Dei Eccleſiæ, & afflictæ Romanorum & Exarchatus Provinciæ. *Anaſtaſius.*

A.C.774. Carolus venit in Italiam cum exercitu, Papiam obſidet, & cum urbe capit Deſiderium. Quem captivum in Franciam abducit, veterem Pipini donationem confirmat & auget:nam adjecit Sabinenſe territorium, Spoletanum & Beneventanum Ducatum, Exarchatum verò vocat Romaniam;atque ita Regnum Longobardorum finitum eſt,cum duraſſet annos 206. Carolus quidem Pontifici reddidit,quæ Pipinus conceſſerat, Longobardorum vero Regnum ſibi retinuit. *Regino. Sigon.*

Carolus cum audiſſet tempore Paſchatis Romæ alio modo cantari quam in Galliis, offenſus hac diſſonantiâ, binos Clericos Romæ aluit, qui authenticum Romanorum cantum diſcerent & Gallos docerent. Hi primum eundem cantum *in Metenſi Eccleſiâ inſtituerunt, unde reliqui eundem didicerunt.* Sigeb.

Paulus Diaconus antea Deſiderio à ſecretis; vir doctus pro rudi illo ſeculo, in exilium mititur. hic eſt ille hiſtoricus, *qui Carolo carus, ejuſdem juſſu hiſtorias & lectiones de ſanctis conſcripſit.* Leo Oſtienſ. Idem ille Paullus Diaconus, cum vidiſſet Papam tot regionibus auctum, *Hoc ubi datum eſt*, inquit, *veluti feniſtra ad imperium totum aperta eſt: ac animum & ad Vrbis & ad orbis dominium adjiciunt, totique quâ data porta ruunt Pontifices.* lib. 11. de geſtis Longobard.

A.C.775. Conſtantinus Copronymus Imperator moritur, qui ſummam *contra imaginum cultores ſævitiem exercuit.* Succedit Leo filius Conſtantini, cui uxor Irene Athenienſis. Hic Leo IV. patrem & avum imitatus imaginum adorationem prohibuit.

A.C.778. Carolus Magnus Saracenis in Hiſpaniâ, debellatis partem hujus haud modicam Francicis ſubjecit armis, & Chriſtianam religionem ibidem prædicari juſſit. Hoc verò anno expeditione in Hiſpaniam factâ, Cæſarauguſtam aggreſſus, acceptis obſidibus, Pampelonam inde diſceſſit: diſiectis ejuſdem mœnibus, dum per Pyrenęos montes in Galliam regreditur, Vaſcones per anguſtias extremum agmen adorti, cæde aliquot Principum factâ, impedimentiſque direptis, Francorum ſe ab armis inviis ſaltibus latebriſque

brisque tutati sunt. Desideratus est inter alias Rulandus, Britannicæ oræ Præfectus. Nascitur Ludovicus Caroli M. filius ex Hildegerde Suevâ.

Carolus Saxones & Westphalos debellat,& Episcopatum Mindensem & Osnaburgensem instituit. *Regino.* Eodem anno in Hardesborgh idolum Saxonum destruit, cui nomen Crodo. *Cran.* 3. A. C. 779.

Leo Imperator moritur, & Irene *piissima (ut loquitur Theophanes)* cum filio suo Constantino annos 10 nato, gloriosè divinitus imperium accepit. A. C. 780.

Mirabilis Deus prædicatur in hoc , dum per viduam fœminam & puerum orphanum excitatam impietatem compescuit. Baronius. Maximos, prudentissimos & optimos Imperatores carpit & sugillat sæpe illustrissimus vir, ubi res Ecclesiasticas moderari tantum & dirigere ad pacem Christiani orbis contra nimium Ecclesiasticorum fervorem & solitas contentiones conantur. Nunc quicquid agit fœmina & puer ad compescendam impietatem (ut loquitur *Baronius*, id est, ad cultum imaginum promovendum) miraculum est.

O curva in terris anima, &c.

Irene per Legatos petit filiam Caroli M. in uxorem pro Constantino filio & adhibito jurejurando sponsalia confirmantur: sed ipsa Irene ex Armeniâ conjugem quæsivit, eamque filio suo invito, fœmininâ imprudentiâ & Græcâ levitate obtrusit: nam verebatur, ne filius potentiâ invalesceret plus quam sibi usui esset: quę pręterea, ut pacem Orientis redimeret, cum Saracenis vectigale illis constituit Imperium Romanum, statuto annuo censu, &c. *Theophanes.* A. C. 781.

Carolus Pipinum filium Romæ, sponsore Papâ Adriano, baptizari curat, & ambos filios inaugurari Reges, Pipinum Italię, Ludovicum Aquitaniæ. *Regino.* Imprudentiam magni Imperatoris in hac regni divisione notant Politici, quam etiam imitatus est cum magnâ imperii turbâ Ludovicus.

Carolus triginta tres annos cum Witichindo Saxonum Rege bellum gerit, quos sæpius rebellantes tandem superat, decem hominum millibus ab Albi flumine translatis, & per Galliam & Germaniam dispersis. *Eginhardus.* Gregorius Papa VII. asserit *lib. 8. epist. ultima.* Caro- A. C. 782.

Carolum conscium se ope Apostoli Petri indomitos domuisse Saxones, obtulisse eandem provinciam B. Petro, insuper & nummum unum per singulas domos Galliarum omnium provinciarum persolvendum Romanæ Ecclesiæ indixisse. *Baronius.*

A. C. 787. Irene Augusta convocat omnes Episcopos ad celebrandum Concilium œcumenicum, & cum Constantinopolim advenissent Episcopi, milites seditionem excitarunt & concilium turbarunt an. C. 786. Itaq; in annum sequentem res dilata est, quo Nicæam translati synodum auspicati sunt 8. Cal. Octobr. cum maximus fuisset solis defectus 16. Sept. die dominico. Convenerunt Patres 350. in eo Concilio Iconoclastæ proscripti, & imagines non tantum templis redditæ sed & adorari jussæ. *Theophanes.* Notanda in hoc Concilio: Duo Petri, legati Adriani Papæ in ordine Episcoporum primi statuuntur, & jure, nam locum obtinent Episcopi Romani, qui est dignitate omnium Episcoporum primus: Tharasius Episcopus Constantinopolitanus ex laico promotus ad Patriarchatum præsedisse videtur, vel saltem functus munere præsidis, qui etiam ab omnibus vocatur œcumenicus: Tharasius ibidem se adorare dicit imagines (non latriâ, quam uni Deo deberi affirmat) Christi, Deiparæ & sanctorum, causâ prototypi: ibidem dicitur Cherubin & propitiatorium, arcam & mensam Mosis fuisse adorata: Adrianus Papa simpliciter imagines adorari vult epistolâ ad Tharasium. Vide actione IV. Leontii doctam de imaginibus & verbo προσκυνεῖν, id est, adorandi, disputationem contra Judæos. In Anastasii epistola explica-

Deuter. 6. tur hic locus, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, hisce verbis: illi soli servies, id est *Deo soli latriam præstabis*; Deum tuum adorabis: *id est, honorabis*, ubi non additur vox, *solum*, *adoratio enim propriè est honoris alicui exhibiti emphasis; honorantur autem & alia res.*

Præterea inquit synodus, *Omnes, qui sacras imagines se venerari confitentur adorationem autem recusant, sancti patres tanquam hypocritas redarguunt, & si quis circa venerandarum & sanctarum imaginum adorationem laborat aut dubitat, eum eadem synodus anathematizat.* Tandem synodus sic definit: *salutationem & honorariam adorationem imaginibus exhibendam, in prototyporum memoriam (veram latriam soli divina natura) ut euangelia & alia honorantur, judicamus.* In epistola syno-

synodi ad Imperatores, adorare, Patres interpretantur exosculari, amare, honorare, & προσκυνεῖν, secundum Græciæ vetus idioma, idem significare affirmant.

Hic admirari satis nequeo, tanto molimine, tanto animorum æstu, tot anathematibus, ad nutum Principum, imò & fœminę, tam contraria celebrata concilia, ab eadem natione, & à tam frequentibus, & fortè multis iisdem patribus: quare detestari satis nequeo nationis hujus inconstantiam & inconsideratam horum Theologorum temeritatem, quâ ab uno extremo in aliud turpiter dilabuntur. In Concilio an. 755, imagines templis ejiciuntur; ignominia afficiuntur, imò comburuntur: in hoc, an. 787, sanctę æstimantur, & adorare nolentibus anathematis fulmen impingitur. Utrumque hoc Concilium damnabitur sub CaroloM. à synodo Francofurtensi, & sub Ludovico Pio à Parisiensi, de quibus suo loco fusius dicemus.

Cardo hujus controversiæ maximè, meo quidem judicio, versatur in significatione verbi Gręcè προσκυνεῖν, Latinè adorare. Cujus distinctionem seu explicationem habes apud Tharasium in sua & synodi epistolà ad Imperatores, apud Athanasium Antiochiæ Episcopum, actione 4. & Leontium, ejusdem concilii Patres. apud Petrum Crabbe in exordio hujus Concilii, tomo Conciliorum 2. & apud Grotium, in explicatione decalogi super verba: *Non adorabis ea neque coles*, Κυνέω autem apud illos est osculor seu honoro, ut diximus: adoro verò non est oro aut precor, sed manum ori admovendo aliquem veneror aut honoro. προσκύνησις autem propriè significat procumbentis corporis gestum honoris habendi gratiâ. Sed hoc me maximè movet, quod Deus vetet in veteri testamento imagines adorare vocabulo προσκυνεῖν, & idem in novo repetat Christus, & synodus hæc Nicæna secunda eas adorare jubeat eodem vocabulo, sub pœna anathematis. Periculum non omninò abesse jam suo tempore notavit Augustinus, ubi de Christianis loquens, ait: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores.* Hodie Gręci picturas, quod in iis minus periculi esse existiment, simulacris sculptis pręfe-

Exod. 20.
Matt. 4. 10.
Apoc. 22. 8. & 9.
August. lib. de moribus Christiana Ecclesiæ & c. cap. 34. & epist. 119. cap. 11.

præferunt, ut & Abyssini: Armenii utroque abstinere solebant. Hoc periculum quod suo tempore animadvertit, verebatur & prædixit Augustinus, quomodo accreverit, docebo. Abhorrebant à picturis & imaginibus Judęi; non tamen in decalogo omnes vetitæ videntur, sed tantum eæ quę idola referebant, aut quibus idololatræ ad cultum utebantur. *Fecit*, Ezechiel, *quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit excelsa, contrivit statuas, succidit lucos, confregitque serpentem aneum, quem fecerat Moses: siquidem ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum, vocavitq; nomen ejus Nohestan.* quasi diceret: Æs est, pręterea nihil. Christianorum templa in primitivâ Ecclesiâ imaginibus carebant. Tertull. lib. de Idololatriâ, imagines fieri non vult, ne quid dicam de earum cultu. *Idolum*, inquit, *tam fieri quam coli Deus prohibet. Quantò pracedit ut fiat, quod coli possit, tantò priùs est ne fiat, si coli non licet: propter hanc causam ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat:* Ne feceritis idolum, *& conjungens*, neque similitudinem eorum quæ in cœlis sunt, & quæ in terrâ, & quæ in mari. *Toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei.* Et cap. 5. *Sed ait quidam: Cur ergo Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit? seorsum figura quæ dispositioni alicui arcana prastruebantur, non ad erogationem legis, sed ad exemplarium caussa sua.* & paulò post: *Benè quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario pracepto serpentis similitudinem interdixit. Si eundem Deum observas, habes legem ejus.* Ne feceris similitudinem: *Si & præceptum facta postea similitudinis respicis, & tu imitare Mosen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.* Vide ibidem plura & alibi apud eundem hæc verba: *Si statuas & imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas, non adoramus, quas milvi & mures & araneæ intelligunt, nonne laudem magis quam pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Clemens Alexandrinus in suo protreptico multa habet contra cultum imaginum, inter cætera etiam hæc: *Cur relicto cælo terram honorastis? Quid est autem aliud aurum, vel argentum, vel adamas, vel ferrum, vel æs, vel ebur, vel lapides pretiosi? an non terra & ex terra? Annon unius matris terra sunt fœtus hac cuncta quæ vides? Cur ergo ô stolidi, & inanium rerum cognitioni dediti cœlestem locum maledictis incessentes, pietatem ac religionem in solum detraxistis, terrestres*

De Idololat. cap. 4.
Exod. 32.
Ibid. 20.
Numer. 21.
Apologet. cap. 12.

terrestres Deos vobis fingentes, & hæc genita, ante Deum ingenitum persequentes, in profundiorem incidistis caliginem? Pulcher est lapis Parius, sed nondum est Neptunus. Pulcrum est ebur, sed nondum est Olympius. Materia semper arte indiget. Deus autem est nullius indigus. Præcessit ars, adjecta est figura. Materia & essentia opes ad lucrum quidem deducunt, solâ autem sunt figurâ venerandæ. Aurum est tua statua, est lignum, est lapis, est terra, quæ si ab initio consideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare. Et: *Vos autem ars decipit præstigiis ad colendum & adorandum simulacra & picturas.* Nota illa verba, τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν. Et: *Nobis autem apertè vetitum artem fallacem exercere.* Non facies enim, *inquit Propheta*, cujusvis rei similitudinem eorum quæ sunt in cœlo, & quæcunque sunt in terrâ infra. Vides secundum Clementem non tantum illicitum Christiano imaginum cultum, sed & ipsam artem picturam. Vide Lactantium lib. 2. cap. 1. & Concilium Eliberinum Lactantii tempore celebratum; cujus hic invenitur Canon, ut alibi diximus: *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur.* Eusebius lib. 7. cap. 17. Histor. Eccles. narrat historiam de statua ænea viri & mulieris in genua procumbentis, id est, Christi & Hęmorrhousę in Euangelio Paneade, urbe Palęstinę suo tempore adhuc superstite. *Sed*, ut inquit, *ex gentili consuetudine.* non in templo, sed sub dio, non ut adoraretur, sed ut rei gestę memoria conservaretur. *Imaginem verò ponentes in Diaconico Ecclesiæ*, inquit Philostorgius lib. 7. c. 3, *convenienter adcurarunt, nullo modo tamen eam colentes aut adorantes (neque enim fas erat æneam aliamve materiam adorare) verum hoc ipsum, ut decentiore situ esset &c.* vide Gothofredi dissertat. in Philostorgium. Vidit etiam Eusebius suo tempore asservatas imagines Apostolorũ Pauli & Petri & ipsius Christi. A Constantino etiam exstructas quasdam imagines narrat Eusebius, sed tantum ad ornatum: quemadmodum & illæ, quarum meminit Basilius & ejusdem frater Grẹgorius Nyssenus sub finem quarti seculi. Sic Epiphanius Cypri sanctissimus Episcopus in villâ Anablathâ, *velum habens imaginem, quasi Christi vel alterius sancti, scidit, & auferri voluit, quod esset contra auctoritatem sacrarum scripturarum.* Hęc habet ipsius epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum,

Exod. 20.

Matth. 9. & Luca 8.

quæ invenitur in fine tomorum Epiphanii, & inter epiſtolas Hieronymi tomo epiſtolarum 2. & initium eſt: *Domino dilectiſſimo fratri.* Auguſtini tempore necdum in Africâ admiſſa in Chriſtianorum templa, ſaltem ſimulacra, manifeſtè & exactè ipſe docet in Pſalmum 113. depictas tamen fuiſſe in templorum parietibus imagines Chriſti, & hinc inde Petrum & Paullum, refert idem Auguſtin. de conenſ.Euang.lib.1.c.10. Sub initium quinti ſeculi receptæ paſſim ſunt in templis imagines, hiſtorias ſacras exprimentes, ſed ſine cultu. Scripſit hac de re A. C. 601. Gregorius I. Epiſcopus Romanus epiſtolarum lib. 7. ex regiſtro epiſt. 109 &c. lib. 9. epiſt. 9. ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem: *Perlatum ad nos eſt*, inquit, *quod inconſiderato zelo ſanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent confregeris: & quidem quia adorari vetuiſſes, omnino laudavimus, fregiſſe vero reprehendimus: aliud enim eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid adorandum ſit, addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis cernentibus pictura præſtat: quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt. Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes neſcientium fuit collocatum.* Et paullò pòſt: *iiſque S.Scripturæ teſtimoniis oſtendendum, quia omne manu factum adorare non liceat, quoniam ſcriptum eſt*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. *Et ſiquis imagines facere voluerit, minimè prohibe; adorare autem imagines, omnibus modis devita. Sed hoc ſollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur.* Hactenus Gregorius. Cum autem ab ornatu & inſtructione ad imaginum cultum quidam deflecterent ſeculo ſeptimo, magnæ exortæ ſunt contentiones aliis cum Sereno imagines rejicientibus, aliis eas religioſo cultu honorantibus, inter quos etiam fuêre Pontifices Romani. Ut illi malo occurreret Imperator Leo Iſaurus A. C. 730 imagines è templis removeri juſſit, idem ut Romæ & in Italia fieret, ſcripſit ad Gregorium II. Epiſcopum Romanum. Hìc arreptâ occaſione, & deſertâ Imperatoris obedientiâ, tributa negat, & cum Francis pactum init Papa. Leonis Iſauri filius Conſtantinus, dictus Copronymus, convocat ſynodum 338.
Epiſco-

Epiſcoporum Conſtantinopoli, A. C. 754. quæ quibuſdam dicta ſeptima œcumenica, contra imaginum adorationem, in qua inter cęteros condemnatur Germanus Conſtantinopol. & Joannes Damaſcenus, ut patet ex actis ſynodi Nicęnę II. actione 6. ubi & integrum iſtius concilii invenitur decretum. Succeſſit Patri Conſtantino Leo IV. A.C. 775, hoſtis etiam adorationis imaginum. Leoni ſuccedunt vidua Irene & filius Conſtantinus VI. qui Concilium hoc Nicænum convocant, ut diximus, A. C. 787. ſic brevi ſpatio, trium nimirum & triginta annorum, imagines in Oriente ſunt abrogatæ & reſtitutæ, combuſtæ & adoratæ, idque per concilia plus quam trecentorum Epiſcoporum. Excrevit tandem hic cultus imaginum apud Theologos quoſdam ſcholaſticos in Latriam, ſeculo nimirum 12. Thomas Sum. part. 3. 25. art. 3. *Sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti & ipſi Chriſto: cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latria, conſequens eſt, quod ejus imago adoratione latria ſit adoranda.*

Johannes Azor inſtit. morab. tom. 1. lib. 9. cap. 6. *Conſtans eſt Theologorum ſententia, imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus eſt imago.*

Gabriel Biel, lect. 49. in Canonem Miſſæ: *Si fuerint imagines Chriſti, adorantur eâdem ſpecie, quâ Chriſtus, id eſt, adoratione latria: ſi beatiſſimæ Virginis, hyperduliæ: ſi S. Petri, aut alicujus alterius ſancti, duliæ*: quamvis illa diſtinctio ſacræ ſcripturæ & primitivæ Eccleſiæ ſit ignota. Ejuſdem opinionis ante hos fuit Alexander Alenſis, & plures Theologi ſcholaſtici: Concilium vero Tridentinum ſuffragatur ſynodo Nicænæ ſecundæ, ſed circumſpectè. Quid dicam? Una mali tanti dux fœmina. Et ſi alibi, hîc locum habet locus ille Chryſoſtomi in tractatu de profectu Euangelii. *Concilium nihil poteſt ſtatuere contra verbum Domini: Eſt enim error, quicquid contra ſacram ſcripturam decernitur; non nugis hominum eſt attendendum, ſed doctrinæ Spiritus ſancti.* Nec in imaginum tantum cultu, ſed in aliis ſimiliter ſeculi ſui morbum deplorat Auguſtiuns, uti in epiſtolâ ad Ianuarium 119. cap. 19. quòd alibi etiam monuimus: *Sed hoc minus doleo, quia multa, quæ in divinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut*

gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentiâ sepelierit: Sed inprimis memorabile est, quod proximè antecedit: *Quod instituitur prater consuetudinem, ut quasi approbatio sacramenti fit, approbare non possum, etiamsi multa ejusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo.* Si tantæ vir sanctitatis & auctoritatis, in negotio Dei, liberè loqui ausus non fuit, quid mirum si alii errore invalescente, tanquam torrente quodam, se abripi passi sunt. Sic etiam loquitur Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem: *Alii adificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia &c. Sed tibi aliud propositum est: Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus &c. non reprehendo, non abnuo, unusquisque in suo sensu abundet.* Item in Hierem. cap. 7. ubi loquitur de ædificiorum splendore & aureatis laquearibus: Et *dicimus Templum Domini: Illud enim templum Domini est, in quo habitat vera fides, sancta conversatio, omniumque virtutum chorus.*

A. C. 788. Matris Irenes impulsu Constantinus Imperator filiam Caroli repudiat, quam deperibat, ut diximus, & uxorem humili loco natam ducere cogitur. sic exæstuans irâ fœmina, sicut malo consilio, dissolvit fœdera nuptiarum jurejurando confirmata, sic imprudens adversus eundem Carolum in Italiâ bellum movit & cæsa est. Hac occasione natum Græcorum proverbium: *Francum amicum habeas, aut non vicinum. Theoph.*

A. C. 789. Constantinus 20 annos natus, cum videret Stauratium mandato Matris Præfectum Logothetam, & in flagranti favore ejusdem constitutum, omnia ad nutum suum dirigere: se verò ab omnibus negligi, cum amicis suis conspirat contra Stauratium. Quo intellecto, amici Imperatoris relegantur, Mater filium percussum & convitiis lacessitum, tanquam in carcere custodit, & milites sic sibi jurare facit: *Quousque tu vivis, non permittemus filium tuum imperare.* Hunc Imperii turbulentum statum natura ostendit magno & horribili terræ motu, ut omnes, & ipsi Imperatores, sub dio extrâ urbem vivere cogerentur. *Theophanes, Zonaras.* Carolus leges promulgat de disciplina Ecclesiastica, & ejus reformatione. *Sigon.*

Milites, quamvis antea Irenæ jurassent, Constantinum solum Imperatorem volunt. Irene sibi timens filium dimittit, qui habenas Imperii suscipiens, ultus est injuriam suis à Matre illatam, quam redegit in ordinem, & solus imperavit. Inter tanta discordię incendia magna pars Constantinopolis conflagravit, & inter alias etiam domus Patriarchæ Tharasii, ubi reposita erant universa scripta S. Chrysostomi in S. Scripturam. *Theoph. Cedrenus.* A. C. 790.

Constantinus à Matre & aliis optimatibus rogatus, proclamat eam iterum Imperatricem, & matris & Stauratii consilio patruis suis aut oculos effodit aut linguas amputavit. Et post quinquennium eodem mense & die Sabbati orbatus est oculis à propriâ matre Constantinus. *Miscell.* A. C. 791.

Memorabilem hic adducit versum Baronius inscriptum valvis Ecclesiæ antiquissimæ S. Petri in diœcesi Avinionensi:

Si Christus est Deus, vel potius, si Christus Deus est: sed hic deest rhytmi elegantia, *& Petrus claviger ejus,*

Iam nisi per Petrum nemo videbit eum.

Sic ut lapides ipsi, inquit Baronius, *si alii sileant, contra novatores inclament.*

Sub Carolo Magno Francorum & Longobardorum Rege celebratum est Concilium Francofurtense Episcoporũ ex Italiâ, Galliâ, Germaniâ & Brittanniâ, trecentorum, præter Abbates &c. contra Elipandum Toletanæ civitatis Metropolitam, & felicem Episcopum Urgelitanum & reliquos hereticâ labe infectos; qui Christum secundum hominem non naturalem, sed adoptivum Dei filium adserebant. Ad hos magnâ lenitate sic scribit inter cętera Carolus M. *Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi sacerdotum auditor & arbiter adsedi. Decernimus & Deo donante decrevimus, quid esset de hac disquisitione firmiter tenendum: sed modò per eandem obsecrationem vos iterum iterumque obtestor, ut in pacificâ unanimitate & Catholica fidei unione nobiscum maneatis: nec vos doctiores æstimetis universali S. Ecclesiâ: eam fidem tenete, quam Orthodoxi patres in suis nobis symbolis scriptam reliquerunt & nolite plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nec ratiocinando humano ingenio, divina vos mysteria investigare arbitremini, sed magis credendo honorare, quæ humana fragilitas* A. C. 794.

tas temerè perscrutando, temerè invenire non valet. Et: *Ego me vestra paucitati in consensu hujus nova assertionis socium non admitto, sed sedi Apostolica, & antiquis ab initio nascentis Ecclesia & Catholicis traditionibus totâ mentis intentione conjungo. Quicquid in illorum legitur libris, qui divino afflati spiritu toti orbi à Deo Christo dati sunt doctores, indubitanter teneo; hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ Euangelica veritatis pandit historia, quod Apostolica in suis epistolis confirmat auctoritas, quod eximii sacra scriptura tractatores, & pracipui Christiana fidei doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam &c.* Hactenus Carolus M.

In eodem Concilio Francofurtensi, post condemnatos prædictos hæreticos, Concilium Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo A.C.755. habitum, quo confringi & comburi imagines templorum jubentur: & Concilium Nicænum secundum, sub Constantino & Irene Matre, quo eas coli & adorari sub anathematis pœna præcipitur, damnantur. Idque secundum sententiam S. Gregorii Magni, in epist. ad Serenum Massiliensem Episcopum, quam vide A. C. 787. Nimirum ut imagines non confringerentur, nec colerentur, sed esse finerentur.

Patres hujus Concilii, contra Adriani Papæ, & Theophylacti & Stephani legatorum ejusdem sententiam, suam de colendis imaginibus doctrinam, & refutationem Synodi Nicænæ secundæ describunt in illis libris, qui sub nomine Caroli Magni editi, Capitulare Caroli dicuntur, (sic dicebatur illo seculo liber in capita distinctus) quod Carolus misit per Engelbertum, suum olim cum Bertha filia generum, ad Adrianum I. Episcopum Romanum, qui defensor synodi Nicænæ, Capitularis libros refutare conatus est, scripto quodam non satis accurato, ad Carolum misso, quod videre est in tomo Conciliorum tertio, parte secundâ apud Severinum Binium, paulo post secundam Nicęnam synodum prędictam. Sed audiamus pauca hujus Capitularis verba: *Solum*, inquiunt, *Deum colere, ipsum adorare, ipsum glorificare debere, totius divina scriptura tuba terribilis intonat: unde cavendum illis est, & modis omnibus pertimescendum, ne dum imaginum cultum & adorationem Christiana religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum & adorationem frustrare videantur, &c.* Cum

Capit. Car. lib. 1. c. 21.

autem

autem utraque ſynodus, per hoc capitulare Caroli condemnetur, tam illa, quæ celebrata ſub Copronymo, quâ imagines ę templis ejiciuntur, quam hæc quâ imagines adorantur, in iſtis *patribus*, ait, *fuiſſe quidem levitatem, in his verò atrocitatem: in illis imperitiam, in his nequitiam: illos vinum Sacri eloquii aquæ permixtione inſipidum reddidiſſe, hos veneno acuiſſe* &c. Poſtmodum omnia Nicænæ ſynodi argumenta refutare aggreditur,& novè ac periculoſè imagines *ſanctas* vocari dicit, cum nulla ſanctitas iis adſit, neque à natura, neque ab arte, aut ab canonica aliqua conſecratione: & copioſè demonſtrat omnia ſcripturæ loca à Synodo Nicæna allata, partim incautè & abſurdè, partim etiam impudenter ad hanc cauſſam detorta, cum illa *adoratio neque per Patriarchas, neque per prophetas, neque per Apoſtolicos viros uſpiam inſtituta ſit*: deinde reſpondet ad ea loca, quæ ex patribus in eum finem adferuntur. Eas demum rationes refellit,quibus imaginum adoratio defenditur. Primò, quâ obtenditur imaginum utilitas ad revocandam rerum divinarum memoriam: ſecundò, quâ in rep. Principum ſtatuis defertur honos; Tertiò, quâ picturarum cum ſuis exemplaribus unio hujuſmodi ſtatuitur, ut earum honor ad prototypum tranſeat: Quartò, quâ talis vis iis tribuitur, qualem olim habuiſſe dicitur Palæmonis Philoſophi viſa effigies, ad neſcio quem adoleſcentem ab adulterii perpetratione coërcendum: quintò, quâ reliquiis ſanctorum martyrum & confeſſorum exhibetur reverentia:Sextò,quâ per eas perhibentur facta miracula:Septimò,quâ diciturEpiphanius in catalogo hęreſium adorationem imaginum minimè commemoraſſe:Octavò,quâ traditur Chriſtus ad Agbarum Edeſſæ regem imaginem ſuam miſiſſe. Sua autem hæc proponit argumenta: quod ſcripturæ nuſquam imaginum cultum inſtituerint: quod contra diſertè vetuerint, ne quicquam colatur, aut adoretur, præter unum Deum: quod iſtius imaginum adorationis nulla vel à ſex univerſalibus Conciliis, vel à patribus in fidei ſuæ expoſitionibus facta ſit mentio: quod ea à Gregorio Magno rejiciatur. Imò & omnem omninò imaginibus adimit in religione *cultum*, *obſervantiam*, *venerationem*, *honoremque eum*, *qui collo inflexo & capite ſummiſſo exhibetur, vel thuris vel luminarium oblatione conſtat*, *ſi igitur Angeli*, inquit, *ſive* ho-

homines &c. minimè adorandi sunt salvâ adoratione, quæ charitatis vel salutationis officio exhibetur, multò minus imagines, quæ rationis expertes sunt, nec salutatione nec adoratione dignâ, eo quod insensata sunt, adoranda sunt. Qui plura valet consulat ipsos Caroli Magni quatuor libros, quibus hic est titulus, quem præ se ferunt quæcunque hactenus visa sunt hujus voluminis exemplaria, ac duo illa imprimis manuscripta, Vaticanum, cujus meminit Steuchus Eugubinus, Papæ bibliothecarius, & Tilianum, qui hunc Capitularis titulum fuisse affirmat: *In nomine Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi incipit opus illustrißimi & excellentißimi seu spectabilis viri Caroli nutu Dei regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque sive harum finitimas provincias Domino opitulante regentis, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolidè sive arroganter gesta sunt.* Imò & in prima totius operis præfatione sic loquitur Carolus M. *Quoniam in Ecclesia sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepimus, necesse est, ut in ejus defensione & ob ejus exaltationem Christo auxiliante toto annisu certemus,* &c.

Vide Concilii Trident. sessione 25.

ib 2. n. 60. de donat. Constant.

Usserius Armachanus, libro de Christianarum Ecclesiarum successione & statu, ex diversis Anglorum illius temporis historicis adfert judicium Ecclesiarum Britannicarum de eadem hac quæstione hisce verbis: *Anno ab incarnatione Domini 792. Carolus Rex Francorum misit synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum* (synodus hæc fuit Nicæna secunda) *in quo (proh dolor) multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperta sunt; maximè quod penè omnium Orientalium Doctorum non minus quam trecentorum vel eo amplius Episcoporum unanimâ assertione confirmatum est, imagines adorari debere, quod omnino Ecclesia Dei exsecratur. Contra quod scripsit Alcuinus epistolam ex auctoritate divinarum scripturarum, mirabiliter affirmatam, eamque cum eodem libro, ex persona Episcoporum & Principum nostrorum Regi Francorum attulit.* Simeon Dunelmens. Rogerus Hovedenus, Matthæus Florilegus, & Roffensis historiæ auctor. *Hic Alcuinus natione Anglus, fuit discipulus Bedæ in Gallias à Carolo M. evocatus, scripsit epistolam ad eundem Carolum*, inquit Bellarminus de script. ecclesiast. an. C. 780. De eodem Alcuino hæc Vossius: *Temporibus Pipini & Caroli Magni Francorum Regum, claruit Flaccus Alcui-*

Alcuinus, cui cognomentum Albinus fuit; ut ait conditor annalium Francicorum à Pithœo editus ad an. ꟾↄccxcIV. *Natione hic erat Anglus, à Beda primum, hinc ab Egberto Archiepiſcopo eſt inſtitutus, docuit Carolum M. ac eidem ab eleëmoſynis & ſanctioribus conſiliis fuit. Etiam conſilio ejus Carolus inſtituit Academiam Pariſinam. Latinè, Græcè, Hebraicè callebat: atque idem erat Rhetor, Philoſophus, Mathematicus, & Theologus nobilis. Chronica edidit, item libros de vita & virtutibus B. Martini, &c. Item geſta Caroli M. & alia multa. Sed ad Theologiam pertinentia, vide apud Sigebertum de ſcriptor. illuſtr. cap.* 82. *Sed nulla illic mentio librorum* IV. *de imaginibus. Nempe quia ſcripti quidem ab Alcuino fuere, ut indicat Rogerus Hovedenus in annalibus ad an.* ꟾↄCCXCII: *ſed editi tamen ſub nomine Caroli M. Prælo eos primus divulgavit an. C.*1549. *Eliphilus, hoc eſt Ioannes Tilius Meldorum Epiſcopus, qui cur nomen Eliphili aſſumpſerit pauci ſciunt. Nempe per priorem compoſiti hujus partem occultè ſignificabat, ſe quaſi ſpiritu Eliæ, imaginum cultum, hoc Caroli ſeu Alcuini opere, oppugnatum ire velle: Phili autem ad Eli adjecit, quia vocaretur ipſe Tilius, nempe à Tilia, quæ Græcè Philyra nominatur.* Hactenus Voſſius. lib. de Hiſtoricis Latinis. Vide quomodo contra hunc Eliphilum luctetur & deſudet Severinus Binius, qui ſtatuit ab hoc Eliphilo ipſi incognito editam in Caroli Capitulare præfationem, à quo liber ille inventus & typis mandatus eſſet ante quadraginta quatuor annos ſolummodò. *Binius Concil. tom.* III *part.* 2

Et tamen Adrianus Papa in ſuo ad Carolum ſcripto teſtatur per Engilbertum Abbatem ſibi à Carolo miſſum Capitulare adverſus ſynodum Nicænam ſecundam: & apud plurimos hiſtoricos videre licet in hac ſynodo Francofurtenſi, Italos, Gallos, Germanos & Britannos, concordes contra imaginum cultum ſententiam dixiſſe, *contra ineptiſſimam* (ut loquitur Carolus M. in præfatione Capitularis) *ſynodum Nicænam ſecundam, à fœmina convocatam,* quæ impenſius imaginum cultui addicta erat. Quod certè non mirandum in fœmina, ut loquimur, devota.

Sed audiamus illuſtriſſimi Viri tonitrua in tam multos & magnos ſynodi totius Europæ præſtantiſſimos viros; Francofurtenſes & Pariſienſes Patres. *Mirandum & dolendum,* inquit, *præclariores hujus ſeculi & ejus provinciæ viros ſub Carolo & Ludovico Imperatoribus adeò contentioſo ac animo prorſus refragario, pertinaci ſtudio, indefeſſo cona-*

tu, inflexibili proposito voluntatis adversus adorationem sanctarum imaginum, contra septimam synodum obstrepuisse, clamasse, insaniisse, ut nihil reveriti œcumenicæ synodi majestatem, neque tot pro ea pugnantium Romanorum Pontificum potestatem, usi patentibus mendaciis (forte hic loquitur Baronius, de infideli aut imperita versione verborum Constantini Constantiæ Cypri Episcopi in synodo Nicæna secunda, de qua postea) *à communi Catholicæ Ecclesiæ sententia resilierunt* &c. Hæc Baronius? sed longè aliter inter alios Hincmarus Archiepiscopus Rhenensis: *Auctoritate*, inquit, *hujus synodi Francofurtensis videlicet, nonnihil repressa est imaginum veneratio, in septima apud Græcos vocata universali pseudosynodo approbata. Sed tamen Adrianus & alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, & mortuo Carolo suarum pupparum cultum vehementius promoverunt: adeo ut Ludovicus Caroli filius libro longè acriore insectatus sit imaginum cultum quam Carolus.* Ita perstringebant Episcopi Franci imaginum cultores, statuentes eas conservandas tantum ad ornatum Ecclesiarum, & ad instructionem populi in historiæ veritate, ut hodie fit ab iis qui sunt Confessionis Augustanæ. Si verò ad normam veritatis controversiam de imaginibus adorandis examinare lubet, ut actum à nobis an. C. 787. inspiciamus, quæ sunt & esse debent maximi apud nos ponderis, verba Decalogi, ubi eodem vocabulo imaginum veneratio seu adoratio prohibetur à Deo, quo in synodo Nicæna secunda à patribus jubetur, idque sub pœna anathematis. Ex Eliberino canone, cujus antea meminimus, constat quam serò imagines in templa sint admissæ. Quod autem Christianorum multi eas diu evitaverint, fuit, ne erroi magno apud imperitam plebem ansam darent. In conclavi seu cubili ad ornatum seu memoriam renovandam eas non vetarem; sed in templis propter vulgus res est plena periculi. Quare προσκυνήσιν, id est, honorem illum, qui hominibus eminentioribus præstari solet, non modo imaginibus exhiberi in Decalogo vetat Deus, sed & apud imagines. *Cui ego malo obtemperare quam pseudosynodo Nicæna,* inquit, Hincmarus. Et vulgus plerumque non satis benè distinguit inter cultum religiosum & civilem.

Super hoc Concilio Niceno secundo hec in explicatione decalogi habet Grotius: *In precationum locis an rectum esset, in honorem*

Christi

Christi aut sanctorum coram eorum imaginibus corpora flectere, quod σχετικὴν προσκύνησιν, id est signum amoris & reverentiæ erga viros sanctimonia eminentes, vocant Græci, disputatum diu, nec sine seditionibus in Oriente. Germaniæ & Galliæ diu visum id malo aut mali specie non carere, ut ex Francofurtensi & Parisiensi synodis, quæ Caroli Magni liberorumque ejus temporibus habitæ sunt, apparet. Notandum tamen in illis synodis tractatos inclementius Græcos, quod Occidentales Episcopi sententiam Græcorum expressam in Nicæna synodo secunda, in duriorem partem quam ipsa per se erat interpretarentur, decepti scilicet Actis Nicænæ illius synodi in Latinum sermonem adeò non fideliter versis, ut interdum sensum Græco contrarium exhiberent. quod cum alibi observari potest, tum vel maximè in iis quæ de imaginibus dixerat Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, actione synodi tertia nam ubi Constantinus dixit, adorationem vero latriæ soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati defero. In Capitulari Caroli M. sic habetur: Quam præcipianter & ut ita dicam, insipienter Constantinus &c. cæteris consentientibus se suscepturum honorabiliter imagines dixerit & servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur, eis se traditurum garrierit, &c.

Non possum non hic monere, Binium contra Baronium & Bellarminum & ipsam veritatem, utramque synodum & Francofurtensem & Parisiensem & Capitulare Caroli Magni de non adorandis imaginibus, rejicere tanquam conficta & supposititia. Profectò, ne quid amplius dicam; eò miseriarum devenimus, ut sæpenumerò falsa velimus esse vera & contra vera urgeamus esse falsa, idque etiam cum dispendio veritatis, si modo caussæ nostræ faveant. Et sic progressu temporis tandem accidit, ut apud plurimos etiam falsa quendam quasi veritatis colorem imbibant. Quare adferam contra Binium insigne testimonium Hincmari Archiepiscopi Rhemensis epist. ad Hincmarum nepotem: *Tempore Caroli Magni Imperatoris*, inquit, *jussione Apostolicæ sedis generalis synodus in Francia, convocante præfato Imperatore celebrata, & secundum scripturarum tramitem traditionemque majorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa & penitus abdicata est. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam, est per quosdam Episcopos missum.* Et paulò post:

Auctoritate itaq; hujus synodi nonnihil repressa est imaginum veneratio &c. Vide reliqua Hincmari verba paulò ante citata. Hic Hincmarus an. post synodum Francofurtensem 50. floruit. Eodem tempore vixit Ado Viennensis, qui in suo Chronico ad annum 799, postquam pauca dixisset de Felicis Urgelitani condemnatione, hæc habet: *sed pseudo-synodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus, abdicata penitus.* Idem habent in suis Chronicis Strabus, Fuldensis Monachus, Abbas Urspergensis, Rhegino Prumiensis, Hermannus Contractus, Vita Caroli à P. Pithœo edita, diversi Annales Francorum, & plures alii. Sed de his plus satis, & ad historiam pergamus.

A. C. 795. Hadrianus I. Pontifex moritur, in ejus locum succedit Leo III. qui statim per Legatos claves confessionis S. Petri cum vexillo Urbis Carolo regi mittit. *Regino.* Constantinus Imperator consilio matris Irenes uxorem relinquit, repudiat & tonderi facit; ut omnium odiis ab illo susceptis summa rerum denuò ad ipsam rediret: etsi enim cum filio Imperatore in regia degebat, potestatis tamen particeps non erat, tantum nominis, cum imperii cupiditate supra modum æstuabat. *Zonaras. Miscell.*

Constantinus odio habens Mariam uxorem suam, summissione Matris suæ imperium appetentis & (quod ab omnibus reprehensibilis judicaretur) affectantis, coëgit, ut fieret Monacha, quam cum inflexisset, totondit. Theodotem autem cubiculariam suam duxit & coronavit. *Theophanes.*

A. C. 796. Irene Mater filio Constantino insidias parat, & muneribus exercitus Principes sollicitat, ut sola imperaret. *Theophanes.*

A. C. 797. Crudeliter excæcatur Constantinus Imperator, filius, nepos, abnepos Imperatorum, idque consilio & operâ Matris & Consiliariorum ejus, & paulò post moritur. Obtenebratus est autem sol per dies septendecim, & non dedit radios suos. Tantæ autem fuerunt tenebræ, ut naves quoque à cursu suo aberraverint omnesque dixerint, propter excæcationem Imperatoris solem etiam esse excæcatum &c. *Theophanes, Cedrenus, Zonaras.*

Hoc execrandum parricidium in Irenes laudem traxêre Græculi quidam, ut & *Baronius*, sed quam invisum Deo fuerit, septende-

cim dierum horrenda caligo testata est, quæ mortem illius est consecuta. *Petavius.* Et ea postea an. C. 802. à Nicephoro Imperio exuta & in Lesbon insulam relegata, præ mœrore moritur.

Hæc Irene abusa autoritate filii Constantini, Imperatoris patruos & cognatos excæcavit: fœdus nuptiarum, jurejurando confirmatum, inter Constantinum & Rotrudem filiam Caroli M. perfidè rupit: Auctor fuit filio repudiatæ Mariæ uxoris, & ductæ in uxorem Theodotis cubiculariæ, in opprobrium Imperatoris. Crudelissima mater Irene tandem proprium filium Imperatorem privavit Imperio, visu, vitâ &,

Protinus orbatum viderunt lumine solem, &

Durantes tenebras, lucesseptemque decemque.

Ob cujus, inquam, infandum scelus sol quasi excæcatus, mundo suum lumen negavit, quemadmodum per convocatū ab Irene Concilium Nicænū secundū, excæcatus est totus ferè orbis Christianus.

Immane facinus & dirum sacrilegium perpetratur contra Leonem Pontificem Romanum à scelestis & impiis potentioribus Romanæ Ecclesię Clericis. Nepotes Hadriani Pontificis invidentes Leonis III. electionem, eo furoris perducti sunt, ut non sint veriti oculos ipsi effodere, & linguam præcidere, idque in sacri muneris functione. Evasit è manibus carnificum Leo & ad Carolum M. fugit in Franciam: quem per filium cum insigni comitatu & honore remisit. *Anastasius. Scribit Anastasius, Pontifici oculos in hoc tumultu effossos, & linguam abscissam, & miraculo quodam ea recepisse: sed ficta videntur. Idem affirmat hæc accidisse in Litania majore, in die Divi Georgii, cui dies 23. Aprilis sacer est, cum tamen Litania major, seu dies Rogationum numquam in eum diem incidere possint: hoc anno celebratæ sunt die sexto Maji.* Calvisius. sed memores esse debemus huic Anastasio tribui librum de gestis Pontificum, cum ille liber à diversis & ignotis sit descriptus, ut probavimus auctoritate multorum scriptorum fide dignorum an. C. 221, & proinde sit incertus auctor. A. C. 799.

Carolus Magnus venit Romam, ut Ecclesiam impiorum factionibus turbatam restitueret. Ille cum investigare, quæ Papæ objiciebantur, volebat, synodus respondebat: *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum judicare non audemus* &c. (quasi vero A. C. 800

Leo

Leo fuisset sedes Apostolica) quare jurejurando se purgavit. Satisfactum hoc responso erat Carolo: nec mirum, nam eodem tempore cum esset Rex Francorum & Longobardorum, longè latèque Victor, anno regni 33. ab eodem Leone coronatus est Occidentis Imperator, cum hac acclamatione populi Romani ter repetita: *Carolo piissimo Augusto à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria*, (ut habet Theophanes, Anastasius &c.) Iure ad hoc fastigium provectus, nam res gessit maximas & admirandas, & Regno Francorum magno adjecit Aquitaniam & Vasconiam ad Hiberum amnem: dein Italiam usque ad Calabriam, tum Saxoniam, Pannoniam & omnes nationes intra Rhenum, Vistulam, Oceanum & Danubium positas, &c.

Occasione hujus inaugurationis & coronæ per Leonem Carolo impositæ, multa de potestate Papæ supra Reges & Principes Baronius. Causam quæris? *quia dictum est Petro, pasce oves meas, pasce agnos meos: Sed & de his aquè dictum Petro*, inquit, *Occide & manduca*, &c. quibus rationibus *id juris Papa contigisse* dicit, *ut ex plenitudine potestatis* (sententiâ omnibus Imperiis perniciosissimâ) *Imperatores & Reges Romanæ Ecclesiæ infestos deponere, & justos aut pios sufficere possit, idque ex Dei verbo, jure divino & lege naturæ: sic Gregorius II. Imperatorem hæreticum Leonem Isauricum imperio privavit Occidentali, ut hic Papa idem contulit meritissimo Carolo Magno, Ecclesiæ Romanæ defensori*. hæc Baronius.

Iohan. 21. *Act. 10.*

Sic quæcunque sedens modò legerat, hæc eadem stans
Profert, atque eadem decantat versibus iisdem:
Occidit miseros crambe repetita magistros. Quare paucis respondebo: *Pasce oves meas*; interpretantur omnes patres de pabulo verbi divini, *non autem de supremo in Ecclesia dominatu*, ut Baronius. Ait Christus ipse. *Oves meæ vocem meam audiunt: Regnum meum non est de hoc mundo.* Audi Bernardum: *Pasce, id est, ipsis, non tibi consule, suade, non coge: Oves non tuas, sed meas.* Petro, inquit Baronius, dicitur in visione. *Occide & manduca.* Hoc loco est quæstio de cibis mundis & immundis: quare dicitur, macta ista omnia, & de omnibus ede. additur ratio: nam quæ Deus purificavit, tu ne dixeris immunda seu communia. Linteum hoc, in quo erant omnes bestiæ terræ, significat

Ioan. 10. *Bernard. lib. de cons.* *Actor. 10.*

ficat Ecclesiam,animalia munda Judæos,immunda Gentiles: & hos & illos in Ecclesiam recipiendos indicat Petro hoc viso Deus; hos etiam, id est paganos, ubi ope divinâ ab idololatria & pravis moribus mundati, pietati se dederint. Hoc jam fecerat Cornelius, ut docet Lucas Act. 10. nec Judæus, nec circumcisus, sed tamen unius & veri Dei cultor. Hæc est in hac visione, secundum Theologos vera mens Dei. Quare dicitur, *occide & manduca*, id est, tolle quod restat de veteri homine per baptismum, & aduna, id est, in unum congrega cœtum, conventum, Ecclesiam, utrumque populum. Et hæc sufficerent iis,qui verba Dei pluris faciunt quam dictatus Hildebrandi:sed quid dignitas Cardinalatus apud virum amplissimum expresserit non levis est suspicio. Hinc lucem tenebras, & tenebras lucem vocamus; hinc ex monarcha ovem, ex pastore monarcham facimus. Sic *privavit Leonem Isauricum Imperio Occidentali Gregorius II.* dicit Baronius: Sed non ex *Dei verbo*, ut ille asserit: nam ibi dicitur. *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Non *jure divino*: Cum justitia sit virtus suum unicuique tribuens. Non *jure naturæ*: nam nefas est id eripere te invito, quod tui est dominii, quare furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus Jurisconsultus; & multò magis rapina. *Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & ut reus innocens pereat, fit nocens judex. Hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Exempla fiunt, quæ esse jam facinora desiiterunt*, ut inquit Cyprianus epist. 2. ad Donatum. *Sic Gregorius II.* inquit Baronius, *Imperatorem hæreticum Leonem Isauricum imperio privavit Occidentali*: sed à facto de jure concludit vir illustrissimus, & non exemplis sed legibus agendum est, ut loquuntur Jurisconsulti. Vide Goldastum de translatione imperii à Græcis ad Francos,& de libertate Ecclesiæ Gallicanæ Stephanum Paschasium. *Ut hic Leo III. contulit idem imperium meritissimo Carolo M.* inquit Baronius: sed nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, & non contulit imperium in Carolum Leo, quod antea possidebat,aut armis sibi subjecerat. Nomen Imperatoris S.P.Q.R. Carolo tribuit: fons enim imperii in populo urbis Romæ mansit & electio Imperatoris ad populum pertinebat, & sæpe à populo per se,

ſe, aut per ſenatum facta eſt: coronam capiti Caroli Leo Romanorum civium primus impoſuit, ut Epiſcopus Conſtantinopolitanus Imperatori Orientali, Rhemenſis Regi Galliarum, ſed nec imperium, nec regnum conferunt: nam corona eſt tantum ſymbolum & ſignificatio imperii. Audiamus verba Imperatoris Frederici I. apud Ottonem Friſingenſem, lib. 1. cap. 12. *Revolvamus*, inquit, *modernorum Imperatorum geſta, ſi non divi noſtri Principes Carolus & Otto, nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam, Græcis ſeu Longobardis Vrbem cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Sed dicis vocatione meâ veniſti. Fateor, vocatus ſum: Redde cauſam quare vocatus fuerim: Ab hoſtibus pulſabaris, nec propriâ manu Græcorumve mollitie liberari poteras; Francorum virtus invitatione aſcita eſt. Implorationem potius, quam vocationem hanc dixerim. Principem tuum, militem meum feci, teque deinceps uſque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis ſi poteſt clavam de manu Herculis.* Sed quæ hic aſſcribit Leoni Baronius, viro integro, miti & humili fortè nunquam in mentem venerunt. Sic ſolent Principum miniſtri ſuis aſſentationibus fallere & perdere ſuos Dominos. Petavius vir clariſſimus ſenator Curiæ Pariſienſis, præfixit Chronico Euſebii tractatum eruditum de epochâ incarnationis, in quo citat Hiſtoricum ſic loquentem: *Cum factâ oratione Carolus ſurgeret, Leo Papa coronam capiti impoſuit, & à cuncto populo acclamatum eſt*: Carolo Auguſto à Deo coronato magno & pacifico, Imperatori Romanorum vita & victoria, *& poſt ab Apoſtolico, more Romanorum Principum antiquorum adoratus eſt.* Idem narrat Enginhardus Caroli M. gener & ejuſdem Cancellarius, ad an. C. 801. Idem teſtatur Ado Viennenſis iſti ævo proximus, *Perfectis*, inquit, *laudibus à Pontifice more principum antiquorum adoratus eſt*. Idem habet Aimoinus lib. 4. cap. 90. & Fauchetus Francicarum antiquitatum ſcriptor accuratiſſimus lib. 7. cap. 8. Tantum abfuit ut Carolus Magnus accepto titulo Imperatoris à populo Romano, Epiſcopum Romanum adoraverit, ut contra Carolum adoraverit Leo: imò Stephanus Papa, *in ſummis animi anguſtiis conſtitutus, inſtar parturientis*, ut loquitur Baronius, *per ſuos legatos, apud Pipinum orat auxilium contra Leonem Imperatorem & Aiſtulphum Longobardorum Regem, provolutus terræ*, inquit, *& tuis veſtigiis me proſternens*

nens cum divinis mysteriis conjuros &c. Et Hadrianus implorat opem Caroli M. contra Desiderium, ut *subveniret afflicta Romana Ecclesia* &c.

Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit,

inquit Fredericus Ænobardus apud Ligurinum: quod vidimus in Stephano per donationem Pipini, & in Hadriano, cui Pipini donationem, ab Aistulpho & Desiderio armis ereptam restituit, confirmat & auget Carolus, ut paulo ante à nobis dictum. *Vide Grotium de Iure Bellis & pacis lib. 2. cap. 9. §. 11.*

Hæc quæstio posthac novas & magnas dabit turbas, & crudelia in Imperio & Ecclesia occidentali bella, idque inter Imperatores & Episcopos Romę; nam cum Imperatores jus suum defenderent, quo in ipsos cum Imperio summa & omnis illa veteris imperii auctoritas collata & collocata esset, quâ aut Pontifices eligere, aut suâ auctoritate confirmare solebant, quâ Concilia generalia convocabant & dirigebant, quâ constitutiones & leges de religione & rebus Ecclesiasticis condebant, ut videre est in Codice; obstantibus & repugnantibus Pontificibus Romanis, tandem nata est in Italia Gibellinorum & Guelphorum celeberrima & cruenta factio; quorum quidem isti Imperatorum, hi Pontificum partes & caussam egerunt, quæ Pontifices & Imperatores, odio plus quam Vatiniano æstuantes tantâ rabie inter se commisit, ut per continua funestorum bellorum incēdia tota Italia miserrimè fuerit afflicta & absumpta, & nova Ecclesię & imperio sit data formâ; utrū melior, æquus lector judicabit.

Sed paucis modum & mutationem regiminis in urbe Roma referam, ut videamus quid potestatis in Imperium Romanum habuerit Papa Romanus. Tempore Narsetis Eunuchi, an. 567. novum dignitatis nomen Longinus, à Justino juniore missus, in Italiam invexit, quod dictum fuit Exarchatus, & erat summus in Italia Magistratus nomine Imperatoris Constantinopolitani. Hujus splendor insedit Ravennę, in qua vicem Imperatoris, donec fuit à Longobardis ejectus, sustinuit Exarcha, qui Romam præsidem cum auctoritate mittebat; quare in sua Chronologia sic loquitur Bellarminus: *Longobardi nunquam totâ Italiâ potiti sunt, semper enim partem Italia cum ipsa Vrbe Imperatores Græci per Exarchas tenuerunt.* An. 752.

Ravennâ per Aistulphum Longobardorum regem captâ, & Exarchâ pulso, urbes & oppida, Exarchæ insigniis sublatis, novos Magistratus, quos duces appellabant, constituunt. Rejectis verò per Gregorium II. & III. Orientalibus Imperatoribus, etiam Romani sibi ducem eligunt, Pontifice sacra curante; cujus tamen auctoritas in Urbe semper fuit magna. An. 753, Stephanus III. Papa obnixè orat opem Pipini contra Aistulphum, qui à Pipino pacem obtinet, si Pontifici Exarchatum, & ducatus Romani oppida quæ subegerat, concederet: quod promittit Aistulphus. Carolus M. ab Hadriano Papa contra Desiderium etiam Longobardorum Regem multis precibus vocatus, donationem sui Patris confirmat, & Regem in Galliam captivum ducit: qui finis est Regni Longobardici. An. 800. Leo III. Carolum in Imperatorem, & Pipinum filium Romæ in Regem Italiæ inungit, qui simul claves confessionis S. Petri & urbis Romæ vexillum ad Imperatorem mittit, rogatque ut suorum aliquem, cui populus Romanus jurejurando fidelitatem polliceretur, decerneret: quam ad rem Angibertus S. Riarii Abbas, ab Imperatore delegatus est. Postea Carolus legitur Romanis leges dedisse, cap. tit. 3. concil. Gallic. tom. 2. *Volumus*, inquit, *atque præcipimus, ut omnes ditionis nostræ, Deo auxiliante, subjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bojovarii* &c. & hinc inter metropoles Carolo subditas Romam primam recenset Eginhartus. *Lotharius omnia regna Italiæ tenuit, cum ipsa Roma*, inquit Regino. Hinc Epitaphium Lotharii à Rabano scriptũ, *Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis* &c. Ab hoc ergo tempore Occidentis Imperatores Romę imperant, Episcopum Romę creant *&c.* Dum tandem an. 1060. operâ Richardi Guiscardi Normanni Nicolaus II. Papa, domitis Romę proceribus Romam ita sibi subjicit, ut per Cardinales Episcopos eligerentur Papę: quem paullò post subsecutus Gregorius VII. & illum alii, qui eandem auctoritatem auxilio Nortmannorum continuarunt. Sub Alexandro III, an. 1160, eo deventum est, ut Consules à populo crearentur, non tamen ad Rempublicam admitterentur, nisi prius ad Pontificis pedes se jurejurando obstrinxissent, rem Pontificis & Ecclesię ex fide gesturos. Sic paulatim accrevit Romæ contra Romanos Pontificum auctoritas. An. 1316, Bonifacius IX. S. Angeli castrum firmiori pręcinxit munimine,

mine, & *creatis suo nutu omnibus magistratibus*, ut loquitur Platina, totius Urbis imperium lentâ unus prehendit manu. Hàc rerum & casuum vicissitudine Roma, quę prius Cęsarum Orientalium, & postea Imperatorum Occidentalium arbitrio subjecta erat, in Pontificum potestatem post longam annorum seriem est collapsa. vid. *M. Ant. Marcellum Senatorem Venetum de jure seculari Pontif. Romanorum.*

Paullò ante audivimus Baronium animosè pro auctoritate Papæ ex plenitudine potestatis Pontificię pugnantem, sed videamus etiam ingenuam ejusdem confessionem an. 794. ab ipso in suis annalibus pronunciatam: *Homines sumus*, inquit, *& quamdiu in hac vita degimus, pulsari interdum privatis affectibus etiam inviti cogimur.* Et alibi: *Defenduntur ab illis, qui ab ipsis sperant aurum, vel ut consequantur honores: ut sæpe contingat aureâ anginâ laborantem Demosthenem reddi penitus ineloquentem, sed præstare facundiâ, si agat pro rege* (contra regem) *Macedonum.* Ad. an. C. 825. pag. 739.

Carolus Magnus per legatos petit conjugium Irenes Imperatricis, à quo ipsa non abhorrebat. *Zonaras.* Sed ipsa è solio detruditur, in ordinem redigitur, & in Lesbum relegatur à Nicephoro Imperium occupante. *Theophanes.* Carolus in Franciam redit, & reliquias Sanctorum, quas legati Hierosolymis attulerant, ut ossa Cypriani Martyris Carthaginensis, & caput Pantaleonis, secum in Franciam defert. *Sigeb.* A. C. 802.

Carolus restituit bonas literas & multas instituit Scholas, ut linguarum, liberalium artium, & S. Scripturæ perfectâ pollerent intelligentiâ Clerici. *Lupus.* Idem Imperator cuilibet festo convenientes ex Patrum scriptis à Paulo Diacono decerptas & collectas precęs per anni curriculum in Ecclesiis legi pręcipit. *Sig.*

De hoc Paulo Aquilææ Diacono sic scribit Paullus Æmylius historiarum lib. 10. *Vetustissimis exemplaribus sanctisque auctoribus, imperio opeque Caroli conquisitis, martyrum vitas mortemque ac cæterorum divorum summâ brevitate perstrinxit in templis Legendas. Quas facilè crediderim hodie ita immutatas, ut à conditore suo, si existat, non agnoscantur.*

Caroli Imperatoris legati, spectatores tragediæ Constantinopolitanæ, à Nicephoro redeunt cum pace.

A. C. 803. Irene exſul in inſula Leſbo moritur ærumnis confecta. Vide quæſo hic Baronii judicium: *Benè*, inquit, *operantes Deus ad majorem probationem ſæpe affligi, terreniſque bonis nudari permittit, ut majoribus digni reddantur muneribus. Regia iſta via eſt, ſanctorum attrita veſtigiis, per quam pariter cum ambulare Deus Irenem conceſſit, non reprobationis ſignum, ſed quod Deo gratior eſſet, fuit certius argumentum.* Sic conjicit cum quibuſdam Græculis Baronius.

A. C. 804. Leo Papa, arreptâ occaſione ut veritatem de ſanguine Chriſti in urbe Mantua reperto, inquireret, venit in Longobardiam, & inde abiit ad Carolum magnum in Germaniam. Hæc habent annales Francorum, ut inquit *Baronius.* Sed quid ipſe? Cæterum quod ad ſanguinem Chriſti pertinet, re multum examinatâ, inventus eſt & comprobatus ille fuiſſe qui ex Chriſti corpore fluxit, tempore paſſionis ejus, non autem ille qui Beryti (ut vidimus) ex ſacra crucifixi imagine fluxerat: de qua veritate extare dicuntur ſacra diplomata Pontificum, ut de his non ſit amplius dubitandum: ſed ego non vidi, *inquit Baronius.*

Si velis autem noſſe cauſſam quare venerit in Germaniam Leo, facile percipies ex rebus geſtis ejuſdem. Conceſſis enim diverſis indulgentiis, factis oblationibus & miraculis, ut ajunt, Saxonia à Carolo Magno ſibi ſubjecta, S. Petro oblata eſt, quod certâ fide conſtare dicit *Baronius*: & probat epiſtola Gregorii VII. ſed ſi ea in re fides adhibenda Epiſtolis Gregorii ſeptimi, univerſa ferè Europa Papæ Romani imperio erit ſubdita. Hoc autem anno Carolus decem millia ſæpius victorum & rebellantium Saxonum cum uxoribus & liberis per Galliam & Germaniam diſtribuit, ut abjecto Dæmonum cultu Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent & cum Francis adunati unus cum eis populus fierent. *Eginhardus in vita Caroli.*

A. C. 805. Nicephorus Imperator Principi Saracenorum cum exercitu trecentorum millium venienti, tributum promittit etiam ſui capitis & filiorum. *Miſcel.*

A. C. 806. Carolus M. teſtamento ſua regna in tres partes tribus filiis ſeparatim confert. eodem ferè modo quo Conſtantinus Magnus: ſed uterque juxta Politicos malè: *nam qui regnum dividit, potentiã debilitat.*

A. C. 807. Carolus Magnus legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſimè

ſimè emendavit, erat enim utriuſque admodum eruditus; quamquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſſè & in commune cantaret. *Eginhartus in vita Caroli.*

Vide inſignem ejuſdē ſanctionē ad corrigendos mores Eccleſiaſticorum: *Quia Canonica profeßio, à multis päßim ignorantiâ, partim deſidiâ dehoneſtabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud ſacrum conventum, ex dictis ſanctorum Patrum, velut ex diverſis pratis, quoſdam vernantes floſculos carpendo, in unam regulam Canonicorum & Canonicarum congerere & Canonicis vel ſanctimonialibus ſervandam corradere, ut per eam Canonicus ordo abſque ambiguitate poßit ſervari. Et quoniam illam ſacer conventus ita etiam laudibus extulit, ut uſque ad unum jota obſervandam percenſeret: ſtatuimus ut ab omnibus in eadem profeßione degentibus, indubitanter teneatur; & modis omnibus ſive à Canonicis ſive à ſanctimonialibus canonicè degentibus deinceps obſervetur.* Hęc Carolus. *Capit. Carol. M. l. 1. c. 85.*

Ludovicus Caroli filius, inquit *Baronius*, cui à patre ſuperiori anno Aquitaniæ regnum eſt traditum, illuc profectus, collapſam Chriſtianam diſciplinam reſtituere laboravit: de his enim hæc ejuſdem ſeculi ſcriptor accuratiſſimus: *Et regis quidem ab ineunte ætate, ſed tunc quam maximè circa divinum cultum & ſanctæ Eccleſiæ exaltationem piißimus incitabatur animus; ita ut non modo Regem, ſed ipſius opera potius eum vociferarentur ſacerdotem. Nam totius Aquitaniæ, qui videbatur clerus, antequam ei crederetur (utpote ſub tyrannis agens) magis equitationi, bellicæ exercitationi, mißilium librationi, quam divino cultui operam dare noverat: Regis autem ſtudio undecunque adductis magiſtris, tam legendi, quam cantandi ſtudium, nec non divinarum & humanarum literarum intelligentia citius quam credi poterat, coaluit.* &c. *Aimon l. 9. cap. 8.*

Nota ſubitam mutationem. Paulò ante Papa, ſecundum Baronium, imperabat Imperatoribus & Regibus, jam Imperator & Rex, res agunt Pontificum.

Hoc anno celebratur ſub Carolo M. ſynodus Aquiſgranenſis, de qua hæc Ado in Chronico: *Synodus magna in Grani Aquis congregatur, anno incarnationis Domini 809, in qua de proceßione Spiritus ſancti quæſtio agitur; utrum ſicut procedit à Patre, ita procedat à filio. Hanc quæſtionem Ioannes Monachus Hieroſolymitanus moverat; cum regula & fides* *A. C. 809.*

Eccle-

Ecclesiastica firmet Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, non creatum, non genitum, sed Patri & Filio coæternum & consubstantialem. Nomen autem processionis à Patre & Filio in Apocalypsi ita apertè est posi-
Apocal.l.22 *tum : Et ostendit mihi (haud dubium quin Angelus) flumen aquæ vivæ,*
vers. 1. *splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei & Agni. Ex hac synodo tres Apocrisarii proficiscuntur Romam ad Papam Leonem III. ut judicium ejus ea de re cognoscerent. Sed Leo auditis synodi testimoniis, decretum ejus suffragio suo comprobavit : non tamen illi placuit ut illud* FILIOQUE, *Concilio insereretur Constantinopolitano : hoc patet ex Smaragdi actis, ubi tres illi à Carolo missi apocrisarii urgent, ut illud de processione à filio, symbolo huic adderetur, hoc argumento, quod esset dogma fidei, eoque à nemine debeat ignorari. Huc pertinet illa legatorum interrogatio : si quis nescierit, vel ita non crediderit, num salvus esse poterit? Quibus Papa Leo cautè admodum respondit : Quisquis ab hoc sensu subtiliori pertingere potest, & id scire, aut ita sciens credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa, è quibus hoc unum est, sacræ fidei altiora mysteria, ad quorum indagationem pertingere multi valent: multi vero aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præpediti non valent & ideo, ut prædiximus, qui potuerit & noluerit, salvus esse non poterit. Non acquiescunt his à synodo missi. Quærunt igitur, nunquid non benè tum auctores (synodi Constantinopolitanæ patres) fecissent, si quatuor tantum addendo syllabas, tam per necessarium fidei sacramentum cunctis deinde seculis perspicuum redderetur? Respondet Papa piè & prudenter : sicut non audeo dicere, non benè fecisse, si fecissent; quia proculdubiò sicut cætera quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humanâ quam divinâ illuminati providentiâ fecerunt; ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minus intellexisse, perpendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultra mitteretur, sicut & cætera prohibuêre. Tu & tui videte quid sentiatis de vobis. Nam ego me illis non dico præferam; sed etiam illud absit mihi ut coæquare præsumam. Post multa in actis iis sic rogant missi : Ergo ut video illud à vestra paternitate decernitur, ut primò illud, de quo quæstio agitur, de sæpe fato symbolo tollatur, ac tum demum à quolibet licitè ac liberè sive cantando sive tradendo, discatur & doceatur. Respondet Papa: Ita procul dubiò a nostra parte decernitur, ita quoque ut a vestra assentiatur a nobis omnimodò suadetur. Porrò acta ipsa, ut à* Smaragdo *transmissa* Carolo *fuere,*

fuere, legas in Annalibus Baronii ad An. 809. *& Tom.* 11. *Conciliorum Galliæ, quæ edidit Sirmundus.*

Nec contentus fuit Leo suadere Francis, ut ne deinceps de processione à Filio adderent, sed Romæ præterea in argentea tabula hoc symbolum Constantinopolitanum absque illo FILIOQUE, *scribi jussit. Testes duos adducam, Græcum unum, alterum Latinum. Prior est Photius Patriarcha Constantinopolitanus, in epistola ad Patriarcham Aquileiensem, ubi cum Leone Magno egisset, ad Leonem III. accedit: siquidem inquit Leo junior pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbarâ linguâ corrumperetur immaculata nostra fidei doctrina; Græcâ linguâ Occidentalibus sanctam Trinitatem glorificandam & celebrandam tradidit. Et non solum sermone & mandato id faciendum curavit; verum etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis constructis, & columnis erectis illam inscripsit, & in conspectu omnium statuens, ad Ecclesiæ valvas collocavit, ut hoc pacto facilè & incorruptè possent omnes pietatē ediscere. Hæc & plura inibi Photius: qui tamē in eo deceptus quod putavit Leonem III. negasse processionem Spiritus S. à Filio: nam eam agnovisse docent Acta* Smaragdi *de trium Legatorū cum Leone Papa colloquio, solum negabat Concilio Constantinopolitano inseri illud de filio debere. Et quia ab Hispanicis & Gallicis Ecclesiis contra fieri cœperat; Romæ argenteis ancilibus Symbolum prout à Patribus erat conscriptum, incidi jussit, publicèque suspendi: ut non Romanis modo, sed Græcis etiam Romam venientibus conspicuum esset, nihil Ecclesiam Romanam addere ad Symbolum. Credo prævidit, si quid apponeret, verè pomum Eridos injectum iri in Ecclesiam Dei. Alter nobis testis est Petrus Lombardus l.* 1. *sent. dist.* 11. *Leo III. transcriptum in tabula argentea, post altare B. Pauli positâ, posteris reliquit pro amore, ut ipse ait, & cautela fidei orthodoxæ: in quo quidem symbolo in processione Spiritus S. solus commemoratur Pater, his verbis: Et in Spiritum S. Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & glorificandū. Ex quibus liquet, nec Caroli M. ætate ipsam Ecclesiam Romanā illud* FILIOQUE *in Concilio habuisse Constantinopolitano.* Vossius *& vid. Binium concil. tom.* 3. *parte* 2. *In Basilica S. Petri ut vult Baronius.*

Nicephorus Imperator Orientis, postquam cum Carolo M. de limitibus imperii transegisset, quod Michaël Curopalates postea exēplo soceri renovavit, bello contra Bulgaros infeliciter gesto, capitur & capite truncatur. Rex Bulgarorum ejus cranio usus dicitur in convi- A. C. 811.

viis pro poculo; ſuccedit Michaël Europalates. Cui paulò poſt à Bulgaris victus, haud invitus Leoni Armenio principatu ceſſit, ſeque in monaſterium abdidit. *Hac Theophanes: cujus hiſtoria hoc anno deſinit, quæ dicta etiam eſt Miſcella.*

Eodem anno Carolus M. habito generali conventu Aquiſgrani, filium ſuum Ludovicum, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, totius Regni ſibi conſortem, & imperialis nominis hæredem ſtatuit, impoſitoque capiti ejus diademate, Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari. Bernardum nepotem, Pipini filium, Italiæ Regem conſtituit. *Eginhartus.*

Poſtea Dominus Imperator nihil aliud cœpit agere niſi orationibus & eleëmoſynis vacare & libros corrigere: nã quatuor Euangelia Chriſti, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucę, Ioannis, ante obitus ſui diem cum Gręcis & Syris optimè correxerat. *Theg.*

Eodem anno quinque Concilia juſſu ejus ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt. Quorum unum Moguntiæ, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabiloni, quintum Arelati congregatum eſt, & conſtitutiones, quæ in ſingulis factæ ſunt, collatione coram Imperatore, in illo conventu, habitâ, qui noſſe voluerit, in ſupradictis civitatibus invenire poterit: quanquam & in archivo palatii exemplaria habeantur. *Annales Francorum.*

In hiſce Conciliis multa præclara & conſideratione digna, & ad religionem, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia inveniuntur. In Moguntiaco Carolus vocatur *vera religionis rector, & ſancta Dei Eccleſia defenſor*: in Rhemenſi dicitur, *à Domino Carolo, piiſſimo Cæſare more priſcorum Imperatorum congregatum concilium, ordinante Vulfario ejuſdem ſanctæ ſedis Archiepiſcopo; in quo de fidei ratione, atque Dei Eccleſia honore, rectorumque ipſius ac miniſtrorum diſpoſitione* &c. *tractandum eſt*, ut inquit Frodoärdus. In Turonenſi dicitur à patribus, *à Carolo ſibi injunctum ad emendationem adnotare capitula, Imperatori oſtendenda, & quod piiſſimo Principi agendum placebit, eſſe fideles ejus famulos libenti animo ad nutum & voluntatem ejus paratos.* In Cabilonenſi dicuntur *Epiſcopi conveniſſe auxiliante Chriſto & imperante Carolo, & quadam capitula adnotaſſe Imperatori præſentanda,* &

& ad ejus sacratissimum judicium referenda, ut quæ bona confirmaret, si minus, ejus sapientia suppleret. In Arelatensi dicitur *jussu Imperatoris adunatum, & capitula* 26. ut Concilio præcedenti. *Tom. Concilior.*

Idem ille Imperator domitis Saxonibus, & victis Slavis ac Danis, opportunis in locis Episcoporum instituit sedes, ut Osnabrugæ, Bremæ, Hamburgi & alibi, ut per eos Euangelium & fides in Christum apud Gentiles doceretur; quibus etiam necessarias concessit possessiones, unde & ipsi, & reliqui Clerici alerentur. Hinc *Episcopos investire solius est Imperatoriæ Majestatis*, ut inquit Helmodius. Bona bello acquisita jure possidentur, ergò & jure de iis pro arbitrio Dominorum disponitur. Sub conditione autem, non privativè bona hæc Clericis cessit Imperator, usumfructum nimirum & administrationem eorum, possessione, collatione & investiturâ sibi reservatâ.

Leo Armenius Imperator Orientis palam habitâ synodo, damnat & detestatur imaginum cultum, & ipsam synodum Nicænam secundam, imò tandem imaginum cultores acriter persequitur. *Cedr.* A. C. 814.

Hujus persecutionis occasionem hanc refert Zonaras: *cum aliquando divina Esaiæ verba illa in Ecclesia recitarentur*, inquit, Cui assimulasti Dominum? num imaginē ejus fecit faber, aut aurifex similitudinem ejus paravit? *& reliqua, accessisse Theodorum Patriarcham, & Imperatori in aurem dixisse; Audi Prophetam Domine, & ei obtempera. Ex eo*, inquit Zonaras, *citra verecundiam Leo sectam illam* (iconoclastarum) *sectabatur*. Vide Conciliorum Tomum sextum editionis Parisiensis.

Carolus Imperator moritur Aquisgrani ex febre, anno ætatis 72. regni. 47. imperii 14. Magnus & nomine & re, magnus domi militiæque, magnus in sago & togâ. Religionis Christianæ rector, disciplinæ Ecclesiasticæ corrector, Ecclesiæ protector, qui pulsâ barbarie artes, scientias, disciplinasque jam exsules, & quasi funditùs submersas, postliminio Europæ restituit. Ita, inquam, submersas, ut siquis nobilioris ingenii eas addiscere voluisset, magistrum non invenisset. Et, quod summa rei est, studium sacrarum literarum, jam diu obliteratum, extinctum, emortuum, Christiano orbi ORBIS PATER, jam quasi cum summo vigore renatum, reddidit. *Boxhornius.*

Antequam à Carolo M. ad alios transeam, operæ pretium duxi, quam brevissimè recensere celebrem illam negotiationem inter

Pontifices & Galliæ reges, de transferendo à Græcis ad Francos Occidentali Imperio, idque verbis Vossii. *Hoc enim*, inquit, *ita fere interpretati sunt Græci, quasi Papa & Rex Francicus, inter se colluderent; bellèque ea, quæ propriè Orientalis essent Imperatoris, inter se partirentur. Nec dubium quin multum & res Papales Reges Francici, & Francicas res Papæ adauxerint. Cogitemus primò ut Pipinus Brevis solum fuerit Major Domus; ac partim favore nobilitatis Francicæ, partim verò adnitente, multumque procurante Papâ creatus sit Rex Francorum; Chilperico ultimo è Merovea stirpe in monasterium detruso: quasi ei, qui tardioris ingenii foret, non possent dari sapientes consiliarii: quique nemini, quorum operâ domi foris uteretur, malè faceret aut vellet, ab iis privandus esset regno, virtute majorum parto, atque adeo in monasterium detrudendus invitus. Et hoc quidem nomine Zacharia Papæ Pipinus fuit obstrictissimus: ut cujus operâ rex factus sit; quod anno contigit* IↃCCL. *His vero temporibus Longobardorum Reges acerbè tractabant Ecclesiam Romanam: Ergo Papa Stephanus III. cum nihil fiduciæ poneret in Iconoclasta Constantino, ac præterea neglectui illi esse Italiam videret; ad Pipinum confugit, eumque sollicitavit, ut bellum Aistulpho Longobardorum Regi inferret. Feliciter id successit Pipino: qui bello confecto, Exarchatum Ravennatem donavit Ecclesiæ Romanæ. Indignè Cæsar Copronymus tulit, quæ sua crederet, tam sinistrâ liberalitate, ut ille interpretabatur, donari alteri. Papa autem Stephanus dono tanto lætus, quo gratum se præstaret, senatui populoque Romano persuasit, ut Pipinum crearent Patricium Romanum. Pipinus cum beneficiis certare vellet, sedulò operam dedit, ut passim Ecclesiæ Francicæ, relictis ceremoniis, quibus jam à recepto assueverant Christianismo, Romanæ sequerentur Ecclesiæ ritus. Exinde Pipino, postquam annis duodeviginti rexisset, filius Carolus anno successit* IↃCCLXVIII. *Hic devicto Desiderio Longobardorum Rege postremo, donationem Exarchatus firmavit, ac plura insuper est largitus. Etiam Mediomatrices, mox alios atque alios Ecclesiæ Antistites Francicos acerbè satis adegit ad sequendum per omnia ritus Romanos. Vicissim Carolus Papæ Hadriani studio adeptus est Patritiatum Romanum: atque hinc Italiam rexit per Mediolanensem & Papiensem Præfectum. Hadriano inde successit Leo III. Hic ab inimicis propè luminibus orbatus, confugit ad Carolum; qui severè eos ultus est. Leo gratum ut se exhiberet, simul intelligens quantum*

sibi

ſibi, & Romanæ ſic Eccleſiæ commodaret, perſuaſit Romanis, ut Carolum facerent Cæſarem Occidentis. Hinc duo eſſe Imperatores; quorum Græcus poſtea dictus Βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων, *Latinus autem* Ῥὴξ τῶν Ἀλαμαννῶν: *Principes alii, etiam Reges Latinorum & Græcorum, vocati ſimpliciter* δεσπόται. *Erat autem Caroli Magni tempore Imperatrix Irene. Quominus ea Papa & Caroli conſpiratio diſpliceret; placuit legatos mitti Conſtantinopolim, qui Irenem Carolo poſcerent uxorem. Et ſucceſſiſſet negotium niſi prius Aëtius impediiſſet, mox etiam Nicephorus dejectâ Irene invaſiſſet imperium. Et inter Nicephorum quidem, Orientis Tyrannum, ſibi undique metuentem, & Carolum Regem Francorum, qui ſuam etiam cauſſam laborare videbat, non difficulter convenit; ut ille Orientis, hic Occidentis eſſet Imperator, ac uterque imperium tranſmitteret ad poſteros. Non tamen illi, qui bonis artibus, vel legitimâ ſucceſsione imperium poſtea obtinuerunt, æquo unquam animo tulerunt, tantam imperii Conſtantinopolitani factam eſſe imminutionem. Quod ita eſſe, docere nos poſſunt fratres Prædicatores, in opere quod adverſus Græcorum errores Conſtantinopoli anno ſcripſerunt* CIↃCCLII. *ubi quatuor referunt cauſas ſchiſmatis inter Latinos & Græcos;* quas vide an. C. 1054. Hæc Voſſius.

Carolo mortuo, denuò conjuratur adverſus Leonem Papam à quibuſdam Romanis proceribus, quod cum Leoni innotuiſſet, omnes factionis auctores ipſius juſſu ſunt trucidati: Unde plurimæ cædes, deprædationes & incendia in Urbe; ita ut Ludovicus Pius Caroli filius, qui in patris locum ſucceſſerat, coäctus fuerit ad ſedandum tumultum Romam mittere Bernardum Italiæ Regem. *Aimoin.* A. C. 815.

Accreſcit in Oriente perſecutio in imaginum cultores; unde magnæ in Eccleſia Conſtantinopolitana turbæ ſub Imperatore Leone Armenio, qui quamvis vir fuerit acer & induſtrius, nimiâ tamen crudelitate virtutes ſuas contaminavit. *Cedr.* A. C. 816.

Leo Papa moritur, ſuccedit Stephanus V. Hęc inter cætera de hoc Leone habet Walefridus Strabo lib. de rebus Eccleſiaſticis cap 21. *Fidelium relatione virorum*, inquit, *ad noſtram uſque pervenit notitiam, Leonem Papam (ſicut ipſe fatebatur) uno diè ſepties vel novies miſſarum ſolennia ſæpe celebraſſe. Bonifacium vero Archiepiſcopū & Martyrem ſemel tantū per diem miſſas feciſſe: qui & non longè ante noſtra fuerint tempora, & ambo tam ſcientiâ quam gradu præcipui. Itaque unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, dum fides concordat, ut nec ſæpius offerentes æſtiment Deum aliter petitiones non poſſe diſcernere, nec ſemel hoſtias per diē immolātes putēt ſuâ*

fidei sub tilitatem potius quam superiorum devotionem divinis acceptam conspectibus. W. Strabo.

Compostella in Hispania facta est Episcopatus ob inventum ibi corpus S. Jacobi Apostoli, qui fuit filius Zebedæi, frater Joannis & Hierosolymis ab Herode gladio occisus est. *Act.* 12. Hoc autem anno Baronius ex Leonis III. epistola narrat eodem tempore, quo capite truncatus est, sublatum fuisse corpus S. Jacobi, quod canibus atque volucribus expositum erat, navigioque impositum Iriam Flaviam Hispaniæ Tarraconensis urbem delatum ad 8. Cal. Aug. inde vero Compostellam. Factum verò ut urgentibus persecutionibus mortuisque illis qui tantum thesaurum detulerant & occuluerant, ut locus penitus remanserit incognitus, omnisque ejus rei memoria omnino perierit. Hoc verò tempore, addit, regnante Alphonso Casto lucis signa super vepres, in loco ubi erat abditum, pluribus noctibus apparuisse nòn uni, sed multis: cum autem rem divinam investigandi magna cura esset Episcopo Iriensi, inventum & revelatum esse Compostellæ corpus S. Jacobi. *Porrò cum hoc tempore locus ille tam multis coruscet miraculis, ita ut patens orbi miraculorum promptuarium dici possit, planè non opus est probare scriptis, quæ tot gratiarum acceptarum jugiter voces insonant*, inquit Baronius. Et tamen super hac re orta est controversia inter Toletanum & Compostellanum Episcopos, ut patet ex Concilio Lateranensi, quod an. C. 1200. sub Innocentio tertio in templo S. Joannis Romę est celebratum, ubi Toletanus multis rationibus negat, Apostolum Jacobum in Hispania fuisse, &c.

A. C. 817. Stephanus Papa quamprimum electus erat, populum Romanum in verba Imperatóris jurare voluit, qui statim abit in Galliam, ubi Ludovicum Caroli filium in Imperatorem unxit. *Anastasius.* Romam reversus decretum fecit, ut Legati Imperatoris interessent electioni Pontificum. *Gratianus distinctione* 33. *cap.* 28.

Hoc eodem anno generale sanctumque Concilium Aquisgranum convocavit Ludovicus, *pro emendatione sanctæ Dei Ecclesiæ*: ipsa verba Concilii refero, id est, ad corrigendos mores Canonicorum, monachorum & reliquorum Clericorum: nam Canonici non sequebantur præscriptam regulam, Monachi non amabant vitam solita-

litariam, & reliqui Clerici suâ sorte non erant contenti. Et sicut mali mores bonas producunt leges, sic & piissimus Imperator, ut prudens medicus, hoc concilio & plurimis in eo salutaribus canonibus, tanquam remediis, Clericorum frequentes & quasi epidemicos morbos sanare studuit. En hujus Concilii regulam ex MS. Basilicæ Aquensis descriptam, ut affirmat hoc eodem suæ universalis historiæ anno Boxhornius: *Oportet Canonicos, ut animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis & spiritus custodiant; ut juxta Apostolum integer spiritus eorum & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur, sobriè & justè & piè vivant, secularia negotia prorsus abjiciant, quia juxta eundem Apostolum: nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit: Iejunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentem consolentur, amori Christi nihil præponant, charitatem non derelinquant, pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant, diem judicii timeant, vitam æternam spiritualiter concupiscant, spem suam Deo committant, proprio suo Episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non temerè reprehendant. Postremò in doctrinis spiritualibus operam dent lectionibus, Psalmis, hymnis, canticis & cæteris bonorum exercitiis jugiter incumbant. In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant, in refectorio pariter reficiantur, & cottidiè ad collationem veniant. Mox ut signum datum fuerit omnes festinè veniant, & horas canonicas non negligant, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam non pompaticè, sed reverenter ingrediantur, vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione & veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes Angelorum præsentiam semper illic adesse: claustris non nisi per licentiam egrediantur, egressi irreprehensibiliter vivant, ut ab his qui foris sunt, bonum testimonium habeant, & religionem ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent: sed potius omnes, quibus se conjunxerint, sale sapientiæ & bonorum operum exemplis condiant, contubernia fœminarum nullatenus appetant, non vanis oculis petulanti tumidoque gestu ac dissolutis genibus incedant. Non spectaculis, non pompis secularibus intersint, non aleæ non quibuslibet venationibus inserviant. Apostoli quoque instructi documento, quo ait, non in veste pretiosa, nequaquam pretiosis delectentur vestibus. Caveant*

veant summoperè ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi à Priori constitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit. Intra claustra positi non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certè magistrorum jussionibus pareant: ne otio torpentes ab Apostolo audiant: Qui non vult operari, nec manducet. Seniores spiritualiter juniores diligant, juniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum charitate ædificent, neque hi qui nobilitate generis, vel virtutum donis pollent, cæteris se tumidè superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio serviant, quibus etiam in refectorio concedentibus, & religiosè silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, & castigent pueros & adolescentes negligentes verberum disciplinis; ut nullus in collegio Canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus concedat: tales quippe in monasterio conversari decet omnes, qui divinis officiis se manciparunt. Vide & lege insignem hujus Concilii epilogum apud *Binium.* Sed nihil æquè pacem imperii optimi & innocentissimi Principis turbavit quam hæc synodus. Episcopi enim, & Ecclesiasticorum alii in ordinem cogi se dolentes, filios Ludovici adversus Patrem incitavêre. Hæc malorum, quæ Ludovico evenêre, præcipua causa fuit. *Annal. Francici, Boxhornius.*

In eodem Concilio, sic pergit Boxhornius, *præscripta est Ecclesiasticæ excommunicationis formula, quam quia in paucorum manibus esse scio, hic quoque inspici ac legi debere existimavi, ut horum temporum ingenia ac mores propius agnoscantur*: miraberis lector, imò & horrorem tibi incutient infinitæ & crudeles & terribiles in excommunicatum maledictiones.

A. C. 817. Stephanus V. Papa moritur, succedit Paschalis. Reformatur ordinis Benedictini monastica disciplina ex edictis Ludovici & Concilio Aquisgranensi: congregatis enim Episcopis fecit componi ordinarique librum canonicæ vitæ normam gestantem, pro viris & sanctimonialibus, 88. capitulis comprehensum. *Annales Franc.*

Inter cætera hæc ibi inveniuntur verba: *Vt tam in coquina, quam in cunctis monasterii officinis monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent: de non edendis volatilibus intus forisve, nisi infirmitatis caussa: ne à Monachis poma & lactucæ, nisi quando alius cibus non sumitur, manducentur:*

centur: De vestimento monachis nec satis pretioso nec satis vili dando: de Cuculla mensura: de pedibus fratrum vicissim lavandis: de libra panis, ut triginta solidos penset, antequam coquatur; de mensura cibi & potus, qua monachis separatim debet tribui, &c.

Scriptor anonymus in vita Pii Imperatoris hæc habet: *Imperator generalem habuit conventum Aquisgrani, in quo quantum fervoris circa divinum cultum in arca pectoris gestaret, tanto adnisu declaravit. Congregatis enim Episcopis nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ clero fecit componi ordinarique librum canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius Ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri jussit cibi potusq; atq; omnium necessariorum summam, ut omnes tum viri tum sanctimoniales sub hoc ordine Christo servientes, nullis prepediti necessitatibus liberâ servitute Domino omnium militare meminissent: quem librum per omnes civitates & monasteria Canonici Ordinis sui Imperii misit per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum contribuit exultationis tripudium, & piissimo Imperatori debita cum laude immortale monumentum. Itidem constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem & cum eo Monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesq; uniformem traderent cunctis monasteriis tam viris quam sanctimonialibus fœminis vivendi secundum regulam S. Benedicti incommutabilem morem.* Et paulò post: *Considerans etiam idem piissimus Imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, sed multorum avaritiam abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum; statuit ut quicunque ex servili conditione, conciliante scientiâ & morum probitate ad ministerium altaris adsisceretur, primùm manumitteretur à propriis Dominis vel privatis vel Ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induatur,* &c.

In eodem hoc conventu confirmat Ludovicus Imperator, quæcunque à prædecessoribus suis donata fuêre Romanæ Ecclesiæ, quod à Papa Paschali per legatos petebatur.

Bernardus Rex Italiæ Ludovici nepos, contra Patruum conspirat cum multis proceribus & Episcopis. Ludovicus ad Bernardum cum exercitû accelerat. Bernardus impar, armis depositis se coram Imperatore prosternit: Capitur Bernardus cum Principibus & Episcopis conjuratis. Bernardus & alii Principes visu privantur,

 Episcopi

Episcopi ad monasteria aut in exilium mittuntur. Bernardus tertio die moritur, quod ægerrimè tulit Ludovicus, ita etiam ut publicè pœnitentiam ea de re egerit. *Aimoinus, Theganus, Anastasius* &c.

Magnis & multis titulis ornat in suis epistolis Patriarchas Theodorus Studita confessor, his inter cætera Hierosolymitanum: *Tu primus Patriarcharum, licet quintus numereris. Ubi enim Episcopus animarum & Pontifex omnium natus est & divina omnia operatus; passus & sepultus: ubi resurrexit & vixit & assumptus est: illic suprema omnium dignitas proculdubiò.* Baron.

A. C. 818. Durat, imò recrudescit crudelis illa in imaginum cultores persecutio. *Baron.*

A. C. 819. Audi Theodori Studitæ verba apud Gennadium in exposit. pro Concil. Florent. &c. *Audio quod Romæ Principis Apostolorum claves proponuntur ad adorandum, atque in honore haberi, quamvis non claves sensibiles Dominus ei tradidit, sed intellectuales ad ligandum & solvendum. At illi argenteas populo proponunt ad adorandum. Tanta apud eos est fides, & ibi solida fidei petra secundum Dei verbum fundata.* Baron.

Theodorus cum exclamatione admiratur *illam Romanorum fidem; solidam fidei petram in Dei verbo fundatam, quia adorant argenteas claves.* sed quæso, Theodore, ubi nam hæc in verbo Dei

Exod. 20. Deuter. 5. inveniuntur, cum dicatur è diametro contrarium? Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, non adorabis ea, id est nullo modo, aut corporis motu, sive is fiat caput inclinando, sive inclinando totum corpus, sive curvandis genibus, sive caput detegendo honorabis? Οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς: id est, multò minus ita coles, inquit, Deus ipse in decalogo, de simulacris & imaginibus?

A. C. 820. Leo Armenus Imperator juxta altare, ipso die natalis Domini à Michaële Balbo, quem Majestatis reum in custodia detinebat, inter sacra ipsa trucidatur. Princeps alioqui Reipublicæ non inutilis. *Cedr. Zonaras.* Uxor & filii quatuor castrati in lembo positi in insulam devehuntur. In ejus locum succedit Michaël Balbus, à linguæ vitio sic dictus, *Curopal.*

Hoc Imperatore, Ægypto à Saracenis occupatâ, dicitur corpus S. Marci furto surreptum & Alexandriâ Venetias translatum per mercatores. Ex Vaticano hoc adfert *Baronius.*

Exules

Exules imaginum cultores redeunt, permittit imagines extra A. C. 821.
Urbem regiam Michaël Imperator. *Baron.*

Lotharius Ludovici Filius à Paschali Papa Romæ Imperator in- A. C. 823.
ungitur. *Aimoin.*

Cives aliquot Romani Lothario Imperatori fideles Romæ interficiuntur. Cujus cædis cum Paschalis esset suspectus, se juramento purgat. *Aimoin.* Multa hoc anno prodigia audita & visa tam in Oriente quam Occidente. *Baron.*

Paschalis Papa moritur succedit Eugenius secundus, sed propter A. C. 824.
schisma & implacabiles Romanorum dissensiones Lotharius jussu Patris Ludovici venit Romam, ubi statum populi Romani jamdudum, quorundam præsulum perversitate depravatum, corrigit. *Aim.*

Michaël Imperator per Legatos prolixas scribit litteras ad Ludovicum, in quibus cum aliis Imperatoribus imaginum cultum rejicit & abusum earum narrat; ipsas vero imagines cum Carolo & Ludovico retinet: hinc *Baronius* eum vocat Iconomachum, hominem æquè fraudulentum ac impium &c.

Hi legati attulerunt libros Dionysii Areopagitæ de Hierarchia è Græco Latinitate donatos. *Sigeb.*

Acceptis lectisque Michaëlis Imperatoris literis, hoc anno A. C. 825.
sub Ludovico Pio celebrata est synodus aut collatio, ut vult *Baronius*, Parisiensis, contra imaginum adoratores, synodum nempe Nicænam secundam, & utramque Hadriani Papæ epistolam pro imaginum cultu, quarum prima ad Constantinum & Irenem, altera ad Carolum Magnum, adversus ejusdem capitulare, scripta est. Hanc autem epistolam scribit synodus Parisiensis ad Ludovicum & Lotharium Imperatores, sed prolixam; ego brevitatis causâ hæc excerpsi. *Hadrianus Papa in epistola ad Constantinum Imperatorem & Irenem, justè reprehendit illos qui sanctorum imagines confringunt; & indiscretè facit, quod superstitiosè eas adorari jussit &c.* & : *Sic non mediocriter erraverunt, qui eas non solum adorari & sanctas nuncupari sanxerunt, verum etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt.* Et: *cum tamen Hadrianus tandem professus sit se opinionem S. Gregorii sequi in imaginum cultu, liquidò constat, quod non tam scienter quam ignoranter, à recto tramite deviaverit: nisi enim in conclusione objectionum*

num suarum retinaculis veritatis, Beati Gregorii scilicet institutis astrictus, iter devium præcavisset, in superstitionis præcipitium labi potuisset. Et: *Non enim ignoramus vestrum animum posse affici magno tædio, cum illos à recto tramite quoquomodo conspicitis deviare, qui summâ auctoritate præditi, deviantes quosque debuissent corrigere.* Et: *Verùm quia fratrum salus non est negligenda, & eminens auctoritas non est facile reprehendenda, visum est parvitati nostræ &c.* Tandem Synodi patres totius epistolæ hanc statuunt summam: *quod imagines Sanctorum stultâ præsumptione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ & penitus despiciendæ, nec assertione superstitiosâ colendæ aut adorandæ: sed potius hujusmodi superstitione remotâ, juxta veram religionem memoriæ & amoris caussâ ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ, sicut à Beatissimo Gregorio satis Catholicè perspicuèque dictum declaratur.* Hæc & plura Synodus Parisiensis lectu digna.

Finitâ Synodo mittit Imperator Ludovicus Jonam Aurelianensem & Jeremiam cum actis synodi ad Papam Eugenium II. cui addita epistola ad pacem exhortatoria ejusdem Ludovici nomine ad eundem Papam: cujus inter cætera hęc sunt verba: *Fratrum nostrorum Orientalium inviolabilem charitatem ob nullam aliam disceptationis occasionem nimis duriter, ut multis videtur, irrationabiliter scissam esse cognovimus, nisi quod quidam illorum unà cum Michaële & Theophilo Imperatoribus fratribus nostris imagines sanctorum habere nolunt: quidam verò contra ex eadem sancta plebe, non solum habere sed etiam adorare volunt. Quorum altercationis summa est, ut nolentes illas habere, volentes nec habere consentiant; volentes verò nolentes etiam adorare compellant* &c.

Tollendi schismatis & conciliandæ pacis hanc summam statuunt Patres: *ut qui volunt pro pia memoria vel sana doctrina in locis competentibus, absq; ullo illicito cultu pictas vel fictas habeant imagines: qui autem nolunt, absq; ullo illicito contemptu taliter habentes vel habitas imagines nullatenus spernant.* Hęc habent synodi Parisiensis Patres in epistola à Papa Romano ad Michaëlem & Theophilum imperatores scribenda.

Quid contra hos Patres Baronius? *Ita boni isti,* inquit, *qui sibi adeò visi sapientes, Imperatorem maximè pium pro arbitrio traducentes abusi zelo ipsius, quæ pietate ejus indignissima erant præstare fecerunt* &c. *Ita mendaces illi & fraudulenti calumniatores impudenter effutiunt, & è male*

malo stomacho evomunt stoliditates, insignes pravitates, dolosque malos &c.

Hoc unum hic obiter nota hos Patres Conciliorum Francofurtensis & Parisiensis non credidisse Episcopum Romanum in rebus fidei non posse errare: sic Cyprianus Cornelium, Cyrillus Cœlestinum sæpius monent, quæ vel dicenda, vel scribenda vel facienda videbantur. Hoc miror in patribus Parisiensibus, cum approbent synodum Francofurtensem & Capitulare Caroli M. & cultum cum iis imaginum damnent, eos crucem interim, seu crucis imaginem adorari velle. Cujus ego rationem non video. Nam si imago crucis adoranda, quantò magis imago crucifixi? *Invenit titulum*, loquitur de Helena Ambrosius, *Regem adoravit, non signum utique: quia hic gentilis est error, & error impiorum, sed adoravit eum qui pependit in ligno.*

Edita est hæc synodus ante paucos annos Francofurti apud Wechelium, nec, quin authentica editio sit à Baronio dubitatur, apud quem eadem extat, sed cum glossis. *Calvis.* Edita est opera Bongarsii Christianissimi regis in Germania legati ex exemplari, quod ex Pithœi codice manuscripto summâ fide descriptum fuerat, & postea in Thuani amplissimi viri bibliotheca conservatum est: Præcipui hujus synodi patres fuerunt Freculphus, Adegarius, Ionas, Ieremias, Amalarius & alii Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi.

Theodorus Studita, vir magnus, doctrinâ insignis, miraculis clarus & cultus imaginum propugnator acerrimus moritur, & è cœlo dimicat contra hostes iconomachos &c. *Baron.* A. C. 826.

Saraceni totam Hispaniam ferro igneque vastant, Cretam, Siciliam, Calabriam, Apuliam &c. occupant.

Eugenius Papa moritur succedit Valentinianus I, electus ab Episcopis proceribus & populo Romano. Eo mortuo, cum sedisset dies tantum 40, succedit Gregorius IV, qui tamen non ordinatur, priusquam Imperatoris Legatus venisset Romam & electionem examinasset. *Aimoin. Platina.* A. C. 827.

Vigebat ad hoc tempus in Ecclesia Romana consuetudo, ut populus postularet, qui præficiendus esset Episcopus Romanus, Clerus autem una secum consuleret, quis esset Pontifex eligendus. Studiis autem contrariis & bellis civilibus scissa civitas, alium subinde eligendi modum induxit &c. *Baron.*

Audi admirandam Baronii doctrinam: *Qualibet passionum signa idem præstant quod integra sanctorum corpora, & corpora idem possunt quod animæ in cœlo beatæ; adeò ut idem martyr in quolibet corporis sui tenui pulvere integer perseveret: oblatrent licet dæmones & hæretici Hagio-machi.* Similia quædam habet Gregorius Nazianzenus oratione 3. in Julianum: sed non considerat vir magnus Gregorium ibi agere Oratorem. Quare appositè in mentem mihi veniunt verba Sixti Senensis lib. 6. Biliothec. s. annotatione 152. *Meminisse oportet*, inquit, *quod & alibi sæpe monuimus, non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. Multa enim declamatores crebrò per hyperbolen enuntiant vel occasione locorum, temporum ac personarum adducti, vel affectuum impetu & orationis cursu rapti.*

A. C. 828. Hic annus ut & plurimi præcedentes habent infinita sanctorum, martyrum, reliquiarum miracula, prophetias, angelorum apparitiones, multarum rerum visiones, Dęmonum fugas, & signa magni ponderis innumera. *Baron.*

Sed miracula facilius creduntur quam fiunt & profectò tenet multos amabilis insania, & favet sibi atque plaudit imprudens temeritas. Aniles ineptias tradimus in vicem accipimusque, non incauti herclè, sed scientes & inter seria. *Cunæus.*

A. C. 829. Saraceni suburbia urbis Romę circa Ecclesiam S. Petri irruptionibus vexant & vastant, hinc nova urbs ex suburbio ædificatur, quæ postea dicta Leonina: Leo enim quartus eam absolvit. *Sigeb.*

Hoc eodem anno jussu gloriosissimorum Imperatorum Ludovici filiique ejus Lotharii, Parisiis celebratur Concilium in caussa reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, tribus libris comprehensum. *Binius tom. 3. parte 2.* In eundem finem & plura alia sunt celebrata, ita ut Clericorum mores tum temporis videantur fuisse quam corruptissimi.

Michaël Balbus Imperator moritur, succedit filius Theophilus, uterque imaginum cultores persequitur. Justicię tamen cultor severissimus fuisse perhibetur Theophilus. *Cedr. Zonaras.*

A. C. 830. Ludovicus ex Irmungarde Sueva, tres habuit filios, Lotharium, Ludovicum & Pipinum, ex Iuditha, Welphi Comitis filia genitus est Carolus Calvus. Illi, cum sibi Carolum præferri haud æquo animo

nimo ferrent, in Patrem non semel insurrexerunt. Primus Pipinus Aquitaniæ Rex cum procerebus conspirans Imperatorem comprehendit, ac Iuditham in Cœnobium inclusit, superveniente mox & approbante Lothario: sed anno sequenti Germanorum operâ Ludovicus recepit Imperium; à quo rursus an. 833, trium filiorum conjuratione & Episcoporum sententia detractus, & abdicare cöactus non multò post in integrum restituitur an. C. 834. quo Lotharius, qui patrem contumeliosius cæteris exceperat, tardius cum eo reconciliatâ gratiâ civili bello Gallias permiscuit: donec Imperatoris clementiâ condonatis omnibus pax inter illos utcunque cojit. *Petavius ex annalibus Pithai, Vita Ludovici &c.*

Pius hic Ludovicus instituit, inquit Platina, *ne Christi servi ulli servituti humanæ subjecti essent, & ut unaquæque Ecclesia proventus haberet, unde sacerdotes viverent: ne ob inopiam cultum divinum desererent, neve ob paupertatem quæstui se dederent. Idem præterea an.* C. 830. *synodum multorum Episcoporum habuit ad honorem Dei & utilitatem ecclesiasticæ dignitatis, in qua constitutum est, ne Episcopi aut Clerici cujusvis gradus pretiosas & exquisitas vestes, utpote sericas & coccinei coloris aut bracteatas ferrent: neve in digitis gemmas, nisi dum præsules sacrificant: ne in cingulis, calceis aut crepidis, aurum aut argentum gestarent, quæ certè procul omni religione sunt ac magnæ incontinentiæ ac vanitatis signa manifestissima. Vtinam nostris temporibus Ludovice viveres! Indiget nunc Ecclesia sanctissimis tuis institutis, tuâ censurâ: adeò in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos & jumenta, præcedente dum incedunt magno adolescentum, & altero presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, ut Christus nostri dogmatis auctor, & bene vivendi in terris unicum exemplar; sed in equis præferocibus & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile, deque libariis non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam; ne os (ut ipsi ajunt) in cœlum ponam.* Platina in vita Gregorii IV.

Amalarius Fortunatus Trevirensis Episcopus à Ludovico ad Papam missus, Antiphonarium Gallicum emendat ad exemplum Ro-

mani auget, & ex consilio Pontificis Responsoria ordinat à Pentecoste usque ad Adventum Domini. item officia & alia. *Calvisius ex Amalar.*

A.C.832. Theophilus Imperator acriter persequitur imaginum cultores, sed non erat Hagio-machus. *Baronius.*

Religionis Christianæ semina imperante Ludovico semper Pio in Chersoneso Cymbrica & Ducatu Slesvicensi vicinisque ditionibus regnante apud Danos Haraldo, quem Klagum vocant, feliciter jacta sunt. Haraldus enim regno à Regnero, quem & Reginfridum Lodbrog vocant, pulsus in Galliam fugit, & Ludovici Imperatoris opem adversus illatas sibi injurias imploravit. Ludovicus autem, qui ob hoc religionis propagandæ studium Pius meruit appellari, omnem opem ei benignè obtulit, eâ, inter alia, lege, ut Christianam religionem amplecteretur. Accepit conditionem Haraldus, & baptismi lavacro ablutus Christianorum sacris unà cum uxore, & viris Danorum primariis aliquot initiatus est. Ludovicus vero redeunti ei ad suos, viros sanctissimos comites dedit, quorum diligentia semina divini verbi in Dania jacta sunt, & cultus divinus palam celebrari cœpit. Anscharius autem Gallus primus eam provinciam suscepit: adeo ut hic primus aut præcipuus non Danorum modo, sed & Succiæ, Norwegiæque Apostolus meritò habeatur. *Annales Fuld. Crantz. Surius, Boxhornius.*

Ludovicus præterea instituit Hamburgi Archiepiscopatum, cui subjicerentur Dani, Sueci, Slavi; & Anscharius primus in solemni conventu Episcoporum ibidem Episcopus eligitur.

A.C.833. Ludovicus Imperator cogitur se abdicare Imperio, conspirantibus iterum in eum filiis Episcopisque, quorum suasu, rursum redigitur ad pœnitentiam publicam. Exercitu occurrit filiis Imperator. Gregorius Papa vocatus ad sedandas has turbas, & ut Patri filios conciliaret, castra filiorum adit, & minatur Ludovico excommunicationem, nisi Imperio se abdicet, quo Ludovicum plurimum offendit: Gregorio respondent Episcopi, qui erant à partibus Imperatoris, nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, sed si excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. *Vita Ludov.*

Ludov. Pii, à P. Pithao edita. Relinquitur à suis Imperator (quod Pontifici tribuitur) & à filiis capitur, qui instigatione Episcoporum, cum Monasterio includere conantur. Sic illudunt Pio suo Imperatori scelerati Episcopi, (quos ipse ex humili sorte ad tantam potentiam evexerat) connivente Pontifice, eumque contra jus & fas, sub falsa Religionis specie, cum summa Imperatoris ignominia deponunt. *Vita Ludovici, Theganus, Aimoinus.*

Ut Ludovicus Imperator in imperium restitueretur, multi congregantur populi ut eum liberarent, quod cum intelligeret Lotharius reliquit Ludovicum patrem in monasterio S. Dionysii prope Parisios, & cuncta Episcoporum consilio acta professus, discessit. Vocati Ludovicus & Pipinus filii ad Imperatorem redeunt, Juditha Augusta ab Italia reducitur, Lotharius cogitur ut supplex patrem veniam petat, quo facto redit in Italiam. *Eidem qui supra.* A. C. 834.

Ebbo Episcopus Rhemensis qui Ludovicum imperio privarat, in conventu Metensi episcopatu privatur, ut & Ægobertus Lugdunensis, cæteris condonatur. *Aimoinus.* A. C. 835.

Gregorius Papa festum omnium sanctorum instituit, ut si quid in iis colendis omissum fuisset, per totum anni spatium hoc die simul compensaretur. *Platina.*

Lotharius Italiæ Rex Gregorio Papæ infensus Romanam Ecclesiam haud leviter perturbat, pro qua Ludovicus Imperator laborare non destitit. Ægrè ferebat Lotharius se dici Regem Italiæ cum Papa nobiliorem ejus partem possideret: ulteriùs progressurus nisi à Patre pio Imperatore impeditus fuisset. *Annal. Fuld.* A. C. 836.

Cometa apparet, cujus occasione Ludovicus se ad mortem præparat, his usus ad suos verbis: *Non alium timere debemus præter illum qui nostri & hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare & mirari possumus, qui nostram inertiam cum sumus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere &c.* Vita Ludovici. A. C. 837.

Pipinus Rex Aquitaniæ Imperatoris filius moritur, quam A. C. 838.

 provin-

provinciam Carolo filio tribuit, unde denuò exortæ novæ turbæ, filiis cæteris Ludovico indignantibus. *Aimoin.*

A. C. 839. Ludovicus Imperator adversus filium Ludovicum, propter Aquitaniam rebellantem, exercitum ducit, eumque ad spontaneam reconciliationem adigit. *Aimoin.*

Bartholomæi Apostoli ossa quondam in loculo plumbeo apud Indos in mare demersa fuerant, sed miro modo eadem cum loculo in Insulam Liparam translata fuerant. Cum vero Saraceni qui Siciliam vastabant etiam Liparam depopularentur, & ossa Bartholomæi dispersissent, monachus quidam ex revelatione monitus ea collegit, & Beneventum transtulit. *Sigeb. Chron. Cassinense*, *Calvisius.*

Vide apud Baronium epistolam Gregorii IV. Papæ ad totius Europæ Episcopos, in qua agitur de Episcoporum appellationibus ad Episcopum Romanum, sed languidè, nam Concilii Nicæni utitur auctoritatè, in quo nil tale invenitur, ut sæpe dictum: cum ea habeat concilium Sardicense, de quo fusè actum an. C. 346.

A. C. 840. Ludovicus Rex denuò bellum movet contra patrem Imperatorem. Imperator filio cum exercitu occurrit, filius fugit, Ludovicus ægrotat, sol deficit: portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium Imperatorem deficere, mundumque ejus discessu in tenebris tribulationum relinquendum &c. Ludovicus æger Dæmones pellit dicendo Huz Huz, id est, foras, foras. Moritur pius princeps, sed infelix pater, & Metis sepelitur: successit Lotharius, qui adversus fratres libidine dominandi flagrans & Monarchiæ cupidus, bella movet. *Chron. Pithœi* &c.

A. C. 841. Ludovicus & Carolus conjunctis viribus fratri Lothario resistunt, & ad Fontinatam villam victoria cedit fratribus, qui eâ piè utuntur. *Annal. Franc.*

A. C. 842. Denuò novo conscripto exercitu bello aggreditur fratres Lotharius, qui validiori fratri occurrunt: fugatur Lotharius, & in eo prælio præcipua pars nobilitatis Francicæ occubuit: perierunt ex utraque parte ultra centena virorum millia. Tandem inter se conveniunt, ac Paternum regnum ita diviserunt: Lothario præter Romanorum Imperium, hoc est Romam & Italiam, Belgi-

ca cessit; quæ ab eo Lotharingiæ nomen invenisse proditur, ac Scaldi & Rheno continetur, ut ait *Sigebertus* anno 844, nec non Provincia, sive Burgundia. Ludovico Germania omnis usque ad Rhenum, ultraque hunc civitates tres vini gratiâ, Moguntia, Spira, Wormatia. Carolus Occidentalem sortitus est Franciam, ab Mosa flumine ad Britannicum Oceanum. Idemque Pipini quondam fratris sui filios Pipinum & Carolum Aquitaniam sibi vendicantes monachos coëgit fieri &c. *Otto Frising: Aimoinus, Sigebertus &c.*

Hoc anno vixit Bertramus presbyter & monachus cœnobii Corboliensis ad Sequanam in Galliis; vitæ sanctitate & eruditione eximius, scripturæ divinæ & omnium profanarum scientiarum peritissimus, ingenii subtilitate & eloquentiæ laude præclarus, Carolo Calvo gratissimus, ad quem scripsit præstantissimum opus de prædestinatione & de corpore & sanguine Christi. *Iohan. Tritbemius.*

Theophilus Imperator Orientis moritur, à Deo ipso flagella passus meritam vindictam accepit, qui adversus eum erigens Saracenos eisdem in ejus perniciem favit &c. Verba sunt Baronii, qui sui immemor jam ignorare videtur, quid in Italiam, ne dicam Romam, Radagisus, Alaricus, Ataulphus, Gensericus, Theodoricus cum suis Gothis annis 160, quid Longobardi annis 200 egerint: præterea quod jam Saraceni ipsi, ipsa Romæ suburbia, ipsam ædem S. Petri vexent, spolient, vastent. Nortmannorum grassationes prædationesque crebrò ætate istâ Galliis & Provinciis omnibus exitiales fuerunt. Danici generis illos ferunt atque è Scanzia profectos, quam Norvvegiam appellant; qui jam tum imperante Carolo Magno, circa Borealem oram Galliæ populabundi navigare instituerant, ac Frisonum & Scotorum infestare littora. Sed quod tum Imperii limites firmissimis præsidiis obtinebantur, facilè eorum impetus arcebant. Quod idem Ludovico Pio Imperante perseverarunt facere. At eo mortuo, cum civilibus motibus totum quateretur imperium, & detracto, qui in præsidiis erat, milite, nudata defensoribus ora maritima Galliæ esset, impunius evagari cœperunt; ac non jam piraticas excursiones, sed justas expeditiones in interiora Regni fecerunt anno eo, qui mortem Ludovici consecutus est, Christi 841. Occupatâ subitò Rothomago, cædibus atque incendiis cuncta va-

ſtarunt, latèque ſecundum Sequanam populatione factâ, ingentes prædas egerunt. Eodem anno Haſtingo Duce in Turones progreſſi cum circumcirca vaſtitatem intuliſſent, ab ipſis urbis mænibus S. Martini ope propulſi ſunt. *Petav. ex annal. Pithai, Chron. Turon. in hiſtor. Nortmam*, &c.

Audi Gennadium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, mira ſi vera, narrantem de Theophilo Imperatore in expoſit. pro Concilio Florentino. *Imaginum oppugnator Theophilus, ſanctorum virorum & Auguſtæ ſervatus eſt precibus, nec hæ valuiſſent niſi prius ſanctas imagines colere & honorare juſtum eſſe aſſeruiſſet. Quoniam is valdè illuſtris erat, ſed cum in hæreſin delapſus eſſet eorum, qui imagines oppugnabant, os ejus adeò diductum eſt, ut viſcera conſpicerentur.* Sic pergit: *Theodora Vxor Auguſta in ſomnis Theophilum vinctum*, animam mariti Baronio, *videt, cum tortorum multitudine ante terribilem judicem: provoluta ergò ad judicis illius tremendi pedes, enixè cum lacrymis pro ſuo marito deprecabatur; ad quam terribilis judex dixit: mulier magna eſt fides tua*, quia nimirum favebat imaginum cultui, *propter te ſacerdotumque tuorum preces, conjugi tuo do veniam*, &c.

In locum Theophili ſuccedit Michaël III. cum Theodora matre, quæ Chriſtianiſſima, ſanctiſſima, beatiſſima, piiſſima fœmina & imperatrix vocatur, quia ejuſdem operâ Concilium Conſtantinopoli convocatur, quo reſtituitur fides Orthodoxa & Catholica *inquit Baronius, id eſt cultus imaginum*, & anathema dicitur eas oppugnantibus:annuum feſtum inſtituitur,hymni noviter compoſiti pro hac reſtitutione canuntur, atque ita controverſia de imaginibus, quæ centum & viginti annis in Oriente agitata fuerat, victa ſuperſtitionibus quievit. Sermo in erectionis imaginum die ſic à Theophane Archiepiſcopo Tauromeniæ clauditur apud Baronium: *Imò & honor imaginum ſupernè nobis ab initio lege ſancitus eſt. præcepit enim olim Deus Moſi duos Cherubinos erigere ex utraque parte tabernaculi, & ipſe Dominus noſter in ſindone ſpeciem ſive formam ſuam expreſſit ſine manu, & Abgaro toparcha Edeſſa miſit. Nunquam verò hæc feciſſet niſi imagines coli voluiſſet. Et illa Ediſſena ſanguinis fluxum paſſa & à Domino ſanata, ut remuneraret tanti beneficii aucto-*

auctorem, statuam ad similitudinem salvatoris erexit, cujus fidem approbans Dominus, voluit ut ex pedibus statuæ herba nasceretur, quæ omnem dolorem sanaret. Imò & Lucas celebris Euangelista imaginem Dei Matris cerâ & coloribus depinxit &c. ergo &c.

Respondent alii: In decalogo lex est contraria, nam voce προσκυνήσει, omnis imaginum adoratio, veneratio & honor prohibetur.

2. Deus suo jure, qui sibi exceptionis potestatem non ademerat, in sancto sanctorum templi, locari jussit Cherubinos, alatas humano effigies vultu, eo in loco, quo solus Pontifex maximus semel anno intrabat, non ignarus legis semel datæ in decalogô, & non inesse illis divini aliquid.

3. Historiam Agbari Regis Edessenorum vide apud Eusebium *histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 14. ubi nulla fit mentio Sindonis formam Domini exprimentis: & utraque hæc epistola & Agbari ad Christum & Christi ad Agbarum ex sententia Papæ Gelasii & aliorum est apocrypha.

4. Idem Eusebius *lib.*7 *cap.*17. narrat historiam Hæmorrhousæ, *Matth.* 9.
cujus mentio fit in Euangeliis, de imagine ænea viri erecta, & *Luca* 8.
mulieris in genua procumbentis Cæsareæ Philippi: nec mirum videri debet, *inquit*, eos qui ex gentibus olim à Servatore nostro curati sunt, ista fecisse, quando & Apostolorum illius imagines, Pauli videlicet & Petri, denique & ipsius Christi in tabulis coloribus depictas vidimus: quod veteres *ex gentili consuetudine* eos quos Servatores putabant, ad hunc modum honorare soliti fuerint.

5. Lucas Euangelista fuit medicus S. Paulo, sed de pictore nihil certi, multò minus de picturis & præcipuè de picturis Matris Dei & adorandis. *Vide annum* C. 944.

Ego non possum satis mirari quare illustrissimus Annalium conditor tam frequens & tam fervidus sit, tùm, in promovenda imaginum adoratione, idq; per tam frivolas & fabulosas rationes: tum, in enumerandis infinitis & ignotis sanctis, cum omnes sciamus, quam dubiç & sublestæ fidei pleraq; sint, quæ de iis ab incertis aut suspectis auctoribus scripta sunt. Si in hisce & aliis similibus paulò parcior

fuisset, majorē apud cordatos laudem proculdubiò consecutus fuisset. Prioribus & melioribus seculis nihil tale quid à nobis visum est, *Non ita fuit ab initio*: tum religio constabat pietate in Deum, fide in Christum, charitate in proximum, cum vitę puritate. Ab illustrissimo viro per Irenen & Theodoram fœminas dicitur restituta Catholica fides, propter restitutum cultum imaginum. Bone Deus, quò tandem devenimus Christiani, quò collapsa est illa primitivę Ecclesię fides? *Idcircò eò deventum est insania*, inquit Polydorus, *ut hæc pietatis pars, parum differat ab impietate; sunt enim bene multi rudiores stupidioresque, qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, aneas seu in parietibus pictas variisque coloribus litas, imagines adorent: non ut signa, sed perinde quasi ipsa sensum aliquē habeant & iis magis fidant quam Christo vel alijs divis, quibus dicatæ sunt. Quo fit ut stultitiam stultitiâ cumulantes illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos omnifariasque gemmas, ibi senio perituras. Et ut ad illud faciēdum plures inescentur, illi qui talem proventum metunt, nummos perforant filoque pendentes in illo aut manibus ipsarum imaginum suspendunt, donaria in locis conspicuis egregiè collocant, titulosque apponunt, quo nomina offerentium & Diis & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hæc impendio delirare inducitur ac insuper longa aliquoties itinera conficere, ut unam imagunculam adeat, ibique donaria sua relinquat, prætermisso alio aut pietatis aut charitatis officio, rata se omninò sat largitionis fecisse, sat pœnituisse si inter eundum lautius victitando aurum obtulisset, in cujusvis crumenam inde iturum. Quam igitur sapientius quamque religiosius est eâ ratione peregrinari, ut labore corpus dometur, sic ut cogatur rationi servire & imagines venerari, ut mens ad Deum protinus dirigatur, ac dono dare, quæ pauperibus usui esse possunt, quandoquidem ea dubio procul esse constat munera grata Deo*, qui, *ut Socrates apud Platonem in Alcibiade 2. ait*, animum justum respicit, non autem munera. *Atqui Lactantius manifestè demonstrat quam maximè aberrent illi, qui aliter seu faciunt vel sentiunt, inquiens*: Vestes igitur, gemmas, & cætera quæ habentur in pretio, siquis putat Deo cara, is planè quis sit Deus nescit, cui putat voluptati eas res, quas etiam homo, si quis contempserit, jure laudabitur. *Hac ille. Et divus Hieronymus illum disserens locum apud Hieremiam*, Et argento & auro decoravit illud: de simulacro idolorum loquitur propheta ait. *Qui quidem error*

Misericordiam volo non sacrificium.

ad nos usque transivit, ut religionem in divitiis arbitrentur. Eo etiam pertinet, quod Plato lege vetuit, ne Deorum imagines ex auro, aut argento, ferrove vel are fierent, sed tantum ex ligno vel lapide fingi voluit, ut ne criminosi ex occasione rei pretiosa, existimarent se propterea deos placare aut decipere posse. In enumerandis sanctis & enarrandis eorum rebus gestis, festis, templis, altaribus, reliquiis, miraculis, tam prolixus subinde est vir magnus, ut magnam efficiant partem Annalium: & tamen cuivis notum est, Gregorium Turonensem, Damascenum, Nicephorum, Metaphrasten, Suidam, Cedrenum, & alios multa incerta, ficta, ne dicam falsa, de iis nobis tradidisse. Imò ipse Eusebius, nobis primus historiæ Ecclesiasticæ scriptor, in multis nimis fuit credulus, uti & cum eo Baronius. Si integra nobis superessent illa martyrologia, per Notarios, à Clemente Romano institutos, Romæ conscripta, quæ, proh dolor! per Imperatorum paganorum crebras & crudeles persecutiones miserè perierunt, pretiosus Ecclesiæ Dei fuisset relictus thesaurus: nunc per incerta vagamur, & sanctos non sanctos colimus, imò sanctis ignotis & qui fortè nunquam in rerum natura exstiterunt, altaria, & anniversaria festa tribuimus. Et utinam, quæ, quamvis superflua, instituta sunt, piè modo & sanctè celebrarentur! *Sed dies alii aliis festi festis ex parvis quandoque caussis accumulati sunt, id quod scimus, an expedierit, cum præsertim videamus, eò rediisse Christianorum mores, ut quàm olim ex religionis usu erat, hac instituere, tam nunc præstare videatur, eadem antiquare: cum bona pars hominum otium illud festorum dierum non ad orandum, non ad divina scripta audienda, cujus rei caussa datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam indies magis magisque impudenter consumat. Atque ita bellè Ethnicos perinde in hac re, ut in multis æmulamur, quod tantum aberat, ut majores nostri facerent, ut etiam illud idem audacter iisdem Ethnicis vitio darent, teste Tertulliano in Apologetico, cum de Cæsarum solennibus loquitur. ubi inquit:* Propterea igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios honores dicant? Grande videlicet officium focos & choros in publicum ducere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obolefacere, vino lutum cogere, certatim cursitare ad injurias,

rias, ad impudentias, ad libidinis illecebras? Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? O hos meritò damnandos, cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus? &c. *Non putavit Tertullianus futurum, ut ista omnia in nostros Christianos aliquando caderent, qui hoc loco Ethnicos deridet, & tamen venit tempus, cum eas potius Cæsarum quam Christi solemnitates celebramus*, Hactenus Polydorus de invent. rerum lib. 6. cap. 8. Vide Argentreum Jurisconsultum Gallum lib. de consuetudinibus generalibus Britanniæ, in initio: *festos dies esse, & religiosè coli vetus est Ecclesiæ constitutum*, inquit, *& verò non solum pietati sed & politicæ convenit. Nam & religioni per eos dies advertere intentius est constitutum & laborum oportet esse aliquam hominibus remissionem. Nimium multos esse, nec publicæ disciplinæ expedit nec verò pietati, quod & quidem de veteribus Theologis plerique scriptis libris questi sunt. Dixi in conventibus Ordinum, eos qui vulgò religiosi haberentur, in pauciores contrahendos mihi videri, & hanc Ecclesiastici ordinis curam esse debere. Rationes adjeci, exempla attuli: Nam & usu nimium compertum esse, inerti otio luxum, comessationes, popinas, & cæteras noxias artes & nequitiam ali nimiâ frequentiâ, & festos prodigere, quod magno sæpe labore profesti peperere, &c. locus non ferebat, ut plura dicerentur, de tot valdè suspectis Apotheosibus, quibus permulti, vulgatis duntaxat populi rumoribus, in cœlum inconsultis Pontificibus irrepsissent. Id ostendere Martini Episcopi factum, de quo Sulpitius Severus memorat. & Pontifex c. 1. de reliq. & vener. sancto. extat articulus in Constit. Francicis Caroli Magni religiosi Imperatoris, quo falsa nomina Martyrum, incertas Sanctorum memorias venerari prohibemur. Et qua nunc natio, non solum aliquem indigetum, quæ verò non plures habet incertis auctoribus, quos populus instabili judicio, & studiis inconsideratis in cœlum exuit, minorum quidem gentium, sed tamen creditos, &c. Hæc & plura Argent.*

A. C. 843. Gregorius IV. Moritur succedit Sergius II. Sunt qui Sergium hunc primò quidem Os porci appellatum fuisse dicant, & ab turpitudinem cognomenti Sergii nomen sumpsisse, eam consuetudinem ad nostros manasse, ut qui Pontifices crearentur suo nomine omisso, majorum nomina sibi inderent, licet ab omnibus non sit observatum. *Platina.* Hic annus Italiæ lugubris fuit ex ingenti clade à Sara-

à Saracenis illata universæ Campaniæ & Samnitibus. Beneventum capiunt, Capuam exurunt, monasterium Cassinense exspoliant, eaque mala viginti annos durarunt. *Baron. ex Nathardo & annal. Pithœi* &c.

Sergius II. succedit Gregorio, sed non nisi consensu Imperatoris & facto juramento fidelitatis & ejecto Joanne Diacono qui sedem violenter occuparat. Urbis proceres Joannem capiunt, in carcerem detrudunt & Antistitum concilio, non tantum honore privant, sed & ensibus eum dilaniassent, nisi Sergius impedivisset. *Anastas.* A. C. 844.

Hic annus fuit Ecclesiæ Romanæ calamitosissimus, siquidem peccatis ingravescentibus, Deus ad indignationem provocatus, implevit illud Ezechiëlis: *adducam pessimos de gentibus, & possidebunt sanctuaria eorum* &c. Nam Saraceni ex Africa instructâ classe venientes improviso agmine suburbia trans Tiberim posita deprædati sunt & ipsas S. Basilicas Petri & Pauli, auro, argento gemmisque locupletes spoliarunt. *Leo Ostiens. Anastas.* Hoc tempore immanium barbarorum avaritiæ cessit, quidquid Christiani reges tot annis, ac tantâ liberalitate Romæ congesserant: tanquam una manus omnes hauriret pietatis divitias; una hora dissiparet ornamenta, quæ rapi non poterant: turpi ludibrio confracta est sacra supellex, in luxuriæ & obscænitatis usum versa. Putares ab ipso Deo fana spoliata: vix præter muros & tecta quicquam remansit. A. C. 846.

Sergius II. Papa moritur succedit Leo IV. quem sine consensu Imperatoris Romani consecrare non audebant. *Anast.* Hujus tempore mentio fit indulgentiarum trium annorum & trium quadragenarum, venientibus Romam ad reliquias Sylvestri Papæ & aliorum. A. C. 847.

Hic Leo cum basiliscus in templi Luciæ caverna multos homines occideret, qui eo descendebant, in festo assumptionis Mariæ processionem cum Letaniis ea de caussa instituit & precibus suis hunc basiliscum interfecit. *Anast. Platina.*

Hoc anno occurrit historia Godescalci Monachi prædestinatiani qui à Rabano Archiepiscopo Moguntino, *cui nec Italia* A. C. 848.

Trithem. in catalogo script. eccles. *similem, nec Germania peperit æqualem*, ut ait Trithemius, *condemnatur.* Referam eam verbis Vossii in Historia Pelagiana.

Vossius hist. Pelag. lib. 7. par. 4. *Exposuimus*, inquit, *universe sententiam Ecclesia veteris, de gratia Dei omnes vocantis; libero arbitrio hominis gratiam contemnentis, & justitia Dei, contemptorem gratia reprobantis. In quibus illi etiam qui Augustinum sequerentur, consenserunt. Huic vero doctrina post Lucidum presbyterum primus se opposuisse creditur Godescalcus Monachus. Is cœnobio egressus, variis in terris prædicare cœpit, nolle Deum, ut alii quam electi, ad veritatis agnitionem veniant ac salventur, nec pro aliis Christum mori voluisse: cæteros etsi baptizentur, tamen tantum signo tenus redemptos dici posse, quia nunquam à damnationis massa fuerint discreti. Etiam sententia sua libellum obtulit synodo Moguntina, quæ jussu Imperatoris Ludovici anno* 848 *coacta fuit. Hac occasione sententia Godescalci à Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntino, & Hannone Halberstadiensi, cæterisque Germaniæ Episcopis fuit condemnata. Insuper iidem cum literis synodalibus Godescalcum ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum miserunt. Eò ut venit, non cum loco sententiam mutavit, sed idem dogma magno cum studio defendit: ergò Rhemensis Ecclesia & Gallia Belgica Episcopi convenerunt; Godescalci sententiam iterum excusserunt & damnarunt. Cumque ille Episcopis se irreverentius opponeret, virgis cæsus & ne alios in sententiam suam pertraheret, cœnobio, velut carcerali custodiâ conclusus & annos complures detentus fuit. Multi tum adversus Godescalcum scripsere; interque alios librum novendecim capitulorum adversus eum edidit Ioannes Erigina Scotus. Hac pessimè habuere Ecclesiam Lugdunensem, cujus tum Archiepiscopus erat Remigius. Ergò ea libro Erigenæ respondit, eumque præveníentem gratiam negare, multaque non παράδοξα solum, sed etiam ἄδοξα docere ostendit. Etiam aliis respondit adversariis Godescalci: ac potissimum quatuor Hincmari capitula, Godescalcano dogmati opposita, expendit. Nec his contenta, unà cum Arelatensis & Viennensis Ecclesia Episcopis in synodo Valentina anno* 855, *Canones aliquot sancivit, quibus quid in Godescalco, quid in adversariis ejus probaret vel improbaret, exposuit. Negat dari prædestinationem ad peccatum; nec reprobos perire censet quia boni esse non potuerunt, sed quia salutis viam insistere noluerunt. Fatetur etiam, malè Godescalcum docuisse, baptizatos, si fuerint extra numerum electorum, tantum signo tenus remissionem peccatorum accipe-*

re, nec verè inseri Ecclesiæ Dei. Nam, inquit, hoc si esset, jam sacramenta Dei ludicra & fallacia forent. Unde concludit etiam secundum præsentem statum verè fuisse fideles justificatos, & à damnationis massa secretos, qui postea per pravitatem suam Dei gratiam amittunt, & æternùm pereunt. De dogmate, an Deus velit omnes & singulos ad agnitionem veritatis & animarum suarum salutem pervenire, nihil synodus definit, cum tamen hoc imprimis esset, de quo inter Hincmarum & Godescalcum certaretur. Nempe de genuino Paulinorum verborum sensu, nec Synodi ejusce Patres videntur convenisse. Cæterum de illo, an Christus pro omnibus sit mortuus, apertè tuentur pro fidelibus esse mortuum, partim quia scriptura hoc apertè dicat, partim quia nimium à veritate abhorrere videatur, ut Christus pro iis pati proposuerit, qui antequam crucifigeretur, vel etiam in terras veniret, in gehennam fuerint conjecti. In quo, quod pace eorum liceat dixisse, non satis Hincmari & aliorum sententiam intellexisse videntur. Nec enim Episcopi illi voluerunt Christum in cruce sibi proposuisse ut gehennâ eximeret eos, qui infideles & impœnitentes de hac vita discessissent; sed hoc putarunt, Christum ab æterno destinatum fuisse λύτρον pro omnium redemptione; sed solis profuturum, qui gratiam salutarem non contempserint; eoque non redimi omnes, quatenus non solvitur omnibus captivitas; at redimi omnes, quatenus solvitur omnibus captivitatis necessitas: atque id quoque de his, qui ante paßionem Christi, in peccatis suis mortui essent, hactenus verum esse, quatenus ab his dum viverent sublata fuit pereundi neceßitas: ut qui non perierint, quia Christus pro eis noluerit mori, sed quia, cum per gratiam Dei possent, exemplo sanctorũ sui temporũ, salutis viam insistere noluerunt: absque quo esset, etiam illos fuisse salvandos propter sacrificium Iesu Christi, cujus virtus non minus ad V.T. tempus quam Novi se extendat. Nec hæc ita decernere Valentinæ Synodo satis fuit, sed etiam condemnavit quatuor capitula ab Hincmaro dogmati Godescalcano opposita, item librũ ab Erigena Scoto scriptum adversus Godescalcum. Hâc antisynodo valdè fuerunt commoti animi eorum, qui Hincmaro favērent; nec enim latere hæc eos poterant, præsertim Carolo rege Canones Valentinæ synodi unà cum adversariis Lugdunensis Ecclesiæ scriptis Hincmaro exhibente, cum mandato, ut quam primum, quid de iis sentiret, perscriberet. Sed Hincmarus id facere aliquãdiu distulit, eò quòd Remigius aut colloquio, aut generali synodo melius, quam scriptis ἐριστικοῖς componi posse controver-

ſiam putaret. Verũ de ſynodo fruſtra injecta ſpes fuit. ſive eam prudentiores Epiſcoporum diſſuaſerint, ſive Rex Carolus impedierit; eo quod ab animis adeò exacerbatis nihil ſalubre exſpectaret, & controverſias has hujuſmodi exiſtimaret, ut nihil de veritate quæſtionis, in hanc vel illam partem decidi opus eſſet. Gliſcente autem indies animorum diſſenſu Rex Carolus triennio poſt, hoc eſt an. 859, *capita Valentinæ ſynodi iterum Hincmaro dedit, cum mandato ut ad ea quamprimum reſponderet. Ergo Hincmarus libro integro hac de controverſia diſſertavit, eumq; ad Regem miſit, unà cum literis, quibus de injuria ſibi & ſuæ ſententiæ Epiſcopis à Valentina ſynodo facta conqueritur; ac ſingulos penè canones ejuſce Concilii expendit. Atq; hujuſmodi quidem tempeſtas prædicatione Godeſcalci in Galliis excitata fuit. Poſtquam verò reſponſum ſuum Carolo Regi tranſmiſerat Hincmarus, deſiiſſe ea paulatim videtur, interponente, ut credibile eſt, Rege auctoritatem ſuam: qui eo facilius componere potuit hos animorum motus quod Lugdunenſis Eccleſia parata eſſet deſiſtere, ab damnanda Hincmari & Galliæ Belgicæ Epiſcopoporum ſententia, dummodo ne illi Lugdunenſis, Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ Epiſcoporum ſententiam, tanquam hæreticam, uti in Godeſcalco jam facere occæperant, condemnarent.* Hactenus Voſſius.

Vide de hoc Godeſcalco Annales Francorum Pithæi, Trithem. in Chronic. Hirſaugienſi & Frodoardum in hiſt. Rhemenſi l. 3. *c.* 13. *&* 14. Ubi ejus errores deſcribuntur, in epiſtola Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis ad Papam Nicolaum:

Dicit, inquit Hincmarus, *quod antiqui Prædeſtinatiani etiam dicebant, quod ſicuti Deus quoſdam prædeſtinavit ad vitam æternam, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit.*

Quod Deus non vult omnes homines ſalvos fieri ſed duntaxat eos qui ſalvantur.

Quod Ieſus Chriſtus Dominus noſter & Salvator non fuit crucifixus, neque mortuus eſt pro redemptione totius mundi, id eſt, pro redemptione & ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his qui ſalvantur.

Dicit, licet non omninò pari traditione, ſimili tamen errore, id quod veteres Prædeſtinatiani dicebant; quando hæc verba S. Petri Apoſtoli exponit 2 Petri 2. *negantes Dominum qui eos redemit: redemit eos, inquit, ſacramento baptiſmi, nihilominus non paſſus eſt mortem crucis, nec ſanguinem effudit pro* Ephes. 4. *eis. Verum apertè divinus Paulus dicit, à quo perceptio baptiſmi vocatur*

re-

redemptio: nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis. Et sicut hæc electio, qua tantum propria est & specialis omnium electorum, & quam crucifixus, pius & misericors redemptor, his tantummodo impertiit, quos redemit & eripuit & à præteritis peccatis cavit: sic certè redemit, liberavit, & à delictis præsentibus abluit eos, qui nati sunt, & qui nascituri sunt, vivos & mortuos. Nimirum omnes electos; & hi certe sunt mundus, pro quo Dominus passus est; non secus quam alibi dixit: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Iohan. 6.

Idem dicit: *absit velim non solum dicam cogitare verum etiam semel mussitare, quod serpens antiquus ad se recipere possit unum eorum pro cujus redemptione Deo Patri suo, Dominus sanguinem suum pretiosum effudit &c.* Quæ Godescalci sententia, quam diversa sit ab Augustino vel cæco manifestum est. Vocat eam Hincmarus veterem Prædestinatianorum hæresin, primum in Africa, postea in Galliis exortam, per Prosperum autem confutatam. Primi in Africa fuere Monachi Adrumetini, qui ex Augustini scriptis absolutam & electionem, & reprobationem statuebant, ut fusius diximus, an. C. 418. &430, In Galliis autem fuit Lucidus presbyter ab Arelatensi & Lugdunensi Synodis condemnatus. an. 490, *ille Hincmarus*, inquit Frodoardus, *inter cætera scripsit collectionem sententiarum Orthodoxorum Patrum ad confutandas blasphemias Godescalci. Item poëma eruditissimum de gratia & prædestinatione Dei. Item maximum volumen de prædestinatione & libero arbitrio. Item alium pulcerrimum librum contra eundem Godescalcum, & alios prædestinatianos nomine Regis exaravit, & sua Majestati his verbis scripsit: Domino Carolo Regi &c. Ex quibus intelligas* inquit Baronius *diu multumque decertandum Hincmaro fuisse adversus hanc bestiam. Hincmarum tamen & omnem contra Godescalcum actionem refutavit Florus Magister Lugdunensis Diaconus, sub Ecclesia Lugdunensis nomine, erudito commentario.* Petavius.

Vide etiam Maldonatum in Joh. cap. 17. vers. 9. & Matth. 20. vers. 28. *Sed præcipuè Historiam Pelagianam Vossii.*

Johannes Erigena natione Scotus vir perspicacis ingenii & singularis facundiæ in Galliis apud Carolum Calvum, in flagranti fuit gratia, & novendecim scripsit capitula adversus Godescalcum, cui respondet Ecclesia Lugdunensis. Ille in Anglia

à suis discipulis graphiis perforatus mortuus est: caussam ejus Genebrardus & cum eo Vossius fuisse existimant, dogma Eucharistiæ, quod antea Bertramus, & postea Berengarius docuit.

A.C. 849. Leo Papa munit Vaticanum mœnibus, & totius Urbis muros contra irruptiones Saracenorum reparat. *Anast.*

A.C. 850. Nortmanni denuò irrumpunt in Gallias, Regnum Caroli, qui filius erat Ludovici Pii: qui ipsis aliquas terras habitandas concedit. *Pithæus.*

A.C. 851. Ludovicus II. Imperator, Lotharii Imperatoris filius, cum exercitu in Italiam venit, Beneventum à Saracenis liberat, & rebus compositis Papiam abit. *Leo Ostiens.*

A.C. 852. Papa Leo IV, incœptam à Leone III, urbem, & à se absolutam, Leoninam vocat. In ejus dedicatione totus clerus nudis pedibus circum muros incessit, cineribus in capite sparsis. Cardinales verò aquâ benedictâ novos muros undique consparserunt. *Anast.*

Carolus Francorum Rex Pipini fratris filios regnum turbantes capit, & in monasterium detrudit. *Sigeb.*

A.C. 853. *alii* 854. Normanni per Ligerim fluvium venientes Nannetensem civitatem invadunt & Turonensem capiunt & cremant, omnia cædibus, rapinis & incendiis populantes. *Ann. Fuld.*

Historia Iohannis Papissæ, cujus primus scriptor creditur esse Marianus Scotus, qui vixit an. C. 1086. à Baronio confutatur. Si constaret de Anastasio Bibliothecario, qui vixit tempore Leonis IV, & Benedicti III, & Radulpho Flaviacensi, qui vixit seculo sequenti, constaret etiam de historiæ Iohannis Papissæ veritate. At tanta est incertitudo, tanta discrepantia, tanta, inquam, repugnantia, in ipso Anastasio, ut nihil certi ex eo trahi possit. Tempore Ludovici IV. an. C. 910. vixit ille Radulphus Flaviacensis monachus Ordinis Benedictini, secundum Bellarminum & Vossium, qui ut refert Vossius, *inter disertissimos Galliæ viros reponitur à Nicolao de Clemangiis, epistolâ ad Galiottum de Petra mala Cardinalem, & inter cætera reliquit Historiam Francorum & Chronicon breve.* Sed, secundum Conradum Deckerum, in sua assertione veritatis historiæ de Papa Johanne Octavo, quod fuerit mulier & puerpera, *descripsit* idem Radulphus

phus *hanc historiam in suo polychronicô l.* 5 *.cap*. 32.(quam propter facti deformitatem dicit à superioribus scriptoribus omissam) *testis locupletissimus & omni exceptione major, utpote in quo veritatis historicæ nulla desiderantur* χελτεία, *& vixit juxta Trithemium an*. C. 930, *ita ut papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit, qui illud viderunt*. Sed errat fortasse Deckerus in nomine Radulphi: nam ille Flaviacensis fuit natione Gallus, & vixit, ut diximus, an.C.910. Alter verò, qui scripsit illud Polychronicon, in quo dicit fieri mentionem Ioannis Papissæ, vixit an.C. 1345. & fuit natione Anglus, dictus Radulphus Hygden seu Hygeden, uterque ordinis Benedictini monachus, ut refert lib. 2. & 3. de historicis Latinis *Vossius*.

Hæc historia diu à plurimis fuit credita, & habet suæ veritatis testes supra 70. omnes Romanæ Ecclesiæ addictissimos. Inter primos qui hanc historiam falsi arguunt, fuere Onuphrius, & cum Baronio Bellarminus, & inter reformatos hos secutus est D. Blondellus, antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus: quorum argumenta apud doctos non possunt esse parvi ponderis. Prodiit Blondelli libellus Gallico idiomate, titulo *Familier eclaircissement* &c.an.1647. Amstelodami apud Ioan. Bleau, in quo multorum auctorum testimoniis probare conatur, in catalogo Pontificum, Leonem IV inter & Benedictum III, nullum numerari Papam.

Cum admiratione video Reformatorum multos, hunc viri cordati candorem ægrè ferre, & malè interpretari: facit certè veritati injuriam, qui falsi patrocinio illam opus habere putat: non requirit σοφὰ φάρμακα. *Erimus ergo nos adeò* ὀλιγόπιστοι id est, *exiguâ fide præditi, imò erga Deum immortalem tam insigniter injurii, ut veritatē ab ipso manantē, & ipsum illius verbum, de quo dictum est*; cœlum & terra præteribunt, sed verbum Dei manet in æternum; *nisi mendacio fulciatur, periclitari putemus? Absit, absit, inquam, à piis animis tanta amentia*, inquit Casaubonus in simili caussa. Sed respondit Blondello Gallicè an. C.1655. satis doctè Longnardus supremi senatus in Normandia advocatus, & præcipuè Maresius Theologus Groeningensis, hoc ipso, quo nos hęc edimus, tempore, cujus viri doctissimi historiam Ecclesiasticam brevi avidè exspectamus.

Theo-

A. C. 854. Theodora Imperatrix Orientis de extirpandis Manichæis, qui totum fere Orientem occuparant, consilium habet: mittuntur cum imperio & exercitu, qui cogant eos suam relinquere sectam & fidem amplecti Catholicam: at hi fortassis crudelius, quam par erat, cum ipsis egerunt, & ad centum millia suppliciis affecerunt. Hinc seditio & defectio Manichæorum ad Saracenos, quorum auxiliis instructi Imperatoris regiones longè latèque vastarunt. *Cedren.*

A. C. 855. Hoc anno ex jussione Caroli Regis celebrata est in Gallia prædicta Synodus Valentina, convocata contra synodi Rhemensis & Hincmari quatuor, & Joannis Eriginæ Scoti 19. capitula, per quæ Godescalcus prædictus est condemnatus. In hac synodo invenies quædam statuta contra Pelagianorum, quædam contra Prædestinatianorum dogmata; & inde error Baronii & Binii originem traxit, qui malè judicant, Patribus istius synodi potissimum propositum fuisse prædestinatianorum errores condemnare, cum illa synodus magis faverit Godescalco, quam ejus adversariis, Hincmaro, Joanni Erigenæ & aliis, qui in diversis hujus synodi canonibus acriter perstringuntur. Canone secundo sic loquuntur.

Nec prorsus ullo modo, præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant præscit ex sua omnipotentia & incommutabili majestate, nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari, nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali vel etiam actuali, permanserunt.

Canone vero tertio hæc inter cætera habentur: *Verum ad malum aliquos prædestinatos esse, divinâ potestate videlicet, ut quasi aliud esse non possint; non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana synodus illis anathema dicimus.*

Canone V. dicitur: *Firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu sancto regenerata, in Christi sanguine sit à peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret vera redemptio.* Et infra: *Ex ipsa tamen multudine fidelium & redemptorum, alios salvari æternâ salute, quia per gratiam Dei in redemptione*

tione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes, qui perseveraverit usque ad finem is salvus erit: alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere, pravâ doctrinâ vel vitâ quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis & ad perceptionẽ æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.

Canon VI. hæc habet: *De gratia per quam salvantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio, per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini in fidelibus suis redintegrato & sanato: idipsum constantissimè & fide plenâ fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacræ scripturæ nobis tenendum reliquerunt: quod Africana & Arausicana synodus est professa: quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis, catholicâ fide tenuerunt.* Vide ipsam synodum apud Binium. *Binius Tom. Concil. 3. parte 2.*

Moritur Papa Leo IV, inter quem & successorem Benedictum III, media ponitur Ioanna Papissa, in Mariani Scoti, ut diximus, & Sigeberti Chronicis ad an. C. 854. *Sed in utriusque castigatis exemplaribus non invenitur*, inquit Petavius, & fortè eadem est querela Freheri de patribus societatis Moguntinis, in editione Anastasii.

Hoc eodem tempore vixit Simeon Metaphrastes, prodigus ille fabularum promus: de quo sic judicat Bellarminus. *Scripsit*, inquit, *vitas sanctorum per singulos menses, quas habemus latinitate donatas in Tomis Aloysii Lipomani, & ex parte apud Surium de vitis sanctorum. Illud autem est observandum, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphrastes multa colloquia sive dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur. Denique miracula plurima & maxima, in eversione templorum & idolorum, & in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque observandum est aliquas historias sanctorum fuisse additas à posterioribus & non omnes esse ejusdem auctoris. Inveniuntur enim aliquæ vitæ sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt, quod etiam notavit Cardinalis Baronius Tomo decimo annalium, ad annum 859. Ne quid dicam de nuptiis illis in Cana Galilæa, in quibus Ioannem Euangelistam sponsum fuisse certò statuit, quod etiam refutat Baronius ad annum 30. paragr. 30.* *Bellarm. de scriptor. Eccles.*

Vossius Simeonem ducentis annis posterius vixisse, quam prædicti Cardinales existimarunt, opinatur. Et secundum Godavium Episcopum Grassensem & Venceensem præfatione in historiam Ecclesiasticam Gallicè conscriptam & an. C 1657. editam, dum nostra sub prælo versatur, *Metaphrastes collegit vitas Sanctorum, sed sine discrimine actorum, quæ citat.* & addit: *nec Surius, qui illum secutus est, omnem habet lucem necessariam ad debitam eorum distinctionem, qualem nobis dare posset in sua puritate.* Et quare Roma de hisce parum certi reliquerit posteris, caussam refert in vita Clementis historiæ Eccles. pag. 248. *Clemens Romæ instituit septem notarios ad colligenda martyrum acta, ut conservaret illorum triumphorum memoriam: Quorum jactura non est omnium minima, quæ Ecclesiæ contigerunt; nam si ea fuissent conservata, habuissemus admirabiles historias & illustria exempla & fidei & charitatis: non ibi inveniretur fastidiosa illa fabularum & crassarum ignorantiarum mixtura, quæ irruperunt in nostra Legenda, & tamdiu seduxerunt credulum vulgus. Sed persecutio Diocletiani in libros Ecclesiasticos, reddidit nobis inutilem primorum Christianorum laborem: & illâ occasione historia sancta privata est multis gratissimis ornamentis, & gravissimis & salutaribus disciplinis.*

Schultingius multis verbis sugillat Legendam auream & paullò post sic differit: *Dolenter hoc dico potius quam contumeliosè, multò à Laërtio severius vitas Philosophorum, quam à Christianis vitas sanctorum conscriptas esse, longèque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerunt Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum* &c. *Et certè vix ambigitur quin exinde prodierint plures sanctorum vitæ, quæ habentur in multis breviariis, cum ipsorum auctores nullibi nominentur.* Godavius præfatione prædictâ caussam reddit: *Christiani magnâ curâ colligebant Acta martyrum. Clemens septem instituerat Notarios Romæ, qui ea conscriberent* juxta septem diversas Urbis regiones. *Si ea ad nostra tempora pervenissent, haberemus thesaurum incomparabilem. Sed persecutio adversus libros Ecclesiasticos, fideles hoc bono privavit: & Acta quæ nobis supersunt, sunt ferè omnia falsa aut fabulis puerilibus & anachronismis non ferendis mixta, cum illi, qui nobis ista pro legitimis substituerunt, non habuerint sufficientem antiquitatis cognitionem.*

Leoni

Leoni IV. ſuccedit Benedictus III. verum mox opera legatorum Imperatoris intruditur Anaſtaſius excommunicatus, & poſt immania à ſchiſmatico commiſſa ſcelera per clerum populumque Romanum, conſentientibus Imperatoris Legatis, reſtituitur in ſedem Benedictus. *Anaſtaſ.*

Lotharius Imperator tertius à Carolo Magno, rerum humanarum tædio regnum omne diviſit in filios tres, atque in Prumienſi cœnobio monachus factus moritur. Cujus porrò filii fuêre Ludovicus, hujus nominis ſecundus, cui Italiam cum Imperio reliquit; Lotharius, cui Lotharingiam dedit; Carolus, qui Provinciam accepit: quo mortuo, ejus inter fratres diviſa portio eſt, & ex eo Lotharius Lugdunum, Veſontionem & Viennam ſortitus eſt. *Regino, Sigon. Otto Friſing.*

Michaël III. Orientis Imperator, ubi ex ephæbis exceſſit tutores occidit, matrem Theodoram cum filiabus, cum ſumma ignominia detonſam, ademptis, quas habebant, divitiis, privato, non regio more in monaſterio vivere coëgit, omniſque adminiſtratio ad unum Bardam Theodoræ fratrem delata eſt. *Curopalates.*

Sic Irene, ſic Theodora imaginum cultrices eximiæ, & Conciliorum pro imaginum cultu auctores, quam miſerrimè in exilio moriuntur. Baronius in ſimili caſu immanè quantum declamare ſolet de juſto Dei judicio, jam ne gry quidem.

Inundatio Tiberis & peſtis Romam infeſtant. Status Galliæ hoc tempore erat miſerandus & lugubris ſub Carolo Calvo. Nam ubique factiones, ſcelera, furta, deprædationes & cædes audiebantur, quibus mederi ſynodo Carolus conatur. Eo tempore ad tantam licentiam vitia proruperant, ut vindicatâ impunitate, ſpretis omnibus, nec Deus nec Rex, nec Epiſcopi timerentur. *Lupus epiſt.* 104. A. C. 856.

Benedictus III. moritur, ſuccedit Nicolaus I. A. C. 858.

Magnum ſchiſma in Eccleſia Conſtantinopolitana oritur, ob rejectum & relegatum Ignatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum & Photium ex laico in ejus locum operâ Bardæ electum. Hic Ignatius erat Imperatoris Nicephori, Generalis ex filia nepos, Michaëlis Rangabis filius, quo regno pulſo à Leone caſtratus comam A. C. 859.

detondit, & longo tempore asceticis sudoribus carnem domuit: ab Imperatrice Theodora rerum potiente in Pontificiam Constantinopoleos sedem est evectus. Photius vir erat insignis, primarius à secretis, & eruditionis nomine celeberrimus, *hæc de utroque Zonaras*. Fuit sanè Photius vir doctissimus & infinitæ lectionis, cujus liber bibliotheca, seu μυριόβιβλος dictus, thesaurum continet priscæ doctrinæ: quo incomparabili opere, suum, id est, eruditum & accuratum de auctoribus Græcis judicium posteris communicavit. Auctor fuit Bardæ scholarum instituendarum, ad resuscitandas animam agentes & intermortuas literas.

A. C. 860. Erat enim in Imperio Orientali & Occidentali, propter continua schismata & bella summa barbaries, utriusque doctrinæ divinæ & humanæ maxima ignorantia, nulli docti, nullæ scholæ, quas Orienti (ut Occidenti Carolus Magnus) restituit Bardas, qui Cæsar ibidem imperabat: Michaël autem Imperator, socors, histrio, auriga & potator audiebat. *Cedren.*

A. C. 861. Michaël Imperator Concilium convocat 318 Patrum, ubi præsidet vi coäctus Legatus Papæ Romani, & vocatur à Græcis œcumenicum, in quo confirmatur Photius & damnatur Ignatius; idque auctoritate Bardæ, quem Ignatius ob incestum excommunicarat: Nicolaus Papa hoc concilium vocat latrocinium. *Baron.*

Inter Nicolaum Papam & Photium Patriarcham mirum in modum contenditur, & terræ motus 40 dierum Constantinopolim concutit.

A. C. 862. Durat altercatio Nicolai & Photii, & non leviter inter se contendunt in Gallia Reges & Episcopi.

A. C. 863. Romæ convocatur Concilium sub Nicolao, contra ipsos Papæ legatos, qui sine ejus consensu cum Photio communicarant & Ignatium damnarant. In hac synodo Ignatius restituitur, & Photius damnatur tanquam sedis invasor. *Baron.*

Photius verò postea Concilium colligit Constantinopoli, in quo Michaële Imperatore pręside, Nicolaus Papa damnatur & anathematizatur. *Anastasius.*

Hic idem Photius à Nicolao Papa hoc modo offensus & irritatus,

tus, Romanę Ecclesię, *ut inquit Baronius*, hęresis crimen impingere ausus fuit: quia doceret Spiritum sanctum etiam à filio procedere, atque propriâ auctoritate auxerit verbis, FILIOQUE, Concilii Constantinopolitani œcumenici symbolum. Referunt etiam Anastasius & Nicetas, quod Ignatianos secum communicare nolentes omni crudelitate persecutus fuerit Photius: contra doctrinam S. Scripturæ, Patrum & praxim primitivæ Ecclesiæ.

Metensis synodus dicitur *Baronio* prostibulum, ubi legati Papę auro corrupti & reversi nullum sapientem Episcopum in regno Lotharii se invenisse Papę affirmant. *Regino, Anastas.*

Romę aboletur synodus Metensis; Coloniensis & Trevirensis Episcopi damnantur, qui per literas Papę Nicolao quam acerrimè respondent:

Tuam pravam sententiam, inquiunt, *à zelo rectitudinis alienam, injustam & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imò cum omni cætu fraterno, quasi nefas atque maledictum frustrà prolatum contemnimus atque abjicimus: tibique anathematizatorum & religionis sacra abjectorum ac contemptorum fautori & communicatori, reverà communicare nolumus: contenti totius Ecclesiæ communione, & fraternâ societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teque ab ea, elationis tumore indignum faciens, segregas. Igitur ex tua levitatis temeritate, propriâ tibimet sententiâ anathematis plagam inflixisti, exclamans; qui Apostolica præcepta non servat, anathema sit: quæ multipliciter violare & violasse dignosceris, divinas simul leges, & sacros canones calcans, & (quantum in te est) evacuans, prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque fumidumq; potentatum agnoscimus; nihil tibi tuaque superbia cedimus, qua nos ad vota nostrorum, quibus faves, inimicorum obruere festinabas: sciesque nos non tuos esse, ut te jactas & extollis, clericos; quos ut fratres & coëpiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi, nostri ordinis non inscii, nimium tuâ improbitate compulsi respondemus: non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati, sed contra tuam iniquitatem, ecclesiastico zelo accensi; nec nostra vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.* *Annales Francorum à P. Pithæo editi.*

 Nico-

Nicolaus Papa contendit cum Imperatoribus & Episcopis Orientis & Occidentis, & utrimque legatos habuit proditores, prævaricatores &c. *Baron.*

Episcopi utriusque imperii conqueruntur de arrogantia, fastu, fraudibus &c, Nicolai. Photius plurima Nicolao objicit, quæ vide apud *Baronium.*

Interim in Gallia vastant omnes regiones maritimas Nortmanni; suburbana urbis Turonensis, & in iis monasterium S. Martini succenditur, mactatis in eo Monachis 120. Imò & urbem Turonum cum Basilica S. Martini, cæterisque igne demoliti sunt. In Parisios impressione factâ, suburbanas ecclesias, & inter has S. Geneviiffæ flammis evertunt. In Aurelianos quoque impetum faciunt, urbem ipsam cum Basilicis & cœnobiis igne consumunt an. C. 865. Hoc successu elatiores barbari, certam sibi sedem in Gallia ut statuerent, Juliomagum Andegavorum occupant, & muniunt, sed per Carolum postea discedere coguntur. *Regino.*

Gesta Nortmann.

Comitatus Hollandiæ primò instituitur à Carolo Calvo Francorum Rege, daturque Theodorico, & adduntur insignia Leonis rubicundi coloris qui fortissimè Nortmannos repellit. *Beka.*

A. C. 865. Baronius ex Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, cui alibi emunctas tribuit nares, docet Isidorum cognomento Mercatorem, qui plurimas Episcoporum antiquorum Romanorum collegerat epistolas, auctorem fuisse recentiorem, nec ante Carolum Magnum ab Hispania in Gallias delatam esse illam collectionem, idque per Reculphum Moguntinum Episcopum, *nequis calumiari possit,* inquit Baronius, *ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse: cum illis adventitiis & recens inventis non egeat &c.* Hanc collectionem Hincmarus in multis primus redarguit, cujus rei caussâ accusatus est, quod epistolas Romanorum Pontificum decretales contemneret. Has tamen epistolas, quod etiam notat Baronius, allegat Nicolaus Papa in sua ad Gallos epistola, quâ probare nititur *graviores caussas judicio Apostolicæ sedis definiendas esse & omnes decretales pari jure suscipiendas.* sed distinguit inter epistolas decretales Baronius, quem vide & simul in vindiciis pro sancta veteri Romana Ecclesia *Blondellum.* Quare hac occasione paucis examinemus illam Nicolai epistolam, ut

Frodoardus cap. 16. in fine.

ut quid juris in Gallos & vicinas nationes Papa habeat videamus. Negat Nicolaus à Gallis posse Episcopum abrogari absque auctoritate sedis Apostolicæ; in quem finem producit canonem Concilii Calchedonensis nonum, ubi jubetur clericus, si cum clerico litiget adire proprium Episcopum; Episcopus, si quæ negotia habeat, Metropolitanum: ***Si vero Episcopus aut clericus cum Metropolitano querelam habeat, petere primatem Diœceseos, aut sedem regia urbis Constantinopolis, ut apud ipsum judicetur.*** Quod verò in hoc canone dicatur de adeundo Episcopo Constantinopolitano, intelligendum est de suæ Diœceseos clericis: nam nunquam Constantinopolitano quicquam juris datum, supra alios Patriarchas, præterquam honoris, multò minus supra Papam. Jam quæritur utrum Episcopi Romani Diœcesis comprehendat Gallos. Secundò adducitur *can.3.& 4.* Concilium Sardicense, ubi dicitur, in litibus Episcoporum, licere appellare ad Episcopum Romanum: sed cujus sit auctoritatis hæc Sardicensis synodus, cum non sit œcumenica, nec aliqua ejus in simili casu, apud antiquos fiat mentio, non video. Obligare fortè posset Occidentales, nam per eos, istius Concilii canones sunt instituti: sed nullâ ratione Orientales. Productus est quidem à legatis Papæ Carthagine in Africa, sub nomine Concilii Nicæni, sed rejectus. Imò & Nicolaus, plurimum juris ex Nicæno sibi arrogare passim velle videtur; sed contrarium docet ejusdem Concilii canon quintus. De decretalibus Pontificum à Nicolao citatis, nihil dicam, cum nemini liceat sibi jus dicere.

Contumeliarum plenas scribit ad Nicolaum literas Michaël Imperator, sed accuratè & animosè iis respondet Nicolaus. Mutatâ potentiâ, mutantur mores. *Baron.*

Hoc anno mortua est Theodora mater Michaëlis Imperatoris, sanctarum imaginum fortissima propugnatrix, potentissima restitutrix & tenacissima conservatrix, inter sanctas relata cum hoc elogio: A. C. 866.

Theodoræ Imperatricis, quæ rectam fidem reddidit, memoria.

Beata Theodora Imperatrix Theophili fuit Iconomachi conjux, ipsa autem catholica. Ille quidem S. Methodium Patriarcham relegavit, &

& pro illo creavit Ioannem hæreticum, qui sanctas combussit imagines. Illi autem tunc non licebat eas publicè adorare, sed in cubiculo habens eas occultas, cum nocte surgebat, adorabat &c. Baronius.

A. C. 867. Magnæ altercationes Nicolaum inter & Imperatorem Orientis, Nicolaum & Regem Franciæ, & cum utriusque Regni Episcopis, Photio & Hincmaro &c. de auctoritate Papæ & Ecclesiæ Romanæ, *sed nova ab Orientalibus in Latinos*, inquit Baronius, *excitata prælia, ab aliis levioribus desistere Nicolaum Pontificem suaserunt: quare ad Francos Episcopos, præcipuè vero Hincmarum, cæteris doctrinâ præstantem, scripsit epistolam, quâ eorum opem implorat, ut communi conatu contra Græcos pro Latina Ecclesia, unanimiter collaborantes, decertent* &c. Hæc autem à Græcis objiciebantur Latinis: 1. Quod sabbatis jejunarent. 2. Quod spiritum sanctum à patre & filio procedere dicerent 3. Quod damnarent nuptias. 4. Quod prohiberent presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes. 5. Quod chrisma ex aqua fluminis conficerent. 6. Quod octo septimanas ante pascha à carnium, & septem à casei & ovorum esu, more suo non cessarent. 7. Quod agnum in pascha more Iudæorum super altare cum corpore dominico benedicerent & offerrent. 8. Quod clerici Occidentales barbas raderent. &c. *Sed quid mirum*, inquit Nicolaus in eadem epistola, *si hæc isti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe Imperatores Constantinopolim, sunt translati, tunc & primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus regiis, etiam Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse, ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius, etiam ipse se in scriptis suis Archiepiscopum atque universalem Patriarcham appellet.* Sed nimis est sollicitus de sua sede Nicolaus; nunquam enim Constantinopolitani Episcopi per vocabulum œcumenci, sibi aliquem honorem supra Episcopum urbis Romæ arrogare voluerunt, ut dictum fusiùs in Gregorio magno.

Hoc eodem tempore Bardas Cæsar, assentiente Michaële Imperatore, & Basilio (qui ex equisone erat præfectus cubiculi regii) procurante, occiditur. Paulò post fit à Michaële Basilius Imperator; sed cum etiam remigi cuidam imperium obtulisset ebrius Michael, à Basilio obrutus vino trucidatur; *idque ultore S. Petro*, ut inquit Baro-

ronius. Vide Curopalatem, Zonaram, Nicetam, & pro suo more contra Bardam & Photium declamantem Baronium.

Nicolaus I. Papa moritur: post beatum Gregorium nullus præsul in Romana urbe, pontificali honore sublimatus, Nicolao videtur æquiparandus: Regibus & tyrannis imperavit, eisque ac si Dominus orbis terrarum, auctoritate præfuit, Episcopis & Sacerdotibus religiosis ac Domini mandata observantibus, humilis, blandus &c. irreligiosis terribilis &c. *Regino.* Hujus Papæ tempore Tiberis ex alveo suo egressus, bis urbem gravissimè afflixit. *Bellarminus in sua chronologia.* Ita etiam ut diluvium instare Romani putaverint. *Platina.*

Hic idem Papa, inquit Boxhornius, *severissimâ & immiti constitutione præcepit cleri cælibatum. Cæterum non defuêre, in Germania maximè, qui se opponerent. Horum præcipuus fuit Huldericus, Augustensis Episcopus, cujus hac de re, rescriptionem (ita vocant) ad Nicolaum Papam ex vetustissimis membranis, olim in Hollandia repertis, descriptam, operæ pretium duxi hic exhibere. Hæc est rescriptio* (sic habent verba) *S. Hulderici Episcopi, in qua Nicolao Papa de continentia clericorum non justè, sed impiè, non Canonicè, sed indiscrete tractanti ita respondet. Nicolao Domino & Patri, pervigili sanctæ Ecclesiæ Romanæ provisori, Huldericus, solo nomine Episcopus, amorem ut filius, timorem ut servus. Initium epistolæ est: Cum tua, ô Pater & Domine, decreta super clericorum continentia, nuper mihi transmissa, à discretione invenirem aliena &c.* Hæc habet Boxhornius in sua universali historia: quam tamen epistolam sub nomine Udalrici Episcopi Augustani, tanquam falsam & suppositiam, refellere conatur Baronius. an. C. 591. pag. 25.

Epistolæ hujus argumentum est, exhortandos quidem esse Clericos ut se continerent; non autem ut separarent ea, quæ Deus conjunxit, idque his rationibus: Deus in V. T. sacerdotibus conjugium permisit, in N. T. non prohibuit: Apostolus suasit cælibatum, sed non præcepit. Ducenda est uxor ad evitanda majora, & vix nominanda mala: oportet Episcopum unius uxoris esse virum: Canon Apostolicus quintus: synodus Nicena &c. monendi ergo sunt presbyteri, ut ab uxoribus abstineant, non cogendi: sit res consilii, non mandati. De hoc Udalrico adferam verba Blondelli, in suo de

Papa fœmina examine: *Vdalricum illum, qui anno 924. ordinatus, 973. 4. nonas Iulii feria 6. deceßit, eodem, quo Nicolaus Papa in vivis fuit tempore, nec vixiſſe nec ſediſſe damus. Sed cum is (compilatione Chronologicâ referente) ejuſdem nominis ſecundus fuerit, non primus, quid Vdalricum alium antiquiorem, Nicolai primi coætaneum fuiſſe vetat cujus epiſtola anno 1079 à Gregorio VII. damnata, ut habet Bartholdus Conſtantienſis, à Pio ſecundo, libro de moribus Germaniæ anno 1458. legitima agnita fuerit?*

In locum Nicolai Papæ ſuccedit Hadrianus II. Lambertus Dux Spoletanus tempore conſecrationis hujus Pontificis urbem invadit & deprædatur, nullis parcens monaſteriis, nullis Eccleſiis, nulli ſexui. *Anaſtaſius.*

A. C. 869. Inſtigante Hadriano convocatur à Baſilio Imperatore Concilium Conſtantinopoli contra Photium, pro Ignatio, ad quod per Hadrianum mittuntur Legati tres, Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus Epiſcopi, & Marinus Diaconus. Aderant etiam legati Patriarchæ Antiocheni, & Hieroſolymitani, & præter ſeculares, Epiſcopi duodecim, non plures, qui erant à partibus Ignatii, reliqui antea pro Photio ſubſcripſerant. Ignatius à Theodora Imperatrice ad Epiſcopatum ſeu Patriarchatum Conſtantinopolitanum evectus, Bardam Cæſarem, qui uxorem ſine cauſſa dimiſerat, & cum ſua nuru conſueviſſe dicebatur, ſacram ædem ingredi vetuit: At ille Pontificem ea de cauſſa Eccleſiâ pellit, Concilio ſub Michaële Imperatore & Legatis Pontificis Romani, & in ejus locum ſufficit Photium. Baſilius die feſto magnam Eccleſiam ingreſſus; ut incruentæ victimæ particeps eſſet, à Photio Patriarcha eſt prohibitus, quod Michaëlem Imperatorem à quo Imperium adeptus erat, occidiſſet, & ſimul Baſilium homicidam appellat: ob quam repulſam & contumeliam iratus, indicto Concilio, Photium Eccleſiâ expulit, quaſi Ignatius contra leges à Barda Cæſare, ſede Pontificiâ ejectus eſſet, & ille non ritè divinum thronum, eo ſuperſtite occupaſſet, eoque prætextu abuſus D. Ignatium in Pontificatus ſpeculam reſtituit. *Zonaras.* Obiter hic addam Imperatorem Michaëlem dicere ſolitum, ſibi patriarcham fuiſſe Theophilum, Bardæ Photium, at Chriſtianis Ignatium.

Hoc Concilium dictum octavum Latinis, Constantinopoli coactum, Photium damnavit, sed in favorem Pontificis Romani, contra antiquos Canones. *Aimoinus.*

Paucos, sed pulcerrimos carpam & proferam ex hac synodo flosculos. 1. Excipiuntur Legati Papæ Thessalonicæ & Syllambriæ per precipuos aulę proceres, cum 40 equis ornatis sellis aureis de stabulo Imperiali, & totius mensæ argenteo apparatu, cum multis officialibus, qui eis ad omne libitum famularentur. Urbem ingrediuntur magnâ pompâ & solennitate excepti cum cereis & lampadibus ab aulicis & clericis &c. 2. Imperator, qui se in omnibus Papæ probare studebat, legatos Apostolicos & epistolas ipse cum osculo excipit. 3. Imperatori de pace Ecclesiæ loquenti Papæ legati his verbis respondent. *Nos neminem Orientalium vestrorum (ut nostrâ synodo statutum est) suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum.* 4. In Concilii initio primò legitur præfatio libelli, quâ Photius acerrimè perstringitur: ubi desiderabis in successore Petri & Vicario Christi Christianam & Apostolicam lenitatem: dum Photius *arbor infructuosa, falce Apostolicâ succidenda* ab Episcopo Romano vocatur, nec non *simulator, hypocrita, raptor, lupus, grassator, quique demum per antiphrasin Photius, non secus ac princeps tenebrarum, Lucifer ac pessimus omnium dæmon dicitur.* Vide & mirare in uno homine Lernam malorum. 5. Legati offerunt libellum, cui subscribere tenerentur schismatici, qui ad Ecclesiam redire vellent, à Nicolao Papa scriptum, & ab Hadriano missum. 6. Photius in synodum baculo innixus, jussu Imperatoris introducitur, & exemplo Christi nihil ad interrogata respondet. Legatus autem Papæ nomine Marinus, post Joannem VIII. etiam Pontifex Romanus, dicebat: *Tollite baculum de manu ejus; nam lupus est non pastor.* 7. Post multa horrenda anathemata in Photium subscribunt damnationi ejus &c. non simplici atramento, sed, horrendum dictu, *ut ex his qui id norunt accepi* (inquit Nicetas in vita Ignatij) *ipso videlicet salvatoris sanguine calamum tingentes.* Longè profectò atrocius, quam Catilinariæ conjurationis olim socii & conscii, qui proprio subscribebant sanguine. Ubi cogito crudelia illa & impia Theologorum odia;

Certè animus meminisse horret. Certè, *non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem.* Aug. de bapt. cont. Donatist. lib. 3. c. 16. *Mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vincit inimicos.* idem alibi. Cum pauci huic synodo subscriberent Episcopi, nimirum centum & duo, sic inter cætera ad marginem, qui huic synodo interfuit, eamque in Latinam linguam transtulit, Anastasius, miseratus inopiam Patrum in concilio œcumenico: *ne vero*, inquit, *te scandalizet subscribentium paucitas : hæc paucitas illi gregi pro sui justitia comparetur, cui ait Dominus:* Nolite timere pusillus grex &c. Anastasius, qui nobis hanc synodum, alioqui incognitam, imò & ipsis Græcis ignotam, conservavit, aut obtrusit, universalem esse vult, nullis adhibitis rationibus, quas supplere satis violenter conatur Baronius.

Luc. 12.

Hâc occasione videamus auctoritatem horum duorum præcedentium conciliorum, ut volunt diversi, œcumenicorum. An. C. 861. convocatum est Concilium à Michaele Imperatore, ob læsum ab Ignatio Bardam, pro Photio, & an. C. 869. à Basilio Imperatore contra Photium, propter offensum à Photio Basilium. In illo convenerunt Patres numero 318. in hoc 12. præter aliquos paucos, qui in præcedenti Concilio pro Photio subscripserant; ita ut fuerint secundum Nicetam 102. ut diximus: In utroque concilio præsides fuerunt legati Pontificis. Illud Baronius vocat conciliabulum, hoc œcumenicum. In tomis conciliorum vulgaribus nulla fit hujus aut istius mentio: apud Binium inveniuntur tomo III. parte II. Hic acerbè invehitur in Marcum Ephesinum Baronius, quem dicit *turpiter & multipliciter veteratoriâ arte mentiri*, quod octavam synodum statuisset non hanc quam vult Baronius, sed illam quæ sub Basilio & Joanne Papâ, mortuo Ignatio & restituto Photio celebrata est, de qua postea an. C. 879. Et in Julianum Cardinalem, *quod non satis acriter responderit pro defensione hujus synodi Octavæ Ignatianæ Marco Ephesino, insultanti Græco; cum debuisset retundere mendacia, veritate perstringere & cohibere, & loquacem elinguem reddere, procacemque reprimere: ista omnia prætermittens*, inquit, *puto ignoratione rerum gestarum*, vel fortè rerum gestarum probâ cognitione: Et in Abrahamum Cretensem, cujus temeritate, audaciâ & imperitiâ factum est, ut concilio Florentino

tino (celebrato an. C. 1458. tempore Eugenii quarti) *inditum illud sit nomen, ut Octava synodus nominetur.* Et in Aimoinum, Historicum Gallum, cujus testimonium delirium vocat, quia erat ex Gallis unus, qui negabant cultum imaginum; qui de Octava hac Ignatiana & œcumenica Baronio synodo ita ait: *In qua Synodo aliter de imaginibus adorandis, quam orthodoxi Doctores ante definierant, statuerunt: & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de adorandis imaginibus annuit, & contra antiquos Canones & ipsam suam Synodum statuerunt, sicut qui eandem synodum legerit, patenter inveniet.*

Quam sint incerta, quæ de hoc concilio scripta inveniuntur, videbit, qui volet conferre editionem Græcam cum Latina, & maximè actionem sextam & decimam, in qua habentur synodi canones; & legere epistolam Anastasii ad Adrianum Episcopum Romanum, præfixam huic Concilio, non sine favore aut odio descriptam.

Finita synodo, ut narrat vita Hadriani, *oritur altercatio de laudibus Imperatorum Orientis & Occidentis: & de Diœcesi Bulgarorum, jam noviter ad fidem Christi conversorum: quam, cum semper ditionis Græcorum (ut dicebant Orientales) fuisset, Papæ subjicere tentabant legati Pontificii. Et cum à prudentioribus suis consiliariis intellexisset Imperator Basilius, quantum juris & auctoritatis sibi & Orientali Ecclesiæ detraxisset, & Romana concessisset, per oblatos à legatis Romanis libellos, & chirographa tot Episcoporum, sacerdotum & clericorum legatis Romanis cum scandalo Orientalis Ecclesiæ data, stratagemate quodam suffurari ea jubet: quod cum ægrè ferrent legati Romani, reddi ea curavit Imperator. Illi vero,* ut habet vita Hadriani, *tradiderunt describenda Anastasio prudentissimo, & Sanctæ sedis Apostolicæ Bibliothecario fidelissimo, in utrisque linguis eloquentissimo* (hæc verba manifestè indicant Anastasium non esse auctorem vitæ Hadriani Papæ) *ille verò cum codice actionum hujus Synodi Hadriano. Ita ut is solus exemplar codicis & libellos servaverit: Nam pirata Schlavenorum, legatis Romanis authenticum codicē, in quo subscriptiones omnium fuerant, ademerant.* Hæc historia in vita Hadriani II, ab ipso Anastasio, aut ab alio quopiam descripta legitur, inquit Baronius; Sed quæso quisquis es à partium studio liber,

quis hæc ab incerto quopiam descripta tanquam fide digna admittet? Quis uni & soli Anastasio, aut Guiljelmo itidem bibliothecario, aulæ Pontificiæ ministro, viro Romanæ Ecclesiæ addictissimo, sine hæsitatione fidere ausit? Hic est ille Anastasius, cujus in præcedentibus sæpenumero facta est mentio: qui fuit Pontificis Hadriani bibliothecarius, & dicitur scripsisse librum, cui titulus de rebus gestis Pontificum Romanorum, qui etiam à quibusdam malè tribuitur Damaso Papæ.

Concil. tom. 3. parte 2. De auctore vitæ Hadriani hęc habet Binius. *Is qui post Anastasium vitam Hadriani secundi & Stephani sexti descripsit, collector potius, auctore Baronio, quam scriptor vitarum Pontificum præteritorum est affirmandus.* Onuphrius Panuinus in Platinam post Nicolaum hęc notat: *Ad hunc usque Nicolaum Romanorum Pontificum vitas scripsit Anastasius monachus & S. R. E. bibliothecarius, sub quo & ejus successoribus Hadriano II. & Ioanne VIII. in orbe floruit. Quæ sequuntur concinnavit Guilhelmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extant.*

Sed cum omnes Vaticanę Bibliothecæ codices Anastasii hujus & quorundam sequentium Pontificum vitas habeant, hanc sententiam Onuphrius divinationem esse putat. Baronius an. C. 88. n. 7. *De hoc Anastasio, aut potius de auctore, qui descripsit vitas Pontificum, vide an.* 221. diversa diversorum judicia. sic pergit Onuphrius: *Porrò autem cum sequentes Pontifices usque ad Clementem II. neque perpetuum quendam habeant scriptorem, & majorem suorum actorum partem amiserint, tempora adeò incerta & obscura habent, ut neque quo loco, & quo ordine aliquot Pontificum Romanorum nomina reponerentur, satis liqueat.*

De synodo verò hac octava, per Anastasium in Latinam linguam, & Romam ad Hadrianum translata, hæc idem Baronius. *Vidimus*, inquit, *in Columnensi bibliotheca ipsius Anastasii membraneum codicem autographum versionis octavæ synodi, cum ipsius scholiis in margine affixis: quæ non sine magno labore legi possint, ob nimiam codicis vetustatem, habitum ex monasterio Avellanæ, eoque usi sumus.* Sed quam hoc sit authenticum, & quâ auctoritate polleat, videant prudentes, qui norunt quam sæpe sibi mutuò Orientales & Occidentales crimen adulterandi Concilia & scripta auctorum objiciant.

Cum

Cum autem Imperator Basilius Papa legatos parvo cum honore & sine provisione dimisisset; qui eos cum fastu magnificè exceperat, hæc in Basilium antea magnoperè laudatum, tonitrua conjicit Baronius:

Ingratissimus, in Deum infidelis, in sedem Apostolicam animo servili, illiberali & inimico &c. ut planè cum superaverit omne barbaricum scelus, ingratum facinus sit exclamandum cuique rationis compoti: Obstupescite cœli & erubescite omnes mente sanâ &c.

Mortuo Lothario Lotharingiæ Rege, Carolus Calvus Franciæ, & Ludovicus Germaniæ Rex, regnum Lotharingiç occupant, & inter se partiuntur, quod summo jure Ludovico Imperatori, in debellandis Saracenis occupato, debebatur. Mittit hac de caussa legatos & minales literas ad Carolum, Ludovicum & Episcopos aulicos Papa Hadrianus, sed ejus legatio erat inutilis; Episcopi enim de divisione Lotharingiæ responderunt, nec suum nec pontificis jus esse de politicis istis negotiis anxiè inquirere. *Baron.* A. C. 870.

Eodem Ludovico Imperante Saraceni bello Persico impediti, auxiliares Turcarum copias imploraverunt, & horum virtute ac manu insignem victoriam reportaverunt. Ab hoc tempore, & hâc occasione Turcæ ex Scythia & montibus hyperboreis per portas Caspias vocati, & in Asiam profecti & quasi effusi, eam postea nunquam deseruerunt, imò & ipsis Saracenis evictis, eorum ditionem paulatim invaserunt & expugnarunt, & ad hanc, quam videmus, potentiam excreverunt.

Hoc anno habet Baronius epistolas altercantes, de nomine Imperatoris inter Basilium Orientis & Ludovicum Occidentis Imperatores: & inter Hadrianum Pontificem Romanum, & Carolum Calvum Franciæ regem & Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem de auctoritate Episcopi Romani lectu dignas: ubi inter cætera sic alloquitur Hadrianum Carolus, Calvus, *cum de Hincmaro Laudunensi*, id est, de transalpinis appellationibus ageretur: *Scriptum est etiam*, inquit, *in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis de Hincmaro, hoc modo: Volumus & Apostolicâ auctoritate jubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestrâ fretum potentiâ ad limina sanctorum nostramque venire clementiam* &c. *quæ relegentes licet contra morem decessorum & prædecessorum vestrorum, seculi typhum hoc dictum inveni-*

venimus, id est, umbrosum seculi typhum inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert: tamen de voluntate non dubitavimus, quia humano animo facilè potest subripi, quod ex deliberatione conveniat. Hęc habet Carolus Calvus Francorum Rex in rescripto apologetico ad Hadrianum, c. 10. tom. 1. constitut. imperial. à Melchiore Goldasto nuper edito, sed pręcipua ejus verba sunt desumpta ex epistola Synodica concilii Carthaginens. ad Cœlestinum, quam vide ferè integram an. C. 419. cum de transmarinis appellationibus ageretur.

Hic obiter monendum occurrit historicorum multos confundere res gestas duorum Ludovicorum, nimirum senioris & junioris, quorum ille fuit Germanię & Bavarię Rex, Ludovici Pii filius, Lotharii Imperatoris & Caroli Calvi frater, Ludovici junioris & Imperatoris patruus, & Caroli Crassi Imperatoris pater. Ludovicus vero junior imperator fuit, & Lotharii Imperatoris filius, Princeps verè bonus, doctus, & consilio promptus: & hęc est eorum genealogia.

- 1. Carolus M.
  - 2. Ludovicus pius.
    - 3. Lotharius.
      - 4. Ludovicus II. junior.
    - Ludovicus senior.
      - Ludovicus Germ. Rex.
      - Carolomannus Rex Bavariæ, & Carinthiæ Dux.
        - 7. Arnulphus.
          - 8. Ludovicus postremus Carolinæ stirpis Imperator.
      - 6. Carolus Crassus.
    - 5. Carolus Calvus.

Hadrianus Papa moritur, succedit Ioannes VIII.

A. C. 874. Ludovicii Pii anima post annos triginta & amplius ab obitu ipsius detinetur pœnis purgatorii, quod hęresi Nicolaitarum non restiterit. Simile quid vide de anima Caroli Martelli, ad inferos damnata, ob ablata bona Ecclesię, an. 741. apud *Baronium.*

A. C. 875. Ludovicus II. Imperator moritur. Carolus Calvus Rex Francię Occidentalis per legatos Papę Ioannis VIII. vocatur in Italiam

ad

ad Imperium; frustra id impediente Ludovico Germaniæ Rege & fratre. Ubi Romam pervenit, S. P. Q. Romanum more Jugurthino corrupit, ita ut à Ioanne Papa in Imperatorem unctus & coronatus, & Imperator Romanorum appellatus sit. *Aimoinus, Regino & alii.*

In Ticinensi Concilio à Papa & synodo confirmatur Carolus Calvus in Imperio. In hac synodo Carolum Imperatorem magnis laudibus extollit Ioannes Papa; quem Hadrianus prædecessor iteratis monitionibus, comminationibus & ecclesiasticis censuris exagitavit, (non facilè patiuntur encomia, *ut nec vituperia*, modum, quin diffluant in hyperboles, *inquit Baronius*) illum eundem Carolum, pœna dignum, regnoque privandum Ioannes Papa auxit Imperio. Invaserat Regnum Lotharii quod spectabat ad Ludovicum Imperatorem & fratrem: idque contra Hadriani voluntatem: sic nervos Apostolici vigoris Ioannes dimittens, Carolum Romanæ Ecclesiæ inutilem creavit Imperatorem. Ita hæc omnia malesuada prudentia carnis operata esse videtur. *Baron.* A. C. 876.

Caroli frater Ludovicus Germaniæ Rex moritur, filiis relictis tribus: Carolomanno, qui Bavariam, Pannoniam, Bohemiam, Moraviam, accepit: Ludovico, cui orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Frisia, Lotharingia cessere: Carolo Crasso, qui Alemanniam obtinuit. Ex his Ludovicus Calvum, Lotharingiæ finibus inhiantem magnâ clade repulit. *Annales Pithæi, Aimoinus* &c.

Ioannes Papa auxilium flagrantibus precibus petit ab Imperatore Carolo, quem alterum vocat David, contra Saracenos & Christianos cum iis confœderatos, qui infestabant regiones Urbi proximas, sed nihil impetrat. *Baron.*

Carolus de bonis literis benè meritus, Mœcenas erat omnium doctorum sui temporis. *idem.*]

Urgetur Romana Ecclesia ab hostibus prædictis, inter hos erat Sergius Dux Neapolitanus, qui cum Pontifici parere nollet, fratrem suum Episcopum Neapolitanum Athanasium, expertus est ultorem: Nam à Papa excommunicatus, à germano A. C. 877.

fratre captus & excæcatus, Romam tranflatus eſt, quo nomine plurimum à Papa laudatus. *Baron.*

Vide ejuſdem epiſtolas apudBaronium, Caroli Imperatoris operam implorantes: in quibus nota tantam animi ſubmiſſionem, quantam in multis Hadriani litteris reperies animi elationem: dona etiam ſuis litteris addit Papa, palmas nempe virides & benedictas, cum tamen Dominica palmarum non eſſet. Carolus verò venit in Italiam, & Papæ donat imaginem Salvatoris in cruce fixam, ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis pretioſis ornatam. *Aimoin.*

Lambertus Comes Beneventi venit Romam, opem laturus Eccleſiæ Romanæ nomine Imperatoris, qui obſides petit filios procerum Romanorum, quos negat Joannes, ægrè ferens illam inhumanitatem contra mentem Imperatoris, qui paulò poſt moritur, veneno à Sedecia medico Judæo ſublatus. *Baron. Vide & mirare ſeculi ſocordiam & malitiam.*

Succedit in Imperium Carolus Craſſus, Ludovici Germaniæ Regis filius; falluntur enim Baronius, Binius & alii, qui Ludovicum Balbum Caroli filium Imperatoribus accenſent.

Errori cauſſam dedit quod à Joanne Papa an. 878. coronatus dicitur, ſed regia fuit hæc non imperatoria corona, Tametſi Joannes Balbo favens, in eum transferri ſtuderet Imperium, ob idque vexatus à Romanis, Urbe coäctus ſit excedere. Hinc ad Balbum profectus, integro anno apud eum commoratus eſt. *Petavius ex Aimoino, Otton. Friſing. & Sigeberto.*

Joannes Papa poſt mortem Imperatoris Caroli Calvi, cum ſe deſtitutum omni auxilio videret, imò & omnes ferè Chriſtianos haberet infenſos, & inter eos Lambertum patronum Principum urbis Romæ, quod Carolo tantoperè ſtuduiſſet; eò devenit miſeriarum, ut Saracenis tributum ſolvere coäctus ſit, idque *juſto Dei permiſſu, inquit Binius.* &c.

A. C. 878. In hiſce turbis imperii Occidentalis, Baſilius Imperator Orientis, iteratis litteris ab Joanne Papa mitti legatos Conſtantinopolim petit, ut Eccleſiam illam ſchiſmate ſciſſam componeret, inter Ig-

natii

natii & Photii Patriarcharum asseclas (quorum, qui Photio addicti, erant, maximus erat numerus) cum ipse Ioannes in tot & tantis versaretur angustiis, & utrumque imperium turbatum esset externis & internis hostibus. Scribit tamen Joannes ad Ignatium Patriarcham, ob occupatam ab eo diœcesin Bulgariæ acres nimis (ut ait Baronius) litteras, cum minis excommunicandi, nisi intra 30. dies desistat, & suos è Bulgaria educat. Interim Lambertus Dux Spoleti Romam occupat, optimates juramento fidelitatem promittere Carolomanno cogit, Ioanne Pontifice sub custodia detento. Quo discedente idem Pontifex domum S. Petri ingressus, omnes thesauros, quos ibi reperit ad Lateranos transtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem Ecclesiæ clausit; nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est, & quod nefas est, omnibus undique illuc caussâ orationis venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia confusa. Memoratus autem Pontifex conscensis navibus per mare Tyrrhenum regnum Caroli (*seu potius Ludovici Balbi*) intravit, ibique (ut paulò ante diximus) per totum ferè moratus est annum. *Annal. Franc. Pithœi.*

Abiit autem Joannes in Franciam, petiturus suppetias contra suos in Italia hostes, & ut Gallos magis sibi obligaret, concedit omnibus indulgentias, quos contingeret in bello pro defensione Ecclesiæ mori. Interim tamen magnæ erant contentiones inter Episcopos Francos de decretis Pontificum observandis. *Frodoardus* &c.

Eodem tempore Photius revocatur ab exilio Constantinopolim, & paulò post Ignatio mortuo redit ad sedem Patriarchalem, qui Ignatianos satis crudeliter habuisse dicitur à Niceta, *ejusdem tamen adversario.*

Basilius Imperator Orientis legatos Romam mittit ad Ioannem Papam, pro restituendo Photio & pace Ecclesiæ, qui benignè sunt excepti, &, quæ petierant, impetrarunt. Quare impotenti animo, cum acerbis invectivis contra Joannem Papam debacchatur Baronius; cujus ira nec Imperatoribus, nec Regibus, nec Patriarchis, nec ipsis parcere solet Pontificibus, qui nolunt ἱλδεβρανδίζειν: *Ioan-*

nem dicit *ea de causa commisisse indignum facinus* &c. *suadente illâ prudentiâ carnis inimicâ Deo, & Ecclesiæ semper adversâ. Imo hinc potius factum,* inquit, *quod ob Ioannis nimiam facilitatem & mollitudinem, abjectâ penitus animi virilitate, fractus animo, sacerdotalis constantiæ expers, non Papa, ut Nicolaus & Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote qui nec resistere sciret Eunucho, quique vinceretur à semiviro non vir, sed esset potius fœmina nominandus: & sic nomen contumeliæ transierit posteris, rerum inscii, in veritatis opinionem, atque ita à compluribus decantatum fuerit, Ioannem octavum fuisse fœminam: sicque jactata vulgò invenerit eo modo locum fabula.*

Sic spiritus lenitatem & morum facilitatem, virtutes, quas omnes boni in multis Pontificibus desiderant, cum sedis Apostolicæ opprobrio carpit & sugillat Baronius: & tamen hunc Ioannem multis prosequuntur laudibus & Platina & Onuphrius.

Joannes Papa ad conciliandos in Ecclesia per schisma separatos Episcopos, & pacem inter eos componendam, epistolâ ad Basilium Imperatorem & Augustos filios, Photium *in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, in pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace & utilitate amodò Christo favente recipit & habet. Porrò*, inquit, *pro tantis perturbationibus, quibus Ecclesia vestra jam longo tempore manet turbata, vestra Augustali pietati obnixè suggerimus, ut Constantinopolitanum Patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritualem, utpote inter vos & Deum adjutorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum sedulò adnunciantem, pio semper affectu colatis & (ut condecet) in omnibus honoretis; quia pro temporali, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem magnificentiam habebitis, & in æternum multiplicem proculdubiò recipietis ab il-*
1 Reg. 2. *lo, nempe qui glorificantes se glorificare testatur: nec eorum verba falsa prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem Domini seminare non cessant, vestra Imperialis dignetur audire majestas, nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper student scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi, quique linguis suis sem-*
Psalm. 13. *per dolosè agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis sunt, animum clementiæ vestræ adversus eum aliquatenus commoveatis & summum sacerdotem vestrum, Dei providentiâ, in Ecclesiæ Christi*

regi-

regimine constitutum sic facile exhonoretis, quod nimirum sancto vestro Imperio valdè inhonestum & indecens esse videtur. Præterea mandamus etiam, ut omnes Episcopos & sacerdotes & cujuscunque ordinis clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoriæ Patriarchæ consistunt, sive in ipsa regia urbe manentes, sive alicubi extra, longè seu propè retrusos, clementi affectu recipiatis & amplectamini, propriasque unicuique illorum jubeatis reddere sedes: ut, sicut una est fides, unum in nobis baptisma & omnes unum simus in Christo; ita & isti qui ad unitatem & societatem Ecclesiæ Dei & corporis Christi redierint, & id ipsum dicentes, perfectique existentes, in eodem sensu, in eadem sententia, unus grex efficiantur, & unus pastor, nec audeant amplius dicere: Ego quidem sum Cepha, ego Paulli, ego 1 Cor. *Apollo, sed unius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, uniensque cœlestia cum terrenis, pacificare dignatus est: qui idcircò pro peccatis nostris mortuus est, ut filios Dei qui erant dispersi* Ioan. 11. *congregaret in unum. Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad insuperabilem soliditatem vinculis charitatis astrinxerit. Quatenùs Deo favente, absque omni perturbatione vobis regnantibus salvi & securi persistentes, pro salute vestra & statu Reipublicæ jugibus semper votis Dominum valeant deprecari. Quodsi fortè quidam constiterint cum eodem Patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundò & tertiò, ut sanctæ Ecclesiæ se unire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacrâ eos communione his præsentibus missis nostris unà cum synodo jussimus privari, quousque ad suum redeant Patriarcham, & ad sanctæ Ecclesiæ unitatem, cum præcipuè ipsi Episcopi à nobis sint canonicè excommunicati, &c.* Baron. Piè & prudenter, meo quidem judicio, agit Papa Ioannes: nam juxta Augustinum de bapt. contra Donatist. lib. 3. cap. 16. *Non habent Dei charitatem, qui non diligunt Ecclesiæ unitatem.*

Ex verbis hujus epistolæ ad Imperatores, necessariâ consequentiâ destruitur & abrogatur Concilium Ignatianum, Baronio œcumenicum octavum: nam in illo per Hadrianum Papam excommunicatur Photius, & cum Photio communicantes: per Ioannem vero communioni restituitur Photius, & excommunicantur cum Photio communicare nolentes. Quæ sibi è diametro adversantur; ut non sit mi-

rum, si illud concilium Ignatianum à Græcis posterisque sit neglectum & omnino abolitum. Nam quamvis bonâ intentione œcumenicum Ignatianum sit convocatum, meliori tamen ratione œcumenicum Photianum celebratum fuit, non tam ob Photii restitutionem, quam propter pacis Ecclesiæ Dei perfectionem. Audiamus canonem commonitorii Papæ Joannis, suis legatis Constantinopolim pro restitutione Photii, & pace Ecclesiæ, proficiscentibus dati; cujus hæc sunt verba: *Volumus præterea ut coram universa Synodo promulgetur, quod synodus habita adversus prædictum Patriarcham Photium tempore Hadriani sanctissimi Papæ tum Romæ, tum Constantinopoli, ex nunc habeatur nulla & irrita, & non numeretur cum alia sancta synodo.*

Subscripserant huic commonitorio num. 25. Dedit etiam Ioannes Papa suis legatis epistolam ad clerum Constantinopolitanum, itidemq; ad Patriarchas trium Orientalium Ecclesiarum. Dedit & alias literas suis legatis ad eos, qui Photiũ abhorrentes, nullo pacto adduci volebant ut cum eo communicarent: monens eos, ut quem reciperet bono pacis Romana Ecclesia, ipsi eum recipere non recusarent; alioqui dedisse in mandatis suis legatis, ut extra Ecclesiam facerent omnes, qui Photium ab Ecclesia receptum recipere denegarent. Hæc Baronius, qui addit, *Photium procurasse, ut omnes litteræ à Ioanne conscriptæ, in suas manus devenirent; quas legendas in synodo, ipse Græco sermone reddens, pro arbitrio voluntatis aptavit, alia addens, alia minuens, mutans alia, adeò ut in omnibus quæ ipse vellet Romanum Pontificem in litteris suis cogeret loqui Iohannem & profiteri.* Nec hic definit Baronius, sed sic pergit: *De his acturi, illud imprimis contestamur, nos non profiteri omninò rei veritate gesta esse, quæ facta dicuntur, sed quæ facta scriptis reperiuntur asserta, nos integrè reddituros. Quis enim ea omnia à Photio, falsitatum omnium architecto jure dicendo, ordinata, disposita, concinnata, descripta, vera fuisse audeat affirmare? Mendaci, in re præsertim gravi, quis credat? Impostoris operibus fidem quis adhibeat; atque falsariis quis tutè scripta recipiat? Talis est conditio pseudosynodi Photianæ, unà cum auctore in imis inferis obruendæ.* Vides familiaria Baronio fulmina, quibus plerumque illi utuntur, qui solidis rationibus destituuntur. Lectu digna hic multa reperies, ex quibus videre est, quam incertæ & intricatæ sint res humanæ, & quam parum

rum tribuendum quorundam hominum scriptis, & præcipuè altercantium, &

Purpura quid valeat, quid mens abrepta furore
Ambitionis agat, quàm turpiter omnia turbet
Futile dicendi studium, quàm sacra profanis
Misceat, & perdat nos litigiosa libido,
Inter Avernales non ignotißima Nymphas.

Terrena hæc est sapientia, non illa quę cum mansuetudine ex bona conversatione opera sua ostendit: quæ pacifica, modesta, tractabilis & plena misericordiâ, &c.

Baronius quæ paulò ante se integrè redditurum promisit, summatim tradit, quorum accipe brevius compendium:

Historiam restituti per Iohannem Photii, & simul concilii pro Photio Constantinopoli celebrati præsentibus tribus Ioannis Papa legatis quam brevißimè referam. Scribit de restituenda pace in Ecclesia Constantinopolitana inter Ignatianos & Photianos ad Iohannem Imperator Basilius, Ignatio præcedente anno jam mortuo. Respondet Basilio Ioannes epistolâ, juxta Baronium Photium Imperatori nimis commendante, & per eundem Photium multis modis postea vitiatâ, mutatâ, mutilatâ: in qua recipiendos suadet ab Ignatio ordinatos, & excommunicandos qui cum Photio communicare nollent. Damnationem in his litteris non scripsimus, inquit Ioannes, sed in commonitorio Petri Presbyteri & Cardinalis nostri legati unà cum Eugenio & Paulo religiosißimis Episcopis, ut cum ipsis præsidens in synodo, una cum sanctißimo Photio fratre & comministro nostro, &c. Scripsit etiam ad Photium responsoriam per suos legatos Ioannes, ubi post pauca eum allegat ad suum commonitorium: in quibus etiam multa mutata, addita, dempta demonstrare conatur Baronius.

Continet, inquit Baronius, *tam Vaticana bibliotheca quam Columnensis Acta hujus synodi Photiana, Græcè conscripta, ex quibus summatim prodimus ista, cum tamen ipsam integram ad verbum ex Græco Latinam redditam ab eodem Metio poßideamus. In prima actione recitatur numerus Episcoporum 383. postea Episcopus Heracliæ Thraciæ, multa contra Nicolaum & Hadrianum, & pro Iohanne dicit, eademque actio inducit legatos Iohannis, Photio munera offerentes. Actione 2. leguntur epistolæ Ioannis ad Imperatorem & Photium, & Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierosoly-*

solymitani & aliorum pro Photio & contra synodum præcedentem seu Ignatianam, Baronio octavam. Actione 3. lectæ sunt literæ Ioannis ad Ecclesiam Constantinopolitanam & Episcopos ipsi subjectos, & ad Patriarchas Orientis, ejusdē argumenti ut priores: & Iohannis commonitorium. Actio 4. continet literas legatorum Antiocheni & Hierosolymitani pro Photio & contra dictam Synodum octavam: lecta item sunt capitula quinque, tanquam à legatis Romanis proposita: primum de Diœcesi Bulgarorum: secundum de non eligendo amplius Laico in Episcopum Constantinopolitanum. Tertium, ne ab alia petatur Ecclesia Episcopus Constantinopolitanus. Quartum, de abroganda synodo contra Photium habita. Quintum, ut qui cum Photio communicare nollent, excommunicarentur. Quæ omnia recepta in Synodo præter illud de Diœcesi Bulgarorum, quod Imperatori commissum. Actione quinta Synodus Nicæna secunda, œcumenica septima statuitur. Et facta est suggestio (seu potius à Photio ficta, inquit Baronius) legatorum Iohannis, ut ex ejusdem sententia canon constitueretur, quo juberetur, ut excommunicati vel depositi à Romano Pontifice, à Photio non susciperentur: sicut contra qui à Photio excommunicati aut depositi, non absolverentur aut restituerentur à Rom. Pont. Secutæ sunt subscriptiones & imprimis Legatorum Apostolicæ sedis, cum detestatione synodorū contra Photium sub Hadriano pontifice collectarum. Actioni 6. interfuit Imperator, qui definitionem fidei postulavit; sicque consensu omnium exhibita definitio fidei confirmata in septem synodis œcumenicis, recitatumque Nicænum symbolum sive potius Constantinopolitanum. His approbatis ab omnibus, subscripsit Basilius, improbans suâ subscriptione cuncta quæ contra Photium acta essent in dicta octava synodo, cui ipse subscripserat unà cum filiis, qui huic synodo pariter subscribere voluit. Actione 7. & novißimâ, jussa est legi fidei definitio in præcedenti actione probata, additis & multiplicatis anathematismis, siquis ei quid adderet aut adimeret.

Hisce absoluta est hæc synodus, quam Græci lambunt, venerantur, & ut divinum aliquod oraculum observant & custodiunt, inquit Baronius. Et alibi: *Ex quo grande illud malum evenit, ut pro germana octava à Græcis maximè accepta sit synodus Photiana* (sic vocat hanc posteriorem) *ut factum inter alios à Zonara est videre, qui in sua Canonum collectione & interpretatione posuit loco Octavæ œcumenicæ, synodum Photianam sacrilegam, quam ipsam, & Theodorus Balsamo universalem appellat,*

pellat, cujus & tres canones recitat: sic & reliqua Græcorum Schismaticorum colluvies. Imò & ipse Gratianus Canonem secundum, tanquam ex legitima octava, synodo descripsit totidem verbis in libro decretorum: verba sunt Baronii. *Grat. caus. 7. q. 1. canone hoc nequaquam.*

Hactenus de synodo Græcis œcumenica octava, Baronio Photiana: quam quare non integram sed tantum summatim nobis reliquerit vir illustrissimus, non video. Si conjecturæ locus, fuit quid in ea quo lædi auctoritas aut dignitas Papæ, aut Ecclesiæ Romanæ posset: alioqui in vastis suis operibus non solet esse tam parcus in producendis aliorum auctorum scriptis. Quare non possum non hoc loco omni modo accusare & detestari iniquam, ne dicam impiam libros veterum corrumpendi & mutilandi libidinem in augendis, minuendis, mutandis, imò & omninò celandis & supprimendis eorum scriptis, ita ut non parcitum fuerit antiquorum Conciliis, nec ipsis Sacris symbolis, pretiosissimis priscæ Ecclesiæ & canæ vetustatis monumentis. Væ, væ, inquam, pessimi ingenii hominibus, qui furto quasi spirituali posteris tam multa, tam præclara aureæ veritatis documenta ademerunt, depravarunt, adulterarunt: quod magno cum scelere, inter pias fraudes quidam numerant. Conferantur Conciliorum jam dictorum, ne quid de antiquioribus dicam, editiones Græcæ cum Latinis & inter cętera videatur præfatio Anastasii Bibliothecarii Papę ad Adrianum Pontificem Romanum, præfixa Concilio Ignatiano VIII. & Concilium Florentinum Sess. 4. & 12. & Concilium VII. actione 7. & videbis, quomodo, Iliacos intra muros peccetur & extra. Post hanc Synodum Gręcis octavam, nullus fuit locus apud Græcos synodo Latinis octavæ: sic etiam, ut simul nullo loco essent quæ adversus Ignatium erant statuta: nempe quasi ἀμνηστίαν omnium sanciri placuisset inter Ignatianos & Photianos. Et quod idem posteris etiam placuerit, patet ex illis Marci Ephesii verbis Synodi Ferrariensis Sess. VI: *Tempore ex eo in Constantinopolitana Ecclesia huc usque solet celebrari, videlicet: Quæcunque in Patriarchas Ignatium & Photium scripta vel dicta sunt, anathema sunto.*

Hic obiter nota, omnia Concilia tam œcumenica quam nationalia

convocata & celebrata fuisse in omnibus regionibus sub Imperatoribus Orientalibus & Occidentalibus aliisque regibus, mandato, decreto, jussu, sanctione, oraculo, præceptione, imperio, nutu, dispositione, ordinatione, consensu Imperatorum aut Regum, quicquid contradicat Baronius. Quæ ut manifestius videas, summam præcipuorum Conciliorum à Constantino Magno usque ad hæc Basilii tempora brevi syllabo referam.

An. C. 325. per Constantinum M. tempore Papæ Sylvestri, *Oecumenicum primũ.* convocatum est Concilium Nicænum primum & primum œcumenicum, Episcoporum 318, præside Hosio, contra Arrium pro consubstantialitate Christi cum Patre.

An. C. 347. per Constantium & Constantem tempore Julii Papæ convocatum est Concilium Sardicense, præside eodem Hosio pro restitutione Athanasii Alexandrini &c.

An. C, 359. per Constantium tempore Papæ Liberii convocatum est Concilium Ariminense, Episcoporum 400, juxta Sulpitium.

An. C. 381. per Theodosium M. tempore Damasi Papæ convocatum est Concilium Constantinopolitanum primum, œcume-*Secundum.* nicum secundum, Episcoporum 150, præside Gregorio, Meletio aut Nectario, contra Macedonium, pro Spiritus sancti divinitate.

An. C. 431. per Theodosium II. aut juniorem, tempore Cœle-*Oecumenicũ tertium.* stini Papæ, convocatum est Concilium Ephesinum & œcumenicum tertium, Episcoporum 200, præside Cyrillo Alexandrino, munito procuratione Cœlestini Papæ contra Nestorium, pro Maria Θεοτόκῳ.

An. C. 451. per Marcianum tempore Leonis I. convocatum est *Quartum.* Concilium Chalcedonense & œcumenicum quartum, Episcoporum 600, præside Anatolio cum Papæ legatis, contra Eutychem & Dioscorum, statuentes unam in Christo personam & unam naturam, contra Nestorium, qui duas in Christo statuebat personas.

An. C. 553. per Justinianum reclamante Papa Vigilio convocatum est Concilium Constantinopolitanum II. & œcumenicum *Quintum.* V. Episcoporum 165. contra Originem & tria capitula, præside, ut opinor, Eutychio Constantinopolitano.

An. C. 680. per Constantinum Pogonatum, tempore Papæ Agatho-

Agathonis, convocatum est Concilium Constantinopolitanum III. & œcumenicum sextum, Episcoporum 150, præsidibus legatis Papæ, contra monothelitas, negantes duas in Christo voluntates, & totidem actiones, quot naturas. *Sextum.*

An. C. 692. per Justinianum secundum Pogonati filium, tempore Sergii Papæ, convocata est synodus Quinisexta, Episcoporum 227, ad supplendas quintam & sextam synodos, in quibus nulli erant conditi canones.

An. C. 755. per Constantinum Copronymum, convocatum est concilium Episcoporum 338. contra cultum imaginum.

An. C. 787. per Constantinum sextum & Irenem matrem, tempore Hadriani primi Papæ, convocatum est Concilium Nicænum II. & œcumenicum VII. Episcoporum 350. præside Tharasio Constantinopolitano & Papæ legatis, pro adoratione imaginum. *Oecumenicum septimum.*

An. C. 861. per Imperatorem Michaëlem, tempore Papæ Nicolai I. convocatum est Concilium Constantinopolim, Episcoporum 318, pro Photio, contra Ignatium Constantinopolitanum, præsidibus Papæ legatis.

An. C. 869. per Basilium Imperatorem tempore Hadriani II. convocatur Concilium Constantinopolim Episcoporum 102. contra Photium pro Ignatio & cultu imaginum, præsidibus legatis Papæ, quod est Latinis œcumenicum Octavum.

An. C. 879. per eundem Basilium tempore Papæ Joannis VIII. convocatum est hoc jam dictum concilium, Græcis œcumenicum Octavum, Episcoporum 383. præsidibus legatis Papæ & Photio, pro restitutione Photii & Orientalis cum Occidentali Ecclesia concordia, quod est postremum: nam ab eo tempore de Synodis œcumenicis altum silentium, nempe usque ad Farrariensem seu Florentinam, An. C. 1438. inter quas intervallum est quingentorum annorum & amplius: hæc enim celebrata est tempore Ioannis Palæologi Imperatoris Orientis & Sigismundi Imperatoris Occidentis, præside Papa Eugenio IV. Quæ Farrariensis à quibusdam etiam dicitur œcumenica octava. ita ut quatuor Concilia, vocentur œcumenica octava: quod tristem & confusum indicat Ecclesiæ statum. Lateranenses synodi sub Calisto aut Alexandro III. &c. sunt Occidentales generales.

A. C. 880. Hæc habet idem Papa Joannes de Moravensibus, jam noviter ad fidem Christianam conversis: *Litteras Sclavonicas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Christi Dei nostri praconia & opera enarrentur jubemus: neque enim tribus tantum, sed*
Psalm 116. *omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et Apostoli re-*
Philip. 2. *pleti Spiritu S. locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoque tuba, insonat monens: Omnis lingua confiteatur, quia Do-*
1 Cor. 14. *minus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinth. epistola nos admonet; quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanè fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia horarum Officia omnia psallere, quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebraam, scilicet, Gracam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terra vestra propter majorem honorificentiam, Euangelium Latinè legatur, & postmodum Sclavonicâ linguâ translatum, in auribus populi, Latina verba non intelligentis, annuntietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi, & judicibus tuis placet, missas Latinâ linguâ magis audire, pracipimus ut Latinè tibi missarum solemnia celebrentur. Hac Ioannes Papa ad Comitem Moravia.* Baronius.

Baronius refert Joannem Papam misisse ad Orientis Imperatorem Basilium, Marinum, jam nuper Diaconum & posthac Papam, ut coram eo protestaretur de actis præcedentis Concilii, in caussa Photii, & propterea legatum triginta diebus in carcere fuisse detentum, & eodem postmodum Romam reverso, Photium à Iohanne excommunicatum.

Hic Iohannes Formosum Portuensem Episcopum, postea Papam, Episcopatu exuit, qui juramento firmavit, se nunquam ad Episcopatum aut Romam rediturum: sic omni ecclesiasticâ dignitate privatus, prophana indumenta simul cum moribus assumpsit. Platina.

A. C. 881. Romæ à Joanne excommunicatur Athanasius Episcopus Neapolitanus, magnopere antea a Papa laudatus, cum excæcasset fratrem suum Sergium: quo facto seculari dominio potitus, & firma-

ta cum Saracenis pace, Romam & loca vicina depopulari cœpit. *Leo Ostiensis*.

Carolus Crassus cum Italiam brevi tempore sibi subjecisset, Romam veniens à Joanne Papa Imperator coronatus est. *Rhegino, Aimoinus &c.*

Moritur Joannes VIII. Papa, cum iter in Gallias destinasset, ad impetrandum auxilium contra persecutores Ecclesiæ Romanæ, tam Christianos quam Saracenos. A. C. 882.

Annales Fuldenses referunt Joanni Papę venenum fuisse propinatum, cum verò id minus efficax esset, malleolo ipsius cerebrum fuisse fractum, atque ita mortuum. Succedit Marinus, quem clerus infensissimum Photii hostem sciebat. *Sunt qui scribunt*, inquit Platina, *Marini fraude, Ioannem Pontificem, ut in Formoso dicetur, seditionibus ita agitatum fuisse, ut ei in vincula conjecto, aufugere necesse fuerit*. Vide *Onuphrium*.

Crescentibus flagitiis Nortmanni universum Francorum Regnum invadunt, fędis ubique relictis vestigiis. Crematum ab iis Leodium, Trajectum, urbs Tungrensis, Colonia, Augusta Trevirorum, Palatium Aquisgranense, Neomagum, Cameracum &c. *Sigeb.*

Carolus Crassus Imperator armis diffidens, pacem cum iis fecit, translatâ in eorum ditionem Frisiâ, & multis datis muneribus. *Regino*.

Joannis Papæ facta rescindit Marinus, & novo ac inusitato exemplo Formosum religione juramenti liberat; sic etiam Joannes visus est aversari res gestas suorum prædecessorum. A. C. 883.

Patriarcha Aquileiensis conspirat cum Photio in processione Spiritus sancti, qua de re vide prolixam Photii epistolam, & acrem Baronii responsionem & dissertationem doctissimi Vossii de symbolis. Quærit quidem Pontificem Baronius, qui illud *filioque* symbolo Constantinopolitano addere potuisset, sed nullum invenit.

Moritur hoc anno magni nominis hujus temporis Ioannes Scotus dictus Erigena cujus mentionē fecimus an. C. 848. *succedentibus annis munificentia Alfredi regis allectus venit in Angliam, & apud monasterium nostrum à pueris quos docebat, graphiis, ut fertur, perforatus, etiam martyr*

 æstima-

æstimatus est. Quod sub ambiguo ad injuriam sanctæ animæ non dixerim, cum celebrem ejus memoriam, sepulcrum in sinistro latere altaris & epitaphii prodant versus scabri & moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeò deformes.

Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Ioannes &c. caussam addunt, quod monachos ob ignorantiam & ignaviam acrius reprehendisset. Genebrardus fuisse statuit dogma Eucharistiæ, nam idem cum Bertramo & Berengario docuit, *Malmesbur. VVestmonast. Vossius.*

A. C. 884. *Marinus Papa*, secundum Platinam, *malis artibus Pontificatum adeptus, brevi moritur, annum enim & menses quinque tantummodò in Pontificatu vixit, nil dignum memoriâ gerens, vel ob brevitatem temporis, vel quod Dei nutu, malis artibus principatus acquisiti, veram gloriam, unicum optimi Principis cibum, amittunt:* At Baronio etiam hoc anno moritur, *cum laudabiliter Apostolico munere perfunctus esset.* Fortè quod excommunicaverit Photium, & prædecessoris acta resciderit. Quod porrò familiare erit Pontificibus Romanis.

Hic est ille Marinus, quem Diaconum miserat Nicolaus Papa ad Photium excommunicandum, & Hadrianus, ut Ignatii restitutionem Papæ nomine comprobaret, & synodo intercesset ad Photium damnandum. Nihil igitur mirum si non modò pleraque Iohannis VIII. facta improbarit; sed Photium etiam, & quæcunque in ejus caussa acta fuerant, damnarit. Quod non modo Photium, sed etiam Imperatorem Basilium usque adeo offendit, ut litteris Romam scriptis, Marinum sede suâ deponendum contenderet: quippe vitio creatum Papam; quia juxta Canones hujus vel istius Ecclesiæ Episcopus, creari Episcopus alterius Ecclesiæ non poterat. *Vide Baronium an.* 882.

Succedit Marino Hadrianus III.

Iræ divinæ multa & evidentia apparent signa. Italia in Campania à Saracenis magnam passa cladem, & Cassinense monasterium celebre, ubi S. Benedicti ossa quiescunt, occiso Abbate comburitur. Nortmanni ruptis fœderibus Galliam vastant & incendunt, & in posterum tempus vectigal imponunt. *Leo Ostiensis, Regino, Sigebertus.*

A. C. 885. Hadrianus Papa moritur, succedit Stephanus VI. qui invenit

Patriar-

Patriarchium Apostolicum Lateranense expilatum, gazas ablatas, ut & famosissimam illam crucem auream ex dono Bellisarii, altaria spoliata, vestiaria, cellaria vacua &c. *Anastasius.*

Iam, proh pudor! proh nefas! inoleverat pessima consuetudo, ut mortuo summo pontifice invaderent homines sedis Apostolicæ patriarchium atque deprædarentur. Baronius.

Mortuo Carolomanno, qui post fratrem Ludovicum solus regnum Franciæ obtinuerat, Nortmanni iterum ad deprædandum regnum cum exercitu adsunt, ideò dicentes licere sibi facere, quod cum nemine alio quam cum rege pacem fecissent, quibus rebus exterriti Principes, Carolum Crassum Imperatorem ad Regnum Franciæ vocant. Hoc autem rege validioribus instructi copiis Barbari Lutetiam oppugnant, An. C. 886, sed frustra. Carolus cum se hostibus imparem videret, ita demum cum illis composuit, ut transsequanensem Galliam, quę Neustria dicitur, quæque ab Imperio suo defecerat, iis ad prędandum permitteret. *Sigebertus* an. 888. Tractum hunc omnem Galliæ non ad direptionem, sed jure perpetuo Nortmannis concessum significat, *Chron. Fuld. Regino.*

Basilius Imperator moritur: Leo filius è carcere liberatus succedit. *Ita infelix Græcia*, inquit Baronius, *si quos habuit præstantes Imperatores, ut Iustinianum, Heraclium & Basilium, mox vel hæresis vel schisma inglorios reddidit.* Boni hi fuissent *Baronio* Imperatores, si ad nutum Episcoporum Romanorum omnia agere voluissent. A. C. 886.

Mors Basilii Photium perdidit: nam Constantinus primogenitus ante patrem defunctus erat. Leo igitur natu proximus successit, qui est ille cognomento Philosophus: malè verò erga Photium animatus fuit, pejus autem adversus Santabarenum, cui Photius fuerat familiaris. Quanquam verò Santabarenus inter sanctissimos monachos fuerit numeratus etiam à Basilio Imperatore: filius tamen Leo ajebat, sub sanctimoniæ larva, eum multa scelera occultare: sibique ab eo insidias esse structas asseverabat, seu verè seu falsò, ut jure pelli putaretur. Photius quoque, quod eo usus fuisset familiariter, sede tum est dejectus, inque Armeniæ Monasterium detrusus, nec postea restitutus. In ejus locum surrogat Imperator Leo Stephanum suum fratrem. *Zonaras & alii.*

Carolo

Carolo Crasso eripitur Imperium & traditur Arnulpho Carolomanni filio, Odoni Regnum Franciæ. Eò paupertatis devenit Carolus (vicissitudinis & inconstantiæ humanæ insigne exemplum) ut victum quotidianum ab Arnulpho supplex exposceret. *Regino.*

A.C.888. Moritur Carolus Crassus, huic per visionem ostensa sunt loca Inferorum & Purgatorii, in quibus plures torqueri vidit Principes & Episcopos, qui bella civilia movissent. *Auctarium ad Bedam &c.*

Imperio à Regno Francorum per Arnulphum separato, perpetui deinceps, in Italia præsertim & Gallia, civilium armorum motus exstiterunt, nunc hâc, nunc illâc tyrannorum exsurgente factione, nunc in hos, nunc in illos transeunte Regno. Nam Italia alienum dedignata imperium, suos sibi legerat reges & sic paulatim ab imperio divulsa est. Hi tamen inter Imperatores non numerantur: Qui fuerunt Vido, Lambertus, Berengarius, Rodolphus,&c.

Vidone ejusque filio Lamberto,à FormosoPapa etiam inImperatores unctis,(ita ut aliquando duo simul fuerint Imperatores,alter à Germaniæ principibus,alter àPapa electus)& vita functis,inBerengarium Italiæ principatus reciderat: sed huic æmulus exTransalpina provincia Ludovicus excitus est. Hic in fugam conjecto Berengario, Romæ à Papa imperii donatus est insignibus an. 901. qui post tres annos Veronæ captus à Beringario oculis & imperio privatur. an. 904. *Regino, Viterbiens. Otto Frisingensis.*

Nauclerus in generat. 31. *sic ait:* Imperium translatum fuit à Græcis non in Italos neque in Gallos, id est, occidentales Francos, sed in Germanos, scilicet in persona Caroli Magni, *ut in text. qui hoc probat. in cap. Venerabilem de elect. & similitud. tex. in cleric. tum de jurejurando*; unde clarè probatur, quod etiam lineâ Caroli deficiente in Germaniâ,non minus imperium manere debet apud Germanos, sicut & finaliter obtinuit, tam de jure quam de consuetudine. Et licet Romani aut Itali receperint vel Ludovicum, filium Bosonis, aliosve, sicut Berengarios, Hugonem Arelatenensem comitem, sive filium ejus Lotharium sive Rodolphum Burgundiæ regem, omnes isti tyranni aut invasores Imperii non Imperatores sunt censendi, cum Germani non omiserint, vel ad momentum suo jure Imperatores eligere. Sed de jure electus in regem seu Imperatorem

torem Romanum à Principibus regni, poteſt ſtatim ex ipſâ electione licitè nomen regis, & jura ac bona regni & imperii aſſumere, & in aliis provinciis ejuſdem imperii adminiſtrare. Sed non eſt mirum, ſi Romani etiam pontifices illis temporibus, circa annum Domini nongenteſimum & aliquantò poſt quoſcunque occurrentes admiſerint, cum, ut ſcribit Platina, reſque fuerit, Pontifices ejus temporis à veſtigio S. Petri diſceſſerant, & reſp. ignavos & deſides principes habebat, quorum maximè intererat naviculam Petri fluctibus exagitari, ne ſi gubernator verus reſipiſceret, malos nautas è rep. ejiceret. Horror enim eſt audire, quam multa perperam per 28. fermè pontifices ſint admiſſa. Vide *Philippum Bergomenſ. lib. 9. in Ludovico III. Arnulphi filio.*

In Gallia Odo Pariſienſis Comes in Regem eligitur, vivente legitimo hærede CaroloSimplice.

Quid magis prepoſterum, inconditum & monſtroſum excogitari poteſt (inquit Baronius de moribus Eccleſiaſticorum illius temporis) ***quam quod tam Epiſcopi quam Abbates armati ad bella procederent, in hoſtes irruerent, caderent & cæderentur. Imò & illi laudabantur nomine bellicæ fortitudinis ab autoribus illius temporis.***

Annus eſt Germanis, Gallis, & Italis funeſtiſſimus ob bellicorum tumultuum frequentiam, & Hunnorum in iis immiſſiones per Arnulphum, ex cujus impietate totius Europæ erat contritio: tot mulierum viduitates, patrum orbitates, virginum corruptiones, ſacerdotum captivitates, Eccleſiarum deſolationes, terrarum ſolitudines, &c. *Luitprandus.* A. C. 889.

Stephanus Papa moritur, ſuccedit Formoſus, qui contra ſuum juramentum ad Pontificatum largitione potius quam virtute aſſumitur. *Platina.* Tumultuaria fuit ejus electio: nam quędam pars Romanorum Sergium (qui an. C. 908. erit Sergius III.) elegerat, & dum in eo eſſet, ut Apoſtolorum Vicarius ordinaretur, ea, quæ Formoſo favebat pars, cum non mediocri tumultu & injuria Sergium ab altari expellit, & Formoſum Papam conſtituit. ***Hac Luitprandus, qui ea ſe vidiſſe aſſerit.*** A. C. 890.

De ſucceſſione Pontificũ Romanorũ hujus temporis varii hiſtorici variè ſentiunt; tam erant ea tempora obſcura. *Baronius* Formoſum hunc magnæ ſanctitatis & doctrinæ virum fuiſſe dicit. *Platina*

verò inter cætera hæc habet in vita Formosi: *Verum nescio quo fato accidisse dicam, ut unà cum industria Imperatorum simul & Pontificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror, cum auctoritate Platonis, tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in Republica principes.*

A. C. 892. Carolus Simplex annorum 14, filius Ludovici Balbi, qui solus ex prosapia regia supererat, Francorum legitimus successor à Rhemensi Episcopo ungitur Rex Francorum, rejecto Odone seu Ottone, qui Regis titulum tyrannicè usurpaverat, unde contentiones & bella multa exorta. *Regino, Frodoardus* &c.

A. C. 893. Bellum acerrimum inter Imperatorem Leonem & Bulgaros. Imperator Turcas & Hunnos contra eos vocat, Bulgaro validissimè resistente, quare iidem Bulgari Romanæ Ecclesiæ se subjiciunt. *Curopalates.*

A. C. 896. Formosus à Romanis plurimum vexatus & afflictus, vocat Arnulphum, qui Urbem cum consensu Pontificis armis capit, & summo cum honore ab eodem exceptus, coronatur Imperator; & ut injuriam Papæ illatam ulcisceretur & puniret, multos Romanorum Principes plus quam barbaricâ crudelitate decollari jussit. *Sigebertus, Luitprandus & Regino.*

Eodem anno Formosus Papa moritur. *Baron.*

A. C. 897. *Bonifacius invadens sedem tenuit dies quindecim: homo nefarius, jam antea bis gradu depositus, à diaconatu primum, post à presbyteratu. Sed adversus eum Stephanus, homo impius & sacrarum litterarum ignarus, surrogatur, pulso Bonifacio, intruso pariter ab intruso, ista omnia per vim extorta maximam irrogarunt ignominiam Romanæ Ecclesiæ.* Baronius. Sed hæc levia respectu eorum, quæ brevi subsequentur.

Hoc anno contigêre illa nefanda quæ Luitprandus & alii narrant. *Formoso,* inquit, *defuncto atque Arnulpho in propria reverso, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque* (Stephanus VI. voluit dicere) *Papa per Adelbertum Marchionem constituitur: quo constituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum nescius, Formosum è sepulcro extrahere atque in sedem Romani Pontificatus, sacerdotalibus indumentis indutum, collocare præcepit. Cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usur-*

usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestibus, digitisque tribus abscissis, quibus benedicere moris est, in Tyberim jactare precepit, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos, iterum ordinavit. Hactenus Luitprandus. *Sed ego arbitror*, inquit Platina, *hoc odium ex ambitione ortum fuisse, cum jam eo devenissent ecclesiastici, ut non coacti, ut antea, sed sponte & largitionibus Pontificium munus obirent. hinc odium hoc ortum, quod ei antea impedimento fuisset, quo minus optatâ sede potiretur.* Et narrat crudelem hanc historiam ex Martino scriptore & addit: *Magna fuit hac controversia, & pessimi exempli, cum postea ferè semper servata hac consuetudo sit, ut acta priorum Pontificum, sequentes aut infringerent, aut omnino tollerent. Paulùm certè abfuit, quin nostrâ tempestate Paulus II. Venetus Formosi nomen, ut sit, sibi inderet, quod id nomen ei maximè convenire videretur, propter proceritatem & corporis majestatem. Quominus autem id faceret, deterruêre eum Cardinales quidam, historia non ignari, ne post mortem id accideret, quod olim Formoso. Tulit id agrè Paulus, quia nihil prater hoc nomen ad summam fœlicitatem ei deesse videbatur.* Platina in Stephano VI.

Quanta autem auctoritatis, quantaque fuerit religionis Formosus Papa, hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus post esset inventus, atque ad Beati Petri Ecclesiam deportatus, Sanctorum quoque imagines, hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Luitprandus. *Sergio factum sacrilegum ascribens quod ipse fuerit ad illud perpetrandum antesignanus & auctor. Caterum graviorem culpam Stephani Papa fuisse liquet, qui nefarium, impium & detestandum scelus Synodo collectâ probavit, qua rescissa postea ignique tradita fuit à Ioanne IX; cum ista omnia per Stephanum Papam synodicè acta, Ioannes postea convocato Concilio (ut testantur ipsa acta ejusdem Romani Concilii) penitus abolevit, ex quibus erroris arguantur, qui ista de Formoso negant & conficta putant.* Onuphrius in Platinam & Baronius.

En illa infelicissima Ecclesia Romana tempora ac etiam luctuosissima, quibus ipsam contigit domestico bello agitari, atque persecutione vexari: qua nunc cœpta multo tempore eandem Ecclesiam maximo damno affecerunt; illata ipsa per Adelbertos Marchiones Tuscia potentissimos (ita nominat eos Luitprandus, non autem Comites Tusculanos, ut alii, qui postea ex eadem radice provenerunt) *& audacissimos principes. De*

isto enim, inquit Baronius, *qui Stephanum intrusit, hac idem auctor. Tanta quippe Adelbertus erat potentia, ut inter omnes Italiæ Principes, solus ipse cognomento diceretur Dives. huic erat uxor nomine Berta* &c. Luitprandus. *Istos quidem quo viciniores eo infestiores Romana ecclesia sensit. Etenim munitione S. Angeli ad ripam Tiberis, olim moles Adriani, dictâ, potiti, quæ non sunt ausi in Romanam Ecclesiam? ut absque ulla controversia dici poßit, nullam unquam sive à Gentilibus, sive ab hæreticis, sive à schismaticis aliisque perduellibus, qui ferro, qui scriptis, qui dictis, aliisve quibuslibet modis eam exagitarunt, duriorem, diuturniorem atque molestiorem passam esse persecutionem illâ, quam pertulit ab ejusmodi Adelbertis Tusciæ Marchionibus. Etenim* &c. *Cum verò hos Romana Ecclesia passa est tyrannos, dominantes, sive pecuniis, sive armis, populo Cleroq; Romano, per quos intrusi in Cathedram Petri solium Christi, sunt homines monstrosi, vitâ turpißimi, moribus perditißimi, usquequaque fœdißimi: vestimētis exuta gloria, atque lætitia, mœrens, dolens & lugens, sedit in tristitia Domina Gentium.* Baronius.

Stephanus Papa tanto nomine indignus fuit, qui primus & solus nefando & inaudito sacrilegio Petri sedem adeò deturpavit. Iste siquidem (ut habent acta Concili, sub Ioanne Papa IX) vi summâ collecto conventiculo Episcoporum, simulque presbyterorum Cardinalium sibi similium (vide statum Ecclesiæ & Conciliorum auctoritatem) *Sergio, Benedicto atque Martino; Diaconis etiam Ioanne, Paschali & altero Ioanne hominibus perditißimis, violatoribus Pontificiæ sepulturæ, Formosi venerandum cadaver effossum, è sepulcro extractum, tāquam viventem hominem ad judiciū adductum judicari voluit atq; damnari, & in pœnam tribus digitis amputatis, in Tiberim demergi. Intentatum hactenus scelus, quod non Christianorum tantum aures exhorreant, sed & avertat quoq; inhumanos & feros barbaros ab auditu, à fide revocet; & præ sui immanitate fiat omnibus incredibile. Adjecit perfidus, ut omnes ab eodem Formoso Pontifice sacris ordinibus initiatos exauctoraret. Execrati autem, proh nefas! & lapides tale portentum, suâ tunc voce mutuâ collisione clamarunt; spontaneam potius pati ruinam, quam Romana Ecclesia, scandalo tanto depressa subsistere.* Baronius.

Accidit enim tunc ut sacrosancta Basilica Lateranensis, primaria Pontificii sedes, impulsore angelo malo, ab altari usque ad portas penitùs solo prostrata corruerit. Quomodò enim possent stare parietes, tanti facinoris terræmotu primariâ concußâ cardinis petrâ? Visum enim est, velut certis characteri-

raeteribus mysticè designatum, tanta Romanæ Ecclesiæ ruinâ sanctuarium tantummodò relictum integrum, in qua sedes illius existeret, adversus quam nec ipsæ portæ Inferi prævalerent. facta illa sunt in Basilica, in cujus Patriarchio Stephanus habitaret. In Basilica vero Principis Apostolorum, ubi Formosi erant sacra pignora collocata, ipsæ parietum sacræ imagines Formosum sunt veneratæ, (ut audisti ex Luitprando) *ut planè acciderit secundum illud sapientiæ* 7. Condemnat Justus mortuus vivos impios. Idem.

Sic cuidam hic placuit ἀλληγορίζειν: imperabat in primaria Pontificis sede Genius malus, quæ est curia Romana, servato sanctuario, id est sanctissimâ Christianæ religionis parte, quæ est fides in Christum, cui facta est illa promissio, Matth. 16. 18.

Cum delatum esset in Gallias, defuncto Formoso Pontifice, subrogatum illi fuisse Stephanum, quem tot tantaque nefaria crimina infamarent, nullus tamen fuit principalium Episcoporum, qui ob id se subtraheret à cultu & reverentia, quæ impertiri soleret Romanæ sedis Pontificibus &c. Baronius.

Sed ex eo videre licet seculi & Christiani orbis socordiam, inscitiam & morum perversitatem: cum & principes seculares & ecclesiastici fuerint homines turpissimi, & *Regis ad exemplum, &c.*

Odo moritur & Carolus simplex Ludovici Balbi filius, omnium Principum suffragiis Rex Galliæ confirmatur. *Regino.* A. C. 898.

Arnulphus Imperator pediculis afflictus turpissimè moritur, cum ab uxore VVidonis Imperatoris Itali paulò antea, soporiferam potionem bibisset. Hujus tempore sacerdotes Dei, vincti trahebantur, sacræ virgines vi opprimebantur, conjugatæ violabantur: Neque etiam confugientibus ecclesia erat asylum. In his symbolas faciebant, gestus turpes, actus ludicros: imò & mulieres ibidem prostituebantur. Luitprandus, Sigebertus &c. A. C. 899.

Arnulpho Imperator à Principibus substituitur ejus filius Ludovicus III. qui regnavit annos 12. & cum eo Carolinorum posteritas defecit, *ut ait Otto Frisingensis.* Sequuntur Imperatores Germani.

Exordium miserandæ & propudiosæ in ecclesia Romana tragœdiæ Formosum & Stephanum vidimus: Statum vero Ecclesiæ ærumnosum & ignominiosum sequenti seculo vix quispiam bonus sine lacrymis leget: nam, quam jam paullatim collabantem aspeximus, brevi quasi collapsam, obrutam & submersam lugebimus.

Sequar Baronium κατὰ πόδας, sed passibus, ut dixi, brevioribus. Audiamus ergo viri illustrissimi verba de seculo nono, & ejusdem moribus, de Theodora matre, ejusque filiabus Marosia & Theodora, scortis nobilissimis & impudentissimis, Romæ imperantibus.

A. C. 900. *En incipit redemptionis annus 900 & novum incboatur seculum, quod sui asperitate, & boni sterilitate* ferreum, *malique exundantis deformitate*, plumbeum, *atque inopiâ scriptorum appellari consuevit* obscurum. *In cujus limine constituti, præfari aliquid necessarium duximus, nequid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo; sed magis miretur in ejus custodia divinam potentiã, quia dictum est*: Tu es Petrus & super hanc Petram &c. Baronius.

Benè quidem vir illustrissimus, at nos majori jure dicere possumus cum divino vate:

Hieremias cap. 5. & 6. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra, propheta prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?*

Incrassati sunt & inpinguati & præterierunt sermones meos pessimè, caussam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non caverunt.

Nunquid super his non visitabo dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?

A minore quippe usque ad majorem, omnes avaritia student: & à Propheta usque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes pax, pax, templum Domini, templum Domini, & non erat pax, non erat templum Domini.

Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non confusi sunt, & erubescere nescierunt, quamobrem cadent interruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.

Hæc dicit Dominus: state super vias & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: non ambulabimus.

Et constitui super vos speculatores: Audite vocem tubæ: & dixerunt, non audiemus.

Euseb. lib. 5. cap. 18. Si hæc vidissent tempora Patres primitivæ Ecclesię, & sanctissimi illi martyres, procul omni dubio omnes cum S. Irenęo, S. Polycarpi verbis

verbis exclamassent: *Bone Deus, in quæ nos tempora reservasti, ut ista patiamur.* Si lectori placuerit, illa prima & puriora secula conferre cum tribus jam sequentibus, totus attonitus videbit inaudita & stupenda. Recessit enim ab Ecclesia prisca doctrinæ paucitas & puritas, morum integritas, rituum Ecclesiasticorum simplicitas. *Infelix seculum,* inquit Genebrard. Chronol. ad initium hujus seculi, *quo per annos ferè 150. Pontifices circiter 50, à Iohanne scilicet Octavo, qui Nicolao & Adriano secundo sanctis Pontificibus successit, ad Leonem nonum usque, qui primus à Deo vocatus velut alter Aaron, antiquam Pontificum integritatem, è cælo in sedem Apostolicam revocavit, à virtute majorum prorsus defecerint, Apotactici, Apostaticive potius quam Apostolici.*

Certè quidem, inquit Baronius hoc loco, *in nullo unquam versari visa est Ecclesia graviori discrimine, nec manifestiori percundi penitus constituta periculo, quam cum ingruentibus seculo illo est jactata procellis; quæ sub Ethnicis, hæreticis passa nulla est præ iis quæ tam indigna, turpia, deformia, execranda & abominanda sit coacta pati sub Christianis &c. Quot tunc, proh pudor, proh dolor! in eandem sedem visu horrenda intrusa sunt monstra? quod ex iis oborta sunt mala, consummata tragœdia? quibus tunc ipsam sine macula aut ruga contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisque perpetuâ infamiâ denigrari? &c.*

Iam verò his, occasione seculi calamitosi, monitionibus præmissis, quæ nobis occurrunt in agro sterili spicas tenues colligamus, inquit Baronius, cujus ipsissimis verbis, aut Historicorum hujus sęculi aliquamdiu utar.

Hoc anno Stephanus Apostolicæ sedis invasor & ipse pulsus detruditur in carcerem, ubi pariter strangulatur. Ita quidem passus facinorosus homo, quique ut fur & latro ingressus est in ovile ovium, laqueo vitam, infami exitu, vindice Deo clausit.

Ita quidem tum Romæ omnia, tam sacra quam profana factionibus miscebantur, ut penes illam partem esset promotio ad Apostolicam sedem Romani Papæ, quæ potentior appareret: ut modò Romanorum proceres, modò Hetruriæ principes intruderent seculari potentiâ quem vellent, & dejicerent quem possent Romanum Pontificem à contraria parte promotum; quæ toto hoc ferè seculo sunt actitata, quousque Germaniæ Imperatores Ottones medii intercessere, (ut collapsam Ecclesiam restituerent) *utrique parti contrarii, arrogantes licet & ipsi sibi pariter Papæ electionem, & electi dejectionem.* Baron.

Inter

Inter hæc autem prævalente in Urbe Romanorum factione contra Adelbertum Tusciæ Marchionem, sublato de medio Stephano, creaverunt quendam nomine Romanum, quem tradunt tantum vixisse menses quatuor, dies viginti. Baronius. *Qui ubi Pontificatum iniit, Stephani decreta & acta statim improbat derogatque: nihil enim aliud hi Pontificuli cogitabant, quam & nomen & dignitatem majorum suorum extinguere, quo nihil potest esse pejus, &c.* Platina.

Balduinus Flandriæ Comes occidit Fulconem Archiepiscopum Rhemensem, virum præstantissimum. Ludovicus Bosonis filius in Italiam venit, Berengarium fugat, Romam ingreditur, ubi ab Episcopo Romano coronatur Imperator. Atque ita denuò duo sunt Imperatores, alter Pontificis, alter Principum Imperii. Baronius.

Theodorus ejus nominis secundus creatur Pontifex Romanus, qui sedit tantum diebus 20. sequitur Iohannes Papa IX. Idem.

Nicolaus Episcopus Constantinopolitanus à Leone VI, Imperatore è sede dejicitur, quia excommunicarat eum, post ductam quartam uxorem, contra proprium edictum. Baron.

A. C. 902. *Anni duo sequentes prorsus obscuri.*

& 903. A. C. 904. *Sub Iohanne Papa synodus 74. Episcoporum Ravennæ convocatur, ubi Stephani Papæ synodus contra Formosum abrogatur, & coram omnibus comburitur.* Sigebertus.

Ludovicus à Berengario captus oculis simul & imperio privatur Veronæ. Rhegino.

A. C. 905. *Moritur Iohannes IX. & succedit Benedictus quartus.*

A. C. 907. *Moritur Benedictus IV. & succedit Leo V, qui pellitur à Christophoro homine scelerato, & in carcerem detruditur, cum sedisset dies 40.* Baron.

Sunt hæc tempora inopiâ scriptorum planè obscura, & tyrannide sedem Apostolicam invadente, tetra: forte, cum omnes essent pessimi Pontifices, & sede Apostolicâ indigni, nemo monstrorum horum historiam conscribere voluit. Baronius.

A. C. 908. *Christophorus violenter è sede pellitur, vinculis stringitur, in carcerem detruditur, & vitam monasticam amplecti cogitur, cum sedisset menses 7. Hæc egit Sergius ille nefandus, quem audisti in Formosum Papam ita sæviisse. Potens ille armis Adelberti Marchionis Tusciæ, homo vitiorum omnium servus*

servus, facinorosissimus omnium quæ intentata reliquit? Invasit iste sedem Christophori, quem quidem constat post malum ingressum, deterioremque progressum, pessimum demum consecutum egressum. Sunt hæc infelicissima illa tempora, cum alter alterius res gestas intrusus quisque Pontifex abolevit: nam Formosi acta synodalia rescidit. Hunc invasorem & grassatorem, Boreales præsertim, tanquā Petrum coluerunt. Colonienses & Hamburgenses Episcopi sua pallia, Bremenses & Monachi Cassinates sua privilegia ab hoc acceperunt; cum tamen eosdem sedis Apostolicæ invasores, non Apostolicos, sed Apostaticos esse dicendos Ecclesiastica bene disposita censuit disciplina. Bar.

Vitam hujus Sergii magis perspectam haberemus, si Auxilii, eodem tempore viventis, dialogus extaret; quo scripto, ut Sigebertus *testatur libro de scriptoribus ecclesiasticis, sub persona infensoris & defensoris, contra intestinam discordiam Ecclesiæ Romanæ: scilicet de ordinationibus, extraordinationibus & supraordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis extraordinationibus & supraordinationibus.* Vossius.

Theodora scortum impudens (sunt verba Luitprandi) *hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia (quod dictu etiam nefandissimum) Romanæ civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat; quæ duas habuit natas Marosiam atque Theodoram, sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exercitio promptiores. Horum una Marosia ex Papa Sergio Iohannem, qui post Iohannis Ravennatis obitum S. Romanæ Ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefando genuit adulterio. Ex Alberto autem Marchione Albericum, qui nostro post tempore Romanæ urbis principatum usurpavit.*

Sequitur Baronius: *Erat ista Theodora nobilis Romana fœmina, senatoria ortā propagine, excellēs pulcritudine, ingenio versutissima, consuetudine Adelberti Tusciæ Marchionis potentissimi reddita procacissima, ex quo etiam, quas audisti, genuit filias: sicque ex adulteri potentia etiam sibi peperit Monarchiam. Nam cum munitio S. Angeli inexpugnabilis reddita, ex mole olim Hadriani Augustorum sepulcro possideretur ab eodē Tusciæ Marchione, qui ea potiretur, Urbi quoq; facilè dominari posset. Hac pessima fœmina eā arte Dominium est urbis consecuta; possidens arcem, illudq; in posterum propagare curavit; filias prostituens Pontificibus (nimirum Sergio, ex quo scelesto concubitu genitus postea est Ioannes Papa scelestissimus) Sedis Apostolicæ invasoribus, & Tusciæ Marchioni; ex quibus tantarum invaluit meretricum Imperium, ut pro arbitrio legitimè creatos dimoverent Pontifi-*

ces, & violentos ac nefarios homines ipsis pulsis intruderent. Quis ista considerans non obstupesceret, scandalumque patiens non putaret Deum oblitum suæ Ecclesiæ, quam meretricum arbitrio permiserit infamari? Sanè quidem SS. Patrum fuit ista querela &c. nec immeritò. Baron.

A. C 909. *Magna & diuturna fuit inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam de Spiritus S. processione controversia. nimirum utrum Spiritus S. de Patre solo, aut de Patre filioque procederet. Nicænum & Constantinopolitanum Concilium à Patre procedere dixerunt, quamvis Græcorum quidam de filio etiam procedere scripserint: sed sequentibus sæculis in Occidentali Ecclesia creditum à plerisque fuit, procedere à Patre Filioque: & cum illa verba* Filioque *symbolo Constantinopolitano addita viderentur, ægrè id tulit Ecclesia Orientalis, quæ dicebat, non licere Ecclesiæ aut Concilio particulari quicquam addere aut mutare in Concilio œcumenico. Qua de caussa acres contentiones & multæ turbæ in Ecclesia Catholica. Postea verò diu & diligenter à diversis quæsitum est, quando & à quo illud* Filioque, *Concilio Constantinopolitano fuerit adjunctum: omissis multorum incertis opinionibus & verisimilibus conjecturis, quidam à Pontifice Christophoro, illi Concilio, illud insertum statuunt, qui an. C.* 808, *Leonem V. de sede dejecit, & post septem menses invasor ipse sedis, ab invasore item Sergio est dejectus. Sed hujusmodi synodus nulla Christophori tempore habita videtur, ob breve adeò & turbulentum tempus. Quid si ergo potius credamus additum hoc esse à Christophori successore Sergio III?* Vossius dissertatione tertiâ de symbolis, quem consule & verisimiles ejusdem conjecturas vide.

A. C. 910. Moritur Sergius & succedit Anastasius III.

A. C. 911. Moritur Leo Imperator Orientis, & Ludovicus III, Occidentis, qui à Papa non fuit coronatus & in quo stirps Carolina desiit.

Reliquit ille Ludovicus nobis nobilissimam Imperii constitutionem, quam quidem impugnavit Albertus Pighius, *sed ab aliis fortiter quoque est defensa. Hæc illius sunt verba: De concilio,* inquit, *& consensu electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo, & quod de jure & imperii consuetudine approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive regem ab electoribus imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola electione est verus Rex & Imperator Romanorum censendus & nominandus*

pandus : & eidem debet ab omnibus imperio subjectis obediri, & administrandi jura imperii, & cætera faciendi, quæ ad imperium verum pertinent, habet plenariam potestatem : nec Papæ sive Apostolicæ sedis aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Quid verbis hisce manifestius? G. I. V. in consilium Lonigi.

Moritur Anastasius, succedit Laudo. A. C. 912.

Hoc anno (ut Luitprandus narrat,) *Theodorâ potentissimo ac impudentissimo scorto agente, Laudo Papa Iohannem, quem illa turpissimè deperibat, ex Ravennate presbytero creatum Episcopum Bononiensem, defuncto tunc Petro Episcopo Ravennate, in ejus ecclesia Archiepiscopatum transtulit:* quo facto eundem Laudonem modico interlapso tempore ex hac vita migrasse testatur.

Porrò Theodora non quievit, donec eundem Iohannem ex Archiepiscopo Ravennate in cathedram Petri violenter intrusisset. Duplici causâ tanta aucta est meretrix potestate, tum quod ejus filia Marosia fuisset Sergio pseudopapæ prostituta, tum etiam quod altera filia Theodora Adelberto Marchioni Tusciæ juncta esset adulterio, ex qua Albericus est natus, qui patris potentiâ Vrbi est dominatus. Hic status infœlix Romanæ ecclesiæ, tunc temporis, ut arbitrio potentissimæ meretricis Theodoræ matris omnia moverentur. Accessit etiam ad potentiam ejus, quod defuncto Adelberto Marchione Tusciæ, loco ipsius regnans filius ejus ex Berta conjuge, VVido nomine, Marosiam Sergii scortum in uxorem acceperit. Hæc Luitprandus ejus temporis scriptor. Idem de potentia Marchionis lib. 6. c. 10. in fine: *Hic Rex potius quam Marchio poterat appellari, in nullo quippe est mihi inferior, nisi solummodò nomine, nam erat ditissimus.*

Sic igitur hic exclamat Baronius: *Quæ tunc facies Romanæ Ecclesiæ! quam fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac sordidissimæ meretrices! quarum arbitrio mutarentur sedes, donarentur Episcopi, & , quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii, Pseudopontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tantum tempora, in catalogo Romanorum Pontificum scripti: quis enim à scortis ejusmodi intrusos sine lege, legitimos dicere posset fuisse Romanos Pontifices? nusquam Cleri eligentis vel postea consentientis aliqua mentio: Canones omnes pressi silentio: decreta Pontificum suffocata, præscripta anti-*

quæ traditiones, veteresque in eligendo pontifice consuetudines, sacrique ritus & pristinus usus prorsus extincti: sic vendicaverat sibi omnia libido seculari potentiâ freta, insaniens, æstu percita dominandi: dormiebat, ut apparet, planè tunc alto sopore Christus in navi, cum hisce flatibus, validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui ista non viderit; deerant qui Dominum sic dormientem, clamoribus excitarent discipuli, stertentibus omnibus. Qualesnam reris delectos ab hisce monstris presbyteros & diaconos? cum nihil tam natura insitum sit, quam unumquemque sibi similem generare? quos in omnibus iis, à quibus delecti fuerint, consensisse dubitare quis poterit? imitatosque esse ipsos ipsorum vestigia, & optasse hos omnes Dominum dormisse semper, & nunquam in judicium surrecturum &c. quis non facilè credat? Hac de re sic pergit Baronius. *Quidnam hic dices? Evidens planè illud,* inquit, *quod cum navicula ita esset operta fluctibus, mersa non est, onusta tanto pondere peccatorum. Cur non mersa, cur non vortice maris absorpta? quia Christus semper inventus est in ea, alioqui planè perire necesse erat, si curâ tantum hominum ageretur.* Sic loquitur Bellarminus in præfat. in lib. de Rom. Pontificibus: *De qua re agitur,* inquit, *cum de primatu pontificis agitur? brevissimè dicam: de summa rei Christianæ: id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi & concidere. fuêre autem Pontifices homines nefarii, invasores, apostatæ, fures, latrones, sacrilegi, incestuosi &c.* ut loquitur Baronius, ergo *&c.* Hic producit nescio quod miraculum Baronius: *dormivit quidem,* inquit, *in sua navicula Christus, à nemine excitatus, sed non neglexit eam* Petrus: nam ex Frodoardo refert, *multa facta miracula per barbæ S. Petri reliquias in pago Parisiaco. Miranda sunt hæc,* inquit non satis providè Baronius, *nec perfunctoriè transeundo inconsiderata relinquenda. Etenim ita Deus fecit Petri nomen tunc esse celebrius atque potentius, dum & ejus barbæ pilos, qui sunt excrementa corporis, tantâ voluit præstare virtute, & fulgere miraculo; cum illud magis infamaretur ab ejus sedis invasore Iohanne, ut eò amplius ostenderetur in radice virescere, quod existimari posset exsiccatum in ramis, ut non dubitares super hanc petram ædificatam esse Ecclesiam, & portas Inferi adversus eam non prævalere; quantumlibet etiam ipsi, qui super ejus sedem sedent eam impugnent moribus pravis.*

Baron. an. C. 922. pag. 694.

Præfat. in l. de Rom. Pontif.

Audi Bellarminum: *Permisit Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices*

tifices aliquando hanc ſedem tenerent & regerent: Quales ſanè fuerunt Stephanus VI. Leo V. Chriſtophorus I. Sergius III. Iohannes XII. aliique non pauci (numero ferè 50.) *ſi vera ſunt quæ de eorum rebus geſtis apud ſtoricos eorum temporum ſcripta leguntur. Itaque nihil eſt quod hæretici tantum laborent in quorundam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoſcimus & fatemur ea fuiſſe non pauca: ſed tantum abeſt, ut iis gloria hujus ſedis obſcuretur.*

Per idem tempus ſedis Ravennatis, qui ſecundus poſt Romanum archipræſulatus habebatur, Petrus pontificatum tenebat, qui dum ſubjectionis officio nominatum Iohannem Papam, qui ſuæ eccleſiæ miniſter tunc habebatur, Romam ſæpius mitteret; Theodora (ut teſtatur ejus vita) meretrix impudentiſsima, Veneris calore ſuccenſa, in hujus ſpeciei decorem vehementer exarſit, ſecumque eum ſcortari non ſolum voluit, verum etiam atque etiam poſt compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononienſis Epiſcopus moritur, & Iohannes iſte ejus loco eligitur. Paulò poſt, ante diem hujus conſecrationis, Nominatus Ravennæ Epiſcopus diem obiit, locumq; ejus Iohannes Theodoræ inſtinctu, priore Bononienſi Eccleſiâ deſertâ, ambitionis ſpiritu inflatus, contra S. Patrum inſtituta, ſibi uſurpavit. Romam quippe adveniens mox Ravennatis Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus, modicâ autem temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum injuſtè ordinaverat, Papa defunctus eſt. Theodora autem Glycerii mens perverſa, ne amaſii ducentorum miliarium interpoſitione, quibus Ravenna à Roma ſequeſtratur, rariſsimo concubitu potiretur, Ravennatis hunc Eccleſiæ archiepiſcopatum coëgit deſerere, Romanumque, proh nefas! Pontificium uſurpare. Luitprandus.

Hoc tempore Conradus primus poſt Caroligenas Imperator eſt Occidentis, cujus autem fuerit proſapia incertum eſt: Ducem Franciæ Orientalis quidam eum fuiſſe arbitrantur. Sigeb.

Obſcurus, præterquam quod Bulgari obſederint Conſtantinopolim, ſed fruſtra, *quo tempore Zöe Auguſta, Imperatoris Conſtantini mater, Patriarcham tutorem Imperatoris è palatio ejicit.* Curopal. Atque ita in Oriente & Occidente imperant fœminæ. A. C. 914.

Saraceni operâ Johannis, & Marchionis Tuſciæ & aliorum è Campania pelluntur. *Chron. Caſin.* A. C. 915.

Ioannes, qui ut invaſor, fur & latro ingreſſus erat, accedente cleri conſenſu,

legitimus Romanorum Pontifex habetur. Baronius.

A. C. 916. Hunni, Dani, Slavi, Saxoniæ Ecclesias persequuntur & evertunt. *Trithem.*

A. C. 917. Unni vir sanctissimus in Saxonia Archiepiscopus ab Imperatore Conrado electus, pallium accipit ab hoc Iohanne Papa. *Baron.*

A. C. 918. Quæstio missalis Mozarabi movetur & pro tempore sedatur.

A. C. 919. Conradus moritur, & succedit in imperium auctore Conrado Henricus Dux Saxoniæ, dictus Auceps. *Trith.*

A. C. 920. 21. 22. His annis nihil magni momenti evenisse videtur, ut sint inter obscuros numerandi. *Baron.*

923. Johannes mittit pallium ad Archiepiscopum Rhemensem. Carolus Rex Francorum in carcerem detruditur. *Aimoin.*

A. C. 924. Hunni Italiam depopulantur & Papiam comburunt. *Frodoard.* Tempora obscurissima.

A. C. 925. „ Grassantibus ubique tyrannis Gallicanæ Ecclesiæ vastantur. „ Heribertus Aquitaniæ Comes Rhemensem Episcopum invadit „ & veneno dato è medio tollit: quo sublato illud primum contigit „ in Ecclesia Dei videre monstrum, nunquam hactenus in orbe „ Christiano visum nec auditum, imò nec puto mente conceptum, „ cum videlicet puer necdum quinquennis, nondum alicujus ordi- „ nis inferioris capax, vix ferula prima addiscens elementa, Rhe- „ mensis eligitur Archiepiscopus. Tam nova, turpia, & detestan- „ da, solo auditu horrenda & stupenda, ne fabulam putes, prodit „ *Frodoardus*, ejusdem temporis & Ecclesiæ historicus. Ejusdem „ Heriberti filius, necdum quinquennis à Clero in Episcopum „ eligitur, Rex consilio episcoporum consentit, & Johannes Papa, „ Abbone præsule petente. *Vide Frodoardum apud Baronium.*

Vides lector cujus Pontificis (si tamen Pontifex dicendus) auctoritate id primum fuerit introductum in Ecclesia Dei: Ioannes X. is fuit, quo turpior nullus, cujus, sicut ingressus in sedem Petri infamissimus, ita & exitus nefandissimus. At vero quod in tanta Ecclesia à malo principe malè fuit usurpatum, in exemplum cito transiit aliorum, ut complures hujus seculi principes sibi sanguine conjunctos adolescentulos in summas cathedras curaverint promovendos: quod hoc ipso seculo non sine magno dedecore, factum etiam Romæ, Constantinopoli, & in aliis præclaris civitatibus infe-

rius

rius dicturi sumus. At utinam quod hoc sæculo ortum, cum eodem sæculo fuisset extinctum, & non in posteriora progagatum tantum nefas? Baronius.

Hugo filius Bertæ, comes Provinciæ, sive Arelatensis Rex, vocatus à Pontifice Romæ, super Italiam constituitur pulso Rudolpho, Cisalpinæ Galliæ duce, qui regnum illius pervaserat, & alteri fœminæ, vivente uxore suâ, se copulaverat. Venit Papiam & omnibus convenientibus ibi regnum suscepit. Mantua Ioannes Papa fœdus cum eo percußit: Quo tempore Bertâ, Hugonis matre mortuâ, VVido filius ejus, quem ex Adelberto genuerat (sicut prædiximus) *Tusciæ Marchiam tenebat, qui Maroziam scortum Romanum sibi in uxorem acceperat.* Luitprandus, Frodoard. A. C. 926

Carolus Rex in carcere detinetur ab Heriberto Aquitaniæ Comite. Frod. A. C. 927.

Metenses Episcopum suum excæcant. A. C. 928.

VVido Tusciæ Marchio cum Marosia uxore de Iohannis Papæ ejectione cœpit vehementer tractare, ob invidiam, quam in Petrum Papæ fratrem habebant, quoniam illum quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque Romæ degenti VVidonem clam habuiße multos milites congregatos: cumque die quadam Papa cum fratre paucisque in Lateranensi palatio esset, VVidonis & Marosiæ milites super hos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, Papam verò comprehendentes custodiæ mancipárunt, in quo non multo post defunctus est. Ajunt enim quod cervical super os ejus posuerint, sicque sceleratum peßimè suffocarint. Luitprandus.

Hic dignum suis sceleribus finem accepit invasor, ut qui per impudicam fœminam, Apostolicam sedem violentus arripuit, aquè per impudicam fœminam ejectus, in carcerem conjectus, eâ simul cum vita caruerit. Subrogatus in locum ejus Leo sextus. Baronius.

Carolus Francorum rex cognomine Simplex in carcere moritur. A. C. 929.

Leo Papa in carcerem ab eodem VVidone detrusus moritur, cum sedisset menses sex, dies 15. subrogatus Stephanus octavus. Baron.

„ Lanceam mirandi operis ex clavis Jesu Christi crucifixi san-
„ ctificatam, quæ dicitur primi & magni Constantini Imperatoris
„ fuisse, donatam Rodolpho regi Burgundionum & Italię, à Samso-
„ ne comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, additâ
„ etiam parte Provinciæ Suevorum à Rodolpho extorquet, & hanc ad
insigne

,, insigne & tutamen Imperii posteris reliquit. *Sigebertus.* Sed & de ,, alia lancea eidem Henrico ab Hugone in Gallia regnante missa, ,, accipe ex historia de gest. Ang. post Bedam, lib. 2. cap. 8. Ensem Constantini Magni misit scilicet, in quo literis aureis nomen ,, antiqui possessoris legebatur: in capulo quoque super crassas auri ,, laminas clavum ferreum affixum cerneres, unum ex quatuor, ,, quos Judaica persecutio Dominici corporis aptarat supplicio. ,, Lanceam Caroli Magni pariter misit, quam Imperator invictissi- ,, mus adversus Saracenos exercitum ducens, si quando in hostes ,, vibrabat, nunquam nisi victor abibat. Ferebatur esse eadem, quæ ,, Dominico lateri centurionis manu impacta, pretiosi vulneris ,, hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit; vexillum item misit ,, Mauritii, beatissimi martyris, & Thebææ legionis Principis, quo ,, idem Rex in bello Hispano quoslibet infestos & confertos ini- ,, micorum cuneos disrumpere, & in fugam solitus erat cogere. Et ,, cætera quæ ibi recensentur munera, ab Hugone ad Henricum ,, missa, cujus in cultu sacrarum reliquiarum pietas maximè commendatur, *ut loquitur Baronius, subinde cum ipsis scriptoribus plus satis credulus.*

A.C. 930. Dani, Sueci & Vandali ad Christianismum reducuntur per Imperatorem, prædicatione Unni Archiepiscopi Hamburgensis.

A.C. 931. ,, Stephanus VIII, dictus septimus, ex hac vita migrat, cum se- ,, disset annos duos, mensem unum, dies 15. In ejus locum potentia ,, Widonis & Marosiæ matris intruditur Johannes, Sergii pseudo- ,, Papæ ex dicto scorto Marosia filius. Talia pati coacta est S. Ro- ,, mana Ecclesia, ut sic deformiter à tanto monstro inversa concul- ,, caretur. Tantæ vires Marchionibus Tusciæ erant, ut pro arbitrio ,, quos vellent è sede Pontifices deponerent, aut alios intruderent. ,, Dominabantur Urbi ob occupatam munitionem S. Angeli: & di- ,, vitiarum potentiâ Romanos sibi devinxerunt, ut sæpe contigerit ,, Romanam Ecclesiam non habere legitimè creatos Pontifices; sed ,, quos secularis potentia per meretrices intrusisset. *Ex Luitprando Baron.*

A.C. 932. Stevilis annus. Arnoldus Bavariæ Dux, Ecclesiarum & monasteriorum crudelis destructor, Italiam turbat, & occiditur. *Luitp.*

Henri-

,, Henricus Imperator Erfordiæ universalem synodum celebrat, ,, sancitque quædam capita Ecclesiastica: quorum primum est, ,, ut Natalitia duodecim Apostolorum solenniter celebrentur. ,, *Baron.*

,, Marosia scortum impudens post Widonis mariti sui obitum in ,, Hugonem Regem dirigit, eumque invitat, ut se adeat, Romamq; ,, nobilissimam civitatem sibi assumat: hoc autem non aliter posse ,, fieri testabatur, nisi eam Rex Hugo uxorem sibi faceret. Erat Hugo ,, (*verba sunt Baronii*) ex eadem matre, quâ Wido vir ejus defunctus ,, genitus, Berta nomine, uxore Adelberti Tusciæ Marchionis: Sic- ,, que Hugo frater erat Widonis, Marosiæ mariti. Rex ob muni- ,, tionis S. Angeli confidentiam relicto longè exercitu cum paucis ,, Romam venit, qui decenter à Romanis susceptus, in prædictam ,, munitionem ad prædictæ Marosię thalamum declinavit, cujus in- ,, cesto dum potitus esset concubitu, Romanos, quasi jam securus, ,, despicere cœpit. Habuerat Marosia filium nomine Albericum, ,, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat: qui dum matris ,, hortatu Regi Hugoni vitrico aquam funderet, quâ manus ab- ,, lueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eo quod non ,, moderatè & prudenter aquam funderet. Is ut sibi illatam ulci- ,, sceretur injuriam, Romanos contra Hugonem multis rationibus ,, irritat. Albericum Dominum sibi eligunt, munitionem oppug- ,, nant, Hugonem fugant: quo pulso Albericus cum præfata Marosia ,, Romæ urbis Monarchiam tenuit; fratre Johanne suo summi atque ,, universalis præsulatus sedi præsidente. *Hæc prolixius Luitprandus,* ,, *Frodoard. &c. Baronius*: hic mirari non desino ut cum tale mon- ,, strum sedem Apostolicam occupasset, cui non ætas, non natalitia, ,, non legitima suffragaretur electio, & qui nil nisi nomen Pontificis ,, malis usurpatum artibus retineret: tamen qui procul essent nomen ,, Pontificis reveriti, omnem ei exhibuêre reverentiam, ut etiam ,, Artaldus Episcopus Rhemensis per legatos ab eo pallium peteret.

A. C. 933. *Luitpaandus lib.* 1. c. 12.

Tryphon temporaneus Patriarcha Constantinopolitanus est, usque dum Theophylactus filius Imperatoris Constantini VIII. legitimæ esset ætatis, ut posset fieri patriarcha. *Curop. Cedren. Res qua nunquam in Ecclesia est audita*, inquit Baron.

A. C. 934. *Constantinopolitana Ecclesia, Ecclesiæ Romanæ meritò est subjecta: videmus enim Constantinopolitanos Episcopos pallio non uti nisi S. Patris nostri permissu. Verùm cum impiissimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleverat, Romanam civitatem sibi usurparet, Dominumque Apostolicum quasi servum proprium in conclavi teneret: Romanus Imperator filium suum Theophylactum Eunuchum Patriarcham constituit. Cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis eò muneribus satis magnis effecit ut ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ literæ mitterentur, quarum auctoritate tum ipse, tum successores, absque Paparum permissu pallio uterentur: ex quo turpi commercio mos inolevit, ut non solum patriarcha, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur. Hæc Luitprandus in relatione legationis suæ*, inquit Baronius,

A. C. 935. Rhemis synodus celebratur, quâ prædones & Ecclesiasticarum rerum invasores ad correctionem vocantur. *Frodoard.* In cæteris obscurus.

A. C. 936. *Ioannes XI. (cum aliquamdiu à fratre in libera detentus fuisset custodia) moritur; sedis Apostolicæ potius inquinator quam rector*, inquit Baronius, de quo Frodoardus hujus temporis scriptor: *Papâ Ioanne, fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei servus Romæ Papa constituitur* Addit idem: *Hugo Italiæ Rex nisus Romam capere, afflicto suo exercitu, & pactâ tandem pace cum Alberico, dans ei Aldam filiam suam conjugem, ab obsidione desistit.*

Henricus auceps Imperator moritur, cui succedit filius Otto I. dictus Magnus, ob insignia bella ab eo feliciter gesta. *Luitpr.*

„Novum & immensum malum, *inquit Baronius*, Dei Ecclesiam „tunc deturpare cœpit, præter alia multa, quibus jam sacris silenti- „bus omnino legibus, hoc deplorato sæculo mirum in modum est „afflicta: *de quo sic Luitprandus.* Hoc tempore Manasses Arelatensis „civitatis Episcopus, agnitâ Regis Hugonis potentiâ, à cujus ipse „sanguine affinitatis lineam traxerat, desertâ commissâ sibi Eccle- „siâ, ambitionis spiritu multas violaturus, imò laceraturus ecclesias „Italiam petiit. Hugo autem Rex se Regnum securius obtinere „sperans, si affinitate conjunctis regni officia largiretur, contra jus „fasque Veronensem, Mantuanam & Tridentinam commendavit „illi (seu quod verius est) in escam dedit Ecclesias. Qui nec his

„con-

„ contentus Ecclesiam Mediolanensem invasit, ut idem auctor in-
„ fra narrat. Sed ut aliquo velamento, uti ficus foliis, peccatum ob-
„ tegeret; nefarius homo id se agere tradebat exemplo principis
„ Apostolorum, qui Antiochenam, Romanam & Alexandrinam
„ possedisset Ecclesias. Hoc ipsum rudè, inconcinnè, temereque gar-
„ rientem, idem auctor acri (ut par erat) invectivâ exagitavit, qui de
„ eodem homine, Dei legumque ejus contemptore addit, neque his
„ acquievisse, sed Marchiam Tridentinam ab affine Rege obtinuisse,
„ atque armis indutum in ejusdem Regis exercitu militasse. *Baron.*

Vocatur in Italiam à Leone, Papa, Odo sanctus Abbas Cluniacensis apud Gallos, ut collapsam in Urbe & monasteriis disciplinam monasticam restitueret. *Baron.*

„ Hoc anno prædicat *Baronius* bonum opus Odonis & monachi
„ sui: quod videlicet monachus in agro cum horas suas canonicas
„ recitaret, & videret furem advenientem, & equum furto abdu-
„ centem, noluerit furem inclamari, & ut alios insequerentur exci-
„ tare, ne peccaret in regulas silentii. Et deinde quod Odo Abbas
„ cum fur iste ab aliis jam deprehensus esset, noluerit eum pœnâ
„ aliquâ affici, sed quod totam noctem hoc modo vigilasset, & ma-
„ gno labore equum abduxisset, jusserit ipsi numerari quinque soli-
„ dos. Hujusmodi bonorum operum exempla multa invenies apud
„ Baronium. *Calvisius.*

Hugo dicitur Longobardorum in Italia rex, & Albericus Romanæ urbis Princeps. Aquisgrani Otto inungitur Rex à Pontifice Moguntino: Vides Lector, quantum omnia tam in imperio, quam in Ecclesia, confundat & turbet Roma.

Odo Abbas movet montes miraculo, ut dicitur Matthæi 17. & Imperator fugat hostes precibus. *Luitprandus.* A. C. 938.

Leo Papa moritur, succedit Stephanus IV. dictus Octavus, operâ Ottonis Imperatoris. *Baron.* A. C. 939.

Stephanus Papa crebris ictibus in facie deformatur auctore Alberico, quod Germanus in gratiam Ottonis ad eam dignitatem pervenisset, quo admodum offenditur Otto. *Luitpr.* A. C. 940.

Bellum recrudescit inter Hugonem Italiæ Regem & Albericum Romanæ Urbis principem: Ille omnes civitates Italiæ præter Romam sibi subjicit; A. C. 942.

jicit; & flagrantia in Italia bella civilia efficiunt, ut Imperator Constantinopolitanus potiretur Calabriâ, Apuliâ, & parte Campaniæ, quæ antea fuerant sub ducibus Longobardorum, Beneventi & Capua. LeoOstiensis.

A.C. 943. Stephanus Papa moritur, succedit Marinus seu Martinus secundus qui componere Ecclesiam tentat, tam in cleri quam Monachorum reformatione &c. *Baron.*

Tryphon Patriarcha Constantinopolitanus dolo deponitur, succedit Theophylactus Imperatoris filius. *Curopal.*

Romanus collega Constantini Imperatoris Constantinopolitani à filio capitur; & tonsus in monachum, in insulam relegatur. *Curop.*

Hoc anno refert Baronius historiam miraculis refertam ex Curopalate de imagine Christi, & epistola ejusdem manu ad Agbarum Edessæ principem scripta, cujus meminit Eusebius Eccles. histor. lib. 1. cap. 14. *Hac imago quondam ab ipso Christo in sindone expressa, & missa ad Agbarum, narratur translata cum Christi epistola Edessâ oppido Mesopotamia Constantinopolim, per Episcopum Samosatenum, magna cum pompa & multis miraculis; quibus, Edessenis invitis, certis signis demonstratur de dimittenda imagine Dei voluntas: cæci vident, claudi ambulant &c. At verò postea*, inquit Baronius, *bellis ingruentibus, ipsâ Constantinopolitanâ civitate sæpè captâ, atque à Catholica communione primum discissa, Dei providentiâ factum est, ut eadem veneranda imago fuerit Romam perlata, ubi hactenus colitur in titulo S. Silvestri.* Sed quando & quâ occasione non additur. Hujus imaginis nullam facit prædicto loco mentionem Eusebius, & epistola Agbari ad Christum, & Christi ad Agbarum in Concilio Romano Episcoporum 70. sub Papa Gelasio an. C. 494. celebrata, censetur apocrypha, ut diximus an. C. 842.

Harmon. Euangel. l. 2. cap. 6. parag. 8. Occasione hujus picturæ Edessenæ adferam, quæ de picturis Christi habet Cl. Vossius.

Ajunt autem Veronicam Christo, ad supplicii locum eunti, prebuisse sudarium, cui ille imaginem suam impresserit. Atque hoc sudarium Romæ adservari.

Ut constare melius possit, quid de ea Christi pictura ac similibus sit sentiendum, historiam de universis ejus picturis breviter percurram.

Ter Christus se dicitur depinxisse, semel ante passionem, semel in passione,

sione, semel post passionem. Ante passionem in linteo, quod per pictorem Agbaro Edesseno Toparchæ misit. In passione, quando Veronicæ sudario, imaginem suam impressit. Post passionem cum in sepulcro sacræ sindoni, à Iosepho Aremathensi emptæ, figura corporis Christi adhæsit. De his ordine agam.

Ac primo historia de Agbaro & Christo apocrypha est; ut anno 494 *Gelasius Papa statuit cum* 70 *Episcoporum Concilio Romano, ac apud Gratianum est distinct.* 15. *canone Sancta Romana. Vel saltem vera non est epistola, quæ ab Iesu ad Agbarum missa dicitur, Aliter si foret, non minus fuerit pars canonis divini, quam scripta Euangelica. Quod, quis veterum dixit? multum sanè metuo, ne aliquis Archivorum præfectus fucum fecerit Eusebio. Atque ut omnia essent genuina, quæ apud Eusebium in fine lib.* 1. *histor. Eccles. leguntur: non tamen fidem merentur, quæ addunt juniores, sed præterit Eusebius: cujus ea erat fides & industria, ut quicquid foret in Archivis Edessenis, fuerit posteris proditurus. Sanè transit statim Eusebius ab epistola Iesu ad Thaddæi iter Edessam. Commentitia igitur videntur, quæ memorantur de imagine* θεοτεύκτῳ, *ut Evagrius vocat l.* 4. *c.* 26. *Vixit verò Evagrius temporibus Mauritii Imperatoris: cujus anno duodecimo historiæ suæ finem imponit, hoc est anno Christi* 595. *Hausit illa Evagrius ex Procopio, qui paulò ante, nempe sub Iustiniano, vixit. Non tamen apud eum leguntur. Ex scriptorum illis, qui postea claruêre, Gregorius secundus, qui Dialogus dicitur, Ioannes Damascenus lib.* 1. *de imaginibus, Patres Concilii Nicæni secundi, Adrianus Papa in responsione ad Capitulare Caroli Magni cap.* 18, &, *qui post annum demum* 800 *vixit, Nicephorus Callisti lib.* 2. *cap.* 2. *Atque hic multa addit, quæ non minus in Archivis Edessanis inveniri ait, quam illa ab Eusebio relata; sed quantum fidei merentur, pauci non vident. Edessanum illud sudarium, de quo diximus, adservari dicitur Ianuæ, sive Genuæ potius, sic enim Livius vocat; qui primus omnium scriptorum urbis ejus meminit in bello Hannibalico sive Punico secundo.*

Addit Baronius illam imaginem Dei providentiâ perlatam Constantinopoli Romam, eamque ibidem coli in titulo S. Sylvestri. *Sic pergit Vossius.*

„ Altera est pictura Veronicę, quod nomen corruptum ex φερονίκη,

 „ sive

„ sive potius βερονίκη: quomodo Macedones dicebant, β pro φ
„ substituto. Hæc Veronica dicitur Romam profecta, & sudario,
„ cui imago Christi impressa, sanasse Tiberium: Clementem ta-
„ men, quem Petrus Episcopum Urbis fecerat, sudarium hoc na-
„ ctum esse: ab eo, ut in Eleusiniis lampada sequenti tradebant, de-
„ venisse ad successores, hodieque Romæ adservari. Meminit Albe-
„ ricus in dictionario: qui vixit anno Christi 850. Historia ejus
„ rei exstat in Bibliotheca Vaticana: ubi totam sibi lectam esse
„ ajebat Thomas Stapletonus: ut ex ore ejus se accepisse ait Pame-
„ lius ad Tertulliani Apologeticum cap. 12. num. 280. Ubi plura
„ de hac imagine legere est. Hæc si vera sunt, mirum non verbo
„ attigisse Eusebium vel alium tribus post seculis: ne quidem, Pa-
„ tres Concilii Nicæni secundi vel Hadrianum primum in respon-
„ sione ad Capitulare Caroli Magni, qui studiose adeò advocarunt,
„ quæ possent ad tuendum imaginum cultum.

„ Tertia est pictura sacræ Sindonis: cui Nicodemus involverat
„ corpus Jesu Christi. Ea prius Camberii in Sabaudia asservabatur,
„ nunc Augustæ Taurinorum. Inventam ajunt anno Christi 858.
„ Joannes vero Hierosolymitanorum regum ultimus, donavit illam
„ Annæ sorori suæ, Ludovico Sabaudiæ Duci nuptæ. Ex pictura
„ hac colligunt, quantus fuerit Christus, quanta corona spinea,
„ quantaque magnitudo singulorum Christi vulnerum & similia,
„ nec enim faciem solum, ut Veronicæ sudarium, sed universi cor-
„ poris formam, pectus, brachia, manus, ventrem, femora, tibias,
„ pedes, ac, verbo ut dicam, omnia antè retròque representat. Ad-
„ servatur in capsa argentea, sed suspectam valdè eam sindonem
„ reddit, quod totis mille quadringentis annis talis sindonis memi-
„ nerit nemo: cum adeò minutias quasque referre soleant, quæ ad
„ sanctorum λείψανα, id est, reliquias, pertineant. Præterea non
„ video quomodo sacræ sindoni potuerit imprimi imago Christi,
„ cum aromatis corpus fuerit inunctum. Nam quasi centum libras
„ aloës & myrrhæ ad ungendum Christum attulisse Nicodemum
„ refert B. Joannes cap. 19. vers. 39. Nec proximè corpus ambibat
„ sindon, ὀθόνια, sive lintea illa: sudarium tantummodò tegebat fa-
„ ciem: fasciæ autem sive institæ operiebantur manus, pedesque ex
more

„ more Judaïco quem cognoſcere eſt ex hiſtoria Lazari reſurgentis.
„ Ajunt Papas duos, Xyſtum quartum & Julium ſecundum bullis
„ ſuis comprobaſſe. Sed nominant non proximos à Chriſti tempo-
„ ribus, ſed qui non longè à noſtris temporibus abfuêre.

„ Et hæc de picturis Chriſti, quas Chriſtus ipſe expreſſit. Præter
„ quas memorant alias tres, unam ajunt pictam à B. Luca, quæ Ro-
„ mæ dicitur adſervari. Ita Thomas Aquinas part. 3. quæſt. 25.
„ art. 3. ad 4. ſed vellem idoneum adduxiſſet auctorem. ſcio dici
„ pictam ab eodem B. Virginem, ſed antiquiſſimus, à quo id tradi-
„ tum eſt, eſt Theodorus lector, qui circa annum vixit ſexcenteſi-
„ mum. Eum ſecuti ſunt tantò poſteriores, Simeon Metaphraſtes
„ in Lucæ vita, & Nicephorus Calliſti lib. 16. hiſtor. Eccleſ. cap. 2.

„ Ad hæc *αἱμοῤῥοοῦσα*, ſive mulier ea, quam Chriſtus à fluxu ſan- *Matth.* 8.
„ guinis liberavit, imaginem ejus apud Paneadem, ſive Cæſaream *Marc.* 5.
„ Philippi, conſtituiſſe dicitur. De qua Euſebius lib. 7. hiſtor. Ec- *Luca* 7.
„ cleſ. cap. 16. ſive juxta Græcum codicem cap. 28. item Sozome-
„ nus lib. 5. cap. 20. & Nicephorus Calliſti lib. 10. cap. 30. Atque
„ hic more ſuo aliquid adjecit illis, quæ Euſebius & Sozomenus
„ retulêre. fortaſſe & Euſebium legenti ſcrupulus poſſit injici, an ea
„ imago fuerit Chriſti, nec tamen id negat Euſebius: ſed erectam
„ putat *ἐθνικῇ συνηθείᾳ*, id eſt, gentili conſuetudine.

„ Imò & Nicodemus ille, qui Chriſtum inunxit, putatur ſecun-
„ dam picturam Chriſti, quam in ſacra ſindone viderat, eandem è
„ ligno ſculpſiſſe; ac cum inſtaret Hieroſolymorum excidium, mi-
„ ſiſſe in Galilæam. Ejus verò loci Epiſcopi dicuntur impoſuiſſe
„ navi, quam divinæ committerent providentiæ. Hanc appulſam
„ eſſe ad Hetruriæ oppidum, quod Lunæ dicitur. Lunenſem vero
„ Epiſcopum de re totâ fuiſſe edoctum per Angelum: ac proptereà
„ imaginem impoſuiſſe currui magnifico; ac quo loco ceſſarunt e-
„ qui, templum exſtruxiſſe, ubi hodieque ſacra illa à Nicodemo ela-
„ borata imago adſervetur. Quæ omnia majoris forent auctorita-
„ tis, ſi ſubnixa eſſent primorum ſeculorum ſcriptoribus. Verita-
„ tem aſtruere ſolent è miraculis: de quibus, ut ajunt, Athanaſius,
„ libello de paſſione imaginis Chriſti in Beryto. Ac totus is libel-
„ lus legitur & comprobatur in Synodo Nicæna ſecunda Act. 4.

Bellar-

,, Bellarminus tamen in scriptoribus Ecclesiasticis genuinum ne-
,, gat: nec leve est argumentum, quo id astruit. Quippe miraculum
,, id, quod eo libello refertur, demum contigit anno Christi 766,
,, ut Sigebertus in Chronicis testatur. Quare Athanasius is non
,, fuerit magnus ille Athanasius, sed aliquis quadringentis annis
,, recentior, vixeritque, quo tempore agitabatur de cultu sacrarum
,, imaginum. Atque hæc de Christi imaginibus generatim visum
,, dicere, occasione Veronicæ Christo obviam factæ in via ad Gol-
,, gotham ducenti. *Hactenus Vossius. Atque ex hisce videre licet, quam*
,, *incertis nitatur fundamentis imaginum cultus, qui præcedenti seculo tot*
,, *& tantas in Ecclesia peperit turbas, ut totis Episcoporum agminibus di-*
,, *micantes inter se diu conflictarint Christiani: ita etiam, ut utrimque, cum*
,, *crudeli adversariorum persecutione, dictum sit anathema. Recessit ab Ec-*
,, *clesia prisca morum lenitas & vita integritas, & in earum locum succes-*
,, *serunt contentiones, factiones, pugnæ.* Decet in talibus causis hoc maxi-
,, mè providere, ut sine strepitu concertationum & charitas custo-
,, diatur & veritas defendatur, *inquit magnus ille Leo epist.* 8. *ad Flavia-*
,, *num: nam nimium altercando veritas plerumque, & charitas semper*
,, *amittitur:* quare cavendum est, ne tempestate contentionis, sereni-
,, tas charitatis obnubiletur, *ut inquit S. August. epist. ad Casul.* nam si
,, linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non
,, habeam, factus sum velut æs absonans, aut cymbalum tinniens, *ut*
,, *loquitur Apostolus* 1 *Cor.* 13. Per mansuetudinem & modestiam
,, Christi omnes obsecro, *inquit, Paulus* 2 *Cor.* 10. *Et nos cum eodem*
,, *Paulo cap. sequenti dicimus, cavete*, ne quemadmodum serpens E-
,, vam decepit versutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri à simpli-
,, citate, quæ erat erga Christum.

A. C. 945. Hugo prædictus à suis regno pulsus, fit in Burgundia Monachus, & filius in Regnum susceptus est. *Leo Ostiensis.*

Lodovicus Rex Francorum dolo Hugonis, comitis Parisiensis, à Normannis, quos sibi fideles putabat, capitur, & integrum annum in custodia detinetur. *Frodoard.*

A. C. 946. MarinusPapa moritur, succedit Agapetus secũdus. cętera obscurus.

A. C. 947. Contenditur inter Hugonem olim puerum ordinatum Archiepiscopum Rhemensem, & Artaldum de Episcopatu Rhemensi. Hugo autem

autem damnatur, & Artaldus synodo legitimus Episcopus judicatur. *Frod.*

Dani, Slavi & Bohemi per Ottonem Imperatorem vincuntur, & ad Christum convertuntur. *Ditmarus.* A. C. 949.

Lotharius Italiæ Rex veneno è medio tollitur, & Berengarius regni administrator, sibi regnum vendicat. *Frod.* A. C. 950.

Otto Imperator in Italiam veniens, fugatis Berengario regem agente, & ejus filio Adelberto, Adelaidem Reginam, Lotharii antea conjugem, accepit uxorem, regnoque ita Italiæ potitur. *Leo Ostiens.* A. C. 951.

Otto Imperator ab Agapeto invitatus, Romam venire prohibetur ab Alberico principe, qui Urbi dominabatur. *Frod.* A. C. 952.

Ottonis Imperatoris filii conspirant contra patrem. *VVitich.* A. C. 953.

AlbericusPatriciusRomanorum moritur. Filius ejus Octavianus, cum esset clericus, principatum adeptus est, qui postea, defuncto Agapeto, suggerentibus sibi Romanis Papa Urbis efficitur. *Frodoard.* A. C. 954.

Matthæi Apostoli & Euangelistæ corpus, quod primum in Æthiopia, ubi passus fuerat, & postea in Britannia diuturno tempore quieverat, Salernum transfertur. *Chronicon Casinens.*

„ Agapetus Papa moritur, & Octavianus Alberici filius, Urbis princeps, sedem Apostolicam invadit. Albericus pater munitionem S. Angeli, quæ dominabatur Romæ, pulso Hugone Rege occupaverat. Octavianus tyranni successor & hæres, malorum consortio, duplex tyrannus efficitur anno ętatis decimo octavo. Abortivum istum & illegitimum tum parturiit Romæ Tyrannis, vi pollens, armis omnia miscens, omnia audens atque subvertens, ut nullo puncto dicendus tunc fuerit legitimus pontifex, in cujus electione lex nulla sit suffragata; sed omnia vis & metus impleverint: cum qui nec ætate diaconus esse potuit, ostensus sit tanquam in scena mimus, Pontificem agens &c. Hic inventus primus, qui sibi nomen mutavit, ut qui ex Octaviano voluerit appellari Joannes, pro mutata, non exuta tyrannide: nam qui dictus erat à patre ob temporale Urbis dominium Octavianus, ob spirituale nomen, Joannes nominari voluit; vel quod eo nomine ejus patruus Johannes XI, Papa dictus sit; vel ut in eo nomine saltem bene posset audire in adulatoriis acclamationibus, A. C. 955.

 „ qui-

„ quibus malè usurpatum proferri soleret sacrum illud elogium:
„ *fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes.* Baronius ex Luit-
„ prando.

A. C. 956. *Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus, homo ex omni parte turpissimus, moritur. Sexdecim annos natus erat, quando contra canones Ecclesiæ gubernationem accepit: multa turpia facinora patrans, quæ narrare nefas est. Intolerabili equorum amore flagrabat, quorum duo millia alebat, non fœno aut hordeo, sed amygdalis, pistaciis, dactylis, caricis, passulis vino odoratissimo mixtis: crocum, cinnamomum, balsamum & alia aromata addens; sacra peragenti magnâ illâ quintâ sacræ cœnæ die, servus nunciat equam peperisse, ille petit stabulum, visoque pullo ad templum sacraque facienda redit. Illius etiam opus fuit, mos, qui etiamnum viget, in sacris & publicis populi celebritatibus, contumeliâ afficiendi Deum & sanctorum memoriam per quadam indecora cantica ac risus, cum temerariis exclamationibus, dum matutino tempore hymni perficiuntur, quos oportuit contrito corde pro nostra salute Deo dici &c. quasi verò tempus ambitiosè decertaret, ut simul consentientes & concordes ostenderentur Patriarcha, etiam Romanorum Occidentis Ecclesiam gubernandam sortitus est Ioannes Alberici filius, ad omnem lasciviam & vitium propensus.* Curopalates, qui vixit anno C. 1070.

A. C. 957. Ioannes XII. exercitum colligit & multa frustra molitur contra vicinos principes. *Baron.*

A. C. 958. S. Odo Episcopus Cantuariensis moritur, succedit Calfinus hominum nequissimus.

A. C. 959. Arnulphus Marchio Flandriæ liberatur à calculo precibus S. Gerardi. *Baron.*

A. C. 960. Joannes Papa vocat Ottonem Imperatorem in Italiam contra tyrannidem Berengarii & Willæ uxoris, quæ erat filia Bosonis, Marchionis Tusciæ, fratris Hugonis, fœmina impudicitiæ, sævitiæ, & omnium vitiorum laborans infamiâ, quam omnium fœminarum nequissimam *Luitprandus* vocat.

A. C. 661. Otto Imperator filium Ottonem Germaniæ Regem facit, & cum exercitu in Italiam abit, quod regnum sine impedimento obtinet, *Witich. Luitprand.*

A. C. 962. Otto Imperator Romam pacificè adit, Ecclesiæ ablata restituit,

& à Papa Johanne inunctionem imperii suscipit: Quod Regino ita factum narrat, cum ait: *Anno Dominica incarnationis 962, Rex natalem Domini Ticini celebravit, indeque progrediens Romæ favorabiliter susceptus acclamatione totius populi Romani & Cleri ab Apostolico Iobanne filio Alberici, Imperator & Augustus vocatur & ordinatur.* Nomen Imperatoris à clero populoque Romano Ottoni datur, consecratio sive ceremonia ex decreto publico facta est à Pontifice, tanquam primo urbis Imperialis sacerdote. *Papa jurat supra pretiosissimum corpus Petri se nunquam ab Imperatore defecturum, & nunquam se Berengario aut Adelberto auxiliaturum.* Rhegino.

Papa juramenti oblitus Adelberto jurat se illum contra Imperatoris potentiam adjuturum, eumque invitatum Roma honorificè excipit. In eundem finem mittit ad Imperatorem Orientis & ad Hungaros, ut in Germaniam irruant. Venit etiam Romam Otto Imperator cum exercitu, Romanis invitantibus. Papa cum Adelberto fugit, Romani cives Imperatori fidelitatem promittunt, & jurant se nunquam Pontificem electuros, præter consensum & electionem Imperatoris. Luitprandus. A. C. 963.

,, Clerus & plebs Romana rogant concilium, multi Archiepiscopi & Episcopi cum Imperatore in Ecclesia Petri conveniunt; ,, ibi à Cardinalibus & Episcopis accusatur Johannes, qui affir- ,, mant se vidisse, illum Missam celebrasse & non communicasse, ,, diaconum ordinasse in equorum stabulo: se scire quod ordinatio- ,, nes Episcoporum fecerit certo pretio & ad certos annos: de sacri- ,, legio, *inquiunt*, non est necesse percunctari, quia plus videndo ,, quam audiendo scire protuimus; & se certò scire, *ajunt*, eum vi- ,, duâ Rainerii & Stephanâ patris concubinâ, & Annâ viduâ cum ,, nepte sua abusum fuisse, & cum duabus sororibus rem habuisse, & ,, sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse: Venationem pu- ,, blicè exercuisse, Benedictum spiritualem Patrem suum lumine ,, privasse, & mox mortuum esse. Joannem Cardinalem virilibus ,, amputatis occidisse, incendia fecisse, ense accinctum galeâ & lori- ,, câ indutum fuisse; Diaboli in amorem vinum bibisse: Omnes tam ,, clerici quam laici acclamant, in ludo aleæ Jovis, Veneris, cætero- ,, rumque dæmonum auxilia poposcisse; matutinas & canonicas ho- ,, ras non celebrasse, nec signo crucis se muniisse. Hæc & his turpio-

„ ra ab eo facinora commissa Cardinales, Episcopi, Diaconi, cle-
„ rus & omnis Romanorum populus, quasi vir unus dixerunt, & jura-
„ mento affirmarunt coram Imperatore. *Luitpr. Acta synodalia.*

Reprobato ergo Ioanne, ut apostatâ, quemadmodum ter exclamant Concilii Patres, Leonem octavum Papam eligunt (quia legitimè citatus Ioannes venire recusabat) idque annuente Imperatore. Audi, quæso, summa cum animi perturbatione contra hanc synodum Patrum Orthodoxorum, ut ipse fatetur, declamantem, exclamantem & disputantem illustrissimum Baronium: *Indignum facinus*, inquit, *audax & insolens! Ecclesiasticum jus offensum, canones violati*, &c. Sed si placet, leniter examinemus ejusdem rationes contra hoc Concilium productas: 1. *Nemo potest*, inquit, *convocare Concilium quam ipse Papa.* Resp. Contrarium docent omnia ferè præcedentia Concilia per Imperatores convocata, ut videre licet. an. C. 880. 2. *Nemo potest Papam condemnare, nisi ipse Papa.* Resp. Qui habet jus electionis & ordinationis habet & degradationis. Joannes autem Coëpiscoporum suorum totiusque cleri & populi Romani judicio damnatus & depositus, fiebat Laicus, & ordinis characterem amittebat. 3. *Numerus testium debet esse septuaginta duorum, ut contestati Patres de Marcellino Papa judicaturi.* Resp. Hunc Joannem Episcopi, Diaconi, clerus & cunctus Romanorum populus accusat, & recto ordine judiciario condemnat. 4. *Ante latam sententiam ter debet citari reus: Ioannes tantum bis vocatus est.* Resp. Cui bono tertia citatio, cum secundam noluerit admittere aut audire Joannes, & clamatum sit à Patribus: Inauditum vulnus inaudito est exurendum cauterio? 5. *Executio sine sententia est prodigiosa!* Resp. Sępius dictum à patribus ob mores improbos & immania flagitia pellendum Ioannem, sed noluerunt ferre sententiam, & enumerare omnia Ioannis turpia & execranda scęlera, ut homicidium, perjurium, sacrilegium, incestum &c. propter Apostolicę sedis reverentiam. 6. *Excommunicati à Ioanne Ioannem condemnant.* Audiamus litteras Ioannis excommunicatorias: *Ioannes servus servorum Dei omnibus Episcopis: Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere. Si hæc feceritis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis potentiam ullam ordinare, & missam celebrare.* Resp. Invalida, & nulla est excommu-

municatio Papæ illegitimi in Orthodoxos, qui desiderant tantum, legitimo procedendi modo, inquirere mores, aut potius enormia & detestanda Joannis acta, sedis Apostolicæ publica scandala, ne cum capite ægro totum corpus periret. 7. *Imperator contra canones à synodo rogatus, condemnat Episcopum.* Resp. Tota synodus condemnat Joannem ob rationes prædictas, sed annuente Imperatore, ut habent acta synodalia. Ne quid dicam de auctoritate Imperatoris in simili casu, ut videre est in quibusdam synodis œcumenicis. Vocat Baronius judicium hujus synodi contra Joannem, *spurium & sacrilegum*, Leonem à Synodo electum *Pseudo-Leonem*, *è numero Pontificum explodendum: sicut nec canis, Leonis nomine insignitus, verè Leo est.* Sic pro suo arbitrio non rarò stomachatur in Imperatores reges, pontifices, vir imperiosus. Platina autem dicit, *Leonem à clero populoque Romano, pulso Ioanne, electum*: Onuphrius vocat. *Benedictum schismaticum contra Leonem VIII, Papam legitimè creatum.* Sed vide, quæso, acta synodalia, Rheginonem lib. 2. Luitprandum lib. 6. cap. 11. &c. Præterea Baronius ægrè fert, *Synodum Ioannem non ornasse titulo sanctitatis*; cum, ipso Baronio teste, omnium hominum pessimus, illegitimè sedem invaserit. Ego lubens fateor me hæc illustrissimi viri verba non posse conciliare, quare sæpe doleo ejusdem improvidum & morosum in quibusdam judicium.

Romanus, Imperator Orientis, qui patrem Constantinum Imperatorem veneno interfecerat, corpore turpissimis voluptatibus exhausto, moritur, ab aliis veneno peremptus dicitur. Cui licet filii successissent, tamen aliis imperium affectantibus, Nicephorus Phocas succedit, qui ducit in uxorem Theophanem viduam Imperatoris Romani, suam commatrem, quare cum sylvestro asino eum comparat in suæ legationis relatione *Luitprandus*.

Otto Imperator dimittit partem exercitus, ut ab illo onere liberaret populum Romanum. Quo cognito Ioannes non ignorans quam facilè Romanorum mentes pecuniâ posset corrumpere, clam Romam mittit nuntios, B. Petri omniumque ecclesiarum pecuniam promittens, si pium Imperatorem & Leonem Papam trucidarent. Romani exercitus paucitate confidentes in Imperatorem ruunt: sed iis tam fortiter Otto cum suis exercitatis militibus restitit, ut plurimi Romanorum acceptù à tergo vulneribus occisi A. C. 964.

 sint:

sint: & vix aliquis eorum superstes fuisset, si sanctus Imperator misericordiâ motus suos non revocasset. Itaque interfectis plurimis, atque iis, qui Luitpr. l. 6. cap. 11. *supererant, acceptis obsidibus, Româ discedit: ut obsides reddat Otto Imperator, Leo orat & impetrat.* Luitprandus, qui ita pergit. *Igitur fidei Romanorum Papam tanquam lupis agnum commisit: nam relictâ Româ Spoletum & Camerinum properat, ubi Adelbertum esse audierat. Interea mulieres, quibuscum Ioannes voluntatis suæ ludibrium exercebat, plurimos nobiles Romanos excitarunt, ut Leonem summum Pontificem & universalem Papam à Deo & ipsis electum interficerent, & Ioannem revocarent. Evadit eorum manus Leo, & fugit ad Imperatorem, qui motus precibus Leonis & quorundam Cardinalium, quibus dextram, linguam, nares, &c. abscindi jusserat Ioannes, cum exercitu Romam tendit.* Luitprandus.

Revocatus Ioannes collectâ synodo Leonem Papam deponit, omniaque ejus acta abrogat, nec nominandam synodum à Leone habitam publico omnium judicio statuit, sed prostibulum, favens adulteris (Leo erat adulter, quia alterius sponsam invaserat) damnatur per synodum Leo Papa, tanquam schismaticus, & omnes ab eo ordinati &c. Sigebertus.

Baronius Leonem Papam illegitimum, Concilium ejusdem conciliabulum & pseudosynodum appellat, *in qua ecclesiasticum jus offensum, canones violati, vulnerata traditio, conculcata, oppressa; & cum dedecore prostrata justitia.*

Synodum hanc vocat, *legitimam, & erroneum, imò hæreticum statuit, credere cum moribus depravatis minui auctoritatem Pontificis Romani.* Non est Christianus, qui non vivit Christianè. Quid enim aliud volunt? quid à nobis aliud exigunt? quo aliò nos vocant omnia Dominica & Apostolica præcepta? Similes sunt sepulcris dealbatis, qui titulo sanctitatem præ se ferunt, operibus verò negant. *Quid Christo cum Belial? Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis.* Paulus 1 Cor. 15. *Iac.* 2. Ambrosio *membra adhærentia meretrici desinunt esse membra Christi. Vide & Augustinum tomo* 11. *de sanctis sermonibus* 41.

Post fugam Leonis, priusquam sancti Imperatoris copiæ essent congregatæ, volens cunctis seculis innotescere Dominus, quam justè esset Ioannes Papa à suis Episcopis & omni plebe repudiatus, quamque postmodum injustè receptus: quâdam nocte extra Romam, dum se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à Diabolo est percussus, ut intra octo dierum

rum spacium, eodem sit vulnere mortuus. Luitprandus.

De hoc Joanne XII. sic habet Panuinus in Platinam: *Sed quoniam omnia insignia mendacia ab aliqua veritate originem habent, hanc fabulam* (de Papissa) *ex Ioannis XII. Papa viri impuri vita manasse crediderim. Is Ioannes per vim Patris Alberici Romani principis potentiâ adhuc penè adolescens Papa factus, aliquot concubinas, ut Luitprandus Ticinensis illorum temporum scriptor lib. 6. cap. 6. & 7. tradit, habuit: In his pracipua erant Ioanna, Reyneria & Stephania. Ex Ioanne igitur Papa & ejus item scorto Ioanna, ad cujus fortè arbitrium, tanquam Papa, Roma omnia pendebant, Ioannis fœmina fabula manavit: qua processu temporis aucta, in historiæ auctoritatem imperiti alicujus scriptoris operâ paulatim irrepsit.* Hic errat Onuphrius: *nam nulla in Luitprandi scriptis* Joannæ *expressa, sed pudenda Raineria, Stephanæ, Anna vidua neptisque memoria est.* Blondellus.

Mortuo Ioanne Romani non modicè metuentes Imperatoris adventum, Benedictum quendam Romanæ Ecclesia Diaconum, fidei & electionis Imperatoris promissæ immemores, Papam eligunt, Regino.

Otto cum exercitu Romam venit, urbem capit, & in ea Benedictum; Leo restituitur & synodo convocatâ Benedictus exauctoratur, qui ipse accusato & reprobato Ioanne, Leonem Papam elegerat, & juramento Imperatori promiserat, se nunquam cum cæteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum absque illius filiique sui Regis Ottonis consensu. Benedictus precatur veniam & Imperator synodum, ut ejus misereatur &c. Luitprandus.

Leo Papa sua constitutione Imperatori ejusque successoribus concedit perpetuum jus eligendi Episcopum Romanum, & ut nemo facultatem habeat eligendi Patricium Roma vel quemcunque Episcopum absque consensus Imperatoris, sed ut fieret sine omni pecunia. Gratianus. Qui mos ad tempora & bella Henricorum perduravit. Baronius hæc omnia vocat *imposturas, quisquilias, sordes ineptissimi compositoris, per rationes dubias & meras conjecturas.* Sed cum ipse Baronius affirmet Johannem illegitimè electum esse, & omnibus sceleribus sedem Apostolicam conspurcasse, non video, quare non ab Imperatore & tot Episcopis deponi potuerit, & Leo Papa, ob inconstantiam Cleri populique Romani, dictum jus Imperatoribus tribuere non debuerit, ut saluti Ecclesiæ Romanæ, quæ & capite & membris ægra erat,

Gratian distinct. 63 c. 23.

rat,

rat, consuleret, præcipuè cum Carolus M. & reliqui Imperatores eodem jure uti soleant.

Nicephorus Imperator Orientis contra jus & fas multa sibi sacrilegè vendicat, ut inquit Baronius, *cum lege cavit, non esse eligendos Episcopos sine suo consilio & jussu & milites in bello contra Saracenos casos inter Martyres numerandos*. Curopalates.

A. C. 965. Otto Imperator redit ex Italia in Saxoniam, & secum adducit Benedictum Papam, qui traditur ab Imperatore custodiendus Episcopo Hamburgensi, ubi moritur. *Regino*.

Leo VIII. moritur, & consensu Imperatoris Ioannes XIII. Papa eligitur: nam Romani stragis & juramenti memores, legatos mittunt in Germaniam ad Ottonem, de novo Pontifice creando, qui per missos Episcopos creat Episcopum Narniensem, Ioannem dictum XIII, in Pontificem, qui paulò post ab Vrbis præfecto, secundum antiquam Romanorum consuetudinem, capitur, & in exilium pellitur. Regino, Onuphr.

A. C 966. *Otto certior factus de captivitate Pontificis cum exercitu redit in Italiam: Romani sibi metuentes Papam restituunt. Imperator ubi Romam venit, duos Coss. relegat: prætorem integro die crinibus suspensum, postea virgis cædi, & aversum asino altero die circumduci, & tandem cum 12. senatoribus suspendi jubet*. Auctarium Reginonis, & auctarium ad Anastasium.

A. C. 967. *Otto cum Ioanne Ravenna Concilium celebrat, eamque urbem & terram Ravennatem, & plura alia, multis retrò temporibus Pontificibus Romanis ablata, Papa reddit, eumque inde magna cum lætitia Romam remisit. Ipse vero in partes Tusciæ secedit*. Regino.

Otto filius venit Romam, ubi à Joanne Imperatoris titulo coronatur. *Sigeb.*

A. C. 968. Imperator prope Capuam audit legatos Nicephori Imperatoris Orientalis; sed vide apud *Baronium Luitprandi* relationem suæ legationis ab Ottone ad Nicephorum, & videbis meram in ipsa Græcia barbariem.

Ioannes Papa Romæ primus campanam Lateranensem, nuper conflatam, sacris ritibus Deo consecravit, Ioannemque appellavit, qui sacer ritus in Ecclesia perseveravit &c. à vulgo baptismus dicitur. Baron.

A. C. 969. *Nicephorus Græcâ fide sub prætextu nuptiarum legationem mittit ad Ottonem,*

Ottonem, qui præcipuos quosdam viros, ut cum honore puellam exciperent, ad destinatum mittit locum; quos Græci aut capiunt, aut trucidant. Otto iratus movet in Calabriam, Græcorum multos capit, quosdam truncatis naribus Constantinopolim remittit: & tributum ex Calabria & Apulia extorquet. Constantinopolitani contra Nicephorum exsurgunt, & machinatione propria conjugis, militis cujusdam insidiis eum occidunt, loco Domini militem illum nomine Ioannis Zemisces Imperatorem designantes. Hic puellam Theophaniam ad Ottonem mittit addita dote, quidquid Græci in Italia possiderent. Nuptiæ sunt Romæ magnificè celebratæ, & ipsa sponsa ibidem Imperatrix coronatur. Witichindus, Sigebertus.

Patriarcha Antiochenus & Hierosolymitanus à Saracenis interficiuntur. *Curopalates.*

Clerici incontinentes in Anglia corriguntur. A. C. 970.

Joannes, Imperator Orientis, Bulgarorum Regem, ejusque uxorem, liberos, & regiam urbem capit, & Regnum extinguit. *Cedren.* A. C. 971.

Moritur Joannes XIII. succedit Donus aut Domnus, qui sedit tantũ mẽses tres: in ejus locũ surrogatur Benedictus VI. cætera obscura. A. C. 972.

Moritur Otto dictus Magnus, succedit Otto filius, dictus junior, seu secundus. A. C. 973.

Ille Otto Imperator verè dictus est Magnus: nam ad exemplum Caroli Magni ad magnas belli victorias magnam etiam adjunxit Ecclesiæ curam, & ad militiæ laudes veritatis ac doctrinæ cœlestis victorias magno cum fructu adjecit, & gentes à Christiana religione alienas, ad verum Dei cultum adduxit, diversas Ecclesias instituit & fundavit; quas in Episcopatus distribuit, & annuis reditibus, quibus Ecclesiarum & Scholarum ministri alerentur, liberaliter locupletavit. Danos, superato eorum Rege Haraldo, ut & postea Sclavos quosdam, ut VVindos & Obotritos, subegit &c. & ad baptismum & fidem Christianam suscipiendam adegit. Princeps certè, qui de Imperio & Ecclesia optimè meritus, inter laudatissimos numerãdus est. Fab.

Benedictus VI. ubi sedisset annum unum à Cardinale Bonifacio, scelestissimo viro, violentâ manu capitur, in carcerẽ detruditur, & strangulatur. Qui sedem Apostolicã vi invasit, & tenuit annũ unum & mensem. Leo Ostiens. A. C. 974.

Benedictus Romanus, ex Albericis oriundus, Bonifacium tyrannum & invasorẽ abire coëgit, qui nefandissimus homo & truculentus prædo antequam discederet Basilicam Vaticanam invadit, omnibus ornamentis spoliat, & sacrilegâ onustus prædâ Constantinopolim navigat. In ejus locum eligitur Benedictus VII. Idem, Onuphr. Baron. A. C. 975.

Primus honor Pontifici Romano habetur, inquit Polydorus, *ut si minus pulcro honestetur nomine, ei statim creato liceat illud mutare. Verbi gratia, non extra jocum dictum sit, si homo maleficus antea fortè fuerit, ut Bonifacius appelletur: si timidus Leo: si rusticus Vrbanus: si improbus Innocentius: si ferox Clemens: si malè audierit Benedictus, quo saltem nomine Pontifex ornamento sit dignitati. Ejus autem rei auctor fuisse dicitur Sergius secundus, cui, cum Os porci diceretur, ad obscœnam appellationis vocem tollendam datum est, ut aliud sibi nomen optaret. Et illud ajunt ex imitatione Christi esse factum, qui Simoni Bar Iona nomen Petro indidisset. Manavit, dein mos ad posteros, ut qui Pontifices crearentur, omisso priore nomine, eligerent sibi unum aliquod ex Pontificum, qui ante fuissent, nominibus*, Polydorus Vergilius lib. 4. cap. 10.

Joannes Zemisces Imperator veneno dato moritur. Succedunt Basilius & Constantinus Romani Imperatoris filii.

Basilius Patriarcha Constantinopolitanus criminis accusatus deponitur.

In Anglia proceres regni monachos expellunt. & clericos cum uxoribus reducunt. Quæstionem hanc definit, & decidit imago Christi locuta. *Baron.*

A. C. 976. Patriarchatus Constantinopolitanus vacat annos quatuor.

A. C. 977. Multi hoc tẽpore Monachi sunt Eremitani, cętera obscurus annus.

A. C. 978. Hoc anno multi, ut & præcedentibus annis, apud Baronium inveniuntur sancti; sed extra Italiam: eodem anno S. Gudulæ corpus Bruxellam transfertur.

A. C. 979. Dunstanus Episcopus Cantuariensis dicitur prophetiæ afflatus spiritu. *Baron.*

A. C. 980. Otto Imperator venit in Italiam,& eodem anno Adelbertum eligit in Episcopum Pragensem.

A. C. 981. Anni per sanctos & miracula *Baronio* clari, cætera obscuri.

982. Ottonis exercitus à Græcis & Saracenis in Calabria cæditur, ipse

983. Imperator Romæ moritur, & filius Otto III, Aquisgrani Imperator coronatur. *Ditmarus.*

A. C. 984. Benedictus VII. moritur, succedit Ioannes XIV. antea dictus Petrus, Episcopus Papiensis, Ottonis II, Cancellarius, qui pro Petro Iohannis nomen assumpsit. *Onuphr.* Annus *Baronio* sanctis clarus, alioqui

alioqui obscurus. Bellarminus in Chronologia: *vide,inquit, seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parum sollicíti de Republica.*

Sodalitas quædam sacerdotum Romæ pro se & posteris instituta est, ut siquis ex hâc sodalitate moreretur, singuli quadraginta missas canerent statim post obitum, nisi quis morbo impediretur, qui id sequenti tempore perficere coäctus fuit, nisi vellet excommunicari. Baron.

Nefandus Bonifacius VII, antehac sedis Apostolicæ invasor, qui necato Pontifice, & spoliatâ Basilicâ Vaticanâ Constantinopolim fugerat, ubi res innovatas accepisset, decessisse Benedictum VII, & Ottonem Imperatorem defunctum, cujus patrocinio fovebatur Ioannes Papa, qui Benedicto successerat, Romanam sedem iterum invasurus, suorum studiis per aurum S. Petro ablatum roboratus, rediit: ut, quam reliquerat, cathedram occuparet. Venit sceleratus atque sacrilegus, suorumque factione potens, quem sedentem in Pontificis throno, Ioannem invenit, exturbavit, vinculisque ligatum in S. Angeli munitionem detrusit, quæ à suis detinebatur, ubi quatuor detentum mensibus fame perire miserum tandem truculentus prædo coëgit: duorum Pontificum crudelissimus interfector; invasamque iterum cathedram Petri, proh nefas! tenuit tyrannus menses quatuor. Adnumerandus inter famosos latrones, & potentissimos grassatores, & patriæ proditores, Syllas & Catilinas &c. quos omnes superavit iste sacrilegus, turpissimus nece duorum Pontificum. Ille quarto mense repentinâ morte interiit. Nudum ejus corpus caditur, & contis lanceisque vulneratum per Urbem pedibus trahitur, & inter plebeios sepelitur. Ejus loco succedit Ioannes XV. Baron. Platina. A. C. 985.

Crescentius, qui titulo consulatus possidebat sancti Angeli munitionem, infestat Papam Ioannem; is fugit in Tusciam, vocaturus Ottonem, cujus adventum Romani timentes Ioannem revocant: redit & omni obsequio excipitur à populo Romano. Idem.

Posteri Caroli M. in Galliis imperantes, paulatim Principum potentiâ opprimebantur: nam provincias non ex voluntate regis ad tempus, sed perpetuo jure quasi proprias possidebant; senescente ad hunc modum auctoritate regiâ, principes à Carolo Simplice desciscunt an. C. 920, qui ab Heriberto Vermanduorum Comite carceri includitur & moritur an. 929. Carolo exauctorato an. 923, A. C. 986. 987. &c.

 de

de principum ſententia fit Rex Rudolphus, Rutberti gener, qui in uxorem duxerat Emmam ejus filiam, ſororem Hugonis M. qui fuit filius dicti Rutberti & ſororis Heriberti, & qui uxorem habebat ſororem Otthonis I, Imperatoris, & erat Reginæ frater. Rudolpho mortuo, Ludovicus Caroli Simplicis filius ex Anglia, quò, patre capto fugerat, revocatus, unde dictus Transmarinus, regnum adiit an. 936. qui mortuus an. 954, Lotharium & Carolum reliquit filios. ſuccedit Lotharius, qui Rhemis inunctus annos circiter 32. regnat. Anno hujus tertio moritur hic Hugo M. Dux Francorum, cui tres erant filii, Hugo Capetus, Otto & Henricus, & filia Emma, ex Hatwige Ottonis Imperatoris ſorore. Emma nupſit Richardo Nortmannorum duci. Hugo Capetus Francorũ ducatum poſt patrem ſortitus eſt. Ludovico ſine prole defuncto, in quo progenies Caroli M. & ſecunda regum familia deſiit, anno poſt inaugurationem Pipini 235, regnum ad ejus patruum Carolum Lotharingiæ ducem, Ludovici Transmarini filium pertinebat. Sed dum ille cunctando rem ad conſilium defert, in Hugonem Capetum ſumma rerum defertur. Ad principum auctoritatem etiam acceſſerat Ludovici poſtremi voluntas, qui, ut Odorannus ſcribit regnum moriens Hugoni donaverat. Hugo Carolum in poteſtatem redactum Aurelianos abduxit, ubi turri incluſus diem obiit. De hujus filiis varii variè. Baronius Hugonem ex proſapia Caroli M. ortum ſtatuit, ſed malè. Uxorem habuit Hugo Adelheidem Ottonis M. filiam. Fuit Hugo originis Saxonicæ à Witichindo ortum ducens, & nihil cum Caroli M. ſtemmate commune habens. vide *Petavium* contra *Nangium*.

A. C. 992. Arnulphus Epiſcopus Rhemenſis ex concubina Lotharii Regis filius, accuſatus, in gratiam Caroli conſobrini prodidiſſe an. C. 990. urbem Rhemenſem, in ſynodo Rhemenſi juſſu Hugonis Capeti convocata, exauctoratur, neſcio Pontifice Romano; unde magnæ in Galliis turbæ, ubi inter cæteros de auctoritate Papæ ſic loquitur alius Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis, in actis Rhemenſibus cap. 28. quæ nobis collegit, & continuatâ oratione protulit Gerbertus, in locum Arnulphi Rhemenſis à ſynodo ſurrogatus. *Nos*, inquit, *reverendiſſimi Patres Romanam Eccleſiam propter B. Petri memoriam ſemper honorandam decrevimus, nec decretis Pontificum obviare contendimus, ſalvâ tamen auctoritate Concilii Nicani, quod eadem Romana Ec-*

cleſia

clesia semper venerata est: statuta etiam sacrorum Canonum diversis locis, diversis temporibus, sub eodem Dei spiritu, conditorum, in aeternum valere praecipimus, ab omnibus servanda censemus. Duo autem sunt quae à nobis magnopere praevideri debent, id est, si Romani Pontificis silentium (Papa legatione rogatus non responderat,) *ut nova constitutio, promulgatis legibus Canonum praejudicare potest. Si enim silentium praejudicat, omnes leges, omnia priorum decreta eo silente silere necesse est: si autem nova constitutio, quid prosunt leges conditae, cum ad unius arbitrium omnia dirigantur. Videtis, quia his duabus caussis admissis, Ecclesiarum Dei status periclitatur.* Baronius respondet Arnulpho: *Papa est supra Canones, quia ejus decreto indicuntur* (id est, cum auctoritate significantur, quasi dicas imperantur) *synodi, & sanciti in illis Canones confirmantur, ut robur in Ecclesia consequantur.* Respondi saepius & cum sit quaestio facti, vide sub Constantinis, Theodosiis,& caeteris Orientis imperatoribus, indicta concilia, quandoque ignaris episcopis Romanis, subinde contra eorundem voluntatem, quae tamen ab omnibus habita oecumenica: idem reperies in Conciliis à Carolo Magno,Ludovico & aliis Occidentis Imperatoribus convocatis, (quod minoribus quoque synodis saepe usitatum) mandato, imperio, jussu, sanctione Imperatorum & Regum,ut ipsa docent Conciliorum verba in tomis Conciliorum. Pergit Arnulphus.

Quid ergo, inquit, *num privilegio Romani Pontificis derogabimus? minimè: sed si Romanus Episcopus is est, quem scientia & vita meritum commendet, nec silentium,nec nova constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantiâ vel metu vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit (quod ferè hoc tempore vidimus Roma tyrannide praevalente)tunc multò minus idem silentium & nova constitutio formidanda sunt. Non enim is qui quolibet modo contra leges est, legibus praejudicare potest.* Baronius respondet: *O fatua, & deridenda potius quam confutanda inanis assertio, dum vult in vita moribus & scientia inesse auctoritatem Pontificis! Vbi illud Domini*: facite quae vobis dicunt non quae faciunt? *quasi potestas sit ab homine & non à Deo. Et illud Apostoli*: non qui plantat, non qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus? *Perstans verò in eadem falsissima opinione deducit orationem,ut velit auctoritatem Apostolicae sedis ob pravos, qui in ea sederunt Pontifices, defe-*

Matth. 23.
1 Cor. 3.

ciſſe. Reſp. Et tamen Auguſt. 46. Tractat. in Joannem : *ſedendo ſuper cathedram Moſis , Dei legem docent : ergo per illos Deus docet. Sua verò ſi velint docere , nolite audire , nolite facere.* Idem habet lib. 4. de doctrina Chriſt. c. 27. Sic & Theophylactus exponit *ſedere in cathedra*
Matth. 23. *Moſis, ea docere, quæ præcepta ſunt in lege Moſis.* Stella , Maldonatus,
2. 3. Lucas Brugenſis *&c.* illum locum explicant : *quatenus docent , quæ Moſes in cathedra ſedens docuit, audiendi ſunt, alioqui non audiendi* , ubi, ut apud Malachiam , *recedunt de via , cum ſacerdotes non intellexerunt inter pollutum & mundum.* Eſaias 59. 10. Ieremias 6. 13. 14. 14. Ezech. 22. 26. &c. Paulus *evitare eos jubet , qui fratres cum nominentur, ſcortatores ſunt, avari, dololatræ, ebrioſi , rapace s, hæretici, pietatem quæſtui habentes , inordinatè ſe gerentes* , ad Corinth. Titum, Theſſalon. *&c. multo magis præpoſitos, ne cum cæci ſint eorum duces, ambo in foveam cadant.* Matth. 15. 14. Cypriano epiſt. 68. *plebs obſequens præceptis Dominicis à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet.* Locum à Baronio citatum ex 1 Cor. 3. hæc continuò ſequuntur: *Cæterum is qui plantat, & is qui rigat unum ſunt: unuſquisque tamen ſuam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Etenim Dei ſumus coöperarii &c.* Sed, me hercle, quid luci cum tenebris? &c. Homines ſcelerati, ſacrilegi , adulteri , rapaces , Dei erunt coöperarii ? *deficientes à regula fidei aut vitæ, mancipia diaboli fiebant.* 1 Cor. 5. 5. 1 Timoth. c. 1. v. 19. 20. Cyprianus : *quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur.* Nimirum , ut idem alibi , *recedente diſciplinâ receſſit & gratia.* Non ergo erunt Apoſtolici , ſed Apotactici , qui tam turpiter vivunt contra mandata Chriſti & Apoſtolorum : Vide 1 Corinth. 5. præcipuas excommunicationis cauſas. Pergit Arnulphus.

Sed ò lugenda Roma ! quæ noſtris majoribus clara Patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus monſtruoſas tenebras futuro ſeculo famoſas offudiſti. Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios, quid dicam de Gelaſio & Innocentio , qui omnem mundanam philoſophiam ſuâ eloquentiâ & ſapientiâ ſuperant ? longa ſeries eorum eſt , qui ſuâ doctrinâ mundum repleverunt. Eorum itaque diſpoſitioni , qui vita merito & ſcientiâ omnes mortales anteirent , rectè univerſalis Eccleſia credita eſt , quamvis & in hac ipſa felicitate hoc privilegium tibi ab Africanis Epiſcopis contradictum fit,

sit, has credo, quas nunc patimur miserias magis quam typhum dominationis formidantibus. Nam quid sub hac tempora non vidimus? Vidimus Ioannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum etiam contra eum Ottonem, quem Augustum creaverat, conjurasse: quo fugato Leo Neophytus in Pontificem creatur: sed Ottone Cæsare Româ discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Ioannem Diaconum naso, dextrisque digitis ac linguâ mutilat, multâque cæde primorum in Vrbe debacchatus brevi moritur. Cui Benedictum Diaconum cognomento Grammaticum Romani substituunt. Eum quoque Leo Neophytus cum suo Cæsare non longè post aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit. Succedit Ottoni Cæsari Cæsar Otto, naturâ, ætate, cunctos principes armis, consilio & scientiâ superans: succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Malefacius (Bonifacius) *cunctos mortales nequitiâ superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus & in magna synodo damnatus est. Post obitum Divi Ottonis Romam redit Ioannes, insignem virum Apostolicum, Petrum, Papiensis Ecclesiæ prius Antistitem, datâ sacramentorum fide ab arce Vrbis dejicit, deponit, squalore carceris affectum perimit. Num talibus hominum monstris, ignominiâ plenis, scientiâ humanarum & divinarum rerum vacuis, innumeros Dei sacerdotes per orbem terrarum scientia & vitæ merito conspicuos subjici decretum est?* Est, inquit Baronius. *Nam si pravos dixeris, Apostolus hoc indixit dicens: obedite præpositis vestris etiam dyscolis. Addit Petrus: eo quod omnis potestas à Deo est: & ut doctus subjiciatur indoctis, ille qui dixit, Discite à me, quia sum mitis & humilis corde, exemplo monstravit, quippe qui cum esset ipsa sapientia increata & æterna, subditus fabro erat &c.* Resp. Dyscolus non significat pravus, sceleratus &c. sed difficilis & morosus; & ibi loquitur Apostolus de servis. Et omnis quidem potestas à Deo est, sed Deo magis obediendum quam hominibus. Tertiò adducit locum Christi, ut probet doctum subjici posse indocto, *Discite à me, &c.* Sed revera hoc frigidum est. *Pergit Arnulphus.*

Hebr. 13. 1 Ephes. 2. 18. Rom. 13. Matth. 11.

Quid est hoc reverendissimi Patres, vel quonam vitio credendum est, ut caput Ecclesiarum Dei, quod in sublime erectum, gloriâ & honore coronatum est, ita in infima dejectum, ignominiâ & dedecore deturpatum sit? Nostrum, nostrum hoc est peccatum, nostra impietas, qui quærimus quæ nostra sunt, non quæ Iesu Christi. Sape-

Sapere hic cœpisti, inquit Baronius, *quia Deus propter peccata populi regnare permittit Hypocritas, dicens: dabo vobis Regem in furore meo, tanquam Dei flagellum.* Denuò Arnulphus: *Si enim in quovis ad Episcopatum electo morum gravitas, vitæ meritum, divinarum atque humanarum rerum scientia subtiliter investigatur; quid in eo, qui omnium Episcoporum magister videri appetit, investigandum non est? Cur ergo in summa sede hic infimus constituitur, ut etiam in Clero nullum habere locum dignus inveniatur?*

Baronius hic lamentatur & deplorat miseriam sedis Romanæ: sed his majora addit Arnulphus: *Quid hunc reverendi Patres in sublimi solio residentem, veste purpureâ & auro radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solusque scientiâ inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus: si autem nec charitate fundatur, nec scientiâ erigitur, in templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est, à quo responsa petere, marmora consulere est.* Baronio, Arnulphus est schismaticus, hæreticus & ipsissimus Antichristus. Sed pergit Arnulphus.

Quid ergo, inquit, *consultum ibimus? Euangelium docet quendam in ficu fructum quæsisse, & quia non reperit, succidere voluisse, sed admonitum expectasse: Expectemus ergo primates nostros quoad possumus: atque interim divini verbi pabula, ubinam reperiri possint, investigemus. Certè in Belgio & Germania, quæ vicina nobis sunt, summos sacerdotes Dei, in religione admodum præstantes inveniri, in hoc sacro conventu testes quidam sunt. Proinde si Regum dissidentium animositas non prohibeat, inde magis Episcoporum judicium petendum fore videtur, quam ab ea Vrbe, quæ nunc temporis venalis exposita ad nummorum quantitatem judicia trutinat.* Hic furiosè in Arnulphum invehitur Baronius verbis sæpius repetitis & refutatis, & cum nimis prolixa sint, referre desino. Addam tantum Pontificis Joannis XV vitam à Platina descriptam.

Ioannes XVI, sed Baronio XV, patria Romanus, patre Leone presbytero, è regione Gallinæ alba, Pontificatum adeptus, miro odio in clericos exarsit, inde meritò ab ipsis clericis odio habitus est: maximè verò quod divina humanaque omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur; posthabito Dei honore, & Romanæ sedis dignitate; quem certè errorem ita posteris tradidit, ut ad nostram quoque ætatem pervenerit. Quæ quidem consuetudi-

tudine nil dici perniciosius potest; cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum nostri Sacerdotes videantur, sed ut fratrum vel nepotum vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant (vide quęso professionem Pontificiam, praxi contrariam apud Baronium an. C. 869. p. 433. quæ supra corpus & altare Petri promittitur à singulis Pontificibus.) *Apparuisse cometam tum ferunt futuræ calamitatis indicium; nam & fame & peste diu laboratum, ac Capua concussa, eaque mala ob superbiam & rapacitatē Pontificis, contemptumque Dei & hominum accidisse putatum est.* Hactenus Platina. Hunc tamen Baronius sanctissimum vocat. Quid ergo mirum secundum Platinam, si urbem venalem dixerit Arnulphus? Quod tamen tam ægrè fert Baronius ut contra Arnulphum exclamet: *O stoliditas! quæ omnem dementiam & stultitiam superat, sui deformitate omnia monstra vincit, quæ unquam portæ inferorum parturierunt.* Quid dicam? abesse debent injuriæ & contumeliæ, ubi ratio & veritas locum habent & partium abest studium; quo malo quantoperè subinde laboret Baronius, alii judicent.

Adfert Baronius tres errores, si credere fas est, Hincmari Episcopi Rhemensis, viri doctissimi & in Galliis magnę auctoritatis, qui vixit an. C. 860. quos paucis attingam.

1. *Decretales Pontificum epistolas subjici Canonibus conciliorum generalium.* 2. *Easdem non esse perpetuas sed temporarias.* 3. *Quosdam Canones in quibusdam sibi & veritati adversari.* Sed siquis ipsum Baronium & ea quæ antehac à nobis dicta diligenter legat, & ipsa acta & Canones disquirat & observet, videbit has Hincmari propositiones non *esse errores, calumnias, deliria, adulterina commenta, blasphemias*, ut loquitur Baronius, sed ipsam cum ratione & auctoritate totius Ecclesiæ priscam veritatem.

Nihil notatu habent dignum pręterquam, quod Udalricus Episcopus Augustanus in numerum sanctorum sit relatus. Multa canonisationum exempla hoc tempore inveniri innuit Baronius. A. C. 993. & 994.

Legatus à Joanne Papa missus venit in Galliam, & Arnulphum Rhemensem Episcopum restituit, deposito Gerberto, qui abiit ad Imperatorem in Germaniam. *Aimoinus. Ditmarus.* A. C. 995.

Moritur Ioannes XV. succeditGregorius V. Variant scriptores in numero Pontificum, quibus nomen Joannes, idque fortè propter A. C. 996.

Joannam Papissam, quam alii inter Pontifices numerant, alii verò omittunt.

Otto III, Imperator rogatus, cum exercitu venit in Italiam, contra intolerabilem Crescentii tyrannidem. Ravennam cum pervenisset, mortuo ejus urbis Archiepiscopo, Gerbertum, nuper Rhemensem Episcopum, in ejus locum substituit. Crescentius audito Ottonis adventu in S. Angeli munitione inexpugnabili se cum suis clausit. Otto potitur Vrbe, & dum hæc agerentur moritur Ioannes XV. & ope Imperatoris in ejus locum substituitur vir Germanus, Bruno appellatus, Ottonis nepos, & Gregorius V. dictus, idque cum omnium præsentium laude. Ditmarus lib. 4.

Crescentius civis præpotens, qui (ut Romanorum mos est) quantum onerosior pecuniâ, tantum pronius servit avaritiæ, Brunonem honore destitutum è sede expulit, alterumque, Ioannem scilicet Placentinum, hominem pecuniosum ·Platinæ, *in ejus locum surrogavit. Quod ubi intellexit Otto, irâ accensus cum exercitu Romam properat, capto Ioanni XVI, Papa schismatico, manus sacrilegas amputari, nares auresque abscindi & oculos evelli jussit.* Glaber lib. 1. cap. 4.

Postquam Romani (populo Romano præcedentem in Johannem XVI. crudelitatem tribuit Petrus Damiani & alii) *prædicto modo excepissent Ioannem, mox antè retrò conversum, in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemque sui vectoris caudam in manibus, per publicam totius Vrbis viam, hæc ut caneret, impulerunt: Tale supplicium patitur, qui Romanum Papam de sede sua pellere nititur.* Petrus Damiani.

Imperator Crescentium in S. Angeli propugnaculo arctâ obsidione cingit, qui cum nullam evadendi viam cerneret, supplex ad Ottonem venit, & ad ejus pedes corruens veniam & vitam orat: qui quomodo perierit, vel quo supplicio affectus sit, diversimodè narratur. Glaber, LeoOstiensis *&c.*

Fulco Comes Andegavensis ex raptis Ecclesiæ bonis exstruxerat templum, quod ab Episcopo Turonensi consecrari petebat. Negat hoc Episcopus, nisi restitutis prius bonis. Comes cum magna auri & argenti summa venit Romam ad Ioannem Papam. Ioannes ad sacrandam Basilicam mittit Cardinalem; quod cum ex authoritate sedis Apostolicæ ageret, vehementissimâ obortâ tempestate, templum corruit. Quod cum multi per regionem factum comperissent; nulli venit in dubium, quin insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulque præsentibus & futuris quibusque,

ne

ne huic simile agerent, evidens indicium fuit. Licet namque Pontifex Romana Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac sponsus propriæ sedis uniformiter speciem gerit salvatoris, ita generaliter nulli convenit quicquam in alterius procaciter parare Episcopi Diœcesi. Hæc Glaber. Sed quid hic Baronius? *Sicut in recensenda historia fidelis, ita in pervestiganda atque definienda caussa ruinæ templi valdè hallucinatus erravit, & hoc non licere Papa Romano pueriliter asserit &c.* Verum audiamus potius sententiam omnium Episcoporum totius Galliæ ex Glabro: *Quod utique audientes Galliarum quique præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat sedem, Apostolicum primatus ac Canonicum transgrederetur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quisquam Episcoporum in alterius diœcesi id præsumat exercere, nisi præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente.* Hactenus Glaber.

Otto III. coronatur Imperator ab eodem Gregorio V.

Ottoni I. à Leone VIII. Papa data erat potestas eligendi successorem, quod etiam observarunt Pater & Filius Otto II. Tertius Otto cum liberis careret, re deliberatâ cum Gregorio suo cognato in frequentissimo Germaniæ & Italiæ principum & Episcoporum conventu, constituit, ut apud solos Germanos jus eligendi regem esset, ut excluderet Francos Germanorum æmulos, qui jam ex alia linea nacti erant reges pugnacissimos. Septem autem quando definiti sint Electores multùm controvertitur. Onuphrii Panuini in Comitiis imperatoriis opinionem, sub Gregorio X. septem Electores institutos esse, rejicit & refutat Baronius ex Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani in Anglia Chronico. Sub Innocentio IV. id factum esse probare conatur ex Concilio œcumenico (Occidentali) *Lugdunensi an.* C. 1245. *ubi electi primò dicuntur Dux Austriæ; Bavariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ, qui & Lovaniæ: Prælati, Coloniensis, Moguntinus & Salsburgensis. Sequuntur hæc*, inquit Baronius: *Isti ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes*

naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris, nec adveniet aliquis ad eos, donec sint concordes: Huic negotio præerit Coloniensis &c. Hæc habet Baronius ex actis Concilii Lugdunensis apud Matthæum Parisium. Quo tempore hodiernus Electorum conventus incœperit incertum est. Ex Alberto Abbate Stadiensi Baronius probat fuisse institutum paulò post Innocentium IV. ex conventione Principum Germaniæ. Hic Albertus finit suum Chronicon an.C. 1256,& meminit Electorum sex, quos hodie novimus; Electoris seu definitoris Bohemi nullâ factâ mentione. Primus septem Electorum meminit Martinus Polonus (qui vixit an. C. 1272) qui sunt cum hodiernis eidem. *vide Baronium, Peucerum, Calvisium.*

A. C. 997. Annus sanctorum & Martyrum ferax. *Baron.*

A. C. 998. Hugo Capetus Rex Francorum moritur,succedit Robertus filius, princeps pientissimus & doctissimus, qui Cantica Ecclesiastica fecisse dicitur, ut Spiritus S. nobis adsit gratia *&c.*

Vide memorabile justitiæ specimen in Ottone III. Vxor Imperatrix Arragonum Regis filia,non minus casti,quam formosi Comitis amore capta,ab eo repulsa cum esset,hunc ipsum illius quod designarat,tentati flagitii apud virum detulit; qui extemplo in juvenem capitalem sententiam dixit. Comitis uxor, quam rei totius moriturus consciam fecerat, Imperatorem in tribunali jus dicentem adiens, coram & viri innocentiam & Imperatricis scelus aperuit, & ad utriusq; fidem faciendam,candentem manu laminam, veritatis indicem, illæsa contrectavit. Quo judicio convicta Imperatoris uxor, impudicitiæ simul & calumniæ pœnas incendio dedit. Crantz. Gothefredus, Viterb. Petavius.

Imperator redit Romam, ubi in maximum vitæ discrimen à proditoribus Romanis civibus venit, sed evasit malè affectis multis civibus. Ditm.

Quidam religiosus ab Hierosolymis rediens in Siciliam, ibidem ad ollam Vulcani ignem evomentem, audit Diabolos conquerentes, multas animas damnatas sibi precibus Monachorum Cluniacentium eripi: quapropter Odilo ejusdem cœnobii Abbas constituit in suo cœnobio, secundo die Novembris festum omnium sanctorum (animarum voluit dicere,) id quod postea in tota Ecclesia observatum fuit. Sigeb.

A. C. 999. *Moritur Gregorius V. succedit Papa Sylvester II. antea dictus Gerbertus, ex Archiepiscopo Rhemensi factus Archiepiscopus Ravennas & per Ottonem, cui suspecta erat Romanorum fides, Papa Romanus. Belga hic*

fuit

fuit & Monachus Floriacensis, studiis Mathematicis addictissimus. Ditmarus, Hermanus, Lambert. &c. Baronius hunc tantâ sede indignissimum judicat, cujus hostis fuerat infensissimus, contra quam multa scripsit, quæ nunc novatores, sic vocat alterius religionis homines, in eandem Ecclesiam rursus effundunt *&c. Illud autem omnino possumus affirmare, nullum hactenus in sedem Petri fuisse promotum, qui eandem sedem scriptis ita prodiderit, ut Gerbertus. Ista adeò indigna pati coäcta est Romana Ecclesia cum per Principes seculi electiones Romanorum Pontificum factæ sunt. sic per Ottonem I. homo laicus Leo intrusus est, sic & modò Gerbertus, quem adulatus eidem Imperatori Romanus populus dicitur postulasse.* Baron. Sed contrarium est verum: nam pulsis pessimis Pontificibus Joanne XII. & Benedicto illegitimè creato, substituit Leonem Papam meliorem Otto I, Gerbertum verò vocat *magnum, doctum & pium* Bellarminus. sic sæpe abripitur nescio quâ affectione Baronius. Benno Cardinalis & ex eo fortè Platina referunt hunc *Gerbertum magicis incantationibus ad sedis Apostolicæ culmen pervenisse, pactâ pro mercede Diabolo animâ. &c.* Hæc negat Baronius & fortè benè. Bennonem vocat schismaticum & hæc primò ab eo scripta refert, *qui factionis Cæsarianæ fuerit, & fabula hujus auctor.* Quare hæc de Sylvestro finxerit Benno non video; cum uterque Cæsari fuerit addictissimus, & Gerbertus ab Ottone, cujus præceptor fuerat, ad Pontificatum sit promotus. Quidam hujus rei caussam tribuunt artibus mathematicis, in quibus excellebat: sed vide Ditmarum, historicum fide dignissimum & in Germania Sylvestro coævum lib. 6. & versus successoris Sergii in Basilica Laterana prope tumulum in laudem Sylvestri positos, *apud Baronium.*

Angeli monitu Pontifex, ut ait Baronius, *coronam tribuit Stephano Hungarorum Duci, quo tempore cœpit Rex appellari: at ipse suum Regnum Ecclesiæ Romanæ donavit*; probat hoc donum Baronius, èx epistola Gregorii VII. Et hâc occasione dicit peculiari providentia à Deo regi ecclesiam Romanã his verbis: *Quis ista considerans non miretur & obstupescat, dum quo tempore ipsa Romana ecclesia casura & interitura penitus videri potuisset tot improbis, sceleratis, impudicis pradonibus, invasoribus* A. C. 1000.

 san-

sanguinariis & grassatoribus hoc seculo (ut audisti) sedem Apostolicam invadentibus, eamque depravatis moribus conspurcantibus, tam vitioso imprimis ingressu, quam detestando pravorum morum exemplo &c. Eodem tempore externi longè positi veniunt reges ad Apostolicam sedem, quam recognoscunt unicum orbis templum, asylum pietatis, columnam & firmamentum veritatis, petram immobilem, innixam super Christi vivi solidam firmamque promissionem? Sed quis hæc de hoc seculo credat, cum tam frequentes continuatâ serie fuerint Pontifices non Apostolici, sed Apostatici, non Christiani, sed potius Antichristi, ut alibi loquitur ipse Baronius & Genebrardus: non, inquam ego, pastores, sed mercenarii aut potius lupi rapaces; non amici, sed inimici Dei?

A.C. 1001. *Percrebuit tum temporis opinio de adventu & revelatione illius hominis peccati, filii perditionis, cujus meminit Paulus.* (*2 Thessal. 2.*) *Fuerat ista in Galliis promulgata, primum Parisiis prædicata, jamque vulgata per orbem, credita à compluribus, & præcipuè cum summo timore à simplicioribus.* Nec mirum, me herclè, præcesserant enim plurimi Pontifices stolidissimi, avarissimi, sceleratissimi, quod apposite notat Glaber, (*lib. 2. c. 6.*) his verbis deplorans ista tempora: *Quandocunque enim deficit religiositas Pontificum, & marcescit districtio regularis Abbatum, simulque disciplina monasterialis vigor tepescit, ac per illorum exempla cætera plebs mandatorum Dei prævaricatrix existit; quid aliud; quid aliud, quam totum simul humanum genus rursum in antiquum præcipitii Chaos perditionis spontaneâ voluntate illabitur? Hinc ob malorum excrescentiam seculum hoc à Ditmaro ferreum dictum, & ultimum esse creditum est.*

Prædixerat adventum Antichristi Gerbertus, tum Rhemensis, posteà Ravennas, nunc Romanus Pontifex, & Arnulphus Episcopus Aurelianensis, videns pessimam morum corruptionem & in capite, & in membris, præsertim Ecclesiasticis an. C. 992, prolixâ satis oratione in Concilio Rhemensi Præcesserant an. C. 1000. multa tantæ cladis prodigia, *malorum imminentium sequentibus seculis prænuncia: terra motus factus est permaximus, Cometes apparuit Kalendis Ianuarii circa horam nonam aperto cœlo, quasi facula ardens longo tractu fulguris instar illabens terris tanto splendore, ut non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis irrupto lumine ferirentur: quâ cœli fissurâ sensim evanescente, interim visa est figura quasi serpentis capite quidem*

crescere

crescere cum caruleis pedibus. Verba sunt Sigeberti anno præcedenti.

Romam venit Otto, ubi Romani Duce Gregorio, Cæsari valdè caro, tunc Romæ reliquis principibus potentiore, optimo Imperatori struunt insidias. Evasit quidem insidiantium manus Otto, sed vulgus nunquam suis contentum Dominis, malum hoc pro ineffabili pietate restituit. Romani sceleris culpam erubescentes gratiam & pacem Imperatoris suppliciter orant; sed Cæsar verbis mendacibus non fidens, preces eorum non exaudiit. Ditmar.

Quamvis jam millies Pontificum Romanorum nefanda scelera & cleri populique Romani simoniam (nam maximè pecunioso Episcopatum Romanum sæpe vendiderunt) & infidelitatem, (quâ, ut jam contra Ottonem, sic & contra alios Imperatores & ipsos Pontifices sæpe rebellarunt) nobis narraverit Baronius, interim tamen ex Arnulpho Comite, hujus temporis scriptore, ut ait, fidelissimo, multa, meo quidem judicio, non satis opportunè & providè, narrat de urbis Romæ sanctitate; *ubi pro ruinis murorum & veterum fanorum, surgunt innumera ædificia Ecclesiarum & monasteriorum, è quorum incredibili numero (ut audivi, inquit ille Arnulphus, è quodam sene, qui se dixit nutritum in ea civitate) viginti possidentur à sanctimonialibus, quadraginta à Monachis, sexaginta à Canonicis, exceptis iis, quæ extra civitatem sunt, & in aliis ecclesiis sive Capellis quæ in eadem Vrbe abundant.* En Vrbis sanctitatem. & paulò post: *Hanc siquidem Vrbem quasi intuentes undique collecta plurimæ gentes assumunt verba S. Scripturæ & dicunt: Omnipotens Roma, gloriosa dicta sunt de te, quia civitas Dei es facta.* En ponderosas Arnulphi rationes, ex quodam sene, rerum antè gestarum fortè nescio, intellectas. *Hæc & alia de statu Vrbis hujus temporis deploratissimi Arnulphus*, inquit Baronius, *quo nescientibus ista*, numerum Ecclesiarum & monasteriorum, *videri potuisset cultus Christianæ religionis illic penitus friguisse, imò inundantibus malis extinctus penè fuisse*, (scientibus præcedentia mala) *cum tamen ita virens & florens* (monasteriis & Ecclesiis) *existeret, ut quod de ea, quæ typum tenebat Ecclesiæ, Arca Noë scriptum in divinis literis invenitur; Multiplicatæ sunt aquæ & elevaverunt arcam in sublime*, (vel potius, multiplicata sunt mala, & elevaverunt sedem Apostolicam, ut inquit Bellarminus) *in Romana*

Psalm. 86. apud Baron. in margine.

In præfat. lib. de Rom. Pontifice.

Ecclesia

In præfat. lib. de Rom. Pontifice. *Ecclesia reipsâ appareret expressum, ut in divino cultu* (structurâ templorum & monasteriorum) *existeret eminentior, cum existimari potuisset excrescentium malorum obruta fluctibus. Ita planè Dei privilegio eidem civitati in more positum, ut tunc degentes in ea fideles, cives promptiores exurgant ad pietatis opera exercenda, cum magis pulsentur persecutionum diversarum flagellis. Cui illud Cantici Canticorum conveniat. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem* (auri) *nec flumina obruent illam. Et Elogium Doctoris gentium verax & loquens jugiter perseveret: fides* (infidelitas in principes & Pontifices) *vestra annunciatur in universo mundo.* Verba hæc sunt Baronii, in quibus meo saltem judicio, ludicra est locorum S.Scripturæ applicatio, quod cuivis manifestum erit, si inspiciantur precedentia Pontificum & Cleri populique Romani acta, repetantur ipsa illustriss. viri verba, præcedenti seculo ab eodem sæpe repetita.

Cantic. 8. Rom. 1.

A.C.1002. Moritur Otto III. Imperator, quibusdam extinctus veneno per uxorem Crescentii, aliis ex Peste.

Hic denuò hariolatur Baronius, &, quasi Deo à consiliis fuisset, loquitur, & *extinctum stemma Ottonum* statuit, *ita divinitate ulciscente delicta, quæ in sedem Apostolicam Ottones*, omnium Historicorum judicio Imperatores optimi,*perpetrarunt, pro arbitrio amovendo vel subrogando Pontifices Romanos.* Unum obiter hic dicam verbis ferè Godavii Episcopi Galli, Historiæ Ecclesiasticæ lib.4. pag. 644: *Ego existimo*, inquit, *hominum judicia de principum breviori aut longiori vita, sive illi fuerint boni sive mali, plus habere temeritatis quam prudentiæ, plus præfervidi & præposteri zeli quam Christianæ charitatis.* Et tamen hoc Baronio est valde familiare, qui prædictis verbis ostendit se toti Ottonum stemmati non fuisse satis æquum, cum tamen per eos multę nationes Gentiles bello subactæ, Christi fidem cum baptismo susceperint: multæ Ecclesiæ & Scholæ fundatæ & reditibus ditatæ: diversi Pontifices mali loco moti & boni in eorum locum legittimè constituti: quod apud illustrissimum Cardinalem summum est scelus, ita etiam, ut illius sententiâ ea de caussa stirps Ottonum fuerit exstincta. Quod ego profectò videre non possum: nam impios & sede Apostolicâ indignos Pontifices abrogarunt, & longè meliores substituerunt, quemadmodum in Veteri Testamento Salomon Abia-

Abiathro sacerdotium abrogavit, & Sàdochum in ejus locum subrogavit. Sic & alii reges Judæ in rebus Ecclesiam spectantibus propriâ auctoritate multa emendarunt. Apud Judæos in ordinandis sacerdotibus ætas triginta annorum definita erat: postea viginti annorum nnmerus à Davide præscriptus est. Spiritus sancti testimonio laudatur rex Joäs, quod sacras oblationes in usus non legitimos absumi cum videret, quæstorem suum sacerdotibus imposuerit, cui rationes tenerentur illi reddere, qui ordinariam administrationem à Deo acceperant. Vide quid ante illum fecerit rex Asa, quid post illum Ezechias & alii: quid denique Zorobabel, Esdras, Nehemias in initio secundi templi. *Sacerdotum exemplo uncti sunt & reges Hebræi, non sacerdotes quidem, sed multum habentes sacerdotale. Sedem & jus loquendi in sanctuario, inspectionem in sacra, jus eligendi & destituendi pontificis maximi, aliorumque sacerdotum, & alia plura. Vngebantur tamen alio modo: sacerdotes in fronte decussatim, reges in vertice, ad coronæ modum illito oleo.* Grotius. *Lenticula est vasculum olei, factum ex auro vel argento, ad reponendum oleum unctionis, unde inungebantur reges & pontifices.* Nicolaus de Lyra.

„Ea unctio celsitudinem quandam divinam regibus majesta- *Cunæus lib. 1. cap. 14. de rep. Heb.*
„temque addidit, sacrosancti in terris ut essent, & commer„cium cum numine haberent. Ex quo fit ut reges eorum non „res modo civicas domi militiæque moderati sint, sed religioni„bus etiam sacrisque & ceremoniis præfuerint. Erant enim „personæ ἱερωμέναι, id est sacratæ, quibus numinis jussus, & va„tis vox, auctoritatem, decus atque imperium dabat. Quam„quam profectò, quemadmodum præfectura sacrorum summaque „potestas & judicium ad illos pertinuit: ita ministerium, curatio„nemq; earum rerum Levitæ, hoc est, Pontifex sacerdotesque atq; „adjutores eorum suo jure sibi vendicarunt. Id enim illorum „erat, victimas cædere, expiationes facere, leges divinas coram „populo recitare, item alia munia in templo obire. Sanè quod „interdum illi (*reges Hebræi*) eâ tempestate religiones ceremonias„que constituerunt aut restaurarunt, nequaquam illud ex hac re „factum est, quia vates fuerunt: perperam id existimatum à qui-

ſtantinopolitano Gregorio & Nectario & dirigendis ſacris Magnus Theodoſius, omnium Imperatorum decus, an. 381. & 383. Quid ejuſdem filius Honorius in Collatione Carthaginenſi inter Orthodoxos & Donatiſtas, ſub Marcellino an. 411: Quid Juſtinianus an. 534. & ſeq. qui convocavit concilium quintum œcumenicum, qui pulſo Papâ Silverio ſubſtituit Vigilium, qui multas ſacras condidit leges. *&c.*

Imperatores Occidentis conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica ſecundum Onuphrium Panuinum, Ferrarienſem & alios: quod in Carolo Magno, Ludovico Pio, &c. manifeſtum eſt: Ottones imitati ſunt exempla Caroli, Ludovici, & omnium Carolinorum prædeceſſorum ſuorum, & ipſo facto in abrogandis improbis Pontificibus, expreſſerunt voluntatem Dei, teſte Propheta dicente ad Heli: *Idcirco dixit Iehovach, Deus Iſrael: Dicendo dixeram, quod domus tua, & domus Patris tui ambularent coram me uſque in ſeculum. Nunc autem dicit Iehovach: Abſit à me; quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me, contemnam.* 1 Samuel 2. 30.

Quæ hic adducit exempla Saulis & Ozeæ *Baronius*, aliena ſunt, & nihil ad rem. Producam ipſiſſima verba, ut videamus quam benè S. Scripturæ loca citet. Primò Samuelis, ſeu Regum cap. 13. v. 13. *Cum ſacrificaſſet Saul ante dictum à Samuele adventũ ſeu finem diei ſeptimi, hæc Samuel ad Saul: Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi, quæ ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnũ tuum ſuper Iſraël in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum ultrò conſurget.* Eodem modo loquitur Samuel ad Saul cap. 15. verſ. 12. *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.* & additur ratio & cauſſa à Samuele, *quia melior eſt obedientia quam victima. Idcirco per inobedientiam cecidit, quia integris ſeptem diebus, ſicut juſſus fuerat, non exſpectavit,* inquit Gregorius M. & paulò poſt: *Ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſiit, gloriam tantæ dignitatis amiſit.* Idem. Sic 2 Reg. ſeu Samuelis 4. verſ. 15. *ubi à Deo officia Levitarum diſtinguuntur, attactus, imo aſpectus Tabernaculi non operti ſupplicio mortis prohibetur omnibus, etiam Levitis: exceptâ familiâ Aaronis.* Vide Numeri 7. verſ. 9. *&c.* ſed hi puniti non ſunt.

quod sacra tractaverint, ut vult *Baronius*, sed quod non obediverint Dei mandato, in quo consistunt lex & prophetæ, & ipsum Euangelium. Finio verbis Paræi Theologi Heydelbergensis in præf. ad Lantgr. *Exemplis & legibus rem disceptari volunt: Moses princeps populi religionis formam Dei jussu constituit, Aaroni præscripsit: David Rex Tabernaculi mysteria disposuit, ad reducendam arcam sacerdotes convocavit, Concilium aliud senex habuit: Salomon templum dedicavit, Abatharem deposuit, Zadocum constituit sacerdotem: Iosaphat sacerdotibus & præfectis suis Ecclesias visitandi, cultusque instaurandi negotium dedit, Amaziam Pontificem in templi cura negligentem castigavit: Hiskias cultum à sacerdotibus corruptū repurgavit, Pascha restituit, &c. neque hæc pietatis magis quam officii opera fuerunt. Christiani verò Principes minus potestatis habebunt, minus spirituale subditorum bonum curabunt? Constantinus ergò causam Donati & Cæciliani, Melchiadi Romano Episcopo ejusque collegis audiēdam commisit, litteris injunxit, tandem ipse judicavit: caussam quoque Felicis, quod Cæcilianum in crimine traditionis ordinarat, audivit, finivit. Arriano dissidio componendo synodum coëgit. Theodosius fidem ὁμοούσιον legibus edixit, Episcopos Nestorianos deponi jussit, Irenæum Tyrium dejecit, &c.* Vide Grotium de Imperio summarum potestatum circa sacra.

Otto Imper. III. in quo stemma Ottonum defecit, dictus fuit ob eximias illius virtutes, *Mirabilia mundi.* eundem *sanctitate præstantem* vocat Baronius an. 1044. §. 12. de hoc eodem sic loquitur & hæc habet Boxhornius in universali historia:

„ Qualis quantusq; hic Otto fuerit, *inquit*, & quam magno animo
„ jus Imperio, quod proximorum Pontificum Romanorum insatia-
„ bilis & avaritia pariter & ambitio usurpaverat, restituerit, apparet
„ abūdè ex celebri decreto Electionis, (ita enim habet inscriptio) Syl-
„ vestri II. Pontificis, qui Gerbertus ante acceptum Papatus illud
„ fastigium appellabatur. Id cum in manus meas venerit, *inquit Box-*
„ *hornius*, exhibere hic omninò necessarium existimavi.

„ In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto servus Aposto-
„ lorum, & secundum voluntatem Dei Salvatoris Romanorum Im-
„ perator Augustus. Romam caput mundi profitemur, Romanam
„ Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur, sed incuriā
„ & inscientiā Pontificum suæ claritatis titulos offuscasse: nam non
„ solum quæ extra urbem esse videbantur, vendiderunt, & quibus-
„ dam

„ dam colluviis à Lare S.Petri alienaverunt; ſed, quod abſque dolore
„ non dicimus, ſi quid in hac noſtra urbe regia habuerunt, ut majori
„ licentiâ evagarentur, omnibus, judicante pecuniâ, in commune
„ dederunt, & S. Petrum & S. Paulum, ipſa quoq; altaria ſpoliave-
„ rũt. Confuſis vero Papaticis legibus, & jam abjectâ Eccleſiâ Roma-
„ nâ, in tantum quidam Pontificum creverunt, ut maximam partem
„ Imperii noſtri Apoſtolatui ſuo conjungerent, jam non quærentes
„ quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex va-
„ nitate voluntaria effuderunt, ſed ſua propria utpote ab illis ipſis di-
„ lapidata dimittentes, quaſi culpam ſuam in Imperium noſtrum
„ retorquentes, ad aliena, id eſt, ad noſtra & noſtri imperii maximè
„ migraverunt. Hęc enim ſunt commenta ab illis ipſis inventa, qui-
„ bus Joannes Diaconus, cognomẽto digitorum mutilus, pręceptum
„ aureis literis ſcripſit ſub titulo Magni Conſtantini, longi mendacii
„ tempora finxit. Hæc etiam ſunt commenta, quibus dicunt, quen-
„ dam Carolum S. Petro noſtra publica tribuiſſe. Sed ad hęc reſpon-
„ demus, ipſum Carolum nihil dare jure potuiſſe, utpote jam à Ca-
„ rolo meliore fugatum, jam imperio privatum, jam deſtitutum &
„ annullatum. Ergo quod non habuit, dedit, ſic dedit, ſic nimirum
„ dare potuit, utpote qui malè acquiſivit, & diu ſe poſſeſſurum non
„ ſperavit. Spretis ergò commentitiis præceptis, & imaginariis ſcri-
„ ptis ex noſtro conferimus. Sicut enim pro amore S. Petri Domi-
„ num Sylveſtrum magiſtrum noſtrum Papam elegimus, & Deo vo-
„ lente ipſum ſereniſſimum ordinavimus & creavimus, ita pro amore
„ ipſius Domini Sylveſtri Papæ, S. Petro de publico noſtro dona con-
„ ferimus, ut habeat magiſter, quod Principi noſtro Petro à parte
„ ſui diſcipuli offerat. Octo igitur Comitatus pro amore magiſtri
„ noſtri Domini Sylveſtri Papæ S. Petro offerimus & donavimus,
„ ut ad honorem Dei, & S. Petri cum ſua & noſtra ſalute habeat &
„ teneat, & ad incrementa ſui Apoſtolatus noſtrique Imperii ordinet.
„ Hoc autem ſibi ad ordinandum concedimus, Piſaurium, Fanum,
„ Senogalliam, Anconam, Foſſabrum, Gallibeſi & Auſimum: ut
„ nullus unquã ei & S. Petro audeat aliquam inquietationem facere,
„ aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicunque verò præſumpſerit, o-
„ mnia quæ habet amittat, & S. Petrus quæ ſua ſunt recipiat. Ut hoc

„ autem in ęternum ab omnibus conſervetur, hoc pręceptum manu „ noſtrâ diu Deo adjutore confirmavimus & noſtro ſigillo præcepi- „ mus inſigniri, ut ſibi ſuisque ſucceſſoribus valeat.

„ Sylveſtrum hunc ab Ottone Papam conſtitutum miris modis „ abominandisque nominibus lacerant illi ac traducunt, qui poſte- „ rioribus temporibus Pontificum Romanorum vitas ſcripſerunt, „ qui tanquam nefarii calumniatores non parum Otthonis & Syl- „ veſtri manes læſerunt, tantum quia cathedræ impoſitus ab Otto- „ nę Sylveſter,& quia celebre illud Domini Chriſti pręceptum ferre „ non potuerunt: Reddite Deo quæ ſunt Dei, & Cæſari quæ ſunt „ Cæſaris. *Hac Boxhornius.*

Diploma hujus donationis ab Ottone III, factæ unâ cum donatione Conſtantini, notis illuſtravit & Heidelbergæ edidit an. 1610, Marquardus Freherus ſub nomine Anonymi: Ubi inter alia refert ſe decretum illud ex libro antiquo, in quo multa diplomata erant collecta, deſcripſiſſe; librum autem illum commodatò ſibi datum à Senatore Curiæ Pariſienſis, à quo eundem poſtea commodatò acceperit Cardinalis Baronius: quem vide ad an. 1191.

Ottone III. Imperatore mortuo, in Germania in ejus locum Henricus Bavaria Dux à Principibus eligitur; qui primi Ottonis erat ex fratre nepos. Vxorem habuit Cunigundam, Sigefridi Palatini ad Rhenum filiam, quæ adulterii nomine accuſata, ferri candentis contactu purgaſſe ſeſe ſcribitur: hanc eandem moriens dicitur reliquiſſe virginem, eamque amicis eo nomine reddidiſſe, & ob hanc ſingularem continentiam aliaſque dotes Sancti cognomen meruiſſe. Leo Oſtienſ. Sigeb. Hujus Henrici vitam deſcripſit Adelboldus Trajectinus Epiſcopus, teſte Hedâ.

Nortmanni invitantur & attrahuntur in Italiam, ut à Narſete Longobardi, per dona ad eos miſſa, nempe citrina mala, amygdala, inauratas nuces, pallia regia, phaleras equorum auro argentoque diſtinctas &c. Leo Oſtienſis.

A.C. 1003. Sylveſter ſecundus Papa moritur, de cujus vita vide *Bennonem*, *Sigebertum*, *Platinam.* Ob Geometricas & aſtrologicas figuras quas rude illud ſeculum admirabatur, illam de Magicæ artis exercitio calumniam ſubiit, ut verè inquit Baronius, & ante demonſtratum: ſuccedit Joannes XVI, operâ Comitum Tuſculanorum, qui præcipui erant in Urbe proceres. Beren-

Berengarii opinio de Eucharistia cœpit vulgari. A.C.1004.

Hoc anno, ut Ditmarus lib. 6. testatur, *celebrata est in Germania* A.C.1005.
magna synodus Tremoniensis, in qua Henricus Rex, questus de ejus temporis Ecclesiæ deformatione, egit magnâ instantiâ apud Episcopos pro ejusdem reformatione, quod ab iisdem præstitum est diligenter, statutis in ea communi consensu sacris canonibus, quibus in pristinum usum revocarentur sanctissima Ecclesiastica leges & exularent qui irrepsissent in Clerum ac populum pravi mores. Quibus statutis conciliavit sibi Rex Deum propitium, aperuitque sibi viam ad victorias consequendas, & Romanum Imperium obtinendum &c, Baronius.

Pacificatis, inquit Ditmarus, *tunc partibus his, Generale Concilium* A.C. 1006.
à Rege Henrico Bavaro, in Francfort ponitur, & hoc ab omnibus Cisalpinis antistitibus visitatur.

Hoc eodem anno Russi populi ad Christi fidem convertuntur, ut paullò antè Poloni & Transylvani.

Præcedentes anni nil habent præter martyres, sanctos, miracula, A.C.1009.
apud *Baronium*.

Eodem anno moritur Joannes, de cujus nominis numero dubitatur, & succedit Sergius IV. ante dictus Petrus Bucca porci, sed mutavit nomen reverentiâ sedis Apostolicæ. *Ditmarus & Baron.*

Bambergæ Rex Henricus magnam synodum posuit &c. Ditmar. A.C.1011.

Sergius Papa moritur succedit Benedictus VIII. contra quem schismate A.C.1012.
creatur Gregorius, qui pollens potentiâ Romanorum, pellit ex Vrbe Benedictum, qui ad Regem Henricum in Germaniam se contulit. Ditmarus. Sed magna est dissensio apud scriptores de vitis Pontificum.

Rex Adelfonsus in Hispania Legionensi Concilium celebrat, in quo hæc reperiuntur verba pro titulo concilii: *Decreta Adelfonsi Regis & Geloiræ reginæ; & : Iussu Regis ipsius talia decreta decrevimus, quæ firmiter teneantur futuris temporibus &c.* Concilia.

Imperator Henricus venit Romam & pulso Gregorio Antipapâ, A.C.1013.
Benedictum VIII, in sedem suam restituit, à quo postmodum coronatur. *Ditmarus.*

Suasu Imperatoris hoc anno symbolum Romæ cani cœpit ad pu- A.C.1014.
blicam Missam. *Baronio* non placet illa novitas.

Robertus Rex Galliarum Concilium convocat, ex Episcopis, A.C.1017.
Abba-

Abbatibus, & religiosis, quibusdamque Laicis, contra Manichæorum hæresin, quos Rex Robertus, cum ad Catholicam fidem reverti nollent, igne comburi jussit, sed contra primitivæ Ecclesiæ consuetudinem.

A.C.1019. Synodus Noviomagensis ab Henrico celebratur, ubi inter alia statutum, ut in celebratione Missæ panis ad dextram altaris statueretur, calix autem ad sinistram. *Fabr.*

Prætermissi anni apud Baronium sanctos, martyres & miracula continent.

A.C.1022. Imperator Papæ & Normannorum legationibus rogatus, venit cum exercitu in Italiam, & ex ea Græcos, Ecclesię Romanæ pavendos, pellit. *Leo Ostiensis, Marianus Scotus, Vrsperg* Henricus Normannis, qui ipsum secuti erant, quædam loca tribuit, & hâc occasione imperium in Apuliam, Calabriam & Siciliam paulatim nacti sunt, ab Italis, ut diximus, è Galliis invitati.

Arelo Episcopus Moguntinus die 13. Augusti synodum convocat Salingstadii, in qua decreta facta sunt de jejuniis in festorum quorundam vigilia observandis, ut Iohannis Baptista & aliorum, item de nuptiis certo tempore intermittendis, ut ab adventu Domini ad 13. Ianuar. & à Dominica Septuagesimæ usque ad, Quasi modò geniti.

Item ne presbyter æstivis noctibus post galli cantum poculis indulgens proximâ die Missam celebret; Hyeme autem hoc permissum, si aliqua necessitas urgeret. Reprehenduntur etiam presbyteri, qui orto in urbibus incendio, id extinguere conabantur linteo, ut vocant Corporali in ignem injecto. Linteum id erat cujus usus est in Missa. Acta synodi.

A.C.1023. Templum cathedrale Trajecti dedicatur ab Episcopo Adelboldo, præsente Imperatore Henrico & duodecim aliis Episcopis. *Beka.*

Cum plurimæ essent dissensiones de jurisdictione inter Episcopos & Abbates, decernit Imperator Henricus, quid de eis fieri velit. *Recess. Imp.*

A.C.1024. *Benedictus VIII. moritur, succedit ejus frater Iohannes XX. ambo filii Gregorii Comitis Tusculani, cujus potentiâ & pecunia largitione Ioannes indignè & tyrannicè sedem Apostolicam occupat, ex Laico, nefas dictu, transformatus in Papam.* Glaber & Baronius: Qui ex Petro Damiani visiones & somnia narrat de Benedicti VIII, anima in pœnalibus tenebris

bris constituta, inter Tartareos cruciatus, & ab iisdem liberata per preces monachorum.

Ille Petrus Damiani hæc habet de hoc Benedicto in epist. ad Nicolaum Papam II. *Episcopus Caprea vidit eundem Benedictum, qui jam obierat, nigro equo quasi corporaliter insidentem. Cumque illum cœptum iter carpere cerneret: heus, inquit, nonne tu es Papa Benedictus, quem defunctum liquidè novimus? Ipse, inquit, infelix ego sum, & ille: Quomodo tibi est pater? Gravibus, ait, tormentis afficior, spe tamen, si adjutorium præbeatur, de mea recuperatione non privor: sed perge, quæso, ad fratrem meum Ioannem, qui nunc Apostolicam occupat sedem, eique mea functus legatione denuntia, ut illam potissimam summam, quæ tali thecâ reconditur, in pauperes pro mea salute distribuat: sicq; me redimendū esse, quandocunq; decreverit divina miseratio, agnoscat: nam cætera, quæ pro me indigentibus sunt tradità, nihil mihi penitùs profuerunt, quia de rapinis & injustitiis acquisita sunt &c.* Idem habet Platina, proculdubiò ex prædicto Petro Ecclesię Romanæ Cardinale. Hic obiter nota, hunc Papam, dum viveret, valde delectatum fuisse caballis albis, ut testantur historiæ.

Henricus II, Imperator habitus & dictus sanctus moritur, ejusque suasu succedit Conradus, dictus Salicus Dux Franconiæ, vir strenuus & prudens, qui an. C. 1027. à Joanne Pontifice Romæ Imperator inungitur & coronatur. A.C.1027.

In ipso festo Paschatis, Romani seditionem movent contra Imperatorem, sed vi militum compescuntur. Hoc tempore ab Imperatore sancitum est, ut Episcopus Mediolanensis Imperatorem coronandum Roma, primùm consecret Regem Italia, & posteà eundem deducat Romam, ut à Pontifice Imperator coronetur. Calvisius.

In Galliis celebratur synodus Lemovicensis, in qua disceptatur, an D. Martialis inter Apostolos vel confessores collocandus sit: probationes, quod inter Apostolos referendus sit, afferuntur ex antiquis libris, & auctoritate Ecclesiæ Constantinopolitana & Anglicana; sed altera pars provocat ad Pontificem. Calvis. ex Baronio. A.C.1029.

Ipso die natali Apostolorum in Ecclesia B. Petri quidam de principibus Romanorum conspirarunt in Papam Romanum, cupientes illum interimere, sed minimè valentes, à sede tamen propria expulerunt: sed tam pro hac re, quam pro aliis insolenter patratis, Imperator illuc proficiscens, Ioannem sua sedi restituit. Glaber. A.C.1033.

1. *Ioannes XX. Papa intrusus moritur, surrogatur in ejus locum Benedictus IX, Pontificum Benedicti & Ioannis nepos, puer decennis, potentiâ Alberici patris Comitis Tusculani, intercedente pecuniâ etiam intrusus.* Glaber, Hermannus, Sigebertus &c.

Cum (proh nefas) inquit Baronius, *tyrannide Alberici, ejus filius puer in sacrosanctam Petri sedem intruditur, monstrum erigitur, statuiturque portentum. Cum enim morte duorum germanorum Pontificum è domo sua Pontificatum diu retentum egredi agro animo ferret: ne id fieret, cum alium non haberet filium, quem habebat ætate puerum, malis artibus in Petri Cathedram Angelis reverendam idem Albericus intrusit.* Ubi ita declamat contra principes Baronius: *Quid potuit,* inquit, *Romana Ecclesiæ durius ac luctuosius contigisse, quam ut qui tyrannide lupi sunt, de pastore creando decernant, & curent? quorum illud unum studium est, ut præficiatur ovibus pastor ignavus, quo ipsis liberum sit cum velint in oves irrumpere.* Et paulò post: *præcesserat detestandum exemplum in puerulo electo Archiepiscopo Rhemensi, cui ad functiones Episcopales obeundas coädjutor fuerat datus Episcopus. Sic itaque quod in primaria Galliarum sede malè fuerat præsumptum, in Apostolica posse usurpari cathedra execranda sibi persuadet ambitio &c. Ad facinus implendum parat pecuniâ infelix pater infeliciori filio viam: Romanos, quos novit potentiores, aggreditur, quos expugnatos auro sibi devincit, quorum emptione suffragiorum, quam conceperat parat iniquitatem, dum filium in thronum prævehit (horrendum ac detestabile visu) sedentem in eminenti Petri solio puerum. Ingemuit ad aspectum Catholicus orbis, haud mediocre passus in electione adeò illegitima scandalum: ut in Glabro ista vidente, scribente, & detestante videre licet.*

Insuper, inquit Glaber, *ad cumulum tanti mali, cum non essent in populo vel rari, qui cæteros corrigentes talia redarguerent, impletum est*
Esaia. 14. *Propheta vaticinium, quod ait:* Et erit sicut populus, sic sacerdos. *præsertim cum tum in seculari potestate, tum etiam in ecclesiastica religione totius regminis persona constiterant in puerili ætate. Propter peccata po-*
Ecclesʃ. 10. *puli contigit tunc illud Salomonicum quod ait:* Væ tibi terra, ubi Rex est puer. Simoniacâ hâc labe diu miserrimè laborarat sedes Romana; *Et ille* Benedictus *absque ulla excusatione Simoniacus est,* inquit Petrus Damiani, *quia nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuan-*

tuantibus & furentibus inthronisatus est. Dehinc ad marsupiorum funesta patrocinia concurritur; pecunia per regiones, andronas vel angiportus in populos erogatur: B. Petri venerabilis arca pervaditur; sicque per totam urbem velut officinam malè fabricantis Simonis factam, vix aliud quam (ut ita loquar) malleorum & incudum tinnitus auditur. Et. *ô scelus & ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex sua quantitate persolvere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetuâ maledictione damnasse. Quod autem ille crimen hic palliat, & tractum se vique cöactum, quibus potest verbis excusat, hoc ego, licet ad liquidum nesciam, tamen & ipse non usquequaque diffiteor: Ita quippe est homo stolidus & deses & nullius ingenii, ut credi possit nescisse, pro se talia machinari &c.*

Heu sedes Apostolica, Orbis olim gloria, nunc, proh dolor, efficeris officina Simonis &c. Rythmo tali deplorat Simoniacum statum ecclesiæ Romanæ Petrus Damiani auctor & Cardinalis hujus seculi. Quid dicam? ubi olim Simon Petrus, jam præsidebat Simon Magus, *Quæ omnia Alberici Comitis Tusculani factione modo passam esse Romanam ecclesiam apertè idem Petrus insinuat, dum de ejusdem Benedicti ad Inferos damnatione agit, cum per invasionem Ioanni patruo eum successisse testatur*, inquit Baronius. Audi eundem lamentantem: *facitne illa*, inquit, *Ecclesia Romana: an patitur, cum in eam indignus intruditur, & monstrum aliquod seculari potentiâ in sacrosanctam illam sedem exaltatur?* Bellarminus in sua Chronologia: *his temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degenerarunt, Principes seculi pietate florebant.* In Germania Caroli, Ludovici, Ottones, Henrici, Conradi; in Gallia Hugones, Roberti: in Anglia Eduardi.

Romanus Imperator Orientis, ab adultera conjuge Augusta Zoë veneno consumptus, sed necdum defunctus, operâ ejusdem conjugis & ejus qui in locum ipsius est surrogatus, miserè strangulatus, aut in balneo submersus, interiit. Erat is Michael, origine Paphlago, cum quo Zoë, vivo marito consueverat, arte argentarius, sed formâ pulcerrimus, quem impudica fœmina deperibat, adeò ut nec propinquam viri mortem veneno curatam exspectare potuerit. Etenim nec sacrosanctam pœnosam hebdomadam verita est: nam feriâ quintâ adeò immane facinus perpetravit. Hâc nocte cum sacrosancta Christi tormenta canerentur, accersitus est Alexius Patriarcha A.C. 1034.

 ab

ab Imperatore, ut se citò ad Palatium conferat: qui cum præsto fuisset, reperit mortuum Romanum Imperatorem. Illato autem triclinio in suggesto sedens Zoë educit Michaëlem, & Patriarcham cogit ipsum secum consecrare: qui verbis illius obstupefactus obmutuit, & benedictionem anceps differebat. Verum Michaël, cum Zoë quingenta auri libris Patriarchæ, & quinquaginta Clero traditis, effecit, ut dignos eos putaret Alexius, quos consecraret. Romanus autem Imperator ipso magno parasceves die sepelitur. Zoë, cum marito adultero & jam Imperatori imperare vellet, ab adulteri fratre viro strenuo & rerum perito in ordinem redigitur. Curopalates, Zonaras.

Immane hoc facinus subsecuta fuère multa prodigiosa mala. Vndecimâ horâ sanctæ & magnæ Dominicæ decidit incredibilis grando, ut templa & domus corruerent, arbores, vites, segetes confringerentur: imò & adulter formosissimus fit dæmoniacus, nec ante finem vitæ id malum cessat: multa alia apparuerunt prodigia &c. Cedren. Curopalates.

Rudolphus Burgundiæ Rex moriens, coronam suam cum Regno in Conradum Imperatorem transtulit, quod ex Arnulphi Imperatoris tempore plus centum & triginta annis gentis suæ Reges obtinuerat, atque ita denuò Burgundia in provinciam est redacta. Sigebert. *&c.*

A.C. 1035. *Roberto Francorum rege mortuo, succedit filius Henricus, qui contra Berengarium Turonensem, Archidiaconum Andegavensem concilium convocat, qui corpus Christi in sacramento corporis negans, à Roberto rege damnatur. Bruno Audegavensis Episcopus, ejusdē cū Berengario fuit opinionis.* Herm.

A.C. 1037. Benedictus ille Papa seu potius maledictus *Baronio*, in sanctorum numerum retulit S. Simeonem Anachoretam apud Treviros.

A.C. 1039. Conradus Imperator moritur Trajecti in Belgis, & sepelitur Spiræ. Henricus III. filius succedit.

Nortmanni ex Nortmandia Galliæ provincia oriundi in Italiam pervenerunt, & sub Gainario Salerni & Pandulpho Capuæ dynastis stipendia facientes, contra Græcos & Saracenos utilem & gloriosam navarunt operam. Hi Gulielmum Ferrobrachium ducē eligunt, qui Saracenos Græcosq; debellavit. Hoc verò anno Nortmāni Arduino Longobardo duce potiuntur Apulia, superatoq; Ducliano Græcorū exercitus Principe, eandem provinciā pacificè possident: Sed tyrannicum & impium aliquamdiu fuit eorum dominium. Petav.

Eduardus ille Confessor eligitur & coronatur Rex Angliæ, qui in Normandia exsul, Guilielmo duci promittit, si se in recuperando regno adjuvaret, & absque liberis moreretur, successionem.

Michaëli

Michaëli Paphlagoni succedit Michael Calaphates ex sorore nepos, qui Zoën in insulam relegat, sed per populum revocata, Calaphatem oculis privat, & rempublicam cum sorore Theodora administrat: Romanorum imperio in gynæceum devoluto, inquit Zonaras. *Zoë quamvis decrepita, ardens tamen libidine, Constantinum Monomachum sibi maritum eligit, sed brevi jam septuagenaria extincta est. Sub hoc Imperatore potentia Turcarum admodum accrevit, & maxima Imperii Orientalis facta est ruina. Eo mortuo Theodora Zoës soror succedit.* Zonaras.

Alexius Patriarcha Constantinopolitanus moritur. Ille auri centenarios viginti quinque, ut habet Zonaras, *aut octies centena millia aureorum collegerat, quæ Imperator Monomachus in suum transtulit usum, & Michaëlem Cerularium Patriarcham constituit.* Zonar. Cedr. A C. 1043.

Per idem tempus Turcæ sub Mahammede Saraceno, Persarum Principe, stipendia merentes ab illo deficiunt, eoque sæpe devicto ac tandem mortuo, Persidem invadunt: quorum primus Sultanus Tragolipaces Mucaletus à *Curopalate* nominatur.

Hoc tempore Romæ duæ potentissimæ viguêre factiones, altera Tusculanorum Comitum, quæ intrusit Benedictum, altera Ptolomæi civis Romani, filii Gregorii, de quo supra. Benedicti IX, turpitudinem ubique decantatam, à bonis omnibus deploratam, haud diutius ferre valentes Romani, consulis Ptolomæi ope Benedictum rejiciunt, & Sylvestrum quendam surrogant, qui malis artibus, collatâ scilicet pecuniâ Pontificatum acquirit: quo denuò pulso auxilio Tusculanorum, Benedictus sedem Romanam secundò occupat, nec multò post invisum se cunctis videns, Ioanni Archipresbytero, qui quasi religiosior habebatur, Papatu tradito, vel (ut quidam affirmant, inquit Platina) *vendito, ipse cupiditates suas liberius executurus in paternam se recepit domum.* Leo Ostiens. & Hermannus. A. C. 1044.

Circa idem tempus pudenda confusio Ecclesiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invasoribus (quorum unus Benedictus, alter Sylvester, tertius Ioannes) sedem illam simul occupantibus, atque ad majoris miseriæ cumulum divisis simul reditibus & Patriarchiis, uno ad S. Petrum, altero ad Sanctam Mariam Majorem, tertio, id est Benedicto, in Palatio Lateranensi sedente, flagitiosam & turpem vitam, ut egomet in Vrbe, Romanis tradentibus, audivi, duxêre. Otto Frisf. Baron. *At quodnam primũ remedium adhibitum fuerit ad extinguendã tricipitẽ bestiã hanc, portis inferis emergentẽ, videamus. Illi*

Melle soporatam & medicatis frugibus offam Objicit --- Virg 6. Æn.

planè simile excogitatum remedium est, quod in extinguendo illo Cerbero fabuloso poëta: nempe piceâ offâ opplendo fauces, dando illis mandendum aliquid, ut à latratu omninò cessarent. Quis autem pharmacum istud paravit, quod temporis illius infelicitas exigebat, videamus. Otto Frisingensis: *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, tres præfatos viros adiit, eisque è sede Romana cedere pecuniâ persuasit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbatur esse auctoritatis, relictis. Ob ea cives præfatum presbyterum, tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, & Gregorium VI. vocarunt. Quatuor hic vides simul in schismate Pontifices, Benedictum, Sylvestrum, Ioannem, Gratianum, postea Gregorium* VI. Benedicti elogia audivimus. In vita Sylvestri III, sic Platina: „ Eò tum Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione & ambitio- „ ne, non dico sanctitate vitæ & doctrinâ, valeret, is tantummodò „ dignitatis gradum, bonis oppressis & rejectis, obtineret: quem „ morem utinam non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum „ est, pejora (ni Deus caveat) visuri aliquando sumus. Ad Sylve- „ strum redeo, Cardinalem Sabinum Pontificem creatum, non di- „ co à collegio Patrum, quod tolerabilius fuisset, sed largitione, ut „ quidam tradunt; quo quidem pulso ac meritò, cum non per ostium „ sed posticum intrasset, ut fur & latro, Benedictus denuò restitui- „ tur tumultuante Urbe, & nunc alium appetente, quod fieri ab his „ populis consuevit, qui duce & rectore carent, quique malos plu- „ ris quam bonos faciunt.

Panuinus in vita Gregorii VI. ad Platinam hæc habet:

„ Illud à Platina omissum scitu dignum: Benedicto VIII, pulso „ Sylvestrum II, suffectum esse, quo à Benedicto ipso Urbe exacto, „ Benedictus secum ordinari fecit alium Pontificem nomine Ioan- „ nem, atque ita tres Pontifices Romanam sedem vexabant. Qui- „ bus proborum hominum precibus & pollicitationibus, sacerdo- „ tiorum suorum jure cedentibus, quartus suffectus est Joannes Gra- „ tianus, Archipresbyter S. Joannis ante portam Latinam, Grego- „ rius VI. vocatus: qui Cluniaci Pontificatu privatus (quo ab Im- „ peratore Henrico III. relegatus fuerat) mortuus est; non eo modo „ quo narrat Platina &c. multa de eo scripsit Gregorius VII, qui „ ejus discipulus & alumnus fuit. *Ex Harmanno Contracto, Bone Ostiensi,*

Ostiensi, *Ottone Frisingensi hac Onuphrius*. Benno Cardinalis refert hunc Gratianum seu Gregorium VI. mille quingentas libras persolvisse Benedicto IX. ut Pontifex fieret.

,, Quod si ex ungue Leonem, ex filiis parentem, ex discipulo magistrum novimus: ex Gregorio VII. hujus discipulo Gregorium VI. ejus magistrum, qualis fuerit potenti conjecturâ assequi possumus. *Glaber*.

,, Tota Italia prædonibus, & latronibus erat stipata, omnes viæ insidiatorum examinibus obsitæ, ita ut viatoribus non nisi vitæ periculum aut nummorum rapina esset expectanda: unde cessatum est ab omni provincia Romam iter aggredi. Quid in Urbe, unico olim habitaculo sanctitatis? Ibi, non tantum extra Urbem, sed in medio foro sicarii vagabantur: genus hominum infidum & versutum. Si quis semitarum observatores aliquo transisset artificio, capitis scilicet periculo, Apostoli Ecclesiam videre cupiens, in sicarios incidens, nullo modo sine substantiæ aut salutis damno domum revertebatur. Super ipsa corpora S. S. Apostolorum & martyrum & sacra altaria gladii nudabantur, & oblationes accedentium vixdum appositæ de manibus abripiebantur, abreptæ in comessationes & scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum turbo Gregorii Papatum offendit. Hujus fuit labor & industria, ut tria illa monstra conficeret, sed non ita feliciter, cum non nisi pactâ pecuniâ ex reditibus Ecclesiæ colligendâ cedere sedibus illi obstinato animo statuissent: & simul ut mores Romanorum latrocinantium prædictos corrigeret, quod cum magnâ severitate ageret, magnam in se invidiam concitavit, ut Imperatorem in Italiam provocaverit, qui eum sede removit. *VVilhelm. Bibliothec. Malmesbur.*

Regnum Poloniæ Romanæ Ecclesiæ, imo Romano Pontifici feudale ac tributarium ex Longino refert *Baronius*. A.C. 1045.

,, Henricus Imperator cum exercitu venit in Italiam, Wiggerum, qui præsulatum Ravennæ biennio ineptè & crudeliter nondum consecratus tenebat, Episcopatu privavit: deinde actâ synodo, causâque erroneorum seu schismaticorum Pontificum diligenter ventilatâ, Gratianum, id est, Gregorium VI. Papam, simoniæ convictum A.C. 1046.

„ victum baculo pastorali privavit, & Suitgerum, Episcopum Bam-
„ bergensem, nimium reluctantem, omnium tam Romanorum,
„ quam aliorum consensu Ecclesiæ Romanæ elegit Pontificem; qui
„ ex more consecratus, mutato nomine Clemens II. dictus est. Hermannus, Otto Frisingensis. At Leo Ostiensis sic narrat. *Imperator Henricus III. cum omnibus Concilii Sutrini Episcopis Romam venit, & in Ecclesia B Petri congregato Clero populoque Romano, quid Sutri gestum exponit: deinde de ordinando Pontifice Romano tractare communiter cœpit; factâ itaque discußione diligenti, cum nullus in Italia (proh dolor) inveniretur dignus, qui tantæ Ecclesiæ praeesset, electione omnium Bambergensis Episcopus, de gente Saxonum Papa Romanus eligitur, eique Clemens nomen imponitur.* Hæc Leo. *Ab eo Henricus creatus est Imperator, ejus nominis tertius.* Eadem habet Waltramus Naumbergensis Episcopus, & Sigebertus in suo Chronico.

A C. 1047. *Imperator convocat Concilium contra hæresin Simonis, ut Simoniacos vepres, qui adeò excrevissent, ut Patrisfamilias suffocarent sementem, non modò succideret, sed penitùs eradicaret*, inquit Baronius. *Erat hoc virus simoniacæ hæreseos tam universale & frequens per Occidentalia regna*, inquit Petrus Damiani, *& illud spirituale latrocinium in cunctis*, ut ait Henricus Imperator, *ita grassabatur, ut quod fiebat paßim licenter admissum, ultimæ animadversioni nequaquam duceretur obnoxium, &, quod erat ferè omnibus consentaneum, pro regula teneretur, tanquam legali sanctione decretum. Malum hoc simoniacum non tantum per Gallia & Germaniæ Episcopos spargebatur, sed etiam multò amplius totam occupaverat Italiam, omnia quippe ministeria Ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro secularia mercimonia. Quare Imperator edicto jußit, ut nullus gradus clericorum aliquo pretio acquireretur, ac siquis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus anathemate mulctaretur.* Glaber lib. 5. cap. 5.

Imperator Henricus cum res Romæ constituisset, & Romani cives cum clericis jurassent, se, inscio Imperatore, nunquam Papam electuros, abit in Campaniam, & inde in Apuliam. Cumque res undiquaque quantum fieri poterat constituisset, assumpto suo Pontifice Clemente, qui sibi ab Italis metuebat, in Germaniam redit, ubi moritur, & sepeliendus Bambergam deducitur. Leo, Hermannus &c.

Quo

Quo mortuo Benedictus IX. in Pontificatum iterum rediens, octo menses illum tenuit, donec ab Imperatore transmissus ex Germania Damasus, Brixinorum Episcopus, Clementi in Papatu successit. Leo.

Pellitur tertiò invasor sedis Apostolicæ Benedictus IX, donec ab Imperatore mittitur Romam Poppo Episcopus Brixiensis Pontifex consecrandus, qui suffragiis omnium electus & consecratus Pontifex, nominatus est Damasus II. (Baronius ex Leone, Hermanno &c.) *qui paulò post moritur, veneno sublatus,* ut Benno ait, *operâ Benedicti, qui jam quartò invadit sedem Pontificiam, eamque obtinet mensibus sex.* Onuphr. Baron. Longè aliter Platina. A.C. 1048.

Turcæ, qui ad Boreales partes montis Caucasi sedes habuerant, nec nisi stipendiis à Saracenis invitati, patriis excedere finibus consueverant, posthac Asiam non deseruerunt, sed oppressis Saracenis, quorum religionẽ acceperant, Perside & Babylone occupatâ adversus Imperiũ Græcorum arma movere cœperunt, & tandẽ, eo domito, potiti sunt. A.C. 1049.

Mortuo Damaso vacavit sedes usque in annum sequentem, discerpta interim unguibus invasoris Benedicti, ejusdemque fœdata spurcitiis. Baron.

Damaso successit Leo IX. Bruno dictus, Comes Daghspurgensis, Episcopus Tullensis è prosapia Francorum. Hoc autem modo hæc acta sunt: Damaso defuncto, & Benedicto sibi sedem rursus vendicare conante, necessitate cogente, ne tale monstrum iterum subire Ecclesia Romana cogeretur, missa est à Romanis legatio ad Impertaorẽ quâ petierũt Pontificẽ ab eo dari. Bruno prædictus, postea Leo IX, authoritate regali ad sedem B. Petri destinatur. Romã veniens favore totius populi excipitur, & Papatus infulis insignitus, in cathedra B. Petri inthronizatur. Otto Frising. Leo, Hermannus & alii.

Bruno assumptâ purpurâ Pontificali proficiscitur, & Cluniaci Hildebrandum reperit, qui Brunonem ea de caussa redarguit, illicitum inquiens, per manum laicam summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Bruno purpuram deponit & consilio Hildebrandi à Clero populoque Papa eligitur. Otto Frisingensis.

„ Postea Leo totus in eo erat, ut simoniæ scelus, quod frequentissi-
„ mum in orbe occiduo erat, ab Ecclesia penitus eradicaret; quod
„ duobus decretis synodalibus, teste Petro Damiani in suis epistolis,
„ declaravit; quibus prominentiores vepres succisi videbantur, *inquit*
„ *Baronius.* Cæterum prẹter ipsos etiam & frutices illi infelicissimi

„ vepres infausti, spinæ & urticæ, *sic pergit Baronius*, agrum patris fa-
„ milias in immensum oppleverant, qui ex putore carnis, corruptio-
„ nis fimo, turpiter excreverunt. Omnis quippe caro, corruperat
„ viam suam, ut non tantum ad eas abluendas sordes satis esse vide-
„ retur diluvium, sed nefanda scelera ignem è cœlo Gomorrhæum,
„ quo est exusta Pentapolis, postularent. Quorum gratiâ idem Pe-
„ trus Damiani, tunc eremita montis Avellani, in Umbria consti-
„ tuti, de his omnibus novum Pontificem Leonem monendum pu-
„ tavit, scribens ad eum librum, quem Gomorrhæus inscripsit, eo-
„ que quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Ecclesia, ut de-
„ cuit, quam potuit honestè insinuavit, rogans ut Petri gladio acu-
„ tiore, quam Phinees, conficiens turpissimos homines illos, Ec-
„ clesiam Dei, non habentem maculam neque rugam, servaret in-
„ contaminatam. Quibus auditis sanctissimus Pontifex, cum viri
„ sancti laudavit zelum, cum etiam pro criminum qualitate & quan-
„ titate ultor offensi numinis, pœnas dignas opposuit, quas habet
„ ejusdem Pontificis epistola ad eundem Petrum reddita, quæ præ-
„ fixa legitur Gomorrhæo, quæ unà cum pluribus aliis ejusdem au-
„ ctoris lucubrationibus extat in antiquitus scripto codice biblio-
„ thecæ S. Petri in Vaticano, quo sumus usi in his conscribendis.
„ Leonis autem ad Petrum epistola multas continet Petri laudes:
„ Sed ô, *exclamat Baronius*; instabilis interdum etiam in Ecclesiæ
„ Antistitibus, iisdemque sanctissimis, stabilitas mentis, dum con-
„ trariis ventis impellentibus, animum erga viros virtute præditos
„ bene propensum in partem torquent adversam, ut quem antea
„ plurimi faciebant, jam contemnant, & fastidio respuant, quem
„ colebant. Hoc contigit Petro, qui postmodum apud Leonem cœ-
pit vilescere. Fortè non ausus fuit Leo adhibere opem medicam
morbo immedicabili & desperato & sedi Apostolicæ tam probroso.

A C. 1051. *In synodo Romæ Leo decretum sanxit de continentia Clericorum adversus subintroductas mulieres teste Petro, epistolâ ad Cunibertum Taurinensem. In plenaria planè synodo sanctæ memoriæ Leo Papa constituit, ut quædam damnabiles fœminæ, quæ intra Romana mœnia reperirentur, presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ* &c.

Eodem

Eodem anno, ut auctor est Lambertus, *Henricus Imperator auctus est filio, eidemque Henrici nomen imponi voluit.* Hic est ille Henricus IV, cui per tot contentionum tricas & salebras eundum erit cum Gregorio Papa VII.

Nova hæresis emergit de reordinandis ordinatis à Simoniacis pontificibus & Episcopis, cujus auctores sic inquiunt: Quæ tum videbatur ecclesia, ab his scilicet consecrata, domus simplex erat: quod videbatur altare, purus lapis erat: sacerdotes & reliqui laici erant, cunctisque spiritualis sacramenti viribus alieni: quod corpus & sanguis Domini credebatur, simpliciter panis erat & vinum, terrena substantia, nullâ S. Spiritus benedictione perfusa: cuncta ergò falsa tenebantur & frivola, & à Christianæ veritatis redemptione penitus remota. Hanc hæresin Petrus Damiani multis refutat. Baronius. A.C.1052.

„Hoc eodem anno cum idem Leo per Germaniam profectus „esset, *inquit Baronius*, atque Ratisponæ in Bavaria constitisset, e„jusmodi constitutionem seu declarationem corporis S. Dionysii „ibidem consistentis scripsisse asseritur: quam in veteribus Pontifi„cum Romanorum scriptis Antonii Augustini repertam hic da„mus: Scribit in ea constitutione Leo ad Regem & omnes præla„tos Regni Francorum, idque tempore regis Henrici primi, Rober„ti filii, & declarat se diligentissimè legisse scripta Arnulphi Impe„ratoris, se capsas, thecas & scrinia, in quibus sacræ reliquiæ condi„tæ dicebantur, ac titulos & epigrammata solerti examine indagas„se: se tam Imperiali quam Papalibus antecessorum suorum literis „instructum, ex picturis denique parietum & sculpturis multipli„cia veritatis exprimentibus indicia, indubitatâ fide comperisse, „dicti martyris ossa venerabilia, exceptâ particulâ unicâ, simul & „minimâ manus dextræ, apud memoratum D. Emmeranni cœ„nobium integraliter contineri: imò nec divina defuisse prodigia, „quæ dubium omne abegerant. Quare Ratisponensibus præcipit, „ut illud festum Dionysii singulis annis cum omni jucunditate ce„lebrent. Francis autem suadet, ut ob ablatoris seu furis corporis „Dionysii, Imperatoris nimirum Arnulphi excellentiam & digni„tatem, Rustico & Eleutherio, sociis Dionysii, contenti, non se, „nec alios fallentes, ossa B. Dionysii in urbe Ratisponensium apud

Ecclesiam B. Emmeranni martyris & noscant & fateantur coruscare. Hæc Leo.

,, At ista commentitia esse exclamant Franci, *inquit Baronius.* Ri-
,, gordus enim, qui sub Ludovico Philippi filio claruit, habet ista de
,, his temporibus: Henricus Rex, Roberti filius, auditis rumoribus
,, quod in Alemania Ratisponæ in Abbatia S. Emmeranni inventum
,, fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysii Areopagitæ:
,, misit nuntios ad Henricum Imperatorem cum litteris, ut diem ele-
,, vationis istius protelarent, quousq; per certos nũtios utrum corpus
,, Dionysii martyris &c. in Francia in Ecclesia quam Dagobertus
,, fundaverat, esset vel non, plenissimè certificaretur. Imperator mit-
,, tit in Franciam viros magnos & sapientes, quibus visis Henricus
,, Rex convocat Archiepiscopos, Episcopos & Barones totius regni
,, & cum Odone fratre ad Ecclesiam B. Martyris misit: factâ autem
,, oratione, allata sunt tria vasa argẽtea, Dionysii, Rustici, & Eleuthe-
,, rii coram omni populo: & aperto vase B. Dionysii totum corpus
,, ipsius cum capite inventum est; exceptis duobus ossibus de collo,
,, quæ sunt in ecclesia Vergiacensi & os quoddam de brachio, quod
,, Stephanus III, Papa secum ad Romanam portavit Ecclesiam, & po-
,, suit in Ecclesia, quę hodie schola Gręcorum vocatur. Tunc nuntii
,, qui missi erant ab Imperatore citissimè revertentes, super his quæ
,, viderunt & audierunt, Imperatorem plenissimè certificarunt. Hoc
,, fuit factum tempore Leonis Papę IX. an. C. 1050. *Hactenus Rigord.*

Hic obiter addam historiam de ablatis Dionysii ossibus liberalitate Franciæ Regis ad Arnulphum Imperatorem delatis, ex Ioanne Aventino Annalium Bojorum l. 4.

,, Giselbertus procerũ locupletissimus, fuit ex composito sacrilegii
,, condẽnatus, & de industria ad monasteriũ D. Dionysii deportatus,
,, libenter à monachis recipitur; cũ quibus frequenter benè victitans
,, (nam & habebat quod dabat, & dabat nemo largius) longè gratior
,, factus est. Ubi satis fidei sibi haberi videt, sumptus affatim suppe-
,, ditans, dubiã cœnam, vinum studiosè optimũ monachis & contu-
,, bernalibus omnibus monasterii propinans, regio luxu apparat, in
,, noctẽ protrahit conviviũ, illisq; omnibus vino somnoq; sepultis,
,, tum Giselbertũ sacrilegiũ perpetrasse literis proditũ est. Quin etiã
osten-

,, ostenditur diploma datum Divi Haimeranni mystis à Leone IX, ,, Pontifice Maximo, qui coram oratoribus Galliæ Reginoburgi in ,, æde D. Haimeranni, in re præsenti scrinia & monumenta ejusdem ,, fani perscrutatus, litem diremit, sententiã dixit: Tantum Cœlitẽ ,, è Gallia furto sublatum, Imperatori Arnulpho traditum, in Bojoria ,, Reginoburgi situm esse pronunciavit, Gallos, nisi mentiri desi- ,, nant, devovet. Quid satis est, cui hæc parum sunt. Ego cum per- ,, tinacibus digladiari nolim: nam illis testimoniis non credere com- ,, plorata perditaque est impudentia. Servantur insuper in contu- ,, bernio D. Haimeranni saxa quadrata, in quibus hoc epigramma ,, literis Romanis majusculis insculptum est: Dionysius Areopagita ,, hic requiescit sub Arnulpho Imperatore & Ottone Rege, sub Eu- ,, bulone Abbate monasterii S. Dionysii, Giselbertus furatus est, ,, quinto nonas Iulii, furto sublatus huc venit pridie nonas Decem- ,, bris, tempore Tutonis Episcopi. *Hactenus Aventinus.*

Tandem sic concludit Baronius nihil asseverans: *ut planè appareat eandem controversiam viguisse inter Parisienses & Ratisponenses, qua inter Caßinenses & Floriacenses de S. Benedicti corpore, per plurima secula agitata est. Commendanda alioqui eorundem populorum in cultu sanctorum sicut religiosißima, sic & tenacißima pietas, & Catholica fides, Deo ista permittente omnia ad majorem gloriam suorum sanctorum.*

Sanctos laudare, honorare, imitari docet vetus & Catholica Ecclesia. *Martyres ut discipulos & imitatores Domini, propter incredibilem eorum benevolentiam quam in proprium regem & magistrum declaraverunt, meritò amplexamur, quorum cum pietate discipulos, tum consortes in gloria fore optamus,* inquit de Polycarpo Ecclesia Smyrnensis an. C. 169. Et Celsum, ut ignorantem moris Christiani reprehendit Origines, quod sanctos ab iis coli dicat. Augustinus de vera religione cap. 55. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur nos meriti sui esse consortes &c.* Ne quid dicam de ossibus sanctorum, iisque incertis; cum eadem, eodem tempore, non possint esse in diversis locis. Et quæso, quare occultari voluit Deus corpus Mosis? ne Judæi aliquando tanti viri reliquiis cultum deferrent, ut est sententia multorum & magno-

Vide Cyrillum Alexãdr. contra Iulianum. Epiphaniũ hæresi 79. de Collyridianis. Hieronymum in epist. ad Riparium Augu. lib. 8. c. 27. de civitat. Dei.

rum interpretum. *Invoca me in die tribulationis, &c.* inquit ipse Deus: *Venite ad me omnes, quicunque* &c. inquit Christus ipse. Requiescant ergo in pace ossa sanctorum, & nos colamus Deum.

Idem Leo cum venisset Moguntiam, & ibi in nativitate Christi cum Episcopis Missam celebraret, diaconus legit Euangelium præter morem. Id prohibet Papa, sed Archiepiscopus jubet ut pergat: Papa Diaconum statim removet ab officio, Archiepiscopus noluit missam absolvere, nisi Diaconus restitueretur, & Papa obsecutus est Archiepiscopo, & Diaconum absolvit. Baronius.

Nortmanni primò, ut diximus, *in Italiam vocati, paulatim ex Gallia*
A.C.1053. *venientes, numero accreverunt, & cum indigenis, quibus erant bellicosiores, contra Græcos & Saracenos pugnarunt. Postea contra omne jus ipsos indigenas sibi subjecerunt, neque secularibus neque Ecclesiasticis parcentes, sed divina atque humana jura more tyrannico confundentes, nec Pontifici nec Imperatori, quamvis essent Christiani, cedebant &c. Hac de caussa Leo IX. Papa, contra eos opem ab Imperatore petit.* Hermannus.

Postea Dominus Papa habitâ post Pascha synodo contra Nortmannos exercitum movet: Cumque illi pacem petentes, subjectionem servitiumque ipsi promitterent, & quæ prius injustè sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiâque retinere velle se dicerent: idque Papa abnegans vi & injuriâ raptas res S. Petri reposceret, eosque perperam invaso cedere loco juberet; illi, quia numero longè præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refsucantes, se potius bello obviam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros denuntiant. Idem Hermannus. Sic pergit Leo Ostiensis: *Inito certamine, paulatim se subducentibus fugientibusque nostratibus,* (Romanis & Italis) *& solis qui cum Papa venerant remanentibus,* (Germanis) *cum diu ab his acriter pugnatum esset, omnibus tandem in ipsa pugna trucidatis, Nortmanni Dei judicio evasere victores. Captum Papam cum suis Beneventum perducunt Nortmanni, promittuntque libertatem & commeatum, quando Papa Romano discedere placuerit. Paulò post Papa æger deducitur Capuam, deinde Romam, ubi, languore indies invalescente, moritur.*

Genebrardus *per annos ferè* 150, *aliis* 180, *Pontifices circiter quinquaginta, à Iohanne scilicet octavo ad hunc Leonem IX usque, à virtute majorum prorsus defecisse, & apotacticos, apostaticosque potius, quam Apostolicos*

stolicos fuisse asseverat. Nihil hic Baronius; nimirum, quare Deus ita puniverit peccata Romanorum, quare Nortmannis qui magna *cum tyrannide haredibus legitimis castella, pradia, villas, domos, uxores etiam vi auferebant, res ecclesiarum diripiebant, divina & humana confundebant,* verba sunt historicorum ejus temporis; quare, inquam, iis victoriam concesserit Deus, contra sedem Apostolicam & ipsum Apostolicum? Dicendum illi erit, hic denuò Christum dormivisse, & ipsum S. Petrum, ut jam pridem: aut peccata Romanorum superasse tyrannidem Nortmannorum, & majus esse malum Romanorum simoniam & peccatum Sodomiticum, quam Nortmannnorum injustum dominium. Liceat mihi dicere cum poëta: *Victrix caussa Deo placuit, sed victa Leoni.* Nos relictis conjecturis consulamus Petrum Damiani, *virum,* ut perhibent, *illo tempore, magna sanctitatis & auctoritatis, qui acriter invehitur in Leonem Papam bella gerentem, ab exemplo Christi & præsertim cum regnum & sacerdotium per propria cujusque distinguantur officia: nempe ut Rex armis utatur seculi, & sacerdos accingatur gladio spirituali, qui est verbum Dei.* Adducit multa loca S. Scripturæ, exempla patrum &c. contra Leonem, quem graviter sugillat. Vide epistolam Petri Damiani ad Firmium Episcopum. Et tamen, si Genebrardo credimus, *hic Leo primus à Deo vocatus, velut alter Aäron, antiquam Pontificum integritatem cælo in sedem Apostolicam revocavit.* Quod etiam indicare velle videtur ipse Papa in epistola ad Imperatorem Constantinum Monomachum, prædecessoribus suis damnatis. *Quia* inquit, *abundante iniquitate & refrigescente charitate, sancta Romana Ecclesia & Apostolica sedes nimium diu obsessa fuit mercenariis, & non pastoribus, à quibus sua, & non qua sunt Iesu Christi, quarentibus, devastata jacebat miserabiliter hactenus, divinum consilium voluit meam humilitatem suscipere tanta Cathedra pondus.*

Digladiatur cum Petro Damiani de bello à Papa gerendo occasione Leonis Cardinalis Baronius, & duos tribuit Pontifici Romano gladios, alterum spiritualem, alterum materialem seu secularem: idque probare conatur auctoritate diversorum Pontificum, & verbis B. Bernardi de consideratione lib. 3. & hoc negare velle, hæresin esse affirmat. Testimonia Pontificum omittimus, quia nemini licet in propria caussa jus dicere: videamus ergò ipsa Bernardi verba desumpta

ſumpta ex lib. de conſideratione 3. nam quinque libris lectu dignis ſanctiſſimè officii ſui admonet Papam Eugenium an. C 1145. *Fac, inquit, opus Euãgeliſtæ, & paſtoris opus impleſti. Dracones, inquis, me mones paſcere & ſcorpiones, non oves: propter hoc, inquam, magis aggredere, ſed verbo non ferro. Quid denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non mihi videtur ſatis attendere verbum Domini ſic dicentis: Converte gladium* tuum *in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu evaginandus. Alioqui ſi nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apoſtolis, Ecce gladii duo hic, non reſpondiſſet Dominus ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus eſt: ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis & juſſum Imperatoris.* Sed in paucis hiſce verbis adverſa ſibi dicere videtur vir ſanctus, cum in prioribus verbis uſum gladii Eugenio prohibeat, in poſterioribus aliquo modo

Matth. 26. 52. Vide Maldonatum, Janſenium, LucamBrugenſem. permittat. Dixit Chriſtus Petro, *Converte gladium tuum*: cum jam evaginaſſet gladium ſuum Petrus; reprehendit eum Chriſtus, & gladio uti prohibet: jubet ut eum in vaginam ſuam remittat, ex ſententiâ doctiſſimorum interpretum. *Nam uſus gladii alienus erat à doctrina & ab exemplo Chriſti: nec Apoſtoli accepto Spiritu ſancto, quovis inter Evangelii hoſtes proficiſcentes fuerunt ſolliciti de pera replenda multoque minus de aſſumendo gladio*, ut inquit in hunc locum Lucas Brugenſis. Nec ea admonitio ad Petrum tantum pertinet, ſed & ad Chriſtianos omnes, qui à publicis poteſtatibus ad pœnam expetuntur ob pietatis profeſſionem: quam vim patienter ferendam docent nos omnes Patres & infinita primitivę Eccleſiæ exempla: & inter cætera generoſa & heroica illa legio Thebæa, an. C. 296. quæ pro fide Chri-

Matth 10. 39. Luc 13. 33. ſti mori maluit, quam probè armata perſecutoribus reſiſtere: & ſanè qui ita animam perdit, is verè eam acquiſiviſſe à Chriſto pronunciatur. *noluit enim perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare,* ut inquit Ambroſius lib. 3. offic. cap. 4. Imò apud Matthæum poſt reprehenſionem Petri ſequitur Chriſti comminatio: *Omnes enim qui acceperunt gladium gladio peribunt.*

Luc. 22. 38. *Chriſtus dicentibus Apoſtolis, Ecce duo gladii, reſpondit, non nimis eſt, ſed ſatis eſt,* inquit Bernardus. *Sed ſi locum à verſu 35. ad verſum 38. benè*

benè examinaveris, hunc aut similem in iis invenies sensum, quem miror virum Dei non cogitasse. Versu 35, *de priori tempore quærebat ab Apostolis Christus, num hactenus iis vel pecunia in loculis, vel cibus in pera, vel pedibus calceamenta, simileve in aliis ejusce generis defuisset. Negabant illi. Hinc de secuturo tempore Christus subjicit, tam acerbum illud fore, ut vel divenditâ exteriori veste sollicitos esse conveniat, de gladio emendo ad defensionem sui,* versu 36. *Hoc figuratè à Christo dictum est, quo indicaret misera instare tempora, quando & impiis esset adnumerandus, uti & prædictum erat à Prophetis. Apud quos etiam frequens hujusmodi loquendi genus est, quo prædicunt imminentes calamitates, jubendo fieri id, quod homines facere solent in similibus calamitatibus. Apostoli parum istorum intelligentes, quia de gladio emendo audierant, duos Christo gladios offerunt. Indoluit Dominus ob inscitiam eorum, sed cum videret eos nec dum capaces esse illorum, quæ diceret, contentus fuit illud quasi εἰρωνικῶς proferre, sufficere istac, quasi voluisset dicere, non, satis est gladiorum, sed, satis est verborum hac de re. sic solemus abrumpere sermonem apud eos qui nos non intelligunt, dicendo satis est, bene habet. Non judicabat Dominus sua verba tunc temporis clarius exponenda; sciebat enim ut suorum verborum mentem abundè postea edocerentur per illustrationem Spiritus sancti in festo Pentecostes.* sic Theophylactus, Lucas Brugensis, Vossius & alii. Imò ipse Bellarminus de Pontif. Roman. lib. 5. cap. 5, *fatetur Bernardum mysticè interpretatum esse Lucam, nec voluisse dicere Pontificem Romanum eodem modo habere gladium utrumque, sed alio & alio modo.* Et certè nihil alienius à mente Christi fingi potest, quam illa est Cardinalis Baronii sententia. Sic loquitur Bernardus lib. 1. de consideratione cap. 5. *In criminibus*, inquit, *non in possessionibus est potestas vestra.* & lib. 2. cap. 5. *Esto ut aliâ quâcunque ratione hæc* (bona temporalia) *tibi vendices, sed non ex Apostolico jure, nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit*, Et cap. 6. *Exi in mundum, ager enim est mundus, isque creditus tibi, exi in illum non tanquam Dominus, sed tanquam villicus.* Appositè magis secundum consuetudinem seculi explicare potuisset Bernardum Baronius, ubi dicit, *Tuus ergo est gladius ille materialis, tuo forsitan nutu, sed non tuâ manu evaginandus, si exposuisset per*

nutum consilium Papæ pro defensione religionis & Ecclesiæ contra infideles, ut fieri solet in bello, ut vocant, Sacro, contra Saracenos ad recuperandam Palæstinam: vel etiam tribuere potuisset Pontifici spiritualem gladium, quâ est Romæ Episcopus, & materialem, quâ est Dux aut Dominus urbis Romæ & totius Exarchatus secularis: pro quorum tutela bellum gerere licitum esset Papæ, non manu, sed nutu, non personaliter, ut ita loquar, sed per duces. Alioqui objici illi posset canon Apostolicus 82, quo edicitur: *Ne quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus militiæ vacet, & utrumque retineat officium, Romanam (puta) præfecturam, & functionem sacerdotalem: quæ enim Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo.* Imò sextus canon constituit, *ne Episcopus, Presbyter, Diaconus seculares curas administret*, quamvis alia nunc sit ætas, & alii mores. *Vide Grotium de jure belli & pacis l. 1. c. 3. 4.*

Patres primitivæ Ecclesiæ S. Bernardo aut potius illustrissimo Baronio respondissent: Gladii istius materialis usus in Ecclesia aut est in bello contra hostem, aut in persecutione contra hæreticos, seu dissentientes in religione; non in bello, *nam dolus, asperitas, injustitia, propria bellorum negotia sunt*, ut loquitur Tertullianus: *& homicidium cum admittunt singuli, crimen est, virtus vocatur cum publicè geritur: impunitatem sceleribus acquirit non innocentia ratio, sed sævitiæ magnitudo*, ut ait Cyprianus. Atqui hæc locum non habent in Christo aut Petro. Non contra hæreticos: *quia fides docenda est, non cogenda, suadenda non imponenda*; ut loquitur ipse Bernardus super cantica sermone. 66: quare idem paulò ante dixit, *aggredere eos, non ferro, sed verbo: quid enim tu gladium evaginare audes, quem semel à Christo in vaginam reponere jussus es?* & epist. 221, idem Bernardus sic loquitur ad regem Ludovicum: *Profectò stabimus & permanebimus usque ad mortem, si ita oportuerit pro matre nostra (ecclesia) non hastis & gladiis, sed precibus fletibusque ad Deum.* nam illa erant in primitiva Ecclesia Christianorum arma, ut docet B. Cyprianus epist. 57. ubi *Eleemosynas, jejunia, precationes, gemitus & lacrymas Christianorum vocat arma cœlestia, quæ stare & perseverare fortiter faciunt, & munimenta spiritalia & divina, quæ nos protegunt, &c.* Audiamus Tertullianum apologet. cap. 37. *Sed absit ut aut igni humano vindicetur divina secta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? plures nimirum Mauri & Marcomanni ipsique Parthi,*

Epistol. ad Donat.

Parthi, vel quantacunque, unius tamen loci & suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, &c. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? si non ad istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere. Idem ad Scapulam cap. 2. Et Cyprianus ad Demetrianum: *Inde est quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur; nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus sit noster populus, ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas: Innocentes nocentibus cedunt &c.* Idem ad Antonianum epist. 52. Audiamus etiam Augustinum; *Dominus jusserat ut ferrum discipuli ejus ferrent, sed non jusserat ut ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus pastor Ecclesiæ, sicut Moses post percussum Ægyptium factus est rector illius synagogæ? Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit: uterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit.* vide eundem *lib. 22. de civitate Dei.* Quid plura? sic loquuntur omnes ecclesiæ primitivæ patres, & idem praxi observatum est in Ecclesia ad sex aut septẽ secula. Vide an. C. 225. ubi fusè de persecutione hęreticorũ, seu in negotio religionis dissentientium. *Aug. l. 22. cõtra Faust. cap. 70. ad hunc locum.*

Post mortem Papæ Leonis interregnum Romæ est ferè totius anni, vivente adhuc Benedicto illo intruso & sæpe extruso, illo pseudopontifice per factionem Comitum Tusculanorum statum Ecclesiæ Romanæ iterum turbante. Quare Hildebrandus à Romanis ad Imperatorem mittitur, ut, quoniam persona in Ecclesia Romana ad tantum officium idonea, reperiri non poterat, de partibus illis, (Germaniæ) *quem ipse Hildebrandus vice Cleri populique Romani Pontificem elegisset, adduceret. Cum legationis suæ caussam Imperatori indicasset Hildebrandus, voluit Imperator electionem tantæ sedis Pontificis fieri in Concilio Episcoporum. Conventus ergo factus Moguntiæ, in quo Gebehardus Episcopus Aistetensis ab Episcopis electus, Romam missus est.* Leo Ostiensis. A.C. 1033.

Bellarminus in sua Chronologia hæc citat ex Antonino, summæ historiæ parte 3. tom. 22. c. 12. *Græci cœperunt*, inquit, *quidem tempore Nicolai I. sub Photio schisma facere; tamen hoc tempore apertissimè se ab Ecclesia Romana diviserunt & errores suos de processione Spiritus sancti à solo patre, & de sacrificio non celebrando in azymo, & de primatu*

summi Pontificis, & alios defendere cœperunt. Sic paulatim contentio inter Episcopum Romanum & Constantinopolitanum vires acquisivit eundo, & in manifestum & deplorandum abiit schisma Ecclesia Dei.

„ Origo & progressus simultatis, ex qua schisma inter Eccle-„ siam Orientalem & Occidentalem prodiit, diversas habuit caus-„ sas. Prima fuit ob datum à Concilio Constantinopolitano secun-„ do œcumenico æqualem honorem Episcopo novæ Romæ cum „ Episcopo veteris Romæ.

„ Secunda ob usurpatum titulum œcumenici ab Episcopis Con-„ stantinopolitanis. Tertia ob imagines dejectas à Leone, Constan-„ tino, aliisque Imperatoribus. Quarta ob neglectum Italiæ, vexan-„ tibus interea Longobardorum regibus Ecclesiam Romanam: un-„ de Papæ Romani à Regibus Francorum petere auxilium cogeban-„ tur. Quod his alacriter præstantibus, etiam Exarchatum Raven-„ natem, & alia Italiæ loca, quę sua diceret Græcus, Ecclesiæ donan-„ tibus; non potuit non ringi propterea Imperator Græcus. Maxi-„ mè vero momordit eum divisio Imperii; cum Papa Leo III. per-„ suasit S. P. Q. R. ut Romanum Cæsarem crearent Carolum M. „ Quinta quod Occidentales symbolo Constantinopoli conscripto „ in synodo universali ausi essent aliquid apponere extra Concilium „ generale, absque item consensu & approbatione Patriarchæ Con-„ stantinopolitani. Prætcrea Græci culpam conferunt in mores le-„ gatorum Papæ Romani, qui quoties Constantinopolim venirent „ admodum superbè se gererent, avarè quoque pecunias exigerent, „ & vix donis explerentur. Denique concoquere non potuerunt, „ quod Papa sibi vindicaret potestatem in Ecclesiam Constantino-„ politanam; atque etiam ausus esset excommunicare patriarcham „ ejus, & tot Episcopos ac Abbates. Hæ causæ adferuntur in tracta-„ tu quem fratres prædicatores adversus Gręcorum errores scripsere „ anno 1252. Manuscriptus is extat in bibliotheca Bavarica: unde „ Petrus Stevartius Ingolstadiensis Academiæ procancellarius, se-„ quentia in suis ad Manuelem Calecam observationibus exscripsit. „ Causas sive excusationes schismatis credimus esse quatuor. Prima „ fuit divisio Imperii. Licet enim Imperatores qui regnabant Con-stanti-

„ ſtantinopoli, poſt receſſum Conſtantini ab urbe Romana, pro eo „ quod totum contulerant Eccleſiæ, ſicut ſupra diximus, nullum jus „ haberent in Italia: interdum tamen ubique regnaverunt. Sed cum „ intra Italiam uſque ad Romam barbara gens irruiſſet, & ſummus „ Pontifex auxilium Imperatoris Leonis requiſiſſet, qui erat Con- „ ſtantinopoli & ille negligenter agendo auxilium præſtare Eccleſię „ recuſaſſet: compulſus eſt prædictus Papa magnum Carolum de „ Gallicis partibus revocare, & in Italia Imperatorem conſtituere „ & Eccleſiæ defenſorem. Etenim erat ille Leo, ut legitur, valde „ voluptuoſus, & ideo in regimine Imperii ſui valde remiſſus. Unde „ ſuo tempore Saraceni Syriam, Turci vero Cappadociam obtinue- „ runt, & ſic facta eſt diviſio Imperii Romani.

„ Secunda occaſio diviſionis fuit, quia non fuerunt vocati ad Con- „ cilium Ultramontanum, quando illa dictio FILIOQUE fuit ap- „ poſita.

„ Tertia occaſio fuit, quam ipſi aliquando nobis in familiari collo- „ quio aſſignaverunt: ſcilicet ſuperba nimis exactio Legatorū Papę. „ Dicebant namque referentes, quod quando Legati ſummi Pontifi- „ cis ab ipſa ſede Apoſtolica annuatim Conſtantinopolim Chriſma „ deferebant; niſi octoginta libræ auri, à clero & urbis populo præ- „ ter alia dona & munuſcula iiſdem impenderētur, non recedebant. „ Taceo, ajebant, de pompa & ſuperbia quam ipſi oſtendebant.

„ Quarta vero & potiſſima, quantum ad Clerum, fuit depoſitio „ Photii Patriarchæ & excommunicatio ipſius & aliorum prælato- „ rum, & quorundam Abbatum.

„ Sed, ſi nullo partium ſtudio trahamur, verendum profecto ne „ triſtiſſimi hujus & tam diuturni ſchiſmatis fontem caputque eſſe „ comperiamus non Gręcos duntaxat, quos non facile aliquis omni „ culpâ exemerit, ſed etiam, quod pace diſſentientium dixerim, Ro- „ manum & alios Occidentis Epiſcopos, quos Græci vehementer „ culpabant, quia auſi eſſent quiddam, ſi non falſum, ſaltem con- „ troverſum ſymbolo addere, & ei ſymbolo quod œcumenica ſy- „ nodus ſanxiſſet, appoſito etiam anathemate quidquam adjice- „ re volenti. Quippe, inquiebant Græci, communis fidei cau- „ ſa communi judicio Eccleſiæ debet decidi: eoque erat œcume-

„ nica synodus convocanda, ut istic veritas quæreretur, quæsita in-
„ veniretur, inventa definiretur, ac si sic expediret etiam apponere-
„ tur symbolo. Aliter si Episcopus aut Concilium particulare au-
„ sit, anathema, ajebant, illi esto, juxta synodum œcumenicam.

„ Non dubium quidem quin Græci, etiam ante exortum schis-
„ ma, dixerint Spiritum S. à solo patre procedere. Quomodo locu-
In refutat. anathematum Cyrilli cap. 9. „ tum convenit Theodoretum: de Cyrillo ambigunt. Sed si ejus
„ est liber de Trinitate, legas apud eum cap. 10. Ex filio spiritum
„ non dicimus; sed spiritum filii nominamus: verbaque eadem at-
„ que adeo caput integrum legas etiam apud Damascenum, lib. 1.
„ orthodoxæ fidei cap. 11. Sed ut sic dixerint ante schisma, tamen
„ rectè à Latinis oggestum aliter & tum locutos aliquos Græco-
„ rum neque hoc Græci poterant diffiteri: Ut planè eos fugerit ra-
„ tio, qui putant caussam schismatis principem fuisse, quod ferre
„ non possent Græci, prope omnes Occidentis Episcopos statue-
„ re Spiritum S. etiam à filio procedere. Sed vera caussa est quod
„ Episcopus Romanus vel Synodus Occidentalis rem adeo contro-
„ versam inconsultis Orientis Episcopis definisset, & Concilio in-
„ seruisset Constantinopolitano, contempto anathemate, quod œ-
cap. 7. „ cumenica Ephesina statuerat omnibus aliquid addentibus Sym-
„ bolo. Occidentales hic dicere nihil se symbolo apposuisse: sed
„ tantum quod erat obscurius declarasse; ac solum eam fuisse synodi
„ sententiam, ne quid adderetur, quod adversaretur doctrinæ eâ sy-
„ nodo traditæ. Alioqui & eidem anathemati obnoxiam fore sy-
„ nodum Constantinopolitanam; ut quæ declarandi caussâ quædam
„ adjunxisset symbolo Nicæno. Sed Orientales putare hic magnum
„ esse discrimen; quia synodus œcumenica non posset præscribere
„ œcumenicæ, cum par in parem non habeat potestatem: at posse
„ œcumenicam synodum præscribere Episcopis & synodis particu-
„ laribus. Ac proinde nec Romanum Episcopum, nec synodum
„ ullam Occidentalem, inconsultis Patriarchis & Episcopis Orien-
„ tis cæteris, jus habuisse aliquid addendi; in communi enim fidei
„ caussa nihil nisi communi Ecclesiæ Catholicæ judicio agi debuis-
„ se. Ac primitus Occidentales non multò ulterius litem hanc ex-
„ tendere: sed gliscente magis magisque auctoritate Ecclesiæ Ro-
manæ,

„ manæ, postea aperte dicere disparem esse rationem Papæ & alio-
„ rum Episcoporum: Papam enim in locum B. Petri, Apostolorum
„ principis successisse;ac propterea curandum ei esse, nequid Eccle-
„ sia uspiam capiat detrimenti: eundem per Spiritum S. infallibile
„ habere judicium de omnibus fidei controversiis, easque deciden-
„ di potestatem, ut nihil necesse fuerit judicium Orientalium ex-
„ spectari. Hoc privilegium esse primæ sedis, quæ primatum eum
„ à Petro Christi vicario, accepisset. In his Orientales multa requi-
„ rere; duo imprimis: primum quod sibi adscriberet, quod minimè
„ sibi vindicasset ipse B. Petrus: nunquam enim sibi hoc privile-
„ gium Petrum tribuisse, ut judicaret solus & à nemine judicaretur.
„ Siquidem cum Paulus & Barnabas ob exortam controversiam in *Act. c. 15.*
„ re etiam minori, puta duntaxat ob ceremoniam circumcisionis,
„ Hierosolymam essent profecti non unum Petrum quæstionem
„ decidisse, sed synodum esse convocatam in qua & Jacobus & cæ-
„ teri etiam, qui Apostoli non essent, sententiam dixerint; Paulo *Gal. 2. 13. 13.*
„ quoque in os ei resistente, quod non recto pede incederet, passum
„ se esse ab eo moneri & corrigi. Quippe qui probè ex Christi præ-
„ scripto nosset, non eum esse se oportere, qui dominium & pote-
„ statem in Apostolorum alios haberet, quomodo Monarchæ pri-
„ matum obtinent; nam quem primatum haberet, solum esse ordi-
„ nis; qualis in domo Dei requiratur. Addebant ei primatum at-
„ tributum, tum quia primus esset omnium vocatus ad munus A-
„ postolicum; tum etiam ob zelum ferventissimum. Eoque sensu
„ Apostolorum caput, hoc est principem, sive primum vocari po-
„ tuisse, qui cæteroquin os potius Apostolorum diceretur: quia ubi
„ pro omnibus unum dicere oporteret, ille omnium nomine loque-
„ retur.

„ Præterea addebant Orientales, etiamsi hoc largirentur, Pe-
„ trum Apostolorum principem judicare omnes judicari autem à
„ nemine potuisse, solum etiam habuisse jus omnes decidendi con-
„ troversias; non tamen consequi privilegium tam nobile derivasse
„ in Episcoporum quemquam. Siquidem duo hæc in Petro & Apo-
„ stolorum aliis distingui oportere: quod Apostoli & Episcopi fue-
„ rint, Episcopos à B. Petro vel Apostolorum alio creatos, non succes-
sisse

„ fiſſe eis in Apoſtolatu,ſed Epiſcopatu ſolum: Apoſtolos enim non „ creari ab Apoſtolis ſed à Chriſto, qui ſolus poteſtatem habeat, „ quos velit mittendi in orbem univerſum ad prædicandum Euan- „ gelium; eoſque Spiritu S. donandi, quo judicium habeant infalli- „ bile in dogmatis fidei; itemque dono miraculorum inſtruendi & „ poteſtatem conferendi ad Epiſcopos ac preſbyteros paſſim ordi- „ nandos; à quibus deinde alii conſtituerentur. Proinde illa in Apo- „ ſtolis concurriſſe, in Epiſcopis non item: Apoſtolorum enim fuiſ- „ ſe munus temporarium, quo in fundandis primis Eccleſiis Chri- „ ſtus uti voluiſſet; jactis eorum fundamentis Epiſcopos ſuffeciſſe, „ quorum munus duraturum eſſet uſque ad finem mundi.

„ Adhæc ut derivatum eſſet tale privilegium in Epiſcopos; non „ Epiſcopum Romanum id munus ſibi magis poſſe arrogare quam „ Epiſcopos alios, præſertim cum Petrus etiam aliis in locis Epiſco- „ pos ſtatuerit, ut Antiochiæ & Alexandriæ, & quidem priuſquam „ ullum Romanæ præficeret Eccleſiæ.

„ Nec quia unà cum B. Paulo martyrio vitam finierit, eò valuiſſe, „ ut Romana Eccleſia tali privilegio gauderet. Aliter ſi eſſet, ta- „ bulas requiri, quibus id caveant, ut in teſtamentis fieri ſolet.

„ Non ad iſta conticeſcere Occidentales; ſed objicere tot ſeculo- „ rum ante ſchiſma conſenſum, quibus Papa Romanus habitus eſ- „ ſet primæ ſedis Epiſcopus, unde verò, inquiebant, hunc prima- „ tum acceperit, niſi à Petro & Apoſtolis?

„ Hic Orientales inter primatum omnium ac poteſtatem in o- „ mnes diſtinguere. Præterea negare eum primatum ſuum à B. Pe- „ tro accepiſſe. Ad prius quod attinet, ajebant primatum eum eſſe „ ordinis & honoris, non poteſtatis in univerſos, etiam Patriarchas „ Orientis & qui eorum in diœceſibus agitarent: Nam, inquie- „ bant, ſi Romanus Epiſcopus quia primæ ſedis eſt, eò poteſtatem „ habet in ſecundæ ſedis Epiſcopum, hoc eſt, Conſtantinopolita- „ num: hic pari ratione eam habiturus eſt in Alexandrinum, quia „ is ordine ſit tertius: Alexandrinus item in Antiochenum, quo- „ niam is eſt quartus: Antiochenus in Hieroſolymitanum, quia is „ ſit quinctæ ſedis Epiſcopus. Quod nemo dicere auſus eſt, nec ta- „ lis unquam opinio obtinuit in eccleſia Dei. Ad poſterius verò

reſpon-

„ respondebant Romanum Episcopum non habere primatum suum
„ divino jure, sed humano & ecclesiastico : hoc est, non à B. Pe-
„ tro sed ab Imperatoribus & Conciliis; Quippe in domo Dei opus
„ esse, ut omnia fiant εὐτάκτως, id est, bono ordine: quod autem pla-
„ cuisset principem locum dare potissimum Episcopo Romano, id
„ factum esse ob Urbis dignitatem, quia hæc esset caput orbis Ro-
„ mani: ac simili de caussa proximum primo locum tenuisse Alexan-
„ drinum; nempe quia proxima & magnitudine & civili honore
„ censeretur: sed ex quo Constantinopolis condita, quæ nova Ro-
„ ma dicebatur & in civili dignitate æqualem, ac Roma vetus, ho-
„ norem adepta fuit, etiam Cæsari ac Patribus æquum esse visum,
„ ut Episcopus Alexandrinus non secundum, sed tertium obtine-
„ ret locum: Constantinopolitanus autem loco quidem secundo
„ foret, cum duæ esse sedes primæ non possint; cætera autem hono-
„ re æquaretur. Atque hæc astruebant ex ipsis Synodis œcumeni-
„ cis; quemadmodum videre est apud Nilum Thessalonicensem,
„ Barlaamum Monachum & alios. Sed ab dejecto Photio usque ad
„ Michaelem Cerularium hoc tempore Patriarcham Constantino-
„ politanum, per spatium nempe annorum 165, non videtur de
„ hac controversia inter Latinos & Græcos disputatum. Sed Ce-
„ rularius hic vehementer adversus Latinos insurrexit: nec ejus
„ solum, quod de processione Spiritus sancti dictum, sed aliorum
„ multorum, tum errorum tum criminum traduxit.

„ Vide ejusdem ad Petrum Patriarcham Antiochenum, &
„ Petri Antiocheni ad Cerularium epistolam, apud Baronium
„ Tomo XI. ad annum 1054. Vixit hujus Patriarchæ tempori-
„ bus Nicetas Pectoratus, Monachus Constantinopolitanus, Si-
„ geberto Gemblacensi etiam memoratus in Catalogo: Et hic
„ Patriarchæ sui partes sequebatur. Utrique respondit ejus-
„ dem ætatis scriptor Humbertus Cardinalis, sylvæ candidæ Epi-
„ scopus, vir Latinè Græcèque doctissimus. In libello excommu-
„ nicationis contra Michaelem Patriarcham à Leone IX, per
„ Humbertum hunc & alios apocrisarios factæ, hæc verba legas
„ de Græcis: Sicut pneumatomachi, vel Theomachi absciderunt
„ à symbolo Spiritus sancti processionem à filio. Atque hoc etiam

„ nomine iis, ut Pneumatomachis poſtea dicitur anathema Ma-„ ranatha.

„ Interea, quæ ab Humberto contra Græcos ſcripta, potius ſunt „ de azymo & jejunio Sabbathi, quam proceſſione Spiritus ſancti. „ Quemadmodum nec Leonis IX. ad Michaëlem Conſtantinopo-„ litanum & Leonem Achridemum epiſtola de alio eſt, quam de „ vanitate Græcorum & convitio illo,quod Latinos vocarent Azy-„ mitas. Per Achridemum intellige Archiepiſcopum Bulgariæ. Hu-„ jus urbis plures archiepiſcopi ſcripſêre de hac quæſtione contra „ Latinos & inter hos Theophylactus etiam Bulgariæ Epiſcopus, „ eruditus ſanè S. ſcripturæ interpres, quem cum Photio & Ceru-„ lario de proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre conſenſiſſe liquet ex „ iis, quæ ipſe de hoc dogmate acerbè adeò adverſus Latinos ſcribit „ in cap. 3. Euangelii B. Ioannis. Nec tamen tam aveſus à Lati-„ nis fuit quam Græcorum plurimi, qui omnes Latinos ritus à ſuis „ diſcrepantes, ut profanos & impios damnarunt. Multa & diverſa „ Concilia ſuper hac controverſia poſteà habita ſunt inter Latinos „ & Græcos, ſed in vanum. Nam etiamnum eandem retinent opi-„ nionem Græci, ut cognoſcere eſt ex iis, quæ Ieremias Epiſcopus „ Conſtantinopolitanns ſcripſit ad Theologos Wittebergenſes cap. I. Voſſius diſſertatione tertiâ de ſymbolis.

Petrus Damiani narrat terribilem viſionem de Benedicto IX. ſæpe intruſo & extruſo, ex relatione Humberti, Epiſcopi ſylvæ candidæ his verbis: *Vaclus quidam dum iter ageret, accidit ut juxta Molendinum equo inſidens pertranſiret: ecce repente monſtrum immane conſpexit,quo viſo ſubito terror eum invaſit, & ſtupefactus intremuit. Videbatur autem monſtrum illud in aures aſelli caudamque deſinere, cætera urſus erat. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigeſceret, fugamque præcipitem formidoloſus iniret; informe prodigium humanæ vocis verba formavit: Noli, inquit, ô vir expaveſcere, hominem me olim fuiſſe, ſicut & ipſe nunc es, proculdubiò crede; ſed quia beſtialiter vixi, poſt finem vitæ, beſtiæ preferre ſpeciem merui. Porrò cum ille (Vaclus ſupradictus) perquireret quis fuiſſet, Ego, ait, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ ſedis apicem indignus obtinui. Inquiſitus autem quidnam retributionis haberet: nunc, inquit, uſque ad diem judicii per dumoſa, ſquallentia, ſulphurea & fœtorem exhalantia atque incendiis conflagrata loca rapior.*

Poſt

Post extremum verò judicium corpus meum & simul animam irremeabilis cruciatus & gehennalis Barathri irrevocabilis olla deglutiet, ut nulla recuperationis spes mihi in posterum restet: Hac ubi narrasset asinus disparuit. Hęc Petrus Damiani in epistola ad fratres Eremi. Ille autem huic visioni, cujus fides sit penes auctorem, hanc addit interpretationem: *Sed cum ego*, inquit, *cur ille in hac specie conspectus sit indagare quaro, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo: nam quia miserabilis ille, ab ipso Pontificatus primordio usque ad finem vita in luxuria cœno conversatus est, non incongruè visus est, & ab auribus incipere & in caudam asini desinere. Asinus quippe luxuriosum est animal, sicut Propheta designat, cum de carnis immunditia deditis ait:* Et carnes asinorum carnes eorum. *Quod autem per catera membra ursi tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Nam sicut à Physicis traditur, ursa non parit catulum, juxta consuetudinem bestiarum, sed frustum carnis effundit: mox quod effusum est crebrius lingendo & lambendo componit, sicque ad sui similitudinem linguâ formante producit. Iure igitur quia luxuriosè & carnaliter vixit, in asini similitudine & ursi figura comparuit.* Hactenus Petrus Damiani. Vide Martinum Polonum, Platinam, Stellam, & apud Baronium multas similes visiones, spectra & somnia multa, cujusmodi plurima consultò prætereo, consulens brevitati. *Ezechiel. cap. 23. 20.*

Gebehardus Episcopus Aistetensis Roma in locum Leonis consecratur Papa, & vocatur Victor II. Hic erat cognatus Imperatoris. Ipse Imperator in Italiam proficiscitur & Mantua Pascha celebrat, caussas ibi disceptat & Episcopos aliquot ab officio deponit. Florentia etiam synodum celebrari jubet, ubi inter alia decretum, ne bona Ecclesiastica alienarentur. Inde festinat in Germaniam, ubi Bavari seditionem excitarant, & filio suo se opposuerant; cujus conspirationis Princeps erat Episcopus Ratisbonensis: Eum igitur Episcopatu dejicit. Herm. A.C. 1055.

Prędictus Petrus Damiani hęc habet verba in epistola ad V. Reverendissimum: *Non ignorat, quia cum à pœnitentibus terras, possessiones agrorum videlicet accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentia relaxamus. Quibus planè ostendit,* inquit Baronius, *bona ecclesiastica, ejusmodi fieri solita, redemptione aucta crevisse. Ne autem divitibus tantum aperta bujus redemptionis janua videretur, alia ab Ecclesia excogitata sunt corporea afflictiones, quibus pauperes & alii qui vel-*

lent, redimere, brevi tempore multiplices annos possent.

Inter alia autem redemptionis remedia, inquit ex Burchardo Baronius, *palmatæ annumerantur, nimirum, ut ferulâ palma manus pœnitentis verberaretur (ut sub austero Orbilio in scholis pueri accipere consuevêre) ut dies unus pœnitentiæ palmatis viginti redimi posset: hæcque omnia & alia ipse, qui ex Romano pœnitentiali ea recitare profitetur. Aliud erat genus verberum, quod per scopas inferebatur, ita instrumentum illud nominabant, quo pœnitens sibi ipsi verbera infligebat: de quo redemptionis genere, est frequens mentio apud eundem Petrum Damiani, hujus temporis scriptorem; qui scribens ad Alexandrum Papam, hæc habet de scopis: Vt tria scoparũ millia, unum pœnitentiæ annum explerent cum modulatione psalmorum, decem psalmorum modulatio mille scopas admittit. Cumque psalterium constet ex centum & quinquaginta psalmis, in quoque psalterio quinque annorum pœnitentia expletur: sicque viginti psalteria cum disciplina cantata centum annorum pœnitentiam explent. Hæc ad Alexandrum Petrus, intelligens per disciplinam vocem verberationem ipsam, cum videlicet quis psallendo scopis verbera infligeret sibi ipsi; quod nomen cum actione ipsa ad posteros transiit, ut disciplinam agere sit, seipsum flagellis cædere. Sed illud accidit ut quæ in redemptionem pœnitentiæ scoparum verberatio est introducta, eadem frequentiori usu sit recepta inter omnes etiam Christianos, nihil debentes ejusmodi canonum exactori pœnitentiario presbytero, imitatores Apostoli dicentis: Lividam facio carnem meam, & in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar: sponte se ejusmodi verberibus cruciantes. Tantus erat fervor, tanta horum flagellantium erat frequentia, ut in uno cœnobio tria millia scoparum flagellando absumpta sint.* Baron.

Hos flagellatores vocat *Baronius* Apostoli imitatores, sed meo judicio mentem Pauli non vidit vir Illustriss. nam metaphorica hæc est locutio, à consuetudine pugilum desumpta, qui pugnando lividas corporibus infligunt maculas: in ea remanet Paulus cum utitur voce ὑπωπιάζω, quod proprie est livore sugillo, unde ὑπώπια, livida macula sub oculis à verbere vel ictu vel casu. Alii hic utuntur verbo subjicio, subigo, castigo, non spontaneis verberibus, sed la-
2 Cor. 6. boribus, vigiliis, jejuniis, non corporali exercitatione, *quæ parum*
Coloss. 2. 23. 1 Tim. 4. 8. *habet utilitatis*, sed animi lenitate, charitate, *pietate, quæ ad omnia utilis,*

lis, ut quæ habet promissiones vitæ præsentis & futuræ, ut eruditè Ill. Grotius. Prçterea, imitatores Apostolorum fuêre præcipui primitivæ Ecclesiæ Patres, viri Apostolici, apud quos ne verbum quidem de ejusmodi spontaneis verberibus me legisse memini. Vide ritus convocandi cœtus Christianorum, & sua sacra celebrandi apud Justinum apologiâ secundâ, & an. C. 150, ubi agitur de gradibus pœnitentiæ inter ritus veteris Ecclesiæ, & Tertullianum apologetico adversus gentes cap. 30. 39. &c. & ad Scapulam cap. 2. *ubi offeruntur puræ preces, opima hostiæ, orationes de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectæ. Qui innocentiam colit, Deo supplicat,* inquit Minucius, *qui justitiam, Domino libat, qui fraudibus abstinet, propitiat Deum, qui hominem periculo eripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Hæ sunt illæ phialæ, quas Joannes vidit in apocalypsi *plenas odoramentorum, & quas orationes* appellat. Ea de caussa scripsisse videtur S. Augustinus epist. 121. ad Probam: *In fide & spe & charitate continuato desiderio semper oramus: sic benè opera piorum orationes dicuntur;* sed nihil de verberibus. Vide Epiphanium in compendio fidei Christianæ, in fine Panarii, & parte primâ nostræ historiæ an. C. 373.

Occasione orationis, quæ ab his flagellantibus, ut loquimur, fit cum scopis, paucis orandi modum ex S. Augustino proponam, qui in enarratione versus psalmi 3. Davidis, *voce meâ ad Dominum clamavi,* sic loquitur: *voce meâ, non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aëris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem tanquam clamor sonat. Quâ voce Susanna exaudita est (& Ionas in ventre ceti oravit) & de qua ipse Dominus præcepit, ut in cubiculis clausis, id est, in secretis cordis sine strepitu oretur. Nec facile quisquã dixerit hac voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore, quoniam & silentes cum in cordibus oramus, si alienæ ab affectu orantis cogitationes intercurrunt, nondum dici potest, voce meâ ad Dominum clamavi: neq; hoc rectè dicitur, nisi cum sola anima, nihil carnis, nihilq; carnaliũ intentionum in oratione attrahens loquitur Domino, ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur propter vim ipsius orationis: hac vocatur mentalis oratio, de qua loquitur ad Corinthios Paulus:* Orabo spiritu, orabo & mente, *quæ est perfectissima.* Altera est vocalis, de qua B. Augustinus ep. 121. ubi ait: *nobis verba necessaria sunt, quibus cõmoneamur & inspiciamus quid petamus, non quibus*

Tertull. de orat. Dom. cap. 13.

1 *Cor.* 14.

Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus. Cum verbis itaque & absque verbis orare spiritu rectè possumus, sed inutiliter absque spiritu, seu verbis seu absque verbis oramus. Spiritus autem est qui in nobis excitat illam mentis ad Deum elevationem, & accuratam animi attentionem ad ea, quæ à nobis orantur, quæ impediuntur prolixis & clamosis precationibus, & nimio vocis flexu in cantu Psalmorum. Oratio quantum substringitur verbis, inquit Tertullianus, *tantum diffunditur sensibus*: si ergo verba mentem distrahunt, si strepitus animum ab attentione avocat, verbera eundem procul omni dubio confundent & obtundent. *Ab omni omninò confusione animi*, inquit idem ibidem, *libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est Spiritus ad quem mittitur: cum modestia & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius, sed temperatè ac probè elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto: nam ille publicanus, qui non tantum prece sed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit: nam non verborum*, nec verberum, *sed cordis est auditor & conspector Deus. Quid amplius referent isti, qui clarius adorant, nisi quod proximis obstrepunt?* quid ergò facient verbera? *Sacerdos*, ut inquit Cyprianus, *ante orationem præfatione præmissâ parat fratrum mentes dicendo, sursum corda, & dum respondet plebs, habemus ad Dominum, admonetur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & subtiliter fallens, preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde aliud in voce: quando intentione sincerâ Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis & profanis cogitationibus, cum Dominum deprecaris: quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse non sis ejus nec tui memor?* Hac de caussa Christus jubet, ut obserato ostio in cubiculis oremus: & ego nō video, cui bono inserviant istę noviter invētę flagellationes, nisi apud eos, qui putant *condignas esse passiones hujus temporis, ad futuram gloriam*, & nesciunt, quantum adversetur Deus ostentationi bonorum operum: *Matth.6.*

Tertull. de orat. Domin.

Cypr. lib. de orat. cap. 13.

Subdiaconus quidam in calice (*dictu pavendum* inquit Baronius) *venenum*

nenum propinat Papæ, quo miraculosé cognito, à diabolo abripitur veneficus. Urspergensis.

Hoc anno Petrus Damiani auctor fuit, ut in monasterio suo Eremitarum, officium Dei genitricis dicendum assumeretur, & ex eodem fonte manasse cognoscitur, ut illud ipsum toto Christiano orbe Occidentalis ecclesia, non à monachis tantum & clericis, sed etiam à laicis viris atque mulieribus quotidianis pensis persolvatur, monente Urbano Papâ, ut suo loco dicetur. Baron. A.C. 1056.

Eodem tempore (pergit Baronius) *& si non eodem auctore, tamen certè propagatore atque adversus impugnantes propugnatore, introductus est in ecclesia ille laudabilis usus, ut pœnitentiæ caussa fideles verberibus seipsos afficerent; flagellis ad hoc paratis idoneis, exemplo beati Dominici Loricati, sibi subditi sanctissimi Eremitæ. Hujus sancti senis exemplo, inquit Petrus Damiani, faciendæ disciplinæ mos in nostris partibus inolevit, ut non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent. Hâc verberum pœnitentiâ sæpe usus dicitur Imperator Henricus à Reginardo: Tempore quodam magnâ imminente festivitate, cum Pontifices, duces, comites, regiam undique properarent ad curiam, cum & ipsum mos & honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis & vitæ probatissimi inter præsules Annonis (ut suæ consuetudinis servaret institutum) supplex & pœnitens eum cœpit adire. Mox sacer Antistes, auctoritate plenus tali in negotio, imperialem parvipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi, sic oportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sævire cœpit in principem: nam vehementissimis eum invadens correctionibus, quicquid animo pro justitia concitato se obtulit, liberè & constanter effabatur; illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter in die coronatum incedere consensit, quam priùs manibus suis triginta tres argenti libras in pauperes expendisset. Hæc ipse de Imperatore,* inquit Baronius, *acquiescente pœnam verberum accipere imperio sacerdotum.*

Petr. Dam. ep. 4 cap. 14. tom. 3. bibliotb. sanct.

Reginard. in vita S. Annonis c. 6. apud Suriū tom. 6.

Vides Lector, crudele viri Ecclesiastici in Imperatorem imperium, & veluti nunc sævit sub specie pietatis in Henricum III Anno, sic postea ille & Hildebrandus, manifestam exercebunt tyrannidem in hujus filium Henricum IV, tam puerum, quam adultum. Fortè hàc occasione ulti sunt præcedentium Imperatorum sanctissimam cu-

ram in corrigendis Romanorum corruptissimis moribus, & propulsanda à sede Apostolica Simoniæ fœdissima & inveterata lue.

Moritur Henricus III. qui postremus majestatem imperii contra Romanos Pontifices illibatam conservavit; succedit filius Henricus IV. admodum puer, qui statim post patris excessum ambitioni & insidiis suorum expositus fuit, & imprimis Annonis Archiepiscopi Coloniensis, & Principum Saxoniæ, quibus accessêre nefariæ artes quorundam & in primis Hildebrandi: alioquin quinquaginta annorum potentiâ, & bellis plurimis, motibusque gravissimis, quibuscum colluctatus est, celeberrimus.

A.C.1057. *Moritur Victor Papa, succedit Stephanus IX, antea dictus Fredericus, Abbas Cassinensis, frater Godefridi Lotharingiæ ducis, idque inscio Imperatore, contra juramentum à Clero populoque Romano datum.*

A.C.1058. *Hic Stephanus Papa fratri suo Godefrido duci apud Tusciam coronam Imperatoriam largiri velle dicebatur, ut per eum Normannos pelleret Italiâ.* Leo Ostiensis. *Quare jusserat Stephanus sibi omnem thesaurum Cassinensis cœnobii adferri, sed cum Godefridus adesse non posset, res dilata est, & thesaurus in cœnobium delatus.* Baron. *Sed ista secundum hominem,* inquit, *cogitans, zelum habens, ut S. Leo, haud verò secundum divinum erat consilium; qui (ut exitus declaravit) Normannos illic voluit sedes figere pro Ecclesiæ Romana subsidio, adversus schismaticos principes.* Sic sæpè de abditis Dei consiliis judicat Baronius.

Stephano papâ decumbente, dum Hugo Abbas Cluniacensis illum visitaturus accedit, ut oratione & consolationibus illum relevaret, Dæmon, qui morituro Papæ manifestus advenerat, territus exiit; sanctoque à Papa recedente, iterum rediit. Qua de caussa sæpius Patrem Papa revocavit, sæpiusque Dæmonem revocatus abegit, sicut ipse Pontifex præsentibus revelavit; qui postmodum Sancti se precibus commendans, ejus manibus spiritum reddidit. Surius. Sic defendebat à Dæmone Papam Hugo. *Et tamen ad sacrum ejus corpus, intervenientibus meritis, plurima signa ostendi,* refert Leo Ostiensis.

Imperatore Henrico III mortuo, cujus reverentiâ & auctoritate obortæ factiones Romanorum reprimi consueverunt, quæ inhiarent invasioni sedis Apostolicæ, sive essent ex Tusculanis Comitibus, sive Ptolomæorum, Gregoriorum sive Crescentiorum familiis, armis divitiisque potentibus, ubi audita est mors Pontificis, nullo habito respectu eorum, quæ Pontifice vivente ab eo consentientibus omnibus statuta fuere; irrumpunt armis,

*mis, invadunt Ecclesiam vi publicâ, quem cupiunt in Apostolicum thronum attollunt, & maledictionibus suis Deo odibilem, hominibus exectrabilem, conflant alium Benedictum,&c.*Leo Ostiensis. Apud Baronium de hoc Benedicto sic ibidem loquitur Pet. Damiani: *Ille nimium Simoniacus est: quia nobis omnibus ejusdem urbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus,& terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuantibus inthronizatus est.*
*Dehinc ad marsupiorum funesta patrocinia concurritur, pecunia per regiones in populos erogatur, B. Petri venerabilis arca pervaditur, sicque per totam Urbem, velut officinam malè fabricantis Simonis factam, vix aliud, quam, ut ita loquar, malleorum & incudum tinnitus auditur: & ô. scelus, ô ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex sua quantitate persolvere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur cum omni sua maledictione damnasse &c. Episcopi seu Cardinales per diversa latibula fugiunt & electus Benedictus homo stolidus & deses per presbyterum Ostiensem, qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam ritè percurrere, à Satellitibus Satanæ vi attractus consecratur.*Fusius hæc Petrus Damiani, Leo Ostiens. Platina.

Hildebrandus ex Germania ab Agnete Imperatrice redux, Florentia ad exturbandū schismaticum Benedictum eligit Gerardum Episcopum Florentinum: porrò ne id fieret invitâ Imperatrice, sed consentiret electioni futuræ ejusdem Gerardi, præmissa fuit Hildebrandi ad eam legatio. Rex aut potius Imperatrix habitâ cū primoribus deliberatione, Gerardū Florentinū Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamq; per Marchionem Godefredum transmittit. Ita Benedicto, qui sine jussu regis & principū sacerdotiū usurpaverat, reprobato, Gerardus, qui vocatus Nicolaus II. Pontificatum obtinuit: Lamb. Leo Ostiens.

Hoc eodem anno Romæ celebratur synodus, ad quam à Nicolao vocatus A.C.1059.
*Berengarius Andegavensis archidiaconus, post disputationem de veritate corporis Christi in Eucharistia cum Lanfranco Papiensi, errorem suum detestatur, Catholicā fidem profitetur,*ut loquitur Baronius,*& fatetur se per scripta Ioannis Scoti Origenæ eò erroris devenisse.* vide Baronium *an.* C. 1059. *pag.* 257. *Præterea in hoc Concilio Imperatori conceditur ex paterno jure principatus in electione super ordinatione Pōtificis, quia Henricus III, factus erat Patricius Romanorum, quod etiam synodali decreto confirmatum est.*

ram in corrigendis Romanorum corruptissimis moribus, & propulsanda à sede Apostolica Simoniæ fœdissima & inveterata lue.

Moritur Henricus III. qui postremus majestatem imperii contra Romanos Pontifices illibatam conservavit; succedit filius Henricus IV. admodum puer, qui statim post patris excessum ambitioni & insidiis suorum expositus fuit, & imprimis Annonis Archiepiscopi Coloniensis, & Principum Saxoniæ, quibus accessêre nefariæ artes quorundam & in primis Hildebrandi: alioquin quinquaginta annorum potentiâ, & bellis plurimis, motibusque gravissimis, quibuscum colluctatus est, celeberrimus.

A.C.1057. *Moritur Victor Papa, succedit Stephanus IX, antea dictus Fredericus, Abbas Casinensis, frater Godefridi Lotharingiæ ducis, idque inscio Imperatore, contra juramentum à Clero populoque Romano datum.*

A.C.1058. *Hic Stephanus Papa fratri suo Godefrido duci apud Tusciam coronam Imperatoriam largiri velle dicebatur, ut per eum Normannos pelleret Italiâ.* Leo Ostiensis. *Quare jusserat Stephanus sibi omnem thesaurum Casinensis cœnobii adferri, sed cum Godefridus adesse non posset, res dilata est, & thesaurus in cœnobium delatus.* Baron. *Sed ista secundum hominem*, inquit, *cogitans, zelum habens, ut S. Leo, haud verò secundum divinum erat consilium; qui (ut exitus declaravit) Normannos illic voluit sedes figere pro Ecclesiæ Romanæ subsidio, adversus schismaticos principes.* Sic sæpè de abditis Dei consiliis judicat Baronius.

Stephano papâ decumbente, dum Hugo Abbas Cluniacensis illum visitaturus accedit, ut oratione & consolationibus illum relevaret, Dæmon, qui morituro Papæ manifestus advenerat, territus exiit: sanctoque à Papa recedente, iterum rediit. Qua de caussa sæpius Patrem Papa revocavit, sæpiusque Dæmonem revocatus abegit, sicut ipse Pontifex præsentibus revelavit; qui postmodum Sancti se precibus commendans, ejus manibus spiritum reddidit. Surius. Sic defendebat à Dæmone Papam Hugo. *Et tamen ad sacrum ejus corpus, intervenientibus meritis, plurima signa ostendi*, refert Leo Ostiensis.

Imperatore Henrico III mortuo, cujus reverentiâ & auctoritate obortæ factiones Romanorum reprimi consueverunt, quæ inhiarent invasioni sedis Apostolicæ, sive essent ex Tusculanis Comitibus, sive Ptolomæorum, Gregoriorum sive Crescentiorum familiis, armis divitiisque potentibus, ubi audita est mors Pontificis, nullo habito respectu eorum, quæ Pontifice vivente ab eo consentientibus omnibus statuta fuere; irrumpunt armis,

mis, invadunt Ecclesiam vi publicâ, quem cupiunt in Apostolicum thronum attollunt, & maledictionibus suis Deo odibilem, hominibus execrabilem, constant alium Benedictum, &c. Leo Ostiensis. Apud Baronium de hoc Benedicto sic ibidem loquitur Pet. Damiani: *Ille nimium Simoniacus est: quia nobis omnibus ejusdem urbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuantibus inthronizatus est. Dehinc ad marsupiorum funesta patrocinia concurritur, pecunia per regiones in populos erogatur, B. Petri venerabilis arca pervaditur, sicque per totam Urbem, velut officinam malè fabricantis Simonis factam, vix aliud, quam, ut ita loquar, malleorum & incudum tinnitus auditur: & ô scelus, ô ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex sua quantitate persolvere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur cum omni sua maledictione damnasse &c. Episcopi seu Cardinales per diversa latibula fugiunt & electus Benedictus homo stolidus & deses per presbyterum Ostiensem, qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam ritè percurrere, à Satellitibus Satanæ vi attractus consecratur.* Fusius hæc Petrus Damiani, Leo Ostiens. Platina.

Hildebrandus ex Germania ab Agnete Imperatrice redux, Florentiæ ad exturbandū schismaticum Benedictum eligit Gerardum Episcopum Florentinum: porrò ne id fieret invitâ Imperatrice, sed consentiret electioni futuræ ejusdem Gerardi, præmissa fuit Hildebrandi ad eam legatio. Rex aut potius Imperatrix habitâ cū primoribus deliberatione, Gerardū Florentinū Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamq; per Marchionem Godefredum transmittit. Ita Benedicto, qui sine jussu regis & principū sacerdotiū usurpaverat, reprobato, Gerardus, qui vocatus Nicolaus II. Pontificatum obtinuit: Lamb. Leo Ostiens.

Hoc eodem anno Romæ celebratur synodus, ad quam à Nicolao vocatus A. C. 1059.
Berengarius Andegavensis archidiaconus, post disputationem de veritate corporis Christi in Eucharistia cum Lanfranco Papiensi, errorem suum detestatur, Catholicā fidem profitetur, ut loquitur Baronius, *& fatetur se per scripta Ioannis Scoti Origenæ eò erroris devenisse.* vide Baronium *an.* C. 1059. *pag.* 257. *Præterea in hoc Concilio Imperatori conceditur ex paterno jure principatus in electione super ordinatione Pōtificis, quia Henricus III, factus erat Patricius Romanorum, quod etiam synodali decreto confirmatum est.*

Hoc autem est Nicolai seu concilii hujus Romani de electione Pontificis Rom. decretum: *Quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumque sanctorum Patrum auctoritate decernimus, atque statuimus, ut obeunte hujus universalis Romanæ Ecclesiæ pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus populus ad consensum novæ electionis accedat, nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliquâ occasione subrepat: & ideo religiosissimi viri præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces, &c. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore & reverentiâ delecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam illi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint.* Baronius.

In eodem hoc concilio simul constituitur decretum contra Simoniacos, quod etiam Gratianus in suo decretorum libro descripsit his verbis: Statuimus decretum de Simoniacis tripartitâ hæresi, id est, de Simoniacis Simoniacè ordinatoribus vel ordinatis: & de Simoniacis Simoniacè à non Simoniacis: & de Simoniacis non Simoniacè à Simoniacis. Simoniaci Simoniacè ordinati & ordinatores secundum Ecclesiasticos canones à proprio gradu decidant: Simoniaci quoque Simoniacè à non Simoniacis ordinati similiter ab officio malè accepto removeantur: Simoniacos autem non Simoniacè à Simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere &c. Baron.

Idem Papa presbyteris & diaconis usum uxorum aut concubinarum prohibet, & appellat illam Nicolaitarum hæresin, sed quâ ratione non video. vide Nicolai hæresin an.C.99. In eodem hoc concilio auctoritas Cardinalium plurimum accrevit, nam in electione Episcopi Romani primum consecuti sunt locum: quod ab hoc Nicolao concessum primò videtur Cardinalibus Episcopis cum clero populoque, salvo tamen debito Imperatoris honore. Postmodum non modo Cardinalibus Episcopis, sed etiam Cardinalibus presbyteris & diaconis idem privilegium datum est: postremò secluso Imperatore solis Cardinalibus Pontificis electio contigit, quæ consuetudo etiamnum viget, ita ut hodie nec Imperatores inaugurentur

ab

ab Episcopis Romanis, ut solent, nec Episcopi Romani ab Imperatoribus eligantur, aut confirmentur, qui tamen mos diu duravit. *Constat enim*, inquit Bellarminus, *Iustinianum seniorem post recuperatam Italiam noluisse quemquam creari Pontificem Romanum, sine sua approbatione: quod servatum est usque ad Constantinum IV, qui juri prædecessorum suorum in hac parte cessit, ut ex Platina & aliis cognosci potest. Constat item Carolo Magno jus eligendi Pontificem Romanum aliosque Episcopos concessum ab Adriano I. & deinde simile jus concessum Otthoni à Leone IV. ut patet ex Gratiano distinct. 63. canone Adrianus, & can. in synodo: Ita ut post rejectos Imperatores* (per Gregorium VII.) *ille mos eligendi Pontificem per solos Cardinales, aut à duabus Cardinalium partibus, ad hac usque tempora per sexcentos annos ex decreto Alexandri III. in Concilio Lateranensi duraverit: quamvis illa per solos Cardinales electio diu* (annos ferè centum) *antea cœperit*. Hactenus Bellarminus; sed ut historiæ docent, illa in eligendo Papa mutatio originem sumpsisse videtur in Nicolai hujus successore Alexandro II. idque procurante Hildebrando Ecclesiæ Romanæ Archidiacono, ut paulò post videbimus: à quo tum temporis rerum Ecclesiasticarum administratio dependebat; nec sine auxilio Nortmannorum militari, quos in illum finem consilio carnis, ut alibi loquitur *Baronius*, sibi brevi conciliavit Nicolaus II. Sic paulò post Imperator Henricus IV. per eundem Hildebrandum Pontificem, Gregorium VII. suo jure investituræ Episcopalis privabitur; quo demum jure Henricus V. Henrici IV. filius cedet Papæ Paschali II. Unde luce meridianâ clarius patebit, quam nova sit hæc Pontificum Romanorum per solos Cardinales electio. Quanquam non desint, qui ipsos Apostolos Cardinalatus munere functos esse affirment, *atque hâc mirabili ratione* (sic enim ipsi loquuntur) *institutionem eam divino jure niti defendunt: quod Cardinales Papæ vicario Christi tanquam Principi assistentes, Apostolorum Christo assistentium personas repræsentent*. Vel si Cameracensem Cardinalem audire malumus; *Apostoli Petro tanquam Papale officium gerenti assistebant, tanquam Cardinalatus ministerium exercentes: de quorum Cardinalatu spiritualiter intelligi possit illud Propheticum:* Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Bellarmin. tom. 2. lib. 2. cap 9.

Petrus de Alliaco in tract. de Eccles. & Cardin. auctorit

1 Sam. 2. 8.

Cardinalium incerta est origo. Ortum autem hoc vocabulum habere

bere

bere videtur à cardine, illo nempe ferramento, ex quo vertitur janua: sic polus arcticus & antarcticus dicuntur mundi cardines, venti quatuor dicuntur cardinales quasi præcipui, ut & virtutes: sic presbyteri & Diaconi Cardinales sunt primi & principales, & idem quod archipresbyteri, archidiaconi, &c. *De Cardinalis vocis usu hæc habet Augustinus de baptismo lib.* 1. *cap.* 6. Inter nos & ipsos quodammodo Cardinales Donatistas, quorum Episcopus apud Carthaginem Primianus est, jam de hac re (*an scilicet baptismus in schismate conferri possit*) nulla est controversia. *Decennio circiter post in celeberrima cum Catholicis collatione, Petilianus Cirtensium Donatistarum Episcopus, suæ partis numerum* Cardinalem atque authenticum, *id est, fixum & inviolatum vocavit. Collat.* 1. *cap.* 165. *Hinc deflexâ nonnihil significatione, ubique per Ecclesias circa annum* 560, *dicti* Cardinales *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, suis quodammodo parœciis, titulis & Diaconiis affixi, atque incardinati, quo factum est ut cardinare, Gregorio Magno idem sit ac titulo suo affigere, atque ut sic dicam, inclavare; eidemque synonyma videantur, proprius sacerdos, & Cardinalis sacerdos. Gregor. lib.*2.*epist.*25. *ind.* 10. 3. *epist.* 14. 2. *epist.* 24. *ind.* 11. Blondellus. Postea verò in aliis Ecclesiis videtur hæc vox abolita aut neglecta, in Ecclesia verò Romana omnes Presbyteri & Diaconi Episcopi dicti sunt Cardinales, hâc dignitate cæteris Ecclesiæ Occidentalis Presbyteris & Diaconis prælati; eodem ferè modo, ut Episcopus Romanus solus dicitur Papa, quod nomen olim omnibus Episcopis etiam erat commune. Quemadmodum per cardines regitur ostium, sic per Cardinales Ecclesia Romana. Anno 853 in Concilio Romæ sub Leone IV. Anastasius presbyter Cardinalis, tituli B. Marcelli, ab omnibus canonicè est depositus, eò quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit. *Baronius.* An. 882, sub Ioanne VIII, fit mentio apud eundem Baronium constitutionis de jure Cardinalium, ubi Papa seipsum cum Mose, Cardinales cum septuaginta senioribus Iudæorum confert: an. 1039, corrumpuntur Romę Cardinales pretiis & precibus per Legatos Bohemos: an. 1049, à Leone IX Humbertus monachus Tullensis ex Lotharingia Romam deductus Episcopus silvę candidæ constituitur Cardinalis à S. Romana Ecclesia: Hoc verò an. 1059 in Concilio Romano per Nicolaum II,

II, datus est Cardinalibus Episcopis primus locus in electione Papæ. Anno C. 1061. primus Alexander II. studio Hildebrandi per vota Cardinalium in papam eligitur, ægrè id ferentibus Imperatoribus: an. 1159 in concilio Lateranensi primo sub Alexandro III, lata est lex de duabus suffragiorum tertiis Cardinalium in electione Pontificis: An. 1243. Innocentius IV in Concilio Lateranensi II. sancivit ut equo insidentes Cardinales rubro uterentur galero seu pileo: an. 1271. in Concilio Lugdunensi II. à Gregorio X. editæ sunt constitutiones de electione Papæ per Cardinales, celebranda in conclavi: A Paulo II. Veneto an. 1464. veste coccineâ seu purpureâ, cucullo insigni, id est, lucernâ donati sunt Cardinales, eòusque hujus generis habitum non habentes. Vide de hisce plura apud Polydorum Vergilium de invent. rerum l. 4. cap. 9, quod ita finit: *Sed jam satis est,* inquit, *de initio ordinis, qui nunc supremus habetur Cardinalium, à pio orti ministerio, qui tanto mox incremento auctus est, uti omni illo quondam onere levatus, solus fit totius reip. Christianæ senatus. Quo factum, ut urbs etiam Roma, lux olim orbis terrarum atque arx omnium gentium, suum recepisse senatum, quo latè regebat, meritò sibi videri possit, simulque gaudere, quod hi senatores non censu, sicuti prisci illi Romani, sed vita sanctimoniâ, doctrinâ, moribusque inculpatis ornati jam inde ab initio, de consilii sententia coöptari cœperint. Quamquam inficias ire non licet, & huic sacrosanctæ legi aliquoties derogari: nam pinguis est, ut jam vulgo dicitur, panis Christi, cujus dulcedo juxta probos ac improbos allicit, & ut illi bono modo, ita hi malo ad eam degustandam non raro penetrant. Quare periculum est, ne inde aliquando ordo sacerdotalis labefactari incipiat. Is autem ordo ex triplici initiatorum genere constat: sunt enim aut Episcopi & ii quidem numero sex, Ostiensis, Sabinensis, Portuensis, Tusculanus, Prænestinus & Albinensis: aut Presbyteri aut Diaconi, neutrorum tamen certo præscripto numero.* Hæc Polydorus.

In hoc Concilio Romæ sub Nicolao II. mentio fit Berengarii, de quo postea in ejusdem morte latius agemus; ut etiam Ioannis Scoti Erigenæ, de quo multis in locis, sed potissimum an. C. 855, diximus.

Lanfrancus verò Papiensis seu Ticinēsis Italus, ex abbate Cadomēsi postea factus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, qui hoc tēpore præcipuè floruit, & cum Berengario in hoc concilio disputavit, sub

Leone IX, apertis, quas Berengarius, ad eum dederat, literis, in suscipionem hæresis adductus, in synodo Romæ an. C. 1050. se purgavit, ut loquitur Baronius. Is Lanfrancus dicitur esse primus auctor, qui, collapsâ puriori & antiquiori Theologiâ, à sanctissimis primorum seculorum Patribus usitatâ, quæ præcipuè constabat ex sacræ scripturæ locis, novam invexit in Scholis Theologiæ formam, quam Scholasticam vocant, eamq; postea auxerunt Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum sententiarum: Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis, ordine Dominicanus, natione Suevus, qui scripsit in libros sententiarum, & obiit juxta Bellarminum an. 1280: & Thomas Aquinas etiam ordinis Prædicatorum, coævus Alberti & Bonaventuræ, qui fuit generalis ordinis S. Francisci. Sed Danæus, quondam professor Theologiæ Lugduni in Batavis, in suis prolegomenis ad Lombardum distribuit Scholasticam hanc Theologiam ab ætate in veterem, mediam & novam, ut loquitur celeberrimus Voetius selectarum disputationum Theolog. parte primâ, de Theol. Scholast. *Vetus est*, inquit, *quæ incepit à Lanfranco Papiensi anno* 1020, (à Baronio & Bellarmino dicitur cum Berengario in concilio Romæ disputasse an. C. 1050, & factus ex Abbate Cadomensi Episcopus Cantuariensis an. C. 1070, à Petavio) *& duravit penè per annos* 200 *usque ad Albertum Magnum an.* 1220: *hæc accersebat dogmata etiam ex humanâ auctoritate Patrum, & non tantum ex scripturis. Scriptores istius commatis, qui tum floruerunt, facilè est colligere ex catalogis scriptorum aut bibliothecis Trithemii, Gesneri, Bellarmini, Senensis, Possevini, &c. Excelluit inter eos tanquam maximè Scholasticus, imò pater eorum Lombardus; & post eum Alexander de Alez, qui primus commentatus est in Lombardum. Media est, quæ incipit ab Alberto Magno, anno* 1220, *& durat usque ad Durandum de S. Portiano an.* 1330. *Tunc præter, imò & supra scriptura ac Patrum dicta introducta sunt in Theologiam Aristotelis effata sæpe malè lecta, malè intellecta, tanquam irrefragabilis demonstrationis principia. Hinc in laciniis & partibus quibusdam Aristotelis exponendis, aut ad illas quæstionibus movendis ac solvendis plus studii & operæ ponebant, quam in meditatione aut explicatione scripturarum: inter hujus ætatis auctores celebres sunt Albertus, Thomas, Bonaventura, Scotus, Ægidius de Roma, Durandus,*

dus, Rich. de Mediavilla, Occamus, Ariminensis &c. Nova incipit post annum 1330, *& durat usque ad* 1517. *Hac ætate multa, quæ apud prædecessores aut intacta, aut in medio, aut tanquam dubia & disputabilia relicta erant, superciliosè sunt definita, atque unà dissentientium suffragia obfuscata aut oppressa. Celebres tunc fuerunt, Capreolus, Soncinas, Aliaco, Gerson, Iohan. Major, Gabriel Biel, Nicolaus Denise, Pelbertus Thomesbar. &c. Scholastica Theologia ortum, progressum & ætates longè aliter constituit Possevinus biblioth.* 3. *cap.* 5. *ubi Theologiam Christianam & Scholasticam facit Synonyma. Prima ergo secundum ipsum Theologia Scholastica periodus fuit, cum florerent Hierotheus, Dionysius Areopagita, Pantenus, Clemens Alexandrinus. Secunda currit illi ab Athanasio usque ad finem seculi septimi. Tertia à Beda discipulis usque ad Lanfrancum, Algerum, Guitmundum, &c. & Lombardum inclusivè: & tunc, ipsius judicio, Theologia Scholastica sub signa revocata est, cum ejus exercitatio ante minus tractata fuisset. Quarta ab Alexandro Alensi, Alberto, Bonaventura, &c. usque ad synodum Florentinam. Tunc, ipso teste, ibidem cœpit vividiores resumere vires* &c. *Et magna præstantium Theologorum seges in Ecclesia Dei ad frugem maturuit* &c. *cum adversus schismata hæresesq; & sexcentas alias pestes doctissimi libri & commentaria mitterentur in lucem.* Scholasticam hanc Theologiam supra modum laudant & extollunt Canus Cardinalis, Possevinus, & alii: & contra, juxta plurimorum doctorum & præstantium virorum judicium, perdidit Theologiam Euangelicam & Apostolicam Theologia Scholastica: repugnat enim in multis S. Scripturæ & Theologiæ Patrum. *Imò opposita est vera & genuina Theologia, quam Ecclesiasticam vocamus;* inquit Voetius ibidem, *quam primis & melioribus Ecclesiæ seculis, ut & intermediâ ætate in Ecclesiis non tantum, sed & in Scholis & collegiis Theologicis sectarentur. Scholastica autem est formula & methodus illa Theologiæ, quæ in Scholis Europæis sequioribus hisce seculis*, cum mille inutilibus, imò noxiis quæstiunculis, cum prophanis vocum novitatibus, & oppositionibus falsò nominatæ scientiæ, *ut plurimum obtinuit.*

Sed quam pura, quam simplex fides à Christo nobis tradita, quam huic simile Symbolum, sive ab Apostolis, sive à viris Apostolicis proditum? huic multum adjunxit Ecclesia, dissidiis hæreticorum dissecta vexataque: quorum etsi quædam sunt, quæ citra fidei dispendium poterant omitti, tamen plera-

pleraque videbantur etiamnum ad rem pertinere. Tot enim erant symbola quot homines, nihilo melius bonæ fidei signum, quam cum in contractibus res multis ac verbosis syngraphis agitur, quæ cum ad excludendas captiones adhibeantur, quo circumspectius scripta sunt, hoc plus captionum solent ferè gignere. Postremò res eò paulatim deducta est, ut Scholasticorum aliquot placita, quos articulos vocant, ut homunculorum quorundam nova quædam ad fastum comminiscentium vel opiniones vel somnia, propemodum æquentur articulis fidei Apostolicæ. Atque in his nec scholæ diversæ, nec ejusdem scholæ mystæ inter se consentiunt: neque apud ipsos perpetua sunt, sed pro tempore mutantur. Et tamen ita primum irrepserunt, ut in scholis tantum haberentur probabiles opiniones: mox scholæ parietes egressa in libros & publicas adeò conciones eruperunt. Ac sæpenumerò fit, ut quod semel utcunque prodidit definiendi temeritas, confirmet & augeat tuendi pertinacia. Sunt autem pleraque ejus generis, ut impium sit homini de his definire. Qualia ferè sunt, quæ de essentia divinæ & personarum distinctione philosophamur. Ea si tantum in hoc adhibeantur, ut animos nostros abducant ab his sordidis cogitationibus ad sublimiora, non est improbandum studium. Sin, ut hæc quæ longè superant humani ingenii captum, cum supercilio pronunciemus, & earum rerum scientiâ, quas nec Angeli satis intelligunt, nos jactemus apud populum, mihi nec pium videtur nec utile. His proxima sunt, quæ de ratione mysteriorum, velut de cœlo petita pronunciamus. Cum magis ad pietatem (quæ una est necessaria) faciat, ex his excerpere, quod ad vitæ sanctimoniam conducat. Verum hæc pronunciandi temeritas à veteribus orta, nunc longius progressa est, quam ut ferri possit. Sunt qui nobis nectunt frigidum syllogismum, & ex loco parum intellecto, aut ex hominis constitutiuncula, pariunt nobis fidei articulum. Atque ex his Christiani aut non Christiani censemur, quæ ne tantulum quidem ad Christianam attinent pietatem. Iam quam popularis, quam expedita est doctrina Christi, Apostolica & patrum Apostolicorum: quam nunc impedita, spinosa, ne dicam tenebricosa facta; partim admixtione legum ac disciplinarum humanarum, partim somniis & inventiunculis ambitiosorum hominum? Posteaquam sacræ Theologiæ professio scenica quædam ac theatrica res esse cœpit, tota hominis ætas non sufficit quæstiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis, Sed, quemadmodum apud Iudæos legem per se molestam aggravabant hominum constitutiones, ita cavendum

est

eſt etiam atque etiam, ne Chriſti legem per ſe blandam ac levem, gravem ac aſperam reddant, humanarum conſtitutionum ac dogmatum acceſſiones: quæ ſic primum obrepunt, ut vel tanquam puſilla negligantur, vel pietatis ſpecie commendata, libenter amplectantur homines etiam probi magis quam providi. Semel recepta paulatim gliſcunt augeſcuntque, donec in immenſum aucta, jam nolentes premant & obruant, ſeu conſuetudinis, cujus violenta tyrannis eſt, præſidio, ſeu principum auctoritate, quod temerè receptum eſt, in ſuum emolumentum abutentium, mordicuſque retinentium. Sed Chriſti jugum eſt verè blandum & levis ejus eſt ſarcina, nam præter mutuam charitatem nihil ille præcipit: neque quicquam tam amarum eſt, quod non condiat condulcetque charitas. Eraſmus in Matth. 11. 30.

Bone Deus, in quę tempora incidimus! Vitę innocentia exulat, ſumma morũ corruptela imperat: negligitur vera pietas, ἐθελοπερισσοθρησκεία, lites & litigandi artes in ejus locũ ſuccedunt. An. C. 1054 vidimus deplorandi ſchiſmatis frivolas ferè cauſſas, inter Orientalem & Occidentalem Ecclesias, quondam florentiſſimas: quęſtiones, inquam, viro pio & ſimplici non neceſſarias; nempe de Spiritus S. proceſſione, de Azymis, & de primatu Papę. De Spiritus S. proceſſione omnes diſceptamus, & modum proceſſionis omnes ignoramus: cum magis conduceret ſaluti noſtrę, lenitatem, charitatem, & pacem Spiritus S. obſervare, quam ſubtiliter de Spiritus S. proceſſione diſſerere: de Azymorũ uſu in ſanctiſſimi myſterii celebratione inutilis eſt quęſtio, cum majora & ſanctiora in eo requirat Chriſtus, *actis gratiis*, inquit, *hoc facite, in mei commemorationem*; unde dicta in veteri Eccleſia, Euchariſtia: de primatu Papę furioſè utrimq; diſputatur, &, ut in contentionibus fieri ſolet, ad extrema itur, de Paparum primorum ſanctitate, de frequentiſſimis eorum pro fide Chriſti martyriis, nihil quęritur, nihil cogitatur.

Præterea, cum moribus corruptiſſimis, relictâ verâ Patrum Theologiâ; velut cumulus accedit, nova, dicta Scholaſtica: quâ magis ſolerter diſputare, quã piè vivere diſcimus. Quidã, qui dicteriis delectantur, Scholaſticos noſtros cum veteris Eccleſię Gnoſticis comparant, qui ſummũ religionis ἐν τῇ γνώσει ſtatuebant, cęteroſq; tanquã rudes præ ſe ſpernebant. Quod reverà eſt non parvum humanę imbecillitatis ſpecimen, pręcipuè cum juxta captum mentis noſtrę, temerario

ausu, de omnibus rebus divinis, captum nostrum fugientibus judicare non timemus miseri: cum neglecto quasi Euangelio vastos controversiarum Theologicarum conscribimus Oceanos: cum non contenti simplicitate fidei in Christum, incertam & inutilem scientiam nacti, nobis præ reliquis sapere videmur. Veri Theologi docent captivandum esse ingenium ad obsequium fidei; *nec aliunde posse suaderi de rebus fidei, quam ex literis fidei*, ut loquitur Tertullianus de præsc. adv. hæreticos: statutis divinis nihil esse addendum nec detrahendum; *nam major est S. scripturæ auctoritas, quam omnis ingenii humani capacitas*, ut ait Augustinus: *sapiendum esse ad sobrietatem*; nam pauca ad salutem sunt necessaria, *& certa sunt in paucis*, secundum Tertullianum: & imitandam Christi & Apostolorum doctrinam, quę nihil tantoperè, quam cordis humilitatem & vitę sanctimoniam commendat & inculcat. *Non qui dicunt Domine, Domine*; non qui sublime aliquod proponunt argumentum, non qui subtiliter id defendunt aut refutant, *sed qui faciunt voluntatem Dei, introibunt in regnum cœlorum; multi dicent, per nomen tuum prophetavimus & multas virtutes præstitimus: dicet eis Deus, non novi vos, non mei estis discipuli, qui operamini iniquitatem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis si charitatem habueritis inter vos mutuam: Illi, illi, inquam mei erunt, qui audiunt meos sermones & faciunt, qui fidem habent non mortuam, sed per dilectionem operantem: ut qui diligunt inimicos suos, benè faciunt malevolentibus, fausta precantur persequentibus & pro iis orant, à quibus sæpius læsi, & ita mala accepta beneficiis cumulant. Nam si linguis hominum, & Angelorum loquar, si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam, & charitatem non habeam, nihil sum. Nam scientia inflat charitas autem ædificat. Si legem regiam perficitis juxta scriptum: Diliges proximum sicut teipsum, benefacitis: nam non obliviosus auditor, sed effector operis beatus facto suo erit, futurum enim est, inquit ipse Christus, ut filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum facta ipsius: quando dicet ovibus lætam illam sententiam: Venite benedicti Patris mei, &c. Quia esurivi, & me saturastis &c.* non eris Christianus, nisi Christianè vivas. *Quare cum timore & tremore operemur nostram salutem*, nec diffidamus infirmitati nostræ, quasi virium inopiâ non possemus id imple-

August. de Gen. ad lit. lib. 2. c. 5.

re:

re: Deus per suam gratiam dabit ut bene velimus, & etiam faciet ut constanter recta operemur.

Cum inter legendum subinde non sine lacrymis animo meo contemplor Christianorum omnium, & præsertim in Occidente statum, & mente reputo apud eos, continuatis aliquot seculis, tam in sacerdote quam populo, abundasse tam multa & tam atrocia peccata, anceps hæreo, utrum Ecclesiam suam non deseruerit Christus, ut mœstus sæpè cum regio Propheta exclamem: *Serva Domine, quia defecit pius, quia abbreviati sunt fideles ex filiis hominum.*

Gaudeo tamen in eo, nam hoc unũ tantũ superesse videtur, quod videam etiã apud non paucos esse conservatam fidem, *quâ adorant & venerantur unum Deum, creatorem cœli & terræ, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: quâ credunt item quod filius propter nos homines à damnatione vindicandos, & in salutem adserendos, è beatißima matre Virgine naturam humanam incarnatus susceperit, passus sit & mortuus, resurrexerit, ascenderit in cœlos, inde supremo seculi die rediturus, ut mortuos resuscitet & omnes judicet: & ita in terris Ecclesiam suam conservet, in qua remißionem impertiat ad se conversis, pœnitentibus & verè fidelibus, collaturus eisdem, si tales ad finem usq; perseverent, æternam beatitudinem: reliquis verò nolentibus converti, impœnitentibus & infidelibus, & qui secundum carnem vixerint, æternum supplicium irrogaturus.* Spero etiam, quæ est Dei Christique benignitas omnes eos, qui hæc simpliciter crediderint & piè vixerint, in magno illo die Domini fore salvos; etiamsi singulorũ rationem reddere, vel quęstiones circa eà ortas cum Scholasticis solvere vel omnes hallucinationes effugere, & ad quæcunque aptè respondere nequiverint. Benè Tertullianus de præscript. cap. 14. *Est itaque frater aliquis Doctor gratiâ scientia donatus: est aliquis inter exercitatos conversatus, tecum curiosus, tecum tamen quærens; novißimè ignorare melius est, ne, quod non debeas noris, quia, quod debeas, nosti.* fides *inquit*, tua te salvum fecit, *non exercitatio scripturarum: fides in regula posita est: habes legem & salutem ex observatione legis: Exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritia studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est.* B. Gregorius Nazianz. oratione de modest. servanda &c. *Alius autem parvus est*

intellectu, & pauper linguâ, sermonumque versutias ignorat, ac captiones sapientum ac ænigmata, nec non Pyrrhonis instantias, ac prohibitiones vel oppositiones syllogismorumve Chrysippi resolutiones, seu ex Aristotelis artibus malas artes, aut Platonica facundia incantamenta, quæ malè in Ecclesiam irrupêre nostram, non secus ac flagella quædam Ægyptiaca, habet tamen ille unde & per quenam salvetur: nihil charitate ditius. Cui nihil præfertur, inquit Ignatius epist. ad Magnesios, *cujus perfectionem nulla narratio æquare potest*, ait Clemens Romanus, *nil charitate majus & excellentius*, Paulus 1 Cor. 12. & 13. *Et rectè S. Augustinus: Turbam non intelligendi vivacitas, verum credendi simplicitas tutissimam facit.* Cont. epist. Fundam. cap. 9. *Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certâ intelligentiâ possunt, quæ ad fidem pertinent discernere, penè frustra in Ecclesia laboramus.* Idem. 101. *Totum in id revolvitur*, inquit Salvianus Episcopus Massiliensis, *ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur: nomen enim sine actu aut officio suo nihil est. nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine honore? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque, ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto?* Idem de provident. lib. 7. *Quid prodesse nobis prærogativa illa religiosi nominis potest, quod nos Catholicos esse dicimus, quod fideles esse jactamus, quo Gothos & Vandalos hæretici nominis comprobatione despicimus? Itaque rectissimè nobis dicitur, quod Iudæis in lege fidentibus dixit sermo divinus: Quomodo dicitis sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est. Nolite, inquit, confidere in verbis mendacii, Templum Domini, Templum Domini Templum Domini: quoniam si benefeceritis vias vestras, & studia vestra, & advena, & pupillo, & vidua non feceritis calumniam, neque sanguinem innocentem effuderitis, in loco hoc habitabo vobiscum à seculo usque ad seculum. Quo utique ostenditur, quod, si ista non facimus, superfluâ nobis* Catholici, Euangelici, Reformati *nominis præsumptione plaudamus.*

De Provid. lib. 4.

Concludam verbis S. Joannis apud Hieronymum in epist. ad Gal. lib. 3. cap. 6. *B. Ioannes Euangelista, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset vocem in plura verba contexere, nihil aliud per singu-*

ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc : Filioli diligite alterutrum. *Tandem diſcipuli & fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt: magiſter quare idem ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam* : Quia præceptum Domini eſt, & hoc ſi ſolum fiat, ſufficit. Quare mihi ſemper plurimum arriſit pulcerrima illa & veriſſima viri doctiſſimi primum Aphoriſmum Hippocratis per antitheſin imitans ſententia : *Vita longa, ars verò brevis, & præcipuè illa bene vivendi: ſed diſputare malumus quam bene vivere. Quid igitur mirum ſi neceſſaria ignoremus, qui operosè adeò res non neceſſarias diſcimus.*

Nicolaus Papa memor acceptæ cladis per Normannos tempore Leonis IX. de concilianda ſibi bellicoſâ iſtâ natione non imprudenter cogitat, idque, ut per eam non tantum Tuſculanorum Comitum aliorumque potentium civium factiones compeſceret, ſed & Imperatori, ſi quid in eligendo Pontifice ad ſuum nutum moliretur, reſiſteret. Robertus Guiſcardus Apuliam, Calabriam & Siciliam Græcis Imperatoribus ereptam ſuo ſubiecerat Imperio, qui Papa per legatos omnem promittit amicitiam & ſervitium, ſi qua jure belli occupaſſet, ejus beneficio poſſidere poſſet. Conditionem accipit Nicolaus, & Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ ducatus illi confirmat: acceptâ prius ab eo cum ſacramento Romanæ Eccleſiæ fidelitate, cenſuque quotannis per juga boum ſingula denariis duodecim. Leo Oſtienſis. Baron.

Duplex Papæ fecit juramentum Robertus, alterum de ſolvendo canone, alterum fidelitatis; ubi Papam vocat ſuum Dominum, & ſuum promittit auxilium contra quoſcunque pro inveſtitura, ab illo non Domino accepta. Vide Baronium.

Quid ergo Nicolaus? *ille hâc occaſione utitur Normannorum exercitu contra comites Tuſculanos & alios urbis Romæ cives potentiores, qui eorum terras hoſtiliter invadunt, depopulantur, & loca munita evertunt: ſic præcipuos Vrbis Principes in ordinem redigit Papa, ut poſtmodum eorundem ope ipſos Imperatores, quod* divinum *vocat* conſilium *Baronius.*

Nota hic obiter languidam Nicolai liberalitatem, quâ injuſto & violento poſſeſſori ea dat, quæ ſua non ſunt. Tam prolixa liberalitas in bonis alienis, à quibuſdam Pontificibus non eſt aliena, cum tamen juſtitia tota poſita ſit in alieni abſtinentia.

A.C.1061. *Moritur Nicolaus II. & cum ingens inter Romanos de eligendo Pontifice seditio oriri cœpisset, Hildebrandus, habito consilio cum Cardinalibus nobilibusque Romanis, contra Synodum Basileensem ex Romanis proceribus & Italiæ Episcopis constantem, qui studebant veterem servare morem, Anselmum Lucensem Episcopum in Romanum Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt: Robertus Apuliæ dux aderat, qui jam hoc ipsum suo juramento promiserat Nicolao, præsto fore Cardinalibus Pontificem Romanum eligere volentibus. Quod cum Imperatrix audisset, una cum filio tulêre graviter, hæc sine sua auctoritate gesta fuisse, Cadolumque Episcopum Parmensem Papam creant.* Leo Ostiens.

Hic Alexander statim ab electione nihil antiquius habuit, quam ut Hildebrandum jam Archidiaconum crearet Cancellarium, penes quod officium universa Romanæ Ecclesiæ administratio verteretur. Pollebat Hildebrandus ad ea cuncta explenda ingenii viribus, & quod magis æstimari debet, gratiâ S. Spiritus, quæ abundè habitabat in eo, adeò ut supra homines divinum quippiam præ se ferret ejusdem S. Spiritus donis. Baron.

Et tamen oborta est concertatio inter hunc Hildebrandum & Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, jam secessionem in Eremum cogitantem. Hoc omni modo impedire conatur Hildebrandus, qui manus erat Alexandri Papæ, ut ille lingua: summa enim Petri in dicendo & scribendo libertate in conciliandis hominum animis sæpe feliciter usus est Alexander: quare cum in suo proposito Hildebrandum semper inveniret adversarium, sæpe facetis & mordicantibus salibus illius severitatem tetricosque mores sugillat. Imò tandem contra indignantem Hildebrandum victor, Episcopatu relicto, & discedens ab Vrbe in eremum egregias scribit literas monitorias ad Alexandrum Papam, Hildebrandum & Coëpiscopos Cardinales de statu Curiæ Romanæ eorumque scurrilibus moribus, de luxu, conviviis, avaritia, officio Episcoporum, penuria ministrorum &c. Baron.

De morum corruptione, de latrociniis, de peccato Sodomitico, de simonia Romanorum &c. multa ex fide dignis scriptóribus commemoravimus, quid inter cætera etiam Petrus Damiani de statu curiæ Romanæ, de luxu & conviviis Episcoporum dicat, videamus. *Excusavit se* (Petrus Damiani, inquit Baronius) *eâdem epistola apologetica* (ad Alexandrum & Hildebrandum) *quod vivere nesciret cum iis, quibuscum adeò moribus dissentiret, deplorans namque ejus temporis*

poris Ecclesiæ statum, *hæc addit*: *Fuit olim* (inquit Petrus) *sed jam elapsum est tempus*, *ut modestiæ pudor*, *mortificationis insigne*, *digna severitas & sacerdtalis ingenii valeret servari censura. Nam ut me solum dignè coarguam*, *videtis ipsi*, *quia protinus ut ad vos veni*, *ecce sales*, *ecce facetiæ*, *lepores*, *urbanitates*, *dicacitates*, *volumina quæstionum*, *omnesque verborum inanium pestes*, *insolenter erumpunt*, *quæ nos non jam sacerdotes*, *sed potius Oratores ac Rhetores*, *sive* (*quod inhonestum est*) *scurras ostendunt. Mox enim ut verba conferimus*, *paulatim quadam lenocinia confabulationis adulterina subrepunt*, *& omnem animi vigorem indecenter emolliunt*, *& severitatis robur in excussum risum & turpes jocos dissolvunt. Hinc est*, *quod mens extra se sparsa confunditur*, *acies cordis obtunditur*, *lux divini amoris extinguitur*, *terror in alios & reverentia sacerdotalis amittitur*, *& quod periculosum est*, *rectè vivendi linea*, *quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat*, *non tenetur. Quod si nos pudore vel metu hæc declinare contendimus*, *mox inhumani*, *rigidi*, *&*, *quos Hircanæ genuerunt tigres*, *saxei*, *judicamur*: *nam ut turpiores attexantur ineptiæ*, *rubore suffundor*, *videlicet*, *venatio*, *aucupium*, *alearum insuper furiæ*, *vel scachorum*, *quæ nimirum de toto quidem sacerdote exhibent mimum*, *sed præcipuè in oculis*, *manu & lingua*, *quasi mimum verum simul efficiunt*: *sicque conditos*, *& qui suavius sapiant*, *cibos Dæmonum mensis apponunt.* Idem Petrus eâdem epistolâ etiam agit de mensarum luxu quē apud Cardinales & Episcopos viderat freqūetari. Pręterea epistola ad Cardinales Episcopos hæc habet: *Porrò autem*, inquit, *qui ejusmodi sunt*, *non ea ad hoc conquirunt*, *ut inopiam & indigentiam naturæ necessitatum sustentaculis fulciant*, *sed ut turritæ dapibus lances Indica pigmenta redoleant*, *ut in crystallinis vasculis adulterata melle vina flavescant. sed hoc certè dictari cupiunt*, *ut quocunque deveniunt*, *præstò cubiculum operosis & mirabiliter textis cortinarum phaleris induant*, *sicque parietes domus*, *ab oculis intuentium*, *tanquam sepeliendum cadaver obvolvant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines præferentibus sedilia sternunt*, *περιπετάσματα laquearibus*, *ne quid occiduum dilabatur*, *opponunt. Deinde clientium turba dividitur*; *alii siquidem domino suo reverenter assistunt*, *nutumque ejus*, *si quid fortè jubeatur*, *curiosâ nimis*, *velut rimatores siderum*, *observatione custodiunt*: *alii Marthæ ministerio dediti*, *velut hirundines*, *inquieti per diversa discurrunt. Inter has autem deliræ*

ambi-

ambitionis insanias, quid sibi dorsalia quærunt, quæ à suis conspici domi-nis non merentur? Grave quidem dispendium sui patiuntur ornatus, dum in occipitio vel cervicibus oculi non erumpunt: & quam utile divitiarum genus, quod dum nullum usum præter solam habeat pulcritudinem, specie tamen suâ nequiat pascere possidentem: alienorum nempe duntaxat oculorum famulatur illecebris, dum non ad aspectum, sed post tergum sui appenditur possessoris. Cui non dissimilis & illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decussatur impendiis, ut ornamentum sacrosancti cujuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quam videtur absurdum, ut stratus ille diligentius excolatur, ubi corruptibilis caro soporis quietè resolvitur, quam ara Crucis, in qua videlicet hostia Domini corporis immolatur: hoc ergo modo, cum sobrietas soleat commendare Pontifices Cardinales, effusis nunc opibus facti sunt belluones. Regalis itaque purpura, quia unicolor est, vilipenditur; pallia verò diversis fucata nitoribus, ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et cum domestici muricipes nostris aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, oblectant. Ovium itaque simul & agnorum despiciuntur exuviæ, ermelini, gibelini, martores exquiruntur & vulpes. Cum illa scilicet in sacris honorentur eloquiis, & vel Ecclesiam vel personam exprimant salvatoris: Oves; inquit, meæ, vocem meam audiunt. Et: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, &c. Et inferius illos perstringit Episcopos, *qui sacerdotali pompâ velint se æquiparare summo Pontifici, vel secularibus principibus, ipsisque Imperatoribus,* dicens: *Tædet cætera vanitatis attexere non ridēda, sed gemenda. Fastidium est, tot ambitionis ac prodigiosæ vesaniæ denumerare portenta, papales scilicet infulas, gemmis micantibus aureisque bracteolis per diversa loca corruptas, Imperiales equos, qui dum pernices gressus arcuatis crinibus glomerant, sessoris sui manus loris innexas indomitâ ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis: prætereo virgas, non jam auro gemmisque conspicuas, sed sepultas. Nunquam certè vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant, qui ab Esculano atque Tranensi gestabantur Episcopis &c.* Vide de his plura apud Baronium. Hunc luxum, hæc convivia scurrilesque mores Curię Romanę ut evitaret Petrus Damiani, in eremum confugerat.

Quare sic pergit Baronius; *Recessit ab Vrbe, tamen se ab Eccle-*
sia

*sia segregavit, probè sciens non periclitari fidem pravis moribus sacerdotum: imò nil stultius,*inquit,*excogitari potest, quam divina cum humanis pari definitione censere & eâdem sententiâ condemnare.* In administratione sacramentorum hoc quidem verum esse, constans est Ecclesiæ sententia: Nam secundum vulgare dictum; *Vim Sacramenti non tollit vita ministri.* Interim dubium esse non potest, presbyterum debere operam dare pietati & sanctimoniæ, & si flagitiosæ vitæ sit, dejiciendum esse de sacro munere, quo fungitur indignus. *Quid enim luci cum tenebris? &c.* Ita Psalm. 139. 21. *Nonne osores tuos odi, & cum iis, qui insurgunt in te rixor? Perfectò odio odi ipsos, facti sunt mihi inimici.* Et Psal. 26. 4. *Non consedi cum hominibus vanitatis & cum illis, qui se abscondunt, non intro. Odi congregationem maleficorum, & cum improbis non consideo.*

Matthæi 6. v. 24. dicitur. *Nemo potest duobus dominis servire, aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire & Mammonæ.*

Sed videamus disertum locum Apostoli Pauli 1. ad Tim. 1. 18. *hoc præceptũ comendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, milites in iis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam; quâ repulsâ, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt: quorum de numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non maledicere.* In hunc locum ita Estius: *Non sentit amissâ bonâ conscientiâ continuò fidem amitti, sed plerunque fieri, ut qui acceptâ fide non secundum eam vivit, (hoc enim est bonam conscientiam repellere, contra fidei dictamen agere) etiam fidem ipsam amittit: fit enim justo Dei judicio, ait S. prosper, ut amittat inutilem fidem, qui noluit exercere charitatem. Cur autẽ mala conscientia multis caussa fuerit deserendi fidem ita breviter post Chrysostomum & Theophylactum Oecumenius docet: siquidem, inquit, ne terrore futurorũ crucientur; suo animo persuadere nituntur mendacia esse, quæcunque apud nos de resurrectione & judicio dicuntur.* Hæc Estius.

In eadem verba sic Grotius: *Sicut ignis pabulo indiget, sic fides bonis operibus, alioqui facile extinguitur: Nam qui malè agere volunt, omnia quærunt, ut sibi persuadeant, ea quæ de præmiis & pœnis æternis dicuntur non esse vera, aut certè non tali lege Deum agere cum hominibus: fides est ut navis: vita pura velut gubernaculũ. Gubernaculo abjecto non mirũ si navis in scopulos impacta frangitur. Vide quantum naufragium fecerit Hymenæus,*

qui resurrectionem in fine seculorum futuram negavit. 2 Timoth. 2. 17. *Et solent, qui à vera doctrina deficiunt, ne id frustra facere putentur, ei maledicere, ut isti resurrectionis dogma stultum & ab omni ratione alienum esse dicebant.* Act. 17. 32.

Paulus 1 Timoth. 3. 9. vult Diaconos habentes mysterium fidei cum bona conscientia, ubi Grotius: *per puram conscientiam custoditur fides: nam qui negligunt conscientiam, etiam amitiunt fidem.* Cypriano, *recedente disciplina recedit & gratia*, ut alibi diximus.

Vides per pravos mores & mala opera, contra mentem Baronii, periclitari fidem: videbis etiam idem fieri per vanos sermones & falsas scientias, quamvis non tam in objecto, quam subjecto. Ita Paulus 1. ad Timoth. 6. 20. *O Timothee depositum serva, vitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsò nominata scientia, quam nonnulli profitentes, circa fidem aberrarunt.* Vera doctrina est quæ ad salutem

Tertull præscript. adversus hæretic. §. 8. æternam proficit; ea est S. Scriptura: *Falsa scientia serit quæstiones infructuosas & sermones serpentes velut cancer: à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam, contestatur caveri oportere, nam mul-*

2Tim. 2. 18. *torum fidem evertit.* Et addit Grotius: *Quidam eorum ex ipso fastu, & contemptu aliorum tandem eò pervenerunt, ut etiam Christianismum desererent: vel saltem à sana Christi doctrina abirent.* In eadem verba hæc habet Estius: *Cujusmodi scientiam*, inquit, *dum profitentur ac docti sapientesque videri student, ab integritate & sinceritate fidei, velut à scopo aberrarunt: significat inanium & falsarum scientiarum fructum hunc esse, ut qui iis imbuti sunt, facilè deficiant à recta fide. Id quod Origini & Iuliano Imperatori Apostata, & aliis non paucis contigit, miserando exemplo.* Hactenus Estius. sic idem Apostolus monet, *ne peccando spiritum exstinguamus.* 1 Thessal. 5. Spiritus dona suscitantur precibus & studio pietatis, exstinguuntur per contraria, vide Epist. 68. Cypriani. Sed ad Historiam.

A.C. 1062. *Cadolous antipapa, dictus Honorius II, ab Imperatrice contra Alexandrum ab Hildebrando electum, auro & armis Romam aggreditur, auxilio Romanorum auro corruptorum Urbem invadit, sed per ducem Godefridum spoliatus vi repellitur.* Baron.

Henrico Episcopo Augustensi regni negotia jussu Imperatricis administrante, Anno, Episcopus Coloniensis, Henricum Imperatorem puerum annorum

norum decem, sub alio prætextu à Matre Aguete Imperatrice subductum, Coloniam perduxit: turbata hac de re mater in cœnobium abit, & mundo valedicit. Lambert. Avent.

Liberum olim erat sacerdotibus, quot vellent, unâ die missas celebrare, quod ex VValefrido colligas cap. 21. & fortasse ex S. Leonis Papæ epistola 79. ad Dioscorum cap. 2. Concilium vero Salegustadiense, cui Bruno Augustanus interfuit an. C. 1023. cap. 5. constituit ne quis trium missarum numerum excederet: Alexander vero Pontifex ad unam revocavit. Velserus apud Baronium. A. C. 1063.

In Lateranensi, sub hoc Alexandro, concilio, post canones contra Simoniacos & sacerdotes uxoratos &c. canon ille de celebratione missarum ab eodem Alexandro sancitus esse putatur, inquit Baronius, *qui recitatur verbis illis. Sufficit sacerdoti missam unam in die uno celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Nec modica res est unam missam facere & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest. Quidam tamen unam faciunt pro defunctis, & alteram de die, si necesse fuerit: qui verò pro pecuniis sive oblationibus secularium unâ die præsumit facere plures missas, non existimo evadere damnationem.* Baronius.

Hoc anno narrat Baronius morem, quo celebratur Examen per ignem veteribus usitatum, & inprimis in Germania, quemadmodum in Cunigunda uxore Henrici II, de adulterio accusata monuimus. Apud Baronium hæc est historia: Petrus Papiensis Episcopus Florentinus Simoniæ accusatus à Monachis Florentinis, magnas dedit turbas in istius civitatis Ecclesia. De hac controversia, ut certior esset veritas, offert Petrus Episcopus Albanensis, examen per ignem: in hunc finem duæ ingentes lignorum strues fiunt, & post dictas missas & preces consuetas, accensos illos ignes illæsus pedetentim transiisse dicitur, unde postea vocatus fuit Petrus Igneus. De Cunigunda loquuti sumus an. C. 1002, quæ contactu ferri candentis se purgasse scribitur. Observatum autem ejus examinis ritum refert Boxhornius an. C. 1005, inventum, ut ait, in M. S. Codice Anglicano sic descriptum:

Post accusationem legitimè factam, & triduum in jejuniis & oratione consumptum, sacerdos vestibus sacris, præter causiam, indutus, ferrum ante altare positum forcipe accipiat & hymnum trium puerorum, videlicet

delicet, Benedicite omnia opera, *decantans ad ignem deferat & dicat hanc orationem super locum ubi fiet ignis ad faciendum judicium.*

Benedic, Domine Deus, locum istum ut sit nobis in eo sanitas, sanctitas, castitas, virtus, & victoria, & sanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas & plenitudo legis, & obedientia Deo, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Hæc benedictio sit super hunc locum & omnes inhabitantes in illo.

Benedictio super ignem. Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum. Benedic Domine hoc lumen quod ante sanctificatum est, quo illuminasti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine igne accendamur claritatis tuæ. Et sicut igne illuminasti Moysen, ita nunc illumina corda nostra,& sensus nostros ut ad vitam æternam mereamur pervenire per Christum, &c. *Quâ finitâ dicat,* Pater noster,&c. Salvum fac servum, &c. Mitte ei auxilium Deus, &c. De Syon tuere eum, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c.

Oratio. Benedic Domine, Sancte Pater omnipotens Deus per invocationem sanctissimi nominis tui, & per adventum filii tui,atque per donum Spiritus paracleti, ad manifestandum verum judicium tuum hoc genus metalli, ut sit sanctificatum, ut omni dæmonum falsitate procul remotâ veritas veri judicii tui fidelibus tuis manifesta fiat per eundem Dominum, &c.

Post hoc ferrum in ignem mittatur, & aspergatur aquâ benedictâ, & dum calescit missam celebret. Cum vero sacerdos Eucharistiam sumpserit, hominem probandum (sicut infra scriptum est) adjuret, atque communicare faciat.

Officium Missæ. Justus es Domine & rectum judicium tuum, &c. Oratio. Absolve quæsumus Domine tui delicta famuli, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tuâ benignitate liberetur. Et in hoc judicio, quoad meruit, justitiâ tuâ præveniente, ad veritatis censuram pervenire mereatur, per Christum Dominum, &c.

In illo tempore cum egressus esset Jesus, in via quidam præcurrens genu flexo ante eum, rogabat eum dicens; Magister, boni quid

quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei, Quid me dicis bonum, &c.

Deinde secreta, &c. Antequam vero communicetur, interroget eum sacerdos cum adjuratione sic; Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per veram Christianitatem quam suscepisti, & per sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per baptismum, quo te sacerdos regeneravit, ut non præsumas ullo modo communicare, neque accedere ad altare si hoc fecisti, aut consensisti, &c. *Hic communicet sacerdos illum & dicat.* Corpus hoc & sanguis D. Nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodie.

Oratio. Perceptis Domine Deus noster sacris muneribus, supplices deprecamur, ut hujus participatio sacramenti à propriis nos reatibus expediat, & in famulo tuo veritatis sententiam declaret, &c. *Deinde Kyrieleson, & letania, & Psalmi, & tum Oremus.* Deus, qui per ignem signa magna ostendis, Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum quibusdam pereuntibus eruisti; qui rubum ardere ante conspectum Mosis & minimè comburi permisisti; Deus qui incendio fornacis Chaldaïcis plerisque succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti; Deus qui incendio ignis populum Sodomæ involvens, Loth famulum tuum cum suis salute donasti; Deus qui in adventu Sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti: ostende nobis in hoc pravitatis nostræ examine virtutem ejusdem Spiritus, &c. & per ignis hujus fervorem discerne fideles & infideles, ut à tactu ejus, cujus inquisitio agitur conscius exhorrescat, & manus ejus comburatur, innocens vero penitus illæsus permaneat, &c. Deus, cujus notitiam nulla unquam secreta effugiunt, fidei nostræ tuâ bonitate responde, & præsta ut quisquis purgandi se gratiâ hoc ignitum tulerit ferrum, vel absolvatur innocens, vel rei noxius detegatur. *Deinde sacerdos super ferrum aquam benedictam spargat & dicat*: Benedictio Dei Patris & Filii & S. S. descendat super hoc ferrum ad discernendum rectum judicium Dei.

Otto, Anno debuit dicere, *Coloniensis Episcopus Romam veniens Alexandrum Papam gravissimis verbis increpat, quod sedem Romanam injussu Cæsaris, & contra quam consuetudo & lex ipsa jubebat, occupasset.* A.C. 1064.

Tum Hildebrandus archidiaconus, qui fortè tum aderat, partes Pontificis acerrimè tutatus, quod diceret electionem ad Clerum pertinere, si jus & antiquam consuetudinem vellet inspicere; & Otthonem, Annonem, *facilè in sententiam traxit. Quare Henricus adolescens cognito errore ad se postremò rediens, Alexandrum rogat ut Concilium indiceret, quod fit Mantuæ, ubi compositis rebus omnibus, Imperator ipse non solum in gratiam Pontificis rediit &c. Mantuâ abiens Papa, Lucæ tamdiu commoratur, quoad ab Hildebrando res in Apulia pacatiores redderentur. Is enim acceptis à Mathilde Comitissa auxiliaribus copiis non solum Richardi impetus repressit, verum etiam eum coëgit, quæ de Ecclesia cepisset, restituere.* Platina.

Cadolous collectâ secundò pecuniâ, armatâ manu Romam venit, & Leoninam ingreditur, perfidis Romanis auro corruptis. Cincius Præfecti filius eum in S. Angeli castellum recipit, & juramento defensionem promittit. Interim ibidem à fidelibus Papæ Alexandri obsidetur, donec multis calamitatibus afflictus ab eodem Cincio trecentis argenti libris se redemit, cujus auxilio dimissus inops & miser discessit. Lambertus & alii.

Vides quantopere sedem Romanam oppresserit omnium hæresium pessima Simonia, ex imis diaboli visceribus erumpens, seque adversus nascentis Ecclesiæ regulam exitialiter attollens, quæ nimirum ex ipso diaboli felle in perditionis filios pestilentissimè derivatur, verba sunt Petri Damiani, qui hoc virulentum malum non tantùm Romæ, sed per universum Occidentis Imperium miserè grassari conqueritur.

A.C.1066. *Eduardus Confessor, Rex Angliæ, moritur, qui postea ab Alexandro III, in sanctorum numerum relatus est. Hic reliquit regni hæredem Guielielmum Normannorum in Gallia Ducem, qui victo Haraldo & occupato Angliæ regno, dictus est Conquæstor. Quo ex tempore Normanni deinceps in Britannia regnarunt, nempe per Plantagenistas Andegavensium duces, accepto jure regni per uxores Normannas; postquam Angli Saxones in eam insulam venissent an.* C. 449. Roger.

Hoc eodem anno Matthæus Parisius ad S. Albanum in Anglia Monachus, incboat historiam horum temporum, usque ad annum 1259, *ipsius etiam* Baronii *judicio fideliter conscriptam, in qua scelera Pontificum satis multa ex publicis monumentis descripta summâ loquendi libertate recenset.* Calvisius. De hoc auctore tale est judicium Baronii: *Quam fuerit*

animo

animo infenso in Apostolicam sedem, qui vis facile poterit intelligere: nisi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit, quæ si quis demat, aureum sanè dixeris commentarium, utpote quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis, egregiè contextum & coagmentatum inveniatur. Ita ut ille scriptor, omnium judicio habeatur lectu dignissimus.

Pro fidelitate & contra depravationem Matthæi Parisii hæc habet Casaubonus in prolegomenis ad exercitationes in Annales Baronii: *Conjectura Baronii quæ & à Bellarmino nuper est allata, vana, falsa, ridicula est. Extant in hoc regno,* de Anglia loquitur, *vetera exemplaria ejus scriptoris, quæ vanissimæ vanitatis eam conjecturam arguant. Omnia enim illa habent, propter quæ fides editoris hodie in dubium vocatur. Habeo ipse jam in meo Musæo codicem Matthæi, in membranis descriptum eleganter, è Regis serenissimi Bibliotheca promptum, ejus vetustatis, ut credatur ille ipse liber esse, qui ab auctore in Bibliotheca S.ᵗ Albani fuerat dedicatus. In eodem codice nullam nos adhuc diversitatem observavimus, quod ad illa attinet, quæ de Paparum rapinis scribuntur. Extant etiam in Bibliothecis Anglicanis alia ejusdem auctoris scripta nondum edita, ut Historia minor & de vitis Abbatum S. Albani; in quibus similia vel etiam graviora de rapacitate Romanorum lamentabiliter describuntur. Legi ipse nonnulla ejus generis in vetusto libro, vitas Abbatum illorum continente &c. non igitur,* inquit Casaubonus, *illa sunt à Protestantibus Matthæi libris inserta, sed justissimas illas querelas rei veritas extorsit ab homine alioquin superstitiosissimo.* Prodierunt ejus opera an. C. 1644. Parisiis, apud viduam Wilhelmi Pelè, quæ vide.

Hoc tempore operâ Suenonis Daniæ regis & Adelberti Archiepiscopi A.C.1067. *Hamburgensis, multi populi Septentrionales convertuntur, Gothi, Normanni, Islandi, Groenlandi & Orcadum insularumque extremarum incolæ. Ita ut cum messis esset multa, operarii fuerint pauci: missi tamen ad prædicandum barbaris gentibus verbum Dei à Rege & Episcopo diversi.* Adam & Baron.

In Oriente Turcæ perveniunt ad Cæsaream Cappadociæ, obvia omnia diripientes & igne evertentes. Curopal.

Henricus Imperator ex juvenili fervore (erat enim adolescens octodecim annorum) cum Moguntino Episcopo agit de dimittenda uxore adhuc virgine. A.C.1069.

virgine. Moguntinus, si sibi decimæ ex Thuringia dentur promittit se facturum, & eo rem deducit in comitiis, ut uxore in cœnobium missâ Synodus Episcoporum instituatur. Ad eam Synodum venit legatus Pontificis Petrus Damiani monachus eruditus, qui divortium probibet. Is erat acerrimus auctoritatis Pontificiæ defensor, qui ut ipse loquitur in epistola ad Alexandrum Papam apud Baronium, hostes Pontificis mordacissimè loquendo & scribendo destruebat, & primus scripsit, Deum Pontifici Romano vacantis Imperii jura permisisse. Imperator consilio Ordinum Imperii, uxorem admittit, & amicè cum ea vivit, genuitque ex ea duos filios & tres filias. Hanc historiam Baronius non verbis Lamberti, ut solet, narrat, sed suis, & mordacissimis, quibus etiam mendacia admiscet. Calvisius.

A.C. 1070. *Episcopus Moguntinus, Coloniensis & Bamburgensis, à Domino Apostolico evocati Romam venerunt. Ibi Episcopus Bamburgensis accusatus, quod per simoniacam hæresim, datâ pecuniâ Episcopatum invasisset, multa & pretiosa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam adversum se mentem ejus ad tantam mansuetudinem reduxit, ut qui non sine periculo honoris & gradus sui evasurus putabatur: non solum impunitatem criminis, quod objectum fuerat, consequeretur; sed etiam pallium & alia quædam Archiepiscopatus insignia à sede Apostolica pro benedictione perciperet &c.* Lambertus.

Moritur Godefridus Dux Tusciæ, maritus Beatricis, cui successit in ducatu Lotharingiæ filius dictus Godefridus Gibbus: Tusciæ autem & Liguriæ domina fuit ejus Noverca Beatrix, mater Matthildis, quam in uxorem duxit Godefridus Gibbus. Baron. Erat autem Beatrix Conradi Imperatoris filia, & Henrici IV. jam Imperatoris amita, Henrici III. soror. Ita ut Mathildis fuerit consobrina Henrici IV.

A.C. 1071. *Romanus Diogenes, Imperator Constantinopolitanus, oblatam à Turcis pacem rejicit, eosque aggressus, cæditur & capitur. Captum benè habuit, imo suâ mensâ excepit Asa Sultan. Cum autem Sultanus Diogenem Imperatorem interrogasset dicens: Quid mihi fecisses, si me in tua potestate habuisses? respondit: Multis plagis bene notis corpus tuum confecissem. At ego, inquit Sultanus, tuam crudelitatem non imitabor: verumtamen, pergit Sultan, audio vestrum vobis præscribere Christum, pacem & oblivionem malorum, superbisque resistentem humilibus gratiam dare;*

factâ

factâ cum Imperatore perpetuâ pace, dimitti eum jubet. Constantinopolitani Michaëlem Ducam surrogant, & Diogenem mille ignominiis affectum oculis privant, unde brevi moritur. Zonaras.

Vides, Lector, Christianum & Græcum barbarum, Barbarum verò & Mahumetanum non barbarum: magnas simul rerum vicissitudines & morum mutationes, & in Imperio, & in Ecclesia.

Hoc tempore floruit Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus. Scripsit in prophetas minores, in quatuor Christi Euangelia, & in omnes S. Pauli epistolas: in quibus ita B. Chrysostomum imitatur, ut ejusdem abbreviator dici possit. Bellarm.

Non cessat gens Saxonum, ut est animis acerrima, conjurationem adversus regem unanimi conspiratione confirmare; accusationes blasphemas & inauditas ad sedem Apostolicam in illum referre, sociosque sibi ex omni regno Teutonico literis & nuntiis adsciscere. Nam primò Sigefridum, Moguntinæ sedis Metropolitanum, Adelbertum VVormatiensem, Adalberonem VVirceburgensem, Gerardum Salsburgensem aliosque quamplures præsules, indeque per ipsos Papam Alexandrum fautores efficiunt: quidam quoque summa sanctitatis virum Annonem, Archiepiscopum Coloniensem, conjurationis ejusdem conscium asserunt. Abbas Urspergensis. A.C. 1072.

Petrus Damiani Cardinalis, Episcopus & Eremita moritur: de quo sic Baronius: *sic Deus in hoc deploratissimo seculo, cum excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo tantum virum, qui vita austerissima exemplo, verbis & scriptis exsiccaret tantam putredinem, pariterque pugnaret contra Simoniacam hæresim, quæ ubique locorum impunè grassabatur. Vos fecistis*, inquit Christus, *domum patris mei domum negotiationis, & speluncam Latronum.* Matth. 21. & Joan. 2. Audiamus planctum & lamenta ejusdem Petri Damiani super simonia sui temporis in sede Apostolica admodum familiari, & apud reliquos Ecclesiasticos & Principes seculares oppidò frequenti:

Heu sedes Apostolica,
Orbis olim gloria,
Nunc,proh dolor! efficeris,
Officina Simonis.
Terunt incudem mallei,
Nummi sunt tartarei,
Iusto Dei judicio,
Fit ista conditio,

Ut quisquis Apostolicam
Sedem semel comparat,
Redimere non desinat,
Donec male pereat.
Cathedram pestilentia
Pressus anathemate,
Tenet cum sacerdotibus
Christi peremptoribus.

Scripserat idem Petrus Damiani libellum cui nomen Gomorrhaus, contra execranda carnis vitia Clericis familiaria, qui etsi visus sit à Papa Leone laudari; tamen quod absque verborum obscœnitate obscœnitates tanta pertractari haud adeò potuerunt, quin legentium castas offenderent aures, ut reverà offendunt, Alexander Papa II. callidâ arte illum ab eo surripuit, suoque scrinio inclusit, de quo conqueritur Petrus in epistola ad Cardinales Hildebrandum & Stephanum. Baron. tomo XI. pag. 164.

Idem Petrus epistola ad Alexandrum conqueritur de nimis temerario usu vocis, Anathema, post singula decretalia. Idem.

Henricus IV. Imperator natus est anno 1051. *Pater Henricus III. moritur an.* 1056. *relicto filio quinquenni. Agnes Augusta mater puerum religiosè educare cœpit, sed cum excessit ex ephœbis à matre abstractus, in transversum actus Romana imprimis redditus est Ecclesia hostis. Cujus ope, id agente Victore Pontifice, eidem regnum fuit stabilitum.* Baronius. Sed quæso quomodo puer sit hostis Romanæ Ecclesiæ? An per Annonem Episcopum Coloniensem, qui eum matri, temerario, & fortè ambitioso facinore eripuit? Quomodo Victor Papa potuit Henrico stabilire regnum hæreditarium? An. C. 1062, sic pergit idem: *Anno Coloniensis Henricum puerum annorum decem à matre Imperatrice vi subductum, invitum & reclamantem Coloniam usque perducit, eúmque blanditiis delinitum, cæterorumque Germania Principum obsequio frequentatum & cultum retinet educandum.* Quo fine hoc fecerit Anno, quærere quis posset, cum mater ipsi Baronio sit vidua laudatissima, regemque religiosè educare cœpisset: sed hac de re diversi diversimodè pro partium studio judicant. *Invidisse videtur hic Anno Henrico Episcopo Augustensi sub Imperatrice regni administrationem: nam vi sublato rege, paulò post in comitiis Principum Germania habitis, Anno-*

ni

ni regni administratio, & Regis custodia demandata est. Quis jam non videt quare tam crudeliter ipse Archiepiscopus è matris gremio filium unicum & decennem per insidias substraxerit, ita invitum & reluctantem, ut cum se abduci videret, majorem vim metuens, è navi, in quam Annonis jussu ascenderat, in Rhenum desilierit, ut hostiles manus evaderet: & periisset Rex, nisi Egbertus Marchio Saxoniæ, in hoc stratagemate Annonis comes, simul in fluvium desiliisset, & è maximo periculo se & puerum liberasset. Quapropter turbata & afflicta mater, consilii & auxilii expers, in cœnobium abiit. Lambert. Schafnab.

An. 1064. *Anno Romam ad Alexandrum delegatus venit, ut jus Imperatoris in eligendo Episcopo Romano integrum servaret. Quid fit? Alexandrum Papam mansuetè & modestè ita est allocutus: Quâ ratione frater Alexander absque mandato & assensu Domini mei Regis recepisti Papatum? à longis namque temporibus à Regibus hoc absque dubio obtentum, & incipiens à Patriciis Romanorum & Imperatoribus nominavit eos, per quorum mandatum & assensum plurimi Romanorum Pontifices in sedem Apostolicam habuerunt ingressum. Respondit, qui aderat Hildebrandus, secundum canonicas patrum sanctiones in electione Pontificum Romanorum, Imperatoribus seu Regibus penitùs nihil esse concessum; & adductis pluribus Patrum decretis & præcipuè illo Nicolai capitulo, cui centum & tredecim Patres subscripserunt, irrevocabiliter Coloniensi satisfactum est,* ut habet Baronius: *quem facile in suam sententiam traxit Hildebrandus*, ut inquit Platina; cum validissimis rationibus pro Imperatore, Anno Hildebrando respondere potuisset; nempe an. C. 800, ab Hadriano I, Carolo Magno, primo ex Francis Occidentis Imperatori, concessum jus eligendi Papam, idque renovatum à Leone VIII. an. C. 964. in Ottone Magno, & continuatum durasse ad hæc usque tempora, annos nimirum trecentos & amplius: secundò, decretum Nicolai II. esse novum anno scilicet 1059. constitutum, ubi tamen addidit Nicolaus hanc clausulam: *salvo debito bonore & reverentiâ dilecti filii nostri Henrici &c.* Sed ut unicuique pateat hujus quæstionis veritas, addam ipsum Leonis Papæ VIII. decretum, quo Anno Episcopus Hildebrandi argumenta, tanquam folia ventus, difflare potuisset, & præsertim nuperum Nicolai II. decretum, fortasse ipsius Hildebrandi operâ & auctoritate (nam post tempora Gregorii VI.

 magi-

magiſtri ſui, illius nutu regebatur ſedes Apoſtolica) conſtitutum. Hęc autem ſunt verba Leonis, cleri populique Romani: *Exemplo Beati Hadriani, Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui D. Carolo, victorioſiſſimo Regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem, ac ordinem Apoſtolicæ ſedis & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit: Ego Leo quoque, ſervus ſervorum Dei, Epiſcopus cum toto clero ac populo Romano conſtituimus ac confirmamus ac corroboramus, & per noſtram auctoritatem Apoſtolicam concedimus, ac largimur D. Othoni primo, Regi Teutonicorum ejuſque ſucceſſoribus hujus Regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem, unde debent, exceptis iis, quos Imperator Pontificibus aut Archiepiſcopis conceſſit, ut nemo deinceps, cujuſcumq; dignitatis aut religionis eligendi vel Patricium vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunq; Epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſq; conſenſu ipſius Imperatoris: quod tamen fiat abſque omni pecunia, & ut ipſe ſit Patricius & Rex. Quod ſi à clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupra dicto rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur.* Vide de hoc decreto Gratianum text. 63. d. 5. Sigoniũ, Stellam, Platinam in Leone Octavo, Onuphrium, &c. Quare, quæſo, quodnam validius decretum inſtitui poteſt, quam hoc, de jure electionis & inveſtituræ Imperatoribus reſtituendo, per Papam nimirum, totumq; clerum Romanum ſynodicè congregatum? *Leo VIII ſuæ ſedi reſtitutus ſeditionum & levitatum Romanorum pertæſus, omnem eligendi Romani Pontificis auctoritatem à Clero populoque Romano ad Imperatorem ſynodo habitâ tranſtulit, Hadrianum I imitatus, qui id Carolo M. Francorum regi etiam conceſſit.* Aventinus Annalium lib. 5.

Quid facit Anno, cui cura educandi Regis, & adminiſtrandi regni mandata erat?

Miſſi à Rege Anno Colonienſis & Hermannus Bambergenſis Epiſcopi pro juſtitia & juribus, ſcilicet, regni, peractâ legatione revertentes, literas ſummi Pontificis reportantes, regem ad ſatisfactionem pro ſimonia aliiſque multis, quæ ei objecta (à Saxonibus nempè, Henrici apertis hoſtibus) *fuerant, vocant.* Otto Friſingenſ. & ſimilia habet Urſpergenſis. Morte autem Alexandri Papæ ſtatim ſubſequente, quieta hæc fuêre ad annum Hildebrandi ſeu Gregorii VII. ſecundum.

Verum inſolito modò vocatur à Pontifice Imperator, & mehercle, longè alio, quam olim Pipinus à Stephano, aut Carolus Magnus

ab

ab Adriano I. Pontificibus, cum per Longobardos in summis versarentur calamitatibus & extremis premerentur angustiis. A crudelissimis hostibus ope dictorum Regum liberati, & multis opibus & magnis regionibus ab eisdem donati Papæ, obliti beneficiorum, Imperatoris successorem legitimum, filium & nepotem, vilipendunt, contemnunt, imo summâ contumeliâ afficiunt. Henricum IV. Imperatorem inaudito exemplo ignominiosè citat Alexander II, idque per ipsum Annonem, cui, ut diximus, tanquam tutori à Principibus Germaniæ Regis pupilli custodia & educatio commissa erat. Ita ut mihi S. Anno, quondam Henrici III, sine misericordia flagellator, fuisse videatur sui Regis Henrici IV nuper plagiarius, nunc verò sanctus proditor, (ut Hildebrandus à Damiano nuncupatur sanctus Satanas) etiam conscius, & fortè primus Saxonicæ, contra Regē Henr. IV. etiamnum adolescentē, conspirationis, cum Egberto Marchione Saxoniæ, postea contra Henricum electo Rege, anno scilicet 1088.

ALexander Papa moritur Ap. 20. feriâ 2. succedit eodem die Gregorius VII, dictus antea Hildebrandus, fabri filius, natione Tuscus. Hunc, ut vituperat Benno Cardinalis, illi coëvus, sic laudat Baronius; quia fuit acerrimus libertatis Ecclesiasticę defensor: quare ejusdem apud nos erit efficaciæ utriusque Cardinalis auctoritas. Ego de hoc Hetrusco audeo dicere, quod Lipsius de altero: *Ingenium illi acre, subtile* (pro ratione temporis) *igneum; & qui, utinam principes rectâ duxisset ad templum illud virtutis & honoris; & dum semitas commodi* (sedis Apostolicæ) *intentè sequitur, aberravit à regia* (& prisca) *via.*

Vitam autem hujus Gregorii qui nosse volet, videat res gestas Henrici Imperatoris IV, apud anonymum, Lamb. Schafnaburgensem, Aventinum, Onuphrium Panuinum. Vaticana bibliotheca habet res gestas Gregorii VII. à variis auctoribus descriptas in vitis Pontificum Romanorum, *sed sine nomine auctorum*, ut inquit Baronius; *ubi dicitur praeostenso divinitus signo, Hildebrandus puer literas nesciens, ex segmentis rejectaneis fabri patris, casu (manum pueri ductante numine) elementa seu literas aut has voces formasse*: Dominabitur à mari usque ad mare. *Educatus est*, ut habent Gregorii ipsius epistolæ, *à Petro, qui eum nutrivit sub alis suis in sua domo.* Hujus Hildebrandi consilio & astu præcipuè regebatur illa cathedra post Gregorium VI, quo usus est magistro. Quare sic de Papa Alexandro & Hildebrando Cardinale ad Hildebrandum ludebat Petrus Damiani. *Pa-*

Papam ritè colo, sed te prostratus adoro,
Tu facis hunc Dominum, te facit ille Deum.

Et ad eundem Hildebrandum,

Qui rabiem Tigridum & domat ora cruenta Leonum,
Te nunc usque lupum, me mitem vertat in agnum.

Sic idem in epistola ad Hildebrandum eum *virgam Assur, & sanctum suum satanam vocavit. Invitus & mærens in beati Petri cathedram inthronizatur Gregorius*, ut habent acta Vaticana Baronio: Ipse Gregorius hoc testatur l. 1. ep. 3. *Cum gemitu*, inquit, *mors Alexandri cecidit supra me, & violentis manibus in locū Apostolici regiminis me rapuerunt*, & post citata ex Davide tristissima verba, inquit, *enumerare miserias meas supersedeo*: Et tamen calēte adhuc Alexandro à suis militibus illegitimè creatum narrat Benno Cardinalis, sed Imperatore etiam astipulante id factū dicit Lambertus Schafnaburgensis, quod non est verisimile.

Hoc est decretum electionis Gregorianæ: *Nos sanctæ, Romanæ, Catholica & Apostolica Ecclesia Cardinales, Clerici &c. præsentibus venerabilibus Episcopis & Abbatibus, Clericis & Monachis consentientibus, pluribus turbis utriusque sexus diversique ordinis acclamantibus, elegimus nobis in Pastorem &c.*

Cum absque Regis consensu, solis tantum Romanis faventibus, hunc apicem conscendisset; sunt qui illum non canonicè constitutum, sed tyrannicè sibimet papatum asseverent usurpasse, pro qua re & ab nonnullis Episcopis abdicatus est. Abbas Urspergensis.

Lamberto Schafnaburgensi dicitur *zelo Dei ferventissimus & vir vehementis ingenii*: *Ingentium animorum Pontificem* eum appellat Petavius; & quam noxius sit ille præfervidus & præposterus zelus, quam alienus à Christi lenitate sit ille cæcus & præceps animi impetus, omnia sursum deorsum miscens, novimus omnes, & nos clarè docet & frequens & exitialis inter Christianos experientia. Ille Gregorius statim post octavum electionis suæ diem scribit ad Principes Hispaniæ, ut, cum Saracenos ex Hispania expulissent, id regnum Pontifici Rom. restituerent in feudum, uti id olim fuerat. Idem scribit in Sardiniam, ut & illa insula D. Petro in feudum restituatur. *Baronius.*

Accusatur apud Gregorium de Simonia Philippus, primus Francorum

Rex 20. annos natus, cui statim cum minis & pœnis per legatum dici jubet, privandum esse eum Francorum Regno, nisi resipiscat, gratis Episcopos & Abbates ordinet, & Apostolicæ sedi pareat. Gregorius l. 1. epist. 35. & 36. Hisce etiam usus verbis: *aut Rex ipse repudiato turpi Simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint,* generalis anathematis mucrone *percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt.*

Gregorius legatos 4. Episcopos mittit, & inter eos Agnetem Imperatricem, Imperatoris matrem in Gallias, & ad Imperatorem Henricum in Germaniam, qui iis Noriberga occurrit. Sed legati quamvis sæpius rogati admittere Imperatorem, & cum eo sermonem communicare, noluerunt, antequam pœnitentiam professus anathemate ab iis absolveretur, pro eo quod propter venditas ecclesiasticas dignitates, Simoniacæ hæreseos insimilatus esset apud sedem Apostolicam. Eidem legati verbis Pontificis petierunt ab Episcopis, ut pace eorum Concilium convocare liceret: sed hoc omnes Episcopi vehementer abnuerunt, tanquam inusitatum longèque à suis rationibus alienum; nec se hujus auctoritatis privilegium ulli alii, præterquam ipsi Romano Pontifici unquam delaturos affirmabant. Lambertus. A.C.1074.

Vides Lector, quanto cum impetu & in Regem Galliæ & in ipsum Imperatorem ruat Gregorius, qui, cum adhuc fuerint adolescentes, fortè Simoniæ malum necdum noverant, quod tamen in Ecclesia Romana, ut vidimus id docente Petro Damiani Cardinale, diu fuerat quam familiarissimum, & quod Henrici IV Pater, Avus, eorumque prædecessores non semel Romæ corrigere conati sunt, ut supra diximus. Consule hujus ævi & omnes omnium nationum scriptores, & videbis innnmeras eorum querelas & expostulationes super hoc malo, Romæ jam à multis annis inveterato.

Tres clarissimæ fœminæ, Agnes mater Imperatoris Henrici, Beatrix & Matthildis virgo, ejus filia, duces Tusculanæ, defendunt Ecclesiam Romanam, ut nuper tria nobilissima scorta eandem gubernarunt & polluerunt.

Vidisti miracula de tribus clarissimis fœminis à Deo præordinatis, inquit Baronius, *cum maxima esset persecutio excitanda, ut Romanam Ecclesiam tuerentur, cum, inquam, adversus eam seculi Principes & potentiores*

tiores Episcopi conspirarent, & qui essent de gremio ipsius in ipsam, ut Iudas, moverent calcaneum suum. Ut planè illud mirandum à Deo fuerit innovatum, quod infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: feceris insuper matrem ignorare filium, affines affinem spernere Regem, & pro Romana Ecclesia tantum esse sollicitas Agnetem, Beatricem atque Mathildem, ætate hanc juniorem (annorum erat secundum calculum Baronii 28) *sed animo ardentiorem pro defensione Apostolicæ sedis. Nam ad Gregorium Papam scribens ad constantiam fidei suæ erga ipsum significandam, illud Apostoli usurpavit.* Quod non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque alia creatura poterit eam separare à charitate Petri (*Dei, inquit Paulus, quæ est*) in Christo Jesu Domino nostro. *Ad quam bis rescripsit hujus anni initio Pontifex ipse*, inquit Baronius, *inter cætera hortans eam venire cum matre ad limina Apostolorum, & ut sacratissimam Eucharistiam frequenter acciperet, & erga Dei genitricem propensiori esset animo affecta.* & paulò post sic de sola Mathilde Baronius: *Cum Episcopi & Principes ferè omnes non solum dico inobedientes, verum rebelles etiam facti sunt sedi Romanæ, inventa est sola atque unica Dux & Marchionissa Mathildis in fide permanens, zelum Dei habens, & Domino Papa Gregorio obediens & totam se suæ dispensationi tradens, sperans ab oneribus mundi hujus, tali obedientiâ explicari.* Et audi Lambertum de eadem Mathilde: *Hæc vivente adhuc marito suo, quandam viduitatis speciem longissimis ab eo spatiis exclusa prætendebat; cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet* (Godefredum hunc iniquo fuisse adversus Gregorium animo docet Baronius ex Gregorii lib. 4. epist. 2. in fine) *& ille ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marchiam Italicam inviseret, post cujus mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu. Cumque magna pars Italiæ ejus pareret Imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, supra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicunque operâ ejus Papa indiguisset, ocyus aderat & tanquam Patri vel Domino sedulum exhibebat officium. Unde nec evadere potuit incesti amoris suspicionem, passim jactantibus Regis fautoribus*

bus & præcipuè clericis, quibus illicita & contra scita Canonum contracta conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus praeoccupata, post amissum conjugem ultra secundas contrahere nuptias detrectaret. hactenus Lambertus: qui tamen ista negat. Quidam Papam non tam Mathildem, quam Mathildis nummos amasse, nec sine ratione, judicarunt. Auri sacra fames non rarò sacrata etiam possidet capita, & præcipuè cum jam magna moliretur Hildebrandus contra Imperatorem.

Onuphrius in vita Gregorii VII.

Convocat Romæ synodum Gregorius contra Clericos conjugatos, qua de caussa multæ concitantur turbæ, de quibus sic Lambertus Schafneburgensis. *Bellarmino verax historicus*, qui hoc ipso vixit tempore & suam scripsit historiam ab orbe condito ad an. C. 1077. *Hildebrandus Papa cum Episcopis Italiæ conveniens, jam frequentibus synodis decreverat, ut secundum instituta Canonum, Presbyteri uxores non habeant, habentes autem dimittant, aut deponantur &c. Hoc decretum etiam sub anathemate ad Gallorum Episcopos mittitur: contra quod vehementer fremuit tota factio Clericorum; hominem planè hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, qui ait: non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere capiat. Et Apostoli: qui se non continet, nubat; melius enim est nubere quam uri: violentâ exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum natura negaret, fornicationi & immundiciei frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, & tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ & desidiæ arguebat, & nisi ocyus injunctum sibi negotium exsequerentur, Apostolicâ se in eos censurâ animadversurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non parvi constare operam hanc, ut tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum iis, & primum eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod necessariò faciendum sit, spontè faciant, & tam sibi, quam Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quod secus sit, decernendi. Ad ultimū congregatâ synodo in Erfordia mense Octobri pressius jam immi-*

imminebat, ut relegatâ omni tergiversatione impræsentiarum aut conjugium abjurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas èconrra rationes illi afferebant, quibus instantis perurgentisque improbitatem eludere, sententiamque cassare niterentur. Quumque adversus Apostolicæ sedis auctoritatem, quâ se ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulsum ostendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes, precesque proficerent, egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt, ut ad consilium non redeant, sed injussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri, ut in synodum regressi ipsum Episcopum, priusquam exsecrabilem adversum eos sententiam promulgaret, cathedrâ Episcopali deturbarent, & meritâ morte multatum, insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum ejus talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Quum ad Episcopum relatum esset hoc eos machinari, commonitus a suis ut tumultum, qui oriebatur, maturâ moderatione præverteret, misit ad eos foras, rogavitque ut sedato pectore in synodum regrederentur, se, quum primum opportunitas arrisisset Romam missurum, & Dominum Apostolicum, si quâ posset ratione, ab hac sententiæ austeritate deducturum. Anno sequenti *Archiepiscopus Moguntinus synodum Moguntiæ congregavit, ubi inter alios Episcopos, qui convenerant, aderat Curiensis Episcopus, Apostolicæ sedis litteras & mandata deferens, quibus eis sub interminatione gradus & ordinis sui præcipiebat, sicut anteà quoque multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes, qui intra suam diœcesin essent conjugati, cogeret, aut impræsentiarum conjugibus renuntiare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exsurgentes qui undique assidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & pedibus & totius corporis gestu in eum debacchabantur, ut se vitâ comite synodo excessurum desperaret: sic tandem rei difficultate superatus, statuit deinceps tali quæstione omnino supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum quando & quomodo vellet, peroraret.* Hæc omnia Lambertus.

Marianus Scotus, qui eodem tempore Moguntiæ vixit, & Chronicorum libros 3. scripsit, ab initio mundi ad an. C. 1083: *Hildebrandus interdixit presbyteris, diaconibus, omnibusque Clericis uxores habere.* Idem anno

anno sequenti: *Plures Clerici sub sententia Interdicti Apostolici libentius esse voluerunt, quam fœminis & uxoribus carere. Sed ut per alios castigarentur, decrevit Papa synodicâ legatione etiam hoc anno, ut nullus Christianus audiret missam conjugati presbyteri.*

Sigebertus Gemblacensis qui ferè eodem vixit tempore; nam mortuus est an. C. 1112. tempore Paschalis. *Gregorius Papa celebratâ synodo simoniacos anathematizavit, uxoratos sacerdotes à divino officio removit, & laicis missam eorum audire interdixit; novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato judicio, contra sanctorum patrum sententiam, qui scripserunt, quod sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet & Chrisma, corpus & sanguis Christi, spiritu sancto latenter operante, eorundem sacramentorum effectum habere, seu per bonos seu per malos, intra Ecclesiam Dei dispensentur. Inde quia Spiritus sanctus mysticè illa vivificat, nec meritis bonorum dispensatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur.* Et: *Porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo caussâ quæstus ac jactantiæ simulantibus; multis incontinentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus; ad hoc opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus, Laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro oleo sacro & Chrismate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum & usitatum obsequium Ecclesiæ sepulturæ à presbyteris conjugatis accipere parvi pendunt, decimas presbyteris deputatas igni cremant, & ut in uno cætera perpendas: Laici corpus Domini à presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcaverunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra jus & fas gesta in Ecclesia sunt, & hâc occasione multi pseudo-magistri exsurgentes in Ecclesia, profanis novitatibus plebem ab ecclesiastica disciplina evertunt.* Hæc & similia habent Matthæus Paris, Vincentius Bellovacensis speculi historici lib. 26. cap. 54. & Antoninus summæ historicæ titulo 16. cap. 1. sectione 21.

Horribiles profanationes.

Bellarminus libro de script. Eccles. ad an. 1200 dicit Sigebertum hunc *Gregorio VII fuisse iniquiorem, & eâ de causa non pauca mentitum,* quem loquendi modum ego sæpe admiror in viris tam magnis, tam doctis, nam didicisse fideliter artes emollit mores. Et tamen idem Bellarminus ibidem ita loquitur: *Scripsit quoque* (Sigebertus)

ut ipse testatur, librum contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum presbyterorum, qui liber periisse videtur, & jure, indignus enim erat qui lucem aspiceret: neque enim Gregorius VII, in cujus odium liber ille scriptus erat, reprehenderat missas conjugatorum presbyterorum, sed missa concubinariorum presbyterorum; neque vetuerat Gregorius Missas ejusmodi concubinariorum audiri, quod existimaret illas non esse veras Missas, sed quod judicaret concubinarios indignos esse, qui Missam celebrarent, & qui à fidelibus populis frequentarentur. Inter illius opuscula, unum invenitur contra epistolam Gregorii VII, ad Episcopum Metensem, & alterum contra epistolam Paschalis secundi. Hęc Bellarminus. Et tamen prohibuit Gregorius, ne missas dicerent presbyteri cõjugati, easq; audiret populus.

Audiamus Joannem Aventinum an. C. 772. num. 12. annalium Bojorum lib. 5. *Hildebrandus, qui & Gregorius VII, sacerdotibus connubia interdixit, & vetat populum sacrificiis eorum interesse, aut illos pro sacerdotibus ducere. Gratißima hac fuere scortatoribus, quibus pro una uxore sexcentas mulierculas inire licebat. Sed istac omnia plerisque Episcopis aliis, eruditis, simplicibus, apertis atque bonis, prater conjuratos, qui sua causse serviebant, novum dogma, pestifera haresis, qua unquam Christianum conturbassent regnum, visa est.* Et paulò post: *pleriq; omnes boni, aperti, justi ingenui, simplices, tum imperium Antichristi cœpisse quod ea qua Christus servator noster tot annos antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoria literarum prodidere.* Plura alii. Nos, quę lectione observavimus, contra hoc Gregorii decretũ paucis adnotabimus. In sacra scriptura non prohibetur matrimoniũ, & ubi non est lex, non est trangressio legis, sed suadetur ab Apostolo Paulo. *Propter stupra vitanda suam quisq; uxorem habeat, & suum quaq; virum.* Inter canones Apostolicos quintus hic est: *Episcopus aut presbyter aut diaconus suã uxorẽ non ejiciat caussa religionis, si verò ejicit à communione pellatur: persistens ordine removeatur.* Vide in hunc Canonem commentarium Zonaræ.

In Concilio Nicæno permittitur Clero conjugium, de quo audi verba Socratis lib. 1. cap. 8. *Visum erat*, inquit, *Episcopis* (Concilii Nicæni) *legem novam in Ecclesiam introducere, ut sacris initiati, Episcopi videlicet, presbyteri & diaconi cum uxoribus, quas in statu laico duxissent, non dormirent. Cum autem hac de re consultatio instituta esset, in medio Episcoporum consessu surgens Paphnutius, vehementer clamabat: grave jugum consecratis viris non esse imponendum, dicens honorabile esse cubile &*

con-

conjugium impollutum, videndumque, ne nimis exquisita vitæ studio Ecclesiam gravi incommodo afficerent: neque enim omnes ejusmodi rigidam, quæ humanos affectus excludat, disciplinam sustinere, nec castimoniam æquè à singulorũ uxoribus servari posse. Castimoniam verò vocabat legitimæ uxoris usum: sufficere si, qui prius in clerum allectus sit, quam uxorem duxerit, in posterum à nuptiis juxta veterem Ecclesiæ traditionem abstineat, nec quempiam ab illa, quam laicus duxerit, sejungi oportere. Et hæc dixit Paphnutius inexpertus nuptiarum, imò, simpliciter ut dicam, fœminarum: A puero enim in asceterio educatus & propter castimoniam, si quisquam alius, admodum celebris erat. Totus itaq; sacer conventus verbũ Paphnutii assensum præbuit. Quapropter hanc quæstionem sopiverunt, cujusque arbitrio abstinentiam ab uxoris consuetudine permittentes. Eadem habet Sozomenus lib. 1. c. 22. *ubi Paphnutius consuetudinem virorum cum suis uxoribus continentiam vocat.* Quantus autem vir fuerit Paphnutius declarant Socrates, Sozomenus & præcipuè Ruffinus his verbis: *Fuit in concilio Nicano Paphnutius, homo Dei, Episcopus ex Ægypti partibus, confessor ex illis quos Maximinus dextris oculis effossis & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum, non minus quam dudum per Apostolos, fierent. Nam & dæmones verbo tantum fugabat, ægros sola oratione curabat; sed & cæcis dicitur visum reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporis revocasse. Quem Constantinus in tantâ veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum intra palatium vocatum complecteretur, & ejus oculum, qui in confessione fidei fuerat evulsus, exoscularetur. Interfuit quoque Concilio Nicæno Spiridion Trimethuntis in Cypro Episcopus, uxorem & liberos habens,* ut inquit Sozomenus, *nec tamen eam ob caussam ad peragenda divina deterior, sive,* ut Cassiodorus in historia sua tripartita, *in rebus divinis minor*; Ruffino est *vir unus ex ordine prophetarum, quantum etiam nos ex eorum, qui eum viderant, narratione comperimus.* *Sozomen. l. 1. c. 11. Cassiodor. lib. 1. c. 10. Ruffin. l. 1. cap. 5.*

Post Concilium Nicænum celebrata est synodus Gangrensis cujus Canones magnæ fuerũt authoritatis tam apud Occidentalem, quam Orientalem Ecclesiam. Habita hæc fuit contra Eustatium ejusque asseclas Gangræ, Metropoli Paphlagoniæ. *quam vide part. 1. pag.* 392. En duos canones Eustatianorum erroribus oppositos. Primus est: *Si quis nuptias vituperat, & dormientem cum suo viro fidelem*

ac religiosam detestatur & criminatur, quasi regnum Dei non possit ingredi, anathema esto. Quartus hic est: *si quis separatur aut se segregat à presbytero conjugato, quasi non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema est.* Duplex hæc est Eustatianorum hæresis; primò conjugium esse rem malam, fœdam, sacroque ministerio indignam; deinde presbyteros conjugatos rejici, sive, quod idem est, uxores presbyteris, & presbyterium uxoratis adimi oportere. Utrumque Gangrensis synodus anathemate feriit. Ex veteris Ecclesiæ praxi Gregorius Episcopus Nazianzenus, pater Gregorii Theologi etiam Episcopi, habuit suam Nonnam; Gregorius Episcopus Nyssenus, frater Magni istius Basilii, suam Theosebiam; Paulinus, sanctus & nobilis ille Episcopus Nolanus, suam Therasiam; Aper Amandam. *&c.* Consule canones Concilii œcumenici sexti in Trullo, & præcipuè canonem 13 apud Binium & alios, idque postquam Siricius & Innocentius Papæ primò conjugium Clero interdixerunt an. C. scilicet 391. & 404. Miror inter cætera, quare tam obstinato rigore vetuerint matrimonia Clericorum præcedentes Pontifices, & præcipuè Gregorius, cum eos non lateret tetra illa cleri ejusdem temporis libido, quam in suo Gomorrhæo clarè describit Petrus Damiani, quem ex bibliotheca Vaticana nobis promit Baronius, cujus meminimus an. C. 1048 sub Papa Leone IX, & cui horrendo malo remedium à Leone IX quærit idem Petrus Damiani, quod cum conjugium esse potuisset (*nam melius est nubere quam uri*, ex præscriptione Pauli) interim in tam flagranti & abominabili morbo non negligitur, sed rejicitur & prohibetur remedium ab ipso Gregorio VII, sub pœna excommunicationis: cum illis, meo quidem judicio, potius dicendum fuisset, ut, aut matrimonium contraherent, si se non possent continere: aut se continerent, si uxorem ducere nollent. *Tolle de Ecclesia honorabile conjugium & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus & omni denique genere immundorum?* Bernardus super Cantica serm. 66. *Sed ne contra nostrum institutum res potius videamur definire, quam earum initia prodere: illud tamen dixerim tantum abfuisse, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali religioni*

ligioni, plus doloris omnibus bonis attulerit, impresserit, inusserit, quam sacerdotum libidinis labes. Proinde forsitan tam è republica Christiana, quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur, quod illi sine infamia sanctè potius colerent, quam se spurcissimè ejusmodi naturali vitio turpificarent. Polydorus Vergilius de invent. rerum lib. 5. cap. 4. Hujus sententiæ etiam fuit Papa Pius secundus, qui apud Platinam affirmat *sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, majori verò restituendas.* ut alibi etiam diximus.

Miror præterea Hildebrandi non satis circumspectam severitatem, qui, cum Mathildem semper habuerit etiam in itineribus individuam comitem, quæ eum miro colebat affectu, ut ex Lamberto paulò ante intelleximus, interim tamen legitima sacerdotum seu Clericorum conjugia tanto animi rigore prohibere auderet. An non debuisset ille cautior se ab omni mali suspicione in hoc rerum statu servare, quam evitare non poterat in tanta utriusque familiaritate & vitæ societate? Walramus Naumburgensis de Hildebrando locutus, *propter frequens*, ait, *cum Mathilda & familiare colloquium generavit plurimis scæva suspicionis scandalum.* Vide Apologiam pro Henrico 4. lib. 2. cap. 36. Longè prudentius actum videtur à Julio Cæsare, qui cum uxorem repudiasset, & testis vocatus nihil sibi compertum, quæ Clodio de Pompeja Cæsaris uxore objicerentur, diceret; quærenti accusatori, quare igitur uxori nuntium remisisset, respondit: *Et domum meam à suspicione liberam volo.*

Hoc tempore Colonienses rebellarunt contra suum Archiepiscopum Annonem, & populus magno impetu irrumpens in Ecclesiam, eum occidisset, nisi auxilio occultę fugę sibi consuluisset. Lambertus Schafnaburgensis rem gestam describit an. 1074.

Redeamus ad synodum à Gregorio VII Romæ celebratam, in qua post vetitum Clero conjugium, Robertus Guiscardus Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux, cum suis fautoribus, quo usque resipiscerent, excommunicatur & anathematizatur: de quibus sic Leo Ostiensis: *Robertus Campaniam expugnaturus ingreditur; ista ubi Gregorio Papa nuntiata sunt, collecto exercitu adversus eos ire disposuit &c.* sic subinde animum militarem ostendit Gregorius.

Imò etiam finito cum Normannis bello Gregorius omnes Chri-

Christianos, se duce, ad expeditionem in Orientem invitat, pro utriusque tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ unione, tum pro reductione Armeniorum à recta fide aberrantium, ut præ se ferebat. *At quo stipendio*, inquit Baronius, *conduxerit auxiliares copias Pontifex audi*: *Certus esto*, inquit, *quoniam te & omnes, qui tecum in expeditione fuerint fatigati, duplici, imò multiplici remuneratione (ut credimus) Petrus & Paulus principes Apostolorum donabunt. sed quamvis ultra* 50 *millia militum parata haberet*, ut inquit Gregorius, fervor tamen ille, seu verus seu simulatus brevi evanuit.

Hoc eodem anno petitione Gregorii VII. & consentiente Rege Sancio, Officium Romanum recipiunt Arragonenses, cum antea usi essent Officio Mozarabico. Quare scribit ad Sancium, eumque laudat pro recepto officio Romano in Arragonia Gregorius, & inter cætera regi adversus hostes *operâ B. Petri Apostoli victoriam promittit, quem Dominus Iesus Christus rex gloriæ, principem super regna mundi constituit &c.* Idem petiit ab Alphonso Hispaniarum Rege idem Papa, cui in illum finem *dono misit claviculam auream, in qua de catenis B. Petri benedictio continebatur &c.* quod cum negaret Rex, ægrè tulit Gregorius vir animosus, ut videre est ex ejusdem epistolis apud Baronium.

Baron: ad an. 1080. Rerum Hispanicarum scriptores quidam negant quidem regem Officium aut ordinem Romanum, dimisso Gothico, ut loquitur Baronius, suscepisse; probare tamen id conatur idem ex epistola Gregorii ad Alphonsum VI. Hoc officium apud Hispanos vocatur Mosarabicum à Sancto Isidoro compositum, & voce depravatâ sic dictum. Dicendum enim erat Mixtarabicum, quod servabant Christiani in Hispania sub Saracenis, mixti cum Arabibus. Hoc officium, etiam dictum Toletanum, assumpto officio Romano, se relicturum Gregorio promiserat Alphonsus; resistunt Regi Regni proceres. Ut tamen staret promissis Rex, quæstionem finiri petiit duorum nobilium pugnâ. Cum Regius pro Romano, Procerum nobilis pro Mosarabico pugnaret, cadit in pugna Regius. Rex alium probandi modum proponit, nimirum ut utroque officio in ignem conjecto, id quod non combustum esset, susciperetur. Hàc conditione concordes ad preces singuli se conferunt, & Romano flammis

mis absumpto, Mozarabicum illæsum repertum est. Rex nihilominus promissis Pontifici devinctus, prohibet Mozarabicum, suscipi jubet Romanum, quod & Gallicanum Officium dictum, idque constitutâ pœnâ capitis. vide Roderici Archiepiscopi Toletani lib. 6. c. 25. & 26. sed nihil hac de re Baronius. *Interim tamen retenta est illa missa Arabum tum Toleti in sex Parochiis & in Cathedralis Ecclesiæ sacello, quod fratris Francisci Ximenes dicitur: tum etiam Salamanticæ diebus statû in sacello doctoris Talabricensis, quod est in summi templi peristylio.* Verba sunt Vossii, tertiâ dissertatione de symbolis. Vide de mutato usu Officiorum an. C. 397.

Romæ denuò synodus habetur, in qua Philippus Rex Francorum, Robertus Dux Apuliæ, & quinque ex familia Imperatoris excommunicantur. Episcopi autem Bremensis, Argentinensis, Spirensis, Bambergensis, Papiensis, Taurinensis, suspenduntur, Placentinus deponitur, &c. Gregorius autem eodem hoc anno à Cincio Præfecto Romano à Papa excommunicato, capitur & carceri includitur, sed per populum Romanum liberatur. *Lambertus.* A.C. 1075.

Hoc anno inter Hildebrandum Papam & Regem Henricum, ut inquit Walramus Naumburgensis Episcopus, aut potius auctor Apologetici operis de Unitate Ecclesiæ, qui tamen Gregorio non satis æquus fuisse visus est, *graves ortæ sunt atque inexorabiles discordiæ, Papâ plurimum adnitente, ut Rex deponeretur à Regia potestate pariter & dignitate: rege verò contranitente ut se defenderet ab hostium suorum circumventione, qui pro Papa ejusdem parte decertantes quærebant eum opprimere. Exinde divisa est Ecclesia, & divisa sunt Ecclesiæ sacerdotia, atque omnia scandalorum orta sunt genera. Exinde crevit grave & diuturnum bellum & non solùm civile, sed plus quam civile bellum, & factæ sunt absq; divino pariter atque humano respectu vastationes Ecclesiarum & cædes hominum: exinde etiam corruptæ sunt divinæ pariter atq; humanæ leges, sine quibus non subsistit vel Dei Ecclesia vel Imperii Respublica, & exinde violata est fides & publica & Catholica. Exinde etiam illa crevit injustitia, ut pro veritate falsa testimonia, & pro fide catholica abundent perjuria: ut postquam leges bello siluêre coactæ, impleatur jam ista Domini sententia per Oseam Prophetam: Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundarunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Idem paulò post: *Ecce quidam Episcopi secesserunt in partē Hildebrandi habentem eam* A.C. 1076.

pluris pretii quam universitatem Catholicæ Ecclesiæ Dei: ex quo factum est seminante inimico homine in agro dominico multorum scandalorum zizania, ut in Episcopiis eorum fierent non jam baptisteria, sed homicidia: non sacri chrismatis consecratio, sed humani sanguinis effusio: non alia qualibet Christi & Ecclesiæ sacramenta, quæ solent fieri per Episcopos Dei, sed execramenta, quæ solent fieri per ministros diaboli: qui (sicut sanctus Cyprianus Episcopus scribit). videns idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos, hæresesque invenit & schismata, quibus subverteret fidem, corrumperet veritatem, scinderet unitatem. Denique (inquit auctor paulò post) *ipse Diabolus videtur nunc de carcere suo solutus esse; postquam, sicut scriptum est in* Apocal. 20. 7. 8. *Apocalypsi, exivit nationes seducere & in bellum trahere, quas antea modis, quibus poterat, per multa mala & varia seducebat.*

Sed antequam quæstionem inter Gregorium Papam & Henricum Imperatorem ortam, quâ alter alterum excommunicat, & omni ignominiâ afficit, referam, audiamus quid de hoc Henrico dicat *In historia Guilielmi I. Anglorum Regis.* Guilielmus Malmesburiensis, *sexagies*, inquit, *& bis acie collatâ dimicasse traditur, neque ineruditus neque ignavus, sed fato quodam ab omnibus ita impetitus, ut rem religionis tractare videretur, quisquis in illum arma produceret.* Contra vero, ut scopum & consilia Papæ Gregorii cognoscas, vide ipsius scripta, & inter ea ejusdem dictatus, ut vocat, seu sententias breviores, quibus, Dictatoris instar, animum suum toti mundo luculenter patefecit; *qui sunt, quasi totidem* στοιχεῖα *& elementa doctrinæ Hildebrandinæ,* inquit Casaubonus, *digna*, Baronii judicio, *quæ in omnibus angiportis proponantur.* Inveniuntur lib. 2. post epistolam 55. tomo 3 Conciliorum, editionis Binii, parte 2.

Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.
Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.
Quod ille solus possit deponere Episcopos.
Quod illi soli liceat novas condere leges.
Quod solus possit uti Imperialibus Insigniis.
Quod solius Papæ pedes omnes deosculentur Principes.
Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.
Quod unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet.
Quod illi liceat Imperatores deponere.

Quod nulla synodus absque ejus præcepto sit generalis.

Quod sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

Quod à nemine ipse judicari debeat.

Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant.

Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, scriptura testante, errabit.

Quod Romanus Pontifex canonicè ordinatus meritis S. Petri sit sanctus.

Quod Catholicus non habeatur qui non concordat Rom. Ecclesiæ.

Quod à fidelitate subjectos iniquorum Regum potest absolvere. Hactenus Gregorius de privilegiis Romani Pontificis & Apostolicæ sedis, inquit Baronius, *quorum major pars,* ut inquit Onuphrius Panuinus, historiarum ille helluo, ut eum meritò vocat P. Manutius, *antea parum in usu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum unquam attentata, quibus gradum sibi fecit & viam ad ea omnia quæ animo conceperat peragenda.* Verè Onuphrius, sed unde ea privilegia probabit Baronius? Ex ejusdem Gregorii epistola fortè ad Herimannum Episcopum Metensem lib. 8. cap. 21. *qui præ cæteris ultra montes positis Episcopis, semper adversus schismaticos pro Apostolica sede stetisset defensor acerrimus,* ut ait Baronius, *& à Gregorio doceri cupiebat, quibus rationibus ea Regum excommunicatio defendi posset. Lectu digna epistola: nam præter paralogismos, sophismata, ignorantiam priorum temporum & seculi illius cæcitatem,* ut ait Casaubonus exercit. 15. cap. 14, nil videbis. Ut probaret se jure Henricum Imperatorem excommunicasse, subditosque ejus à sacramento fidelitatis absolvisse, his Christi verbis, tanquam argumento Achillæo, utitur: *Tu es Petrus &c.* Sed cui unquam Patrum tam Græcorum quam Latinorum tale quid in mentem venit in explicatione hujus loci? quid magis alienum à Christi & Apostolorum doctrina & humilitate? quid magis contrarium simplicitati lenitati & pietati primitivæ Ecclesiæ? Interim tamen Gregorius ad Herimannum fieri id probare conatur jure divino, allatis, ut dixi, verbis, Petro à Christo dictis, *Tu es Petrus* &c. &. *Tibi dabo claves cœli* &c. Matth. 16. *quam doctrinam* dicit *à Patribus cognitam & confirmatam, usuque receptam, ut prædecessores Pontifices, Imperatores & Reges excommunicaverint & Regno privaverint.* Sic loquitur Gregorius, sed

Vide Rom. 13. 1.

fecus Otto Frisingensis, juxta Baronium scriptor eruditissimus, & Sanctus Episcopus: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquā ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum.* Neque ita solus Frisingensis judicat, sed & Godefridus Viterbiensis. *Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem à Romano Pontifice excommunicatum.* Joannes Aventinus: *Hildebrandus, qui & Gregorius VII, primus Imperium Pontificium condidit, quod successores per CCCCL. annos continenter, invito mundo, invitis Imperatoribus, adeò auxêre, ut inferos, superos, in servitutem redegerint, & sub jugum miserint.* Omittere non possum, quin addam insignem ejusdem jamjam citati Onuphrii Panuini locum, qui in vita Hildebrandi à Gretzero edita, ita scribit, ipse Pontificiæ potestati addictissimus: *Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam Christianæ religionis capita Christique vicarii & Petri successores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur, de iis judicare vel discernere non audebat quicquam Romanus Papa. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiâque Germanorum Principum, bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contemptâ Imperatoris auctoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dicam excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ea secula inaudita: nam fabulas quæ de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror: satisque hinc apparet eos Reges atque Imperatores, qui justa injustave de caussa censuris istis positivis se subtrahunt, divino judicio relinquendos.* Hactenus Onuphrius. Auctor vitæ Henrici hæc habet: *Hildebrandus absolvit omnes à juramento qui fidem Regi juraverant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit (si cui displicere liceret, quod Apostolicus fecit) & adferebant tam inefficaciter quam illicitè factum, quod factum est. Sed non ausim*, inquit, *assertiones eorum ponere, ne videar cum iis Apostolici factum refellere.* Auctor iste Henricum summopere laudat, auctorem verò Baronius rejicit, imò & Reinacium quondam Academiæ Helmstadiensis historicum vehementer, pro suo more perstringit, ob

Chron l. 6. cap. 35.

Chronic. par. 17.

Annal. Bojor. lib. 5. Anno 772. num. 22.

Eadem habet Ioan. Aventinus lib. 5. ut vidimus.

ob curatam hujus auctoris editionem, cusam Francofurti anno 1581, cum anno 1530 eandem Henrici vitam in fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum Coloniæ ediderit & Johanni Helmanno, legum Licentiato, artium Professori, & Coloniensi patritio inscripserit Ortuinus Gratius: & anno 1532. Ioannes Hervagius Basileę, cum aliis dedicatam Beato Arnoaldi Caroli V. Imperatoris Secretario. *Sed non ausim*, inquit illę anonymus auctor, *adsertiones eorum ponere, ne videar cum iis Apostolici factum refellere.* Sed quod non ausus fuit ille bonus Anonymus, non veritus fuit proferre Joannes Aventinus l. 5. Annalium Bojorum, quem audi: *Plerique*, inquit, *tum privatim tum publicè indignum facinus clamitant; pro concione Gregorio maledicunt, Hildebrando malè precantur, ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, AntiChristum esse prædicant. Pietatis sub specie (inquiebant) debacchatur & honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi agitat. In Babylonia, in templo Dei sedet, super id quod colitur extollitur, quasi Deus sit, se errare non posse gloriatur; in excolenda gloria sua, pertinaci spei atque concupiscentia Imperatoris suo arbitrio constituendi se devovit. Homines non peccatis, sed lege Christi atque sacramentis solvit, pacem atque pietatem religionis nostra labefactat, bella & seditiones concitat, stupro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non solum ad ambitionem suam occulendam fabulas comminiscitur, annales corrumpit, res gestas invertit, sed etiam cœlestia oracula adulterat; divinas litteras falsò interpretando suæ libidini servire cogit, sacram historiam lacerat, inter mulierculas de sacris Philosophatur litteris. Quidquid dixerit, legem Dei putat; ad aviditatem suam, incongrua conquirit testimonia, sententias depravat, ad voluntatem suam scripturam trahit repugnantem. Nimium sibi de Pharisæorum supercilio sumit, ut quosq; damnare vel solvere arbitretur, cum apud Deū non sententia sacerdotis, sed vita hominis quæratur. Præterea Hildebrandus ille, divinæ majestati refragatur. Christianissimo Principi divinitus constituto & à Deo inaugurato, resistit. Versutus, fallax, obscurus, callidus, imperiū orbis titulo Christi sub ovina pelle ambit. Alios pecudes, ignavos, stultos, stipites, caudices, asinos qui ejus sycophantias vaframētaq; non intelligūt, putat. Huc omnes nervos intendit, ut duce gregis oppresso, in ordinēq; redacto, in oves desertas præsidio Imperatoris licētius impuniusq; grassetur. Si omnis potestas à Deo data est, maxi-* Rom. 13. 1.

Ioan. 6. 15. *ma quoque nempe Cæsarea ab eo fit necesse est. Christus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & duos de hereditate ambigentes, qui*
Luc. 12. 13. *eum arbitrum ceperant, ad Cæsarem cui Imperium orbis terrarum com-*
Matth. 22. 21. *missum est, ablegavit. Pontificibus quoque Iudaorum præcipit*, Reddite
Matth. 17. 27. quæ sunt Cæsaris Cæsari; *cui vectigal solvit, tributum pendit, censum dedit. Idem nos D. Petrus docet:* Deum timete, Regem honore afficite.
1 Pet. 2. 17. *D. Pauli præceptum est*; fidem Regi servate. *Quod si quispiam cœlitum aliter docuerit, devotus esto. Flagitium hujusmodi Hildebrandi inexpiabile, scelus hactenus inauditum, procul ab orbe Germano abigendum, ense, (quem Imperator supremus ad vindictam malorum Cæsari tradidit) resecandum: lupus sub ovina pelle saviens, ferro tollendus: Septimus ille non verbis & disputationibus, sed vinculis & carcere coërcendus est.* Hactenus Aventinus, sed parum æquus Gregorio.

Jam vidimus novam Hildebrandi doctrinam, quam Baronius omni tempore & loco & modo astruere, & quocunque potest fulcro, stâtuminare conatur; imò id solum ei videtur propositum, in vasto illo Annalium Oceano. Sed audiamus Tertullianum lib. præsc. cap. 32. *Ipsa eorum doctrina cum Apostolica comparata, ex diversitate & contrarietate sua, pronunciabit neque Apostoli alicujus esse neque Apostolici*; & Cyprianum epist. 74. ad Pompejum. *Unde est ista traditio? utrumne de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis ac epistolis veniens? ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur, & proponit ad Iesum Nave, &c.* & Augustinum tract. 45. in Ioannem: *Sedendo supra cathedram Mosis, legem Dei docent, ergo per illos Deus docet: sua vero si velint docere, nolite audire, nolite facere.* Et Joan. Gersonem tractatu de vita animæ spirituali. *Legislator*, ait, *noster Christus, utique sapientissimus, judicialia omnia tanquam variabilia reliquit illorum judicio, quibus dixit: qui vos audit me audit; ita tamen ut noverint se positos ad ædificationem non ad destructionem, & ut secundum legem Dei, quæ regula est generalis omnium religionis Christianæ professorum, sub uno Abbate Christo, ipsi judicent, eam non ampliantes neque restringentes, neque duriorem facientes, quam expresserit Christus, qui jugum suum dixit esse suave & onus leve: non enim plus habent in potestate prælati Ecclesiæ ligare subditos ad aliqua, quæ non sunt tradita in lege Euangelica, professa ab omnibus Christianis, quam habent*

bent Abbates super religiosis suis ad obligandum eos, præter regularem professionem suam: de quibus tamen est sententia S. Thomæ & aliorum doctorum concorditer, quod non potest abbas Monacho præcipere aliud, quam in regula sua professus fuerit. Addam S. Agobardi locum in opusculo de privilegio & jure sacerdotii. Primùm enim dignitate sacerdotis multis, ut decebat, commendatâ & stabilitâ. *Quis enim*, inquit, *ut ait S. Hieronymus ad Heliodorum, non revereatur eum, qui Domini corpus ore conficit?* Demum addit: *Ita tamen si sacerdos docuerit ea, quæ Dominus. Quid est enim quod dicit, facies quæcunque docuerint te Sacerdotes juxta id quod præcepi eis.* Levit. cap. 13. *Nam si sacerdos aliud docuerit, quam Dominus jussit, quisquis ei auscultaverit, leprosus leprosum sequitur, & cæcus cæcum, & consequenter ambo de castris expellentur, amboque in foveam cadent. Non ergo aliud dicat sacerdos nisi quod Dominus præcepit, ut salubriter audiatur. Sic & Ezechieli Dominus loquitur cap. 2. Audies ex ore meo sermonem & adnunciabis eis: Ex me audies, inquit, non aliunde, sed ex ore meo, & annunciabis ex me, non ex te: Quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur. E contrario autem omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, & lux veritatis à patre luminum est; nec est ullum bonum aut verum nisi ab eo, qui solus verè naturâ bonus est.*

Tu, si placet, Lector, confer hos Gregorii Papæ dictatus cum placitis S. Scripturæ, & doctrinam Apostolicam & mores primitivæ Ecclesiæ, cum canonibus Gregorii VII. & moribus aliquot præcedentium seculorum.

Hoc unum tantum addam. An. C. 880. Johannes Papa VIII. permittit Moravensibus linguâ Slavonicâ Missas canere, additis solidis rationibus: Idem hoc negat Vladislao Duci & Bohemis an. C. 1080 Gregorius VII. lib. 7. ep. 11. hâc ratione: *Non immeritò*, inquit, *Deo omnipotenti placuit, Sacram scripturam quibusdam in locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret: fortè vilesceret & subjaceret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ à Sanctis Patribus postmodum firmatâ Christianitate, & religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.* Baronius.

Vides

Vides caussam novæ Theologiæ & quare ignoti fuerint prędicti Gregorii dictatus, magnis Basiliis, Gregoriis, Chrysostomis, Ambrosiis, Hieronymis, Augustinis, *&c.* Tu lector judica.

Ego saltem fateri debeo, me nil simile quid cum Dictatis Gregorii VII, apud quempiam veterum scriptorum comperisse: fuerunt quidem inter majorum civitatum Episcopos aliqui, qui dignitatem suam supra modum extollere voluerunt: sed nunquam ad hoc fastigium devenerunt, ut tam in secularibus quam spiritualibus supremam potestatem in omnes se possidere dicerent. Audiamus paucis quid ea de re præceperint primi Ecclesiæ Romanæ auctores, Petrus & Paulus, quamvis *à solo Domino fundatam dicat Ecclesiam Romanam* primo in dictatibus loco Gregorius VII. Petrus epist. primâ cap. 2. ad Judæos sparsim incolentes gentium regiones sic loquitur; *Subditi estote cuivis humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi, tanquam præcellenti, sive præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium.* Et: *fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.* Idem epist. 2. promiscuè omnes Christianos adhortans ad vitæ puritatem, & veterum exemplis ac terrore judicii extremi deterrens à turpibus: vehementer insectans eos, qui simplicium animos perversâ doctrinâ corrumperent: *Pascite quantum, in vobis est*, inquit, *gregem Christi, curam illius agentes non coactè sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: neque ceu dominium exercentes adversus cleros, sed sic sitis, ut exemplaria gregis: humilitatem animi infixam vobis habete; propterea quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Paulus ad Rom. 13. Omnis anima *potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.*

Ioan. 19.11. *Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis damnationem accipient: nam Principes non sunt terrori benè agentibus sed malè. Vis autem non timere? potestatem, quod bonum est facito & feres laudem ab illa. nam Dei minister est: ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram verum etiam propter conscientiam?* Et: 1. Tim. 2. 1. *Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam ac quietam vitam*

tam

tam degamus cum omni pietate & honestate. Videamus etiam quid habeant priscæ Ecclesiæ patres. Irenæus lib. 5. *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur, apti his qui illo tempore regnantur.* Sic loquitur Tertullianus ad Scapulam: *Disciplinâ nostrâ jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro iis, qui nos persequuntur, ut hæc sit perfecta bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.* Et idem: *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur & honoret & salvum velit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum & solo Deo minorem: sic & omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* Et Apologet. 32. *Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. id in eis scimus esse, quod Deus voluit: ideòq; & salvum esse volumus, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.* Sed scriptores Christianos in hunc finem producere quid opus est, cum exstent Constantini, Theodosii utriusque, Honorii, Marciani, Justiniani, & aliorum in eum sensum plurima acta, hisce Gregorii dictatis contraria? Hoc probat in præfatione lib. 5. Socrates: *Ex quo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab illorum nutu dependerunt.* Nec mirum, *nam*, ut loquitur Optatus Milevitanus lib. 3. *Non est Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia est in Republica, id est, in imperio Romano.* Vides Imperatoris auctoritatem in Ecclesiasticis, quod etiam ex historiarum lectione unicuique manifestum esse potest.

Quare paucis videamus quâ humilitate Mauritium Imperatorem alloquatur Gregorii VII, prædecessor, Gregorius Magnus, ejusdem nominis primus, an. C. 593, qui non semel *se indignum Mauritii famulum* appellat, *& se jussui ejusdem subjectum* fatetur, lib. 4. ep. 31. qui præterea titulum universalis Episcopi, tanquam *stultum arrogantem, scelestum, Diabolicum* rejicit, & soli Christo convenire affirmat; quem tamen soli Pontifici Romano tribuendum inter suos Dictatus statuit Gregorius VII. Vide qua humilitate in suis epistolis Constantinum Pogonatum alloquatur Papa Agatho an. C. 681, Concilii œcumenici sexti Act. 4. & Paulus I, & Stephanus IV Pipinum, Hadrianus I Carolum Magnum. Vide quid Eginhardus,

Ado, Rhegino, Annales Fuldenſes, quid tres Annalium Francicorum ſcriptores Anonymi memorent in Hiſtoria, quâ per Leonem III corona Imperatoria Romæ imponitur Carolo Magno, Pipini filio, quo facto cum *Dominus Apoſtolicus more antiquorum Principum adoravit*, &, ut Poëta inquit:

Poſt laudes igitur dictas & ſummus eundem
Præſul adoravit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis. &c.

Et tamen *ſolius Papa pedes ab omnibus principibus oſculandos*, more Imperatorum Paganorum Caligulę, Diocletani &c. illique *licere Imperatores deponere, & ſubjectos iniquorum regum à fidelitate abſolvere*, ſolus & primus docet Gregorius VII. Vide an. C. 800, quomodo paulatim majeſtatem Imperatoriam cum Urbis Dominio acquiſiverit Pontifex Romanus. At hiſce Gregorii ſententiis ſeu dictatis intruditur in Eccleſiam mundus & regimen ad modum ſeculi invadit Eccleſiam Dei. Et tamen *regnum meum non eſt de hoc mundo*, inquit Rex regum Chriſtus. Lege dictata Gregorii, & conſidera quomodo conveniant cum his Chriſti verbis, *Diſcite à me, quia ego ſum mitis & humilis corde &c.* Baſilio ταπεινοφροσύνη ἐστι τῶν ἄλλων ἀρετῶν θησαυροφυλάκιον: Chryſoſtomo, μήτηρ καὶ ῥίζα καὶ τρόφος καὶ ὑπόθεσις καὶ σύνδεσμος τῶν ἀγαθῶν, ut alibi diximus. Priſcæ & purioris Eccleſiæ patribus, viris ſanctiſſimis, doctrina hæc Hildebrandica nunquam venit in mentem, qui millies inculcando ex S. ſcriptura cum omni humilitate docebant pietatem in Deum, fidem in Chriſtum, charitatem erga proximum. Hic Rhodus, hic ſaltus. *Pietas habet promiſſionem vitæ præſentis & futuræ: Apud Chriſtum neque præputium, neque circumciſio quicquam valet, ſed fides per dilectionem operans. Dilectio autem eſt fidei vinculum, finis præcepti, cònſummatio legis.* Sic loquitur Chriſtus, ſic prædicant Apoſtoli, ſic docent vitæ innocentiâ & morte voluntariâ pro fide Chriſti Patres primitivæ Eccleſiæ; qui quo viciniores Apoſtolis, eo fidelius puritatem illius antiquitatis referunt, & quo longius ab iis diſtamus, eò magis à ſinceritate & ſimplicitate doctrinæ, & ſanctitate vitæ recedimus, ut ipſa evincit experientia: nam additis novis his dogmatibus ſeu dictatibus, & fidei infinitis articulis, & inutilibus quæſtiunculis, & neglectis aut fe-

rè

rè contemptis bonis operibus, ad ambitionem, avaritiam, lites, calumnias, bella, horrida bella, & omnia ferè vitia dilabimur & ruimus: & sic sanctum Euangelium, doctrinam Apostolicam, & Ecclesiasticam Patrum Theologiam, perperam in artem novam, litigiosam, difficilem, secularem seu mundanam convertimus. Ad locum Gregorii VII. paulò ante citatum *ex epist.* 11.*l.*7.& ipsos ejus dictatus, sic responderet elegantissimus scriptor Vincentius Lirinensis: *Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, eadem tamen quæ erant permanent. Multum interest inter pueritiæ florem & senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerunt adolescentes: ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit &c. Severunt majores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticeæ fidei semina: iniquum valdè & incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti, subdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum ac consequens est, ut primis atque extremis sibi non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, & nunc laetetur & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur. Absit, ut rosea illa Catholici sensus plantaria, in carduos spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali Paradiso, de cinnamomi & balsami surculis lolium atque aconita proveniant, &c. Fas est etenim, ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est ut commutentur, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant igitur evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum exscindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata enim quâlibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia quasi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? Sed & contra, si novitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac in Ecclesia relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immacula-*

 cula-

culatum: sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antè casta & incorrupta sacrarium veritatis. Sed avertat hoc à suorum mentibus nefas divina pietas, sitque hic potius impiorum furor. Christi verò Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industriâ hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt antiquitus informata, & inchoata, accuret & poliat: si qua jam expressa & enucleata consolidet, firmet: si qua jam confirmata & definita, custodiat. Depositum custodi, inquit Paulus. Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te productam non à te prolatam: in qua non auctor debes esse sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æra supponas. O Timothee, ô Sacerdos, ô Doctor, eadem quæ didicisti ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova.

Hactenus de dogmatibus Gregorii, pergamus ad ejusdem facta, quæ doctrinæ ejus non malè respondent. Referemus ea verbis Lamberti Schafnaburgensis, Monachi Hersfeldensis, *scriptoris horum temporum accuratissimi & candidi, quem non privatus affectus suæ gentis, suique principis valuit à veritate dimovere*, verba sunt Baronii: *fidem tamen ei claudicare in rebus ad controversiam inter Henricum IV. & Gregorium VII. multorum judicium est*, ut loquitur Vossius de historicis Latinis lib. 2. Confer, quæso, Annales Joannis Aventini qui ab altera parte claudicare dicitur cum hoc Lamberto, ut ex utriusque historiæ temperamento, nuda eluceat veritas.

Infirmitatum humanarum ea non est minima, quâ ob partium studium tantoperè abripimur, ut veritati via penitus clausa videatur. Historia optimè quidem à Cicerone testis temporum, lux vetustatis & nuncia veritatis nuncupatur, sed quid consilii, quando per factiones cum principibus ita divisi sunt scriptores, ut, aut odio aut favore seducti, plerumque ea tantum, quæ maximè placent, conscribant. Misera profectò est hominum conditio, quâ voluntas

tas tam inordinatè post se trahit judicium rationis, ut ea tantum velimus esse vera, quæ caussæ nostræ patrocinantur; sic enim sub specie veritatis nostra mendacia posteris obtrudimus. Præterea, fateor, difficile & rarum est, solâ ratione duce, simplicem & ab affectibus liberam scribere veritatem, uti omnes indies experimur: sed ita scribere, ut omnibus hoc factum persuadeas, longè difficilius esse existimo. Tu, Lector si veritatem amas, depone animi impetuosos motus; ego id quantum possum, conor, & manibus pedibusque adnitor: si subinde lapsus fuerim, da aliquid meæ imbecillitati, quam ego non diffiteor.

Diu cum Saxonibus bellum gesserat Henricus, cujus armis cum resistere sæpius victi non possent, Imperatorem de multis sceleribus apud Pontificem accusant: nempe quod crudelius actum esset ab Imperatore cum quibusdam Saxoniæ principibus in bello captis, &c. ex quo Gregorius occasionem imperium invadendi nactus, ut suam potentiam stabiliret, sub pœna anathematis Henrico diem dicit, eumque Romæ adesse jubet. Saxonibus se junxerat Bertholdus, cui Ducatum Sueviæ & Carinthiæ contulerat Henricus III. quosque eidem ademerat Henricus IV. qui Carinthiæ Ducem fecerat Ludolphum cognatum suum, & Sueviæ Rodolphum, Machtildis sororis suæ maritum; qui immemor istius beneficii, instinctu Gregorii VII, Henrico ingratus, imperium affectavit, ut postea Urbanus, post Victorem successor Gregorii Conradum & Paschalis Henricum, Henrici IV. filios contra patrem instigarunt, ad quem redeamus. *Aderant*, inquit dictus Lambertus, *Henrico tum Goslariæ agenti, Hildebrandi Papæ legati, denunciantes Regi, ut secundâ feriâ secunda hebdomada in quadragesima ad synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ objicerentur, caussam dicturus: alioquin sciret se absque omni procrastinatione eodem die de corpore S. Ecclesiæ Apostolico abscindendum esse. Quæ legatio Regem vehementer commovit; statimq; abjectis cum gravi contumelia legatis, omnes qui in Regno suo essent Episcopos & Abbates VVormatiæ Dominicâ septuagesimæ convenire præcipit, tractare cũ eis volens ad deponendũ Romanum Pontificem. Et sanè Episcopi & Abbates amplissimo numero VVormatiæ congressi, eo usque processerunt, ut Hildebrandum Pontificatu indignum judicarent*; idque his verbis, ut habet statutum Imperiale à Goldasto editum: *Dum profanis studes novitatibus, dum magis amplo quam* Vid. Avent. lib. 5.

 bono

bono nomine delectaris, dum inauditâ elatione distenderis, velut quidam signifer schismatis, omnia membra Ecclesiæ (quæ secundum Apostolum quietam & tranquillam vitam ante hæc tua tempora agebant) superbâ crudelitate crudelique superbiâ lacerasti; flammasque discordiæ, quas in Romana Ecclesia diris factionibus excitasti, per omnes Ecclesias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ furiali amentiâ sparsisti. Sublatâ enim, quantum fuit, omni potestate ab Episcopis, quæ eis divinitus per gratiam Spiritus sancti, qui maximè in ordinationibus operatur, collata esse dignoscitur, omnique rerum Ecclesiasticarum administratione plebejo furori per te attributâ, dum nemo jam alicui Episcopus aut presbyter est, nisi qui hac indignissimâ assentatione à fastu suo emendicavit omnem Apostolicæ institutionis vigorem: illamque pulcerrimam membrorum Christi distributionem, quam Doctor Gentium toties commendat & inculcat, miserabili confusione miscuisti: sicque per hæc tua gloriosa decreta (quod sine lacrymis dici non potest) Christi ferè nomen periit. Quis autem illud pro rei indignitate stupeat, quod novam quandam indebitamque potentiam tibi usurpando arrogas, ut debita universæ fraternitati jura destruas? Asseris enim cujuscunque nostrum Parochiani aliquod delictum, ad te vel solâ famâ perveniat, ultra jam non habere quemquam nostrum aliquam potestatem vel ligandi vel solvendi præter te solum, aut eum quem tu specialiter ad hoc delegeris. Quæ sententia quod omnem insaniam excedat, quis in sacris litteris eruditus non videat? &c. Cui decreto non solum Germaniæ & Galliæ multi Episcopi, sed & Italiæ plerique conventu Papiæ jussu Imperatoris habito, postea subscripsere, secundum Onuphrium in vita Gregorii: *positisque S. S. Euangeliis*, ut habet Paulus Bernriedensis in vita ejusdem, *juramento firmaverunt, nullo deinceps modo se Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros*, ita etiam, *ut Episcopos penè omnes in Italia* ab obedientia recessisse conqueratur ipse Gregorius. Pergit Lambertus. *Legatos & litteras postea Romam destinarunt Synodi Episcopi, quibus ei denunciabatur, ut Pontificatu, quem contra leges Ecclesiasticas usurpasset, sese abdicet, sciatque post eam diem, quicquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi. Legati ut jussum fuerat summo conatu iter accelerantes, pridie quam à Papa Romæ synodus indicta celebraretur, Romam ingressi litteras tradunt: tunc cæteram legationem, sicut in mandatis habebant,*

Vide Aventinum.

bant, verbo non minus contumelioso quam scripto exsequuntur. Cæsaris literas cum decreto Episcoporum ad Gregorium in Romana synodo pertulit Rulandus, Clericus Parmensis, hisque verbis Papam affatus est; *Dominus meus Rex, & Episcopi omnes Ultramontani & Italici præcipiendo mandant, ut invasam sedem B. Petri & Romanam Ecclesiam à modo dimittas: non est enim dignum sine præcepto illorum & imperiali dono tantum honorem scandere.* Et conversus clero Romano dixit: *Vobis dicitur, fratres, ut ad futuram pentecostes solemnitatem regio conspectui vos repræsentetis, suscepturi de manibus Regis Papam & Patrem; quia hic non Papa, sed lupus dignoscitur rapax. Ad bujus verba mox Ioannes Portuensis Episcopus, facto impetu surgens, magnâ voce clamavit:* Capiatur. *Et statim ab Urbis præfecto ejusque militibus in ipsa Ecclesia confossus est ille Clericus Parmensis.* Pergit Lambertus: *Papa nihil permotus atrocitate nuntii, posterâ die cum Clerus & populus frequens ad synodum confluxisset, in auribus omnium litteras recitari fecit, & sic cunctis, qui convenerant, Episcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, cum plurimis Episcopis, & inter eos Sigefridum, Archiepiscopum Moguntinum, VVilhelmum Trajectensem Regi carum acceptumque.* Litteræ Gregorii ad Henricum hunc habent titulum: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Henrico Regi salutem & Apostolicam benedictionem, si tamen Apostolicæ sedi, ut Christianum decet Regem, obedierit.* Gregor. lib. 3. epist. 10. Quando anathematis sententiâ Regem perculit, ad omnes Christianos literas dedit, quibus & sententiam excommunicationis addidit. Scriptæ erant litteræ nomine Gregorii *omnibus, qui se cupiunt adnumerari inter oves, quas Christus Petro commisit.* Clausula literarum hæc est: *Qualiter autem aut pro quibus caussis Beatus Petrus anathematis vinculo Regem alligaverit, in chartula, quæ huic inclusa est, plenè potestis cognoscere.* Chartulæ hic est titulus: *Depositio Regis Henrici, filii Imperatoris Henrici, & absolutio omnium, qui ei præstiterunt juramentum.* Excommunicationis hæc sunt verba:

Paulus Bernriedens. in vita Gregorii VII.

Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures nobis &c. Hac itaque fiduciâ fretus pro Ecclesiæ tuæ honore, & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra

tra tuam Ecclesiam inauditâ superbiâ insurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos vinculo juramenti, quod illi fecêre & facient absolvo, & ut nullus ei sicut Regi, serviat interdico &c. Excommunicavit Gregorius non tantum Henricum, sed & plurimos Episcopos Germanos, Longobardos & Gallos. Præterea lib. 4. epist. 3. scribit *omnibus dilectis in Christo fratribus & Coëpiscopis ducibus, comitibus universis quoque fidem Christianam defendentibus in Regno Teutonico habitantibus. Si litteras*, inquit, *in quibus Henricus dictus Rex in sancta synodo, judicio Spiritus sancti excommunicatus est, diligenter perpenditis, quid de eo fieri debeat indubitanter cognoscetis. Ex illis enim intelligitur, cur sit anathematis vinculo illigatus & regiâ dignitate depositus, & quod omnis populus quondam sibi subjectus à vinculis juramenti eidem promissi sit absolutus &c. Non ultra putet sanctam Ecclesiam sibi subjectam ut ancillam, sed prælatam ut Dominam &c. Quod si exigentibus multorum peccatis (quod non optamus) ex corde non fuerit ad Deum conversus,, talis ad Regni gubernacula, Deo favente, inveniatur, qui ea quæ prædiximus, & cætera quæ videntur Christiana religioni, & totius Imperii saluti necessaria, se certâ & indubitatâ promissione observaturum promittat &c.* Hic nota solennè esse Gregorio suam caussam dicere, S. Petri esse, & quicquid ipse fecerit S. Petro tribuere; prorsùs, non quasi ab Hildebrando, sed ab ipso sanctissimo Apostolo profectum esset: vel saltem quasi familiari consuetudine cum S. Petro uteretur, & indies in ipsius consortio versaretur, eoque dictante hæc scriberet: tam stolidos æstimabant Tran-
A. C. 754. salpinos Itali. Haud absimili modo scribebat olim ad Pipinum Stephanus III, Papa; sed diverso animi affectu; nam quantum erat, submissionis apud Stephanum, tantum est fastus & supercilii apud Gregorium. Consule locum & mirare hujus Papæ temeritatem & ingratitudinem, &

Quantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Sub hoc Gregorio denuò mutatur forma regiminis in Ecclesia, quæ in initio fuerat Aristocratica & ex parte Democratica, per Constantinum Magnum facta est Aristocratica tantum; jam verò per Gregorium VII, Monarchica. Sed audiamus de hac mutatione judicium Ottonis Episcopi Frisingensis in prologo lib. 4. Chronicorum, & de Ottone judicium

cium P. Pithœi: *si quis omnia candidius expenderit, facilè judicabit Ottonem plus aliquantum favisse Adriano quam Frederico*; etiam plus Gregorio quam Henrico. *Ego*, inquit Otto, *ut de meo sensu loquar, utrum Deo magis placeat hæc Ecclesia sua, quæ nunc cernitur, exaltatio, quam prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor. Videtur quidem ille status fuisse melior, iste felicior.* Et prologo lib. 7. *Non desunt tamen, qui dicant Deum hoc Regnum imminui voluisse, ut Ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentiâ Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam: constatque non prius eam in tantum regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem Sacerdotii eviscerato ac viribus exhausto, non ejus tantum, id est spirituali, sed suo proprio, materiali scilicet gladio percussum destrueretur: quod judicare vel discutere supra nostras vires est. Videntur tamen culpandi sacerdotes per omnia, qui regnum suo gladio, quem ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur: nisi fortè David imitari cogitent, qui Philistæum primò virtute Dei stravit, & postmodum proprio gladio jugulavit.* & lib. 6. cap. 36. *Exinde quæ antea fuit parva & humilis Ecclesia, in quantum montem excreverit ab omnibus jam videri potest. Quanta autem mala, quot bella bellorumque discrimina inde subsecuta sunt, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod papa super Papam,* id est, Guibertus seu Clemens III. super Hildebrandum seu Gregorium VII, *sicut rex super regem*, id est, Rodolphus, Herimannus, &c. super Henricum *positus fuerit, tadet memorare. Denique tot schismata, tot tam animarum quam corporum pericula hujus turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate & temporis diuturnitate, ad miseria humana sufficeret comprobandam magnitudinem. Unde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Ægypti tenebris comparatur.*

Audi Imperatorem Fredericum versibus Guntheri Ligurini, de Papa Adriano IV. loquentem. *Radevicus l. 1. c. 16.*

Cogitet antiquos primævi temporis annos,
Num Petrus, aut Clemens, num cætera turba piorum
Regna Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit:
Non tamen ut fasces & Regni jura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere posset.
Excessère modum magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio; nec dare quisquam

Quo caret ipse potest: hujus collatio Regni
Auctorem sortita Deum, contingere nulli
Iure potest hominum: collator muneris hujus
Est Deus: hoc summis Regnum confertur ab astris.
Hoc tamen arbitrium Romanus tempore nostro
Vendicat Antistes, documentaque vana figuris
Exprimit, & chartis dat grandia verba superbis.

Ut autem scias quænam sint illæ vanæ figuræ, & chartæ superbæ, explicationem dabo ex lib. 1. cap. 10. Radovici Frisingensis Canonici de rebus gestis Frederici Imperatoris, cujus hæc sunt verba: *Talibus literis* (Adriani IV Papæ) *lectis, & per Renaldum Cancellarium fidâ satis interpretatione expositis, magnâ Principes indignatione commoti sunt: quia tota literarum continentia non parum acredinis habere, & occasionem futuri mali jamjam fronte suâ præferre videbantur. Præcipuè tamen universos accenderat, quod in prædictis litteris inter cætera dictum fuisse acceperant*, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu ejus Imperatorem suscepisse: nec ipsum pœnitere, si majora beneficia de manu ejus suscepisset, *habitâ consideratione, quanta Romana Ecclesia per ipsum possent incrementa & commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem, ac præsentis interpretationis fidem auditores induxerat, quod à nonnullis Romanorum temerè affirmari noverant, Imperium Vrbis & Regnum Italicum donatione Pontificum reges nostros hactenus possedisse; idque non solum dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Vnde de Imperatore Lothario in Palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est:*

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores;
Post homo fit Papę, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque superscriptio, Principi, quando alio anno circa Vrbem fuerat, per fideles Imperii delata, vehementer displicuisset amicâ prius invectione præcedente, laudamentum à Papa Adriano accepisse memoratur, ut scriptura pariter & pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi & discordandi præbere posset materiam. His omnibus in unum collatis, cum strepitus & turba inter optimates Regni de tam insolita legatione magis atque magis invalesceret, quasi oleum igni adderet,

dixisse

dixisse ferunt unum de legatis: A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium? *Ob hoc dictum eò processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto Palatinus, Comes de Bavaria, ut dicebatur, propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fredericus auctoritate præsentia sua interpositâ, tumultum quidem compescuit, ipsos autem legatos, securitate donatos ad habitacula deduci, ac primo mane viâ suâ proficisci præcepit; addens in mandatis, ne hâc vel illâc in territoriis Episcoporum vel Abbatum vagarentur: sed rectâ viâ nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, reverterentur ad Vrbem. Ipsis igitur sine efficacia revertentibus, id quod factum fuerat ab Imperatore per universum Regni ambitum providè literis declaratur, quarum hic est tenor.*

Cum divina potentia, à qua omnis potestas in cœlo & in terra, nobis Christo ejus Regnum & Imperium regendum commiserit, & pacem Ecclesiarum Imperialibus armis conservandam ordinaverit: non sine maximo dolore cordis cogimur dilectioni vestræ, quod à capite Ecclesiæ, cui Christus pacis & dilectionis suæ characterem impressit, caussa dissentionum, seminarium malorum, pestiferi orbis venenum manare videatur, de quibus, nisi Deus avertat, totum corpus Ecclesiæ commaculari, unitatem scindi, inter Regnum & sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia vesontii essemus, & de honore Imperii, & de salute Ecclesiarum debitâ sollicitudine tractaremus; venerunt Legati Apostolici asserentes, se talem legationem nostræ offerre majestati, unde honor Imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum primo die adventus sui honorificè suscepissemus, & secundo (ut mos est) ad audiendam eorum legationem cum principibus nostris consedissemus, ipse tanquam de Mammona iniquitatis, inflati de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem, Apostolicis literis scriptam, nobis repræsentaverunt, quorum tenor talis erat: Quod præ oculis mentis semper deberemus habere, qualiter Dominus Papa insigne Imperialis coronæ nobis contulerit, neque tamen pœnitentiâ moveretur, si excellentia & majora nostra majestas ab eo beneficia suscepisset. *Hæc erat illa paterna dulcedinis legatio, quæ unitatem Ecclesiæ & Imperii confovere debuit, quæ vinculo pacis utrumque colligare studuit, quæ ad utriusque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solum im-*

perialis Majestas debitam indignationem concepit, verum omnes Principes qui aderant tanto furore & irâ sunt repleti, quod sine dubio illos iniquos presbyteros mortis sententiâ damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Verum quia multa paria literarum apud eos reperta sunt & scedulæ sigillata, ad eorum arbitrium adhuc scribendæ, quibus sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas Ecclesias Teutonici Regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eâdem quâ venerant viâ, ad Urbem eos redire fecimus. Cumque à solo Deo, per electionem Principum, regnum & imperium nostrum sit; qui in passione filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit, cumque Petrus Apostolus hac doctrinâ mundum informaverit: Deum timete, Regem honorificate: Quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est & mendacii reus erit. Quia vero hactenus honorem & libertatem ecclesiarum, quæ jamdiu indebitæ servitutis jugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus, universalem vestram dignitatem super tanta ignominia nobis & imperio condolere rogamus: sperantes ne honorem Imperii, qui à constitutione Urbis & Christianæ religionis institutione, ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus exstitit, fidei vestræ indivisa sinceritas tam inauditâ novitate, tam præsumptuosâ elatione, imminui patiatur: scientes omni ambiguitate remotâ, quod mortis periculum antè incurrere, quam nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere debeamus. Hactenus Radevicus. Vide annotationes seu censuram doctissimi viri G. I. V. in consilium Michaëlis Lonigi, Gregorio XV Pontifici maximo exhibitum, apud Boxhornium an. C. 904. & seorsim impressum Lugd.-Bat. apud Elsevirios, sed redeamus ad Henricum Imperatorem.

Bianci.

Saxones, gentem duram & bellis asperam diu sibi inimicam habuit Henricus; qui hujusmodi rumoribus de excommunicato Henrico incitati, alios etiam contra eum exstimulant, inter hos fuere Rudolphus Suevorum, VVelpho Bavarorum, Bertoldus Carentinorum duces, cum diversis Episcopis, qui sub specie obedientiæ, ne societate Henrici polluerentur, ad partes transeunt. Facta est, ait Lambertus, *conspiratio non modica, & magis ac magis*

magis indies roborabatur, eâ re maximè omnibus ausum & fiduciam præbente, quod excommunicatum esse Regem à Romano Pontifice frequentes ab Italia nuncii quotidie deferebant. Excommunicationi enim suæ, ut vidimus, eam vim inesse volebat Hildebrandus, ut excommunicatum non modo sacris arceret, sed & Imperio, subditis à jurata fidelitate solutis, dejiceret. Conveniunt ergo (verba sunt Lamberti) *Triburiam, quæ inter Moguntiam & Oppenheym, sed in altera ripa villa fuit, statuta die, amplissimo numero, obstinatis mentibus, ad submovendum à negociis Regni Regem Henricum & alium, in quem communis electio consensisset, creandum. Aderant unà legati Apostolicæ sedis, Sigehardus Patriarcha Aquileensis & Altmanus, Pataviensis Episcopus & laici nonnulli missi à Romano Pontifice, ut palam omnibus contestarentur, justis de caussis excommunicatum esse Henricum, & ad eligendum alium Regem Apostolici consensus & auctoritatis suffragium pollicerentur. Hi nec Principi nec privato, qui Henrico dicto vel facto vel cum presbyteris conjugatis communicasset communicare volebant. Henricus per suos legatos ad conventum Triburiensem pacem aliquoties supplex rogat, sed frustra. Tandem Svvevi & Saxones legatos ad Regem mittunt, sed conditionibus fœdis, duris & iniquis, quas tamen ad angustias redactus acceptare coäctus, promptissimè per omnia obedientiam pollicetur & reipsâ præstat.* Vide Aventinum.

Inter eas una erat, quod si ante diem anniversarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio excommunicatione non absolveretur, absque retractatione in perpetuum caussâ caderet, & omni spe recuperandi Imperii excideret. Paucis ergo ante Natalem Domini diebus Spirensi urbe discedens, cum uxore & filio parvulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Teutonicis, vir ingenuus comitatus est Regno excedentem, præter unum, & ipsum nec genere nec opibus conspicuum. Quumque impensis tam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus incolumi republicâ sæpenumerò pro fuerat, pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoriâ, vel præsenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem ejus aliquatenus relevarent. Vis atque inclementia hyemis hoc anno adeo jugis solitoque asperior inhorruerat, ut à festivitate S. Martini Rhenus Fluvius glaciali frigore constrictus penè usque ad Kalendas April. pedestri itineri transmeabilis maneret & plerisque in locis vineta exsiccatis frigore radicibus omnino arescerent. Rex in Italiam proficiscens, relicto recto itinere

 in Bur-

in Burgundiam divertit, quod certò compererat, Duces Rudolphum, VVelphonem & Bertoldum omnes vias omnesque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodibus anticipasse, ut nulla ei ibi copia transeundi fieret, &c.

Regis hostes quo animo rem agerēt, innotescit.

Cæterum, inquit Baronius, *qui hactenus visi sunt, religionis ardore excitati, zeloque offensi numinis, in Romano Pontifice injuriam passo permoti, justè pièque ab omnibus crediti sunt, quorum & omnia, quæ sunt operati in conventu Triburiensi, commendatione summâ digna esse sunt prædicata: jam in dubium revocari sunt cœpta, cum eidem contra pacta conventa in comitiis Triburiensibus, aditum regis Henrici ad Romanum Pontificem pro absolutione petenda præcludere nisi sunt; præoccupatis Clusis, ut audisti, operâ ducum Rudolphi, VVelphonis atque Bertoldi hostium Regis. His additum, quod excommunicati Episcopi in Italiam post Regem festinantes, ut absolutionem peterent, praviâ pœnitentiâ, à Romano pontifice, ab eisdem, sive earum partium viris, in itinere capi sunt jussi, ne ulterius progrederentur, quod accidisse Diederico, Episcopo Virdunensi, & Roberto Episcopo Bambergensi, idem qui supra,* Lambertus, *affirmat, docens pariter (quod & dicetur anno sequenti) cæteros omnes excommunicatos Episcopos, qui elusis Clusarum custodibus transire potuerunt, mox ad vestigia Gregorii Pontificis accurrisse, absolutionem petiisse, eamque praviâ pœnitentiâ impetrasse: quos autem scisset minus deliquisse, idem Gregorius per litteras absolvit absentes. Ista, inquam, haud mediocrem eorum æstimationi inurebant notam, quibus indicaretur, eos non zelo divini honoris & læsæ pontificiæ sanctitatis animarumque salutis (quæ præferebant omnia) ad rebellionem adversus Regem permotos, sed insanâ regnandi cupidine, religionis velamento quàm honestissimè obvoluto, percitos esse. Sed Deus inspector cordium ista omnia, judex omnium, judicabit: nobis tantùm ex signis & eventis conjectura opinandi relinquitur.* Hactenus Baronius.

Nota obiter eodem hoc anno, quo Gregorius Henricum Regno privat, Ducem Croatiæ & Dalmatiæ in Regem extollit, quo Henricum excommunicat, Rogerium, Siciliæ comitem, antea excommunicatum absolvit. Quis posthac dubitabit de hujus imperiosi Pontificis Monarchia tam seculari quam spirituali? Vis plura? Universum orbem sibi voluisse subjicere visus est Gregorius. Imperatori Regnum adimit & alteri tribuit: Galliæ Regi privationem

Regni

Regni minatur, nisi sedi Apostolicæ pareat. Hispanis imperioso ausu usum officii Mosarabici aufert, usumque officii Romani substituit, & affirmat, Deum Petro, *id est, Papæ*, omnes orbis terrarum principatus & potestates subjecisse. Imò Polonos, Hungaros, Hispanos, Anglos sibi tributarios dicit, sicut affirmat Bertoldus (*cui à Pontifice in tristi isto dissidio inter Cæsarem & Pontificem impositum fuit, ut in Ecclesiæ gremium susciperet, quotquot à Cæsareis partibus ad Pontificias descivissent*) cum elemosynam à tributo nesciret distinguere, qui, quod piæ devotionis respectu datum erat, fidelitatis & subjectionis ratione redditum interpretatur; sed bellicosus ille conquestor Guilielmus huic Gregorio per litteras sic respondet: *Hubertus Legatus tuus, Religiose pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit, quatenus tibi & successoribus tuis fidelitatem facerem; & de pecunia, quam antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi: fidelitatem facere nolui nec volo: quia nec ego promisi, nec antecessores meos antecessoribus tuis id fecisse comperio &c.* Baron. ex Lanfranc. an. C. 1079.

Vossius de Historicis Lat. lib. 2. cap. 47.

Pergit Lambertus: *Difficulter assecuto transeundi licentiam, protinus alia successit difficultas. Hiems erat asperrima, & montes, per quos transiturus erat in immensum porrecti, & penè nubibus cacumen ingerentes, ita mole nivium & glaciali frigore obriguerant, ut per lubricum præcipitemque descensum, nec equitis, nec peditis gressum sine periculo admitterent. Sed dies anniversarius, quo Rex in excommunicationem devenerat, è vicino imminens nullas accelerandi itineris moras patiebatur: quia nisi ante eum diem anathemate absolveretur, decretum noverat communi Principum sententiâ, ut & causâ in perpetuum cecidisset, & regnum sine ullo deinceps remedio restitutionis amisisset. Igitur quosdam ex indigenis locorum peritos & præruptis montium jugis assuetos conduxit, qui comitatum ejus per abruptum montem & moles nivium præcederent, & subsequentibus quaquâ possent arte, itineris asperitatem levigarent. His ductoribus cum in verticem montis magna cum difficultate evasissent, nulla ulterius progrediendi copia erat, eo quod præceps montis latus, & ut dictum est, glaciali frigore lubricum, omnem penitus descensum negare videretur. Ibi viri periculum omne viribus evincere conantes, nunc manibus & pedibus reptando, nunc ductorum suorum humeris innitendo, interdum* A.C. 1077.

dum quoque titubante per lubricum gressu cadendo, & longius volutando vix tamen aliquando cum gravi salutis suæ periculo ad campestria pervenerunt. Reginam & alias, quæ in obsequium ejus erant mulieres, boum coriis impositas duces itineris conductu praeuntes deorsum trahebant. Equorum alios per machinas quasdam submittebant, alios colligatis pedibus trahebant: ex quibus multi dum traherentur mortui, plures debilitati, pauci autem integri incolumesque periculum evadere potuerunt. Postquam per Italiam fama percrebuit venisse Regem, & superatis asperrimis rupibus, jam intra Italiæ fines consistere, certatim ad eum omnes Italiæ Episcopi & comites confluebant, eumque ut regia magnificentia dignum erat, summo cum honore suscipiebant, atque intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eum congregatus est exercitus. Quia fama vulgaverat, ad deponendum Papam ferocibus eum animis properare, admodum gratulabantur, oblatam sibi occasionem esse, quâ in eum, qui se jam pridem ab Ecclesiastica communione suspenderat, injuriam suam idoniè vindicarent. Interea Papa rogatus per litteras à Principibus Teutonicis, qui in Oppenheym convenerant, ut in purificatione S. Mariæ ad discutiendam Regis caussam Augustæ occurreret. Invitis Romanis principibus & propter incertum rei eventum iter illud dissuadentibus, Româ egressus est, & quantum poterat profectionem accelerans, statuto die præsto esse satagebat, ducatum ei præbente Mathildâ derelictâ Ducis Lotharingorum Gozelonis, filiâ Bonifacii Marchionis & Beatricis Comitissa. Igitur Papa dum in Gallias properaret, ex insperato audiens Regem jam esse intra Italiam, hortante Mathildâ in castellum quoddam munitissimum, quod Canusium dicitur, divertit, expectare volens, donec consilium adventus diligentius exploraret, utrum scilicet veniam admissi postulare, an injuriam excommunicationis sua militari manu persequi, plenus animorum veniret. Interea Rex Henricus Mathildam Comitissam (cognatam & consobrinam) ad colloquium evocavit, precibusque ac promissionibus oneratam adPapam transmisit, & cum ea socrum suam filiumque ejus Azonem etiam Marchionem & Abbatem Cluniacensem, aliosque nonnullos ex primis Italiæ principibus, quorum auctoritatem magni apud eum momenti esse non ambigebat obsecrans, ut excommunicatione solveretur, nec principibus Teutonicis, qui ad accusandum eum magis stimulo invidiæ, quam zelo justitiæ exarsissent, temerè fides haberetur. Quorum Papa legatione auditâ, ait incon-

incongruum valdè esse, & ab ecclesiasticis legibus omnino alienum, ut absentibus accusatoribus (& tamen reus, si reus absens, nec auditus, condemnatus erat Henricus) *caussa accusati ventilaretur: imò etiam si innocentiæ suæ confideret, omni timoris scrupulo liberatus statuto die in Augustam, quo cæteri Principes convenire statuissent, fiducialiter occurreret, se illic discussis utrarumque partium allegationibus, nec odio nec gratiâ ab jure ad injuriam devolvendum, sed juxta leges ecclesiasticas, quam rectissimè posset, de singulis sententiam laturum esse. Ad hæc illi responderunt, Regem illius nusquam terrarum subterfugere judicium, quem sciat æquitatis & innocentiæ incorruptissimum vindicem & advocatum fore, sed è vicino jam urgere diem anniversarium, quo excommunicatus fuisset, & Principes regni hâc exspectatione suspensos attentosque, anxiè rei eventum præstolari, ut si ante hanc diem excommunicatione non absolveretur, deinceps juxta Palatinas leges indignus regio honore haberetur, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnixius petere & hoc omni, quo Papa jubeat, satisfactionis genere paratum emereri, ut solo interim anathemate absolvatur, & communionis Ecclesiasticæ gratiam recipiat, responsurus ex integro quacunque die, quocunque loco Papa præcipiat, tanquam nihil hac conventione actum sit, omnibus quæ objecissent accusatores ejus criminibus, & juxta sententiam ejus regnum vel retenturus, si objecta purgasset, vel æquo animo, si caussâ cecidisset, amissurus.*

Diu Papa restitit, veritus in Rege juvenilis animi inconstantiam, & proclive, quocunque assentatores impulissent, ingenium: sed superatus tandem importunitate perurgentium, & gravitate sententiarum: si veraciter, inquit, eum facti pœnitet, coronam & cætera Regni insignia in argumentum veræ & ex animo actæ pœnitudinis, nostræ potestati dedat; & se post tam contumax admissum, regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Durum nimis hoc visum legatis est. Cum diu & vehementer insisterent, ut sententiam temperaret, nec calamum conquassatum judicii austeritate penitus contereret, vix & ægrè tandem exoratus, annuit, ut cominus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpam, quam sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille ut jussum fuerat, & cum castellum illud triplici

muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu regio, nihil praeferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus, manè usque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententiam praestolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum ejus admissus, post multas hinc inde dictas sententias, bis postremò conditionibus excommunicatione absolutus est: ut die & loco, quemcunque Papâ designasset, evocatus ad concilium generale, Teutonicis Principibus praesto esset, & accusationibus, quae intenderentur, responderet, ipso Papâ, si ita expedire videretur, cognitore caussarum asidente, & ad ejus sententiam vel retineret Regnum, si objecta purgasset, vel aequo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus, juxta ecclesiasticas leges decerneretur; nullam sive retento sive amisso regno, hujus injuriae vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturum. Usque ad eam autem diem, quâ caussa ejus discussa determinaretur, nulla regii cultus ornamenta, nulla regiae dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suo jure ageret, nihil quod ratum fore oporteat, decerneret: postremò praeter regalium servitiorum exactionem, quibus necessariò ipse & sui sustentandi essent, nihil regium, nihil publicum usurparet; omnes etiam qui ei sub jurejurando fidem dixissent, ab hujus sacramenti vinculo & conservandae erga eum fidei debito apud Deum & apud homines interim liberi expeditique manerent. Robertum Bamburgensem Episcopum & Uldalricum de Cosheym, & caeteros, quorum consiliis se remque publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoveret. Quod si purgatis quae objicerentur, potens confortatusque in regno perstitisset, subditus Romano Pontifici semper, dictoque obtemperans foret, & ad corrigenda quaecunque in regno ejus contra Ecclesiasticas leges pravâ consuetudine inolevissent, consentiens ei & pro virili portione cooperator existeret. Ad ultimum, si quid horum praevaricaretur, irritam fore hanc, quae nunc tantopere expetita sit, anathematis absolutionem, quinimo jam pro convicto confessoque habendum esse, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum: principesque regni omni deinceps quaestione cunctâ jurisjurandi religione liberatos, Regem alium, in quem communis electio consensisset, creaturos esse.

Gratanter Rex accepit conditiones, & sedulò Papam rogavit, ut rem inte-

integram generali Concilio communique audientia differret, ut ibi congregatis accusatoribus, & secundũ leges Ecclesiasticas, discussis tam accusationibus, quam accusatorum personis, conditionibus, quascunque regni Principes aquas judicassent, objecta refelleret; haud gravatè Papa petenti acquievit.

Hactenus Lambertus: & ne quid hac de re in dubium vocetur, confirmabimus ea epistolâ Hildebrandi ad Principes & Episcopos regni Teutonicorum, rem pari atrocitate narrantis: *Quoniam*, inquit, *pro amore justitiæ, communionem nobiscum in agone Christianæ militiæ, caussam & periculum suscepistis; qualiter Rex humiliatus ad pœnitentiam absolutionis veniam impetraverit, & quomodo tota caussa post introitum ejus in Italiam hucusque deducta sit, vestræ dilectioni sincerâ caritate indicare curavimus. Sicut constitutum fuit cum legatis. qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis Ducum ad Clusas nobis occurrere debuit, exspectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Interim vero Regem adventare certò cognovimus, qui etiam priusquam intrasset Italiam supplices ad nos legatos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo & S. Petro & nobis obtulit, & ad emendationem vitæ suæ, omnem se servaturum obedientiam repromisit; dummodo apud nos absolutionis & Apostolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cum diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus per omnes, qui intercurrebant nuncios redargueremus, tandem per semetipsum nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit; ibique per triduum ante portam castri, deposito omni regali cultu miserabiliter, utpote discalceatus & laneis indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit ad tantam pietatem, & compassionis misericordiam movit, & pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam mentis nostræ duritiam & rigorem mirarentur: nonnulli vero in nobis non Apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantiâ compunctionis ejus, & tantâ omnium, qui ibi aderant, supplicatione devicti, tandem eo relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam, & sinum sanctæ matris Ecclesiæ recepimus &c.* Hactenus Hildebrandus, qui suum rigorem & ambi-

lib. 4. ep. 11.

ambitionem, quasi re benè gestâ, his suis litteris, toti mundo indicat: & ostendit se in negotio merè mundano & seculari, inter Imperatorem & Imperii proceres, judicem sedere velle, vult suo arbitrio summum regem, ejusque dignitatem, coronam & sceptrum subjici: ut si jusserit, regnet, sin minus, imperio excidat, & ad conditionem privati redeat; cum Christus dicat, *regnum meum non est de hoc mundo. Hæc sola novitas, ne dicam hæresis*, inquit Sigebertus Gemblacensis Monachus, *necdum in mundo emerserat, ut sacerdotes illius, qui dixit Regi*
Iob. 34. *Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quod malis regibus nullam debeant subjectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem senserint; imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur; qui contra Regem fecerit, à noxa injustitiæ & perjurii absolvatur.* Ex Bennone Cardinale hoc unum adferam: *Dicite, quæso, qui justitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram favore alicujus personæ declinare non nostis, dicite, quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæsari præjudicare debuit? si ex confessione extorta, potius non exstitit reus Canonum hic, qui extorsit, quam qui perversè judicatus perversoris judicis injuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lacrymabili afflictione, nudis pedibus, in laneis vestibus, hieme præter solitum asperâ, apud Canusium spectaculum Angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium, triduo pertulit: Christus interim, inquit,* Discite à me, quia sum mitis & humilis corde, & invenietis requiem in animabus vestris.

Pergit Lambertus: *Offert per Legatum Gregorius absolutionem Longobardis Episcopis, qui cum caussam sui adventus exposuisset, vehemens in eum ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sævire verbis & manibus cœperunt, Apostolicæ legationi irrisoriis exclamationibus obstrepere, convicia & maledicta, quæcunque turpissima furor suggessisset, irrogare. Se excommunicationem ejus nihili æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi justis ex causis jam pridem excommunicassent, qui sedem Apostolicam per simoniacam hæresin occupasset, homicidiis cruentasset, adulteriis aliisque capitalibus criminibus polluisset: Regem secus ac deceat egisse, crimenque gloriæ suæ intulisse, nunquam abolendum, quod homini hæretico & probris omnibus infamato majestatem regiam submiserit,*

ferit, & quem justiti patronum legumque Ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, is fœdissimâ subjectione suâ fidem planè Catholicam, auctoritatem Ecclesiæ, dignitatem Reipublicæ, prodiderit, se in ultionem ejus omnes quas potuerint Papæ injurias irrogasse. Et nunc (quod dictu quoque turpe est) in mediis perturbationum fluctibus relictis, ipsum sibi consuluisse, & cum hoste publico, privatâ necessitudine in gratiam rediisse. Hæc potissimum Principes Italiæ jactando & passim per populum ferendo, ingens Regi odium brevi conflaverant. Adultâ postremò seditione, una omnium voluntas, una sententia erat, ut abdicato patre qui ultrò Regni fascibus indignum se effecisset, filium ejus licet impuberem adhuc, & regni negotiis immaturum, Regem sibi facerent, & cum eo Romam profecti Papam alium eligerent, per quem & ipse protinus Imperator consecraretur, & omnia Papæ hujus apostolica gesta cassarentur. Perlato ad Regem tam molestæ conspirationis nuntio, misit properè quicquid apud se principum erat, ut quaquâ ratione, quaquâ possēt industriâ efferata multitudinis animos mitigarent, ne molestè acciperent, aut in contumeliam suam factum reputarent, quod extremâ necessitate compulsus, communis commodi ratione fecisset, nec Teutonicis principibus, qui sibi per calumniam regnum eripere deditâ operâ machinarentur, nec Romano Pontifici, qui ad evertendum statum sanctæ Ecclesiæ spirituali gladio circumquaque fulguraret, aliter satisfacere potuisse, quam ut ante statutam diem excommunicatione absolveretur. Nunc se omnibus angustiis, quibus vias ejus conclusissent inimici liberatum, omnem deinceps curam industriamque ad vindicandas suas & illorum injurias translaturum. Vix tandem compresso potius quam extincto concitati tumultus incendio, plerique ex principibus, castris se per iram subtrahentes injussi in sua rediêre. Cæteri dissimulatâ interim iracundiâ, redeuntem Regem pacificè exceperunt, sed neque consuetam reverentiam ei deferebant, neque tam sumptuosa, ut prius, utque regiam magnificentiam decuerat, servitia ei exhibebant, sed adversis oculis, infestis mentibus, passim per omnes angulos de levitate & ineptia ejus mussitabant, socordiamque accusabant, quod tam diu expectatus, tam anxiè desideratus, periclitantis Italiæ calamitatibus, nihil postremò spei, nihil præsidii attulisset. Cumque Italiam peragraret, ut his, qui oppressi fuerant calumniasq; patiebantur, regio more justa faceret: nec in civitates eum recipiebant, nec cum faculis & faustis acclamationibus (ut prioribus Regibus consueverant)

rant) obviam ei procedebant, sed foris in suburbanis locis castris positis, commorari jubebatur, & illic ei alimenta quibus exercitus substentaretur & ipsa modica, & vix necessitatem potius quam regalium epularum solitum splendorem copiamve explentia, ne manifestæ defectionis immaturè argui possent, ministrabant, apposito singulis in locis præsidio, ut prædas fortè de agris vel villis agere volentes, armatâ manu coërcerentur. Territus Rex insolitâ rerum facie, seròque pœnitens, quod incognitæ gentis, inexpertæ prius fidei, temerè se credidisset, & Teutonicis finibus excedendo hostem mutasset non evasisset, gravi sollicitudine & metu perurgebatur, nec ullum usquam effugium inveniebat, nisi in reconciliandis fortè, si quâ ratione posset, quos offenderat Italorum animis. Ratus itaque hujus rei hoc unicum esse præsidium, ut initum cum Romano Pontificè vinculum abrumperet, & inde reparandæ concordiæ initium faceret, unde fuerat orta discordia: Vldalricum de Cosheym & cæteros, quos ille severissimo anathemate à contubernio ejus amoverat, in pristinæ gratia & familiaritatis suæ gradum revocavit, & cum eis denuò de privatis, de publicis negotiis, eâdem quâ consueverat singularitate ac privilegio consilia conferebat. Tum assiduè in conventu Principum criminabatur & detrahebat Romano Pontifici, quod ipse omnem hunc, qui Rempublicam concussisset, ventum turbinis & commotionis sævissima procellam suis machinationibus concitasset; ipse omnium, quæ in Ecclesia omni recenti memoriâ secus accidissent, auctor inventorque exstitisset, hortabaturque omnes in commune, ut suo ductu suisque auspiciis tantarum ab eo injuriarum vindictam expeterent. Dein conditiones omnes, & universa legum ecclesiasticarum vincula, quibus ille eum Apostolicâ auctoritate obstrinxerat, contemptim, tanquam aranearum telam dirupit &c.

His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuò in eum incalescere cœperunt, ita ut frequentior indies multitudo ad eum conflueret, sumptus exercitui copiosiores ministrarent, & ad omne quod jussisset, promptissimè jam manus operamque suam pollicerentur. Erant tunc temporis apud eum ex Teutonicis Principibus Liemarus Bremensis, Eppo Citicensis, Benno Osenbrugensis, Burchardus Losannensis, Burchardus Basiliensis Episcopi: Laici Udalricus, Everhardus, Bertholdus, & alii penè omnes, quos in Oppenheym Legati Apostolicæ sedis à contubernio ejus propter excommunicationem segregaverant, qui nunc post receptam

ceptam communionem, eum quoque Ecclesiæ reconciliatum comperissent, unanimiter ad eum confluxerunt, & ei deinceps peregrinationis ejus individui comites adhærebant.

Interea Moguntinus, VVirtzburgensis & Metensis Episcopi, Rudolphus, VVelph, Bertolphus, duces, & alii plerique ex Teutonicis principibus convenientes, tractare de utilitatibus Reipublicæ statuerunt, ut Principes Saxoniæ, & omnes quibuscunque Respublica curæ foret, tertio idus Martii in Forcheym occurrerent, & communi consilio quid facto opus esset, decernerent, præsertim cum per absentiam Regis, tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus ac consultationibus nacti essent. Romano quoque Pontifici scripserunt, ut quoniam in purificatione S. Mariæ Augustam juxta condictum, dolo Regis præventus occurrere non potuerat, saltem in Forcheym statuto die præsto esse satageret, & sedandis bellorum civilium tempestatibus, quibus jamdiu periclitaretur Respublica, Apostolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Adhuc ille in Canusio & aliis circà firmissimis munitionibus se continebat, dispositum habens, non prius Romam regredi quam confecto itinere, quod instituerat, pacem Ecclesiæ Dei reddidisset.

Igitur acceptis litteris, tametsi jam pridem frequens ad eum fama detulisset, Regem mutatâ mente hostiles adversum se spiritus gerere, & contemptis conditionibus, quibus excommunicatione absolutus erat animo fixum tenere, ut leges Ecclesiasticas manu militari debellaret: misit tamen unum ex Cardinalibus & alios, qui ei dicerent, tempus esse, ut promissa compleret, conventuros in Forcheym, tertio Idus Martii Principes Teutonici Regni, ad componendum (si Deus votis annuat) statum Reipublicæ, veniret ergo ut pollicitus erat, & crimina quibus innocens, ut ipse asserit, à calumniatoribus suis impetitus sit, se cognitore & judice præsidente responderet &c. Legatis mandata perferentibus, ille dissimulatis mediocriter his quæ animo agitabat, respondit; se post acceptum regnum hac primum vice Italiam intrasse, & ideo nunc multis & magnis Reipublicæ negotiis implicitum, non posse tam citò infectis rebus provinciâ excedere, quia, si id faciat, Italos, quos longo tempore anxiâ adventus sui exspectatione suspendisset, gravissimè offendat. Præterea diem conventui habendo statutum, è vicino imminere, seque tam brevibus induciis, tanta terrarum spatia nulla equorum celeritate

tate posse transcurrere, etiamsi nullis extrinsecus retardetur impedimentis. In hac verba legatos dimisit.

Papa jam certior factus de immutatione animi ejus & cæteris rebus, quas ad eum jam pridem fama detulerat, misit protinus Bernardum Abbatem, & Bernardum Cardinalem ut Principibus Teutonici Regni, qui tertio Idus Martii in Forcheym conventuri erant, occurrerent, eosque per ordinem, quæ gesta erant, docerent, se juxta placitum deditâ operâ enisum fuisse, ut die & loco statuto, communibus sanctæ Ecclesiæ utilitatibus tractandis præsto esset, sed domini Henrici diligentiâ ita circumventum, ita omnes, per quas transitus esse potuisset, itinerum angustias præoccupatas, ut nec tutò in Germaniam, nec tutò Romam regredi valeat. Proinde monere eos ut suis interim rebus & regno Francorum, quod diu jam unius hominis puerili levitate vexetur, quaquâ possint ratione moderentur, donec (si Deus velit) ademptâ itineris difficultate, ipse venire, & collatis in medium consiliis, quid utilitati, quid honestati omnium, quid paci ecclesiasticæ expediat, secundum ecclesiasticas leges decernere queat. Hic desinit Lambertus.

His pauca addam ex auctore Anonymo, &,ut apparet,Regis familiari, quem, cum lubet, rejicit & admittit Baronius; cum tamen plerunque cum magna veneratione de Papa loquatur: est idem ille, cujus ante mentionem fecimus, qui vitam Henrici descripsit, paulò post illius mortem. *Videntes Saxones*, inquit, *Regem bellis tangi posse non dejici: vexari non superari, quippe cujus robur adhuc erat inexpugnabile: ut vires ejus extenuarent, confictis conscriptisque super eo criminibus, quæ pessima & immundissima potuit odium & livor excogitare, & quæ mihi scribenti, tibique legenti nauseam parerent, si ea ponerem, vera falsis miscentes apud Romanum Pontificem Gregorium septimum eum deferebant, non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quam nomine, regnare: maximè cum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ suum jus in constituendis Regibus reddi. Providerent Apostolicus & Roma ex consilio Principum, cujus sapientia & vita tanto congrueret honori. Quâ surreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, regem banno innodavit, & Episcopis aliisque regni principibus, ut à communione excommunicati Regis se retraherent, denunciavit, se citò venturum in Teutonicas oras,*

orat, ubi de negotiis ecclesiasticis & potißimum de regno tractaretur. Quia etiam hoc addidit: Absolvit omnes à juramento, qui fidem regi juraverant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit (si cui displicere licet, quod placuit Apostolico) & asserebant tam inefficaciter quam illicitè factum. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apostolici factum refellere. Mox & Episcopi, tam illi quos amor, quam timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini suo, ab ejus auxilio pleriq; se retrahebant: quod & major pars procerum factitabat: tum verò videns rem suam in arcto sitam, inito tam occulto quam astuto consilio, subitum & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, unoque facto duo peregit: scilicet & banni solutionem accepit & suspectum sibi colloquium Apostolici cum adversariis suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit, quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuissent, non sibi respondendum asseruit. Quid vobis profuit hoc egisse ut banno illigaretur, cum de banno solutus, potentia sua potenter utatur? Quid vobis profuit eum fictis criminibus accusasse, cum accusationem vestram facili responso, ut folia ventus, dißipaverit? Imò quæ dementia vos contra Regem vestrum & orbis Rectorem armavit? Vbi fides quam illi jurastis? quare beneficiorum, quæ regiâ liberalitate contulit in vos, obliti estis? saltem vos Episcopi videte ne pereatis de via justa, videte, ne trangressores promissæ fidei fiatis.

Igitur Rex ab Apostolico digressus, benedictione pro maledictione acceptâ, Rudolphum ducem super se creatum Regem invenit: qui auditâ regreßionis ejus famâ, ante paratus ad fugam quam ad pugnam, ante pulsus quam victus, in Saxoniam fugit &c. Fuere qui dicerent ab Apostolico eum immissum, nec unquam tantæ virtutis virum magis avaritia quam consilio cessisse &c. Henricus Saxoniam cum exercitu sæpius ingressus, aut victor aut æquâ manu recesit: sed ad ultimum reversus tam notandâ quam felici victoriâ vicit: magnumque mundo documentum datum est, ut nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscißâ Rodolphi dexterâ dignißimam perjurii vindictam demonstrauit, qui fidem domino suo Regi juratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, acceßit etiam hujus membri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa. Hactenus ille anonymus scriptor in vitâ Henrici. *Mors verò Rudolphi accidit an.* C. 1080.

De electione Rudolphi hęc habet Helmodus l. 1. c. 18. Chr. *Videntes igitur Cardinales, & hi qui de curia erant, quod præ timore sedis Apostolicæ*

contremiscerent potestates, & curvarentur qui portant orbem; suggerunt Apostolico transferret regnum in alium virum, dicentes indignum esse talem regnare, qui de publicis convictus esset facinoribus. Percontanti autem Apostolico quisnam dignus esset isto culmine in Alemania; designatus est dux Suevorum Rudolphus, quod scilicet fuerit vir bonus & amator pacis, & circa cultum sacerdotii & Ecclesiarum optime affectus. Cui Papa auream transmisit coronam hoc versu intitulatam:

Petra dedit Petro Romam, tibi Papa coronam.

Præcepitque Moguntino, Coloniensi cæterisque Episcopis & Principibus, ut adjuvarent partes Rudolphi, & statuerent eum Regem, &c.

Sed hic Helmoldus non placet Baronio, & fortè cum ratione: nam ex contentionibus Principum res Romana accrevit quidem, sed solent per cuniculos & tectè magis procedere, cum, ut verum fatear, imperiosè & impetuosè nimis res suas per machinas agat Gregorius, idque suâ historiâ toti mundo patefaciat Helmoldus.

Matthæus Paris sic hanc narrat historiam in Wilhelmo secundo, ad an. C. 1077. *Eodem anno Henricus Imperator, collecto VVormatiæ viginti quatuor Episcoporum & multorum concilio Principum, decerni jubet omnia decreta & facta Gregorii Papæ (qui prius Hildebrandus dicebatur) debere irritari: ibique omne concilium, præter paucos, Hildebrandum abjuravit. Hildebrandus econtra excommunicavit Imperatorem sub hoc obtentu, ut primates regni, quasi ex caussa, Imperatori excommunicato contradicant. Postea Hildebrandus (a sententia excommunicationis Principibus relaxatis) ipsum etiam Imperatorem in Longobardia sub falsa pace absolvit. Quo facto omnes, qui prius Hildebrandum abjuraverunt, Imperatorem abjuraverunt, & Rudolphum Burgundiæ ducem super se regem statuerunt, missâ ei coronâ à Papa cui erat inscriptum:*

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Rodolphum Moguntiæ Archiepiscopus Sigefridus in regem benedixit: factâ verò à Moguntinis contra eos seditione, Rodolphus cum Archiepiscopo noctu aufugit. Hildebrandus omnes Imperatori adversantes absolvit. Imperator autem Alpium aditibus contra se munitis, ubique omnibus eorum frustratis insidiis, per Aquileiam Ratisponam contendit, & ibi Rodolphum hostiliter adortus, compulit in fugam, & iteratâ expeditione Sueviam devastat. Vide Marianum Scotum ad ejus Chronicon.

Con-

Conqueritur Gregorius ad Hugonem Abbatem Cluniacensem de animi sui angustiis & doloribus, quibus ut medeatur evomit suam bilem in infinitos tam Ecclesiasticos quam laicos, Cardinales, Episcopos, Abbates, Imperatorem Constantinopolitanum Nicephorum, (uti paulo ante in Henricum Imperatorem Romanum) Normannos &c. quos omnes in synodo Romæ excommunicat, A.C. 1078. Greg. lib. 5. epist. 21.

Sicut aper longè sylvis latratibus actus, Ovid. Fast. 40.
Fulmineo celeres dißipat ore canes.

Eximit contra Gregorius quosdam ab excommunicatione: *devicti misericordiâ*, inquit, *anathematis sententiam ad tempus prout possumus opportunè temperamus. Apostolicâ namque auctoritate anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet, uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos & servientes &c.* Baronius.

Benno Cardinalis inter cætera hæc de Gregorio, ut fusius narrat Baronius. *Mentimur, nisi tredecim Cardinales sapientiores & religiosiores, ipse Archidiaconus, & ipse primicerius, & multi alii Lateranensium Clericorum, quorum judicio ex privilegio sanctæ sedis totus subjacet mundus, apostasiam ejus intolerabilem perpendentes, ab ejus communione recesserunt &c.* Vide etiam de his Cardinalibus Baronium an. C. 1098. pag. 668.

Semper aliquid novi Africa. In synodo Romana hujus anni hic de investituris novus conditur Canon: *Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum à Laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo quamplurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur: decernimus, ut nullus Clericorum investituram Episcopatus vel Abbatiæ vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, Regis, vel alicujus laicæ personæ viri vel fœminæ suscipiat; quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam Apostolicâ auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere.* Hæc sunt verba novi Canonis.

Novitatem nobis indicabit Onuphrius Panuinus eruditus ille præcedentis seculi historicus, ordinis Augustini Monachus, in vita Hildebrandi, his verbis: *Erat tum consuetudo à temporibus Caroli Magni Imperatoris, primum ex auctoritate Romani Pontificis Adriani I. introducta, ut alicujus urbis vel abbatiæ Episcopo aut Abbate mortuis,*

statim clerus vel monachi in unum congregati legatos ad Imperatorem, qui tunc erat, dirigerent; ad quem defuncti prælati pedum pontificale & annulum deferentes, eum pro novo Antistite deligendo, nomine sui collegii interpellabant. Qui statim senatu suo congregato, ex ipsius plerunque sententia, unum vel ex ipsis collegiis, vel amicis & Capellanis & cæteris domesticis & familiaribus suis, juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio à se electum annulo & virgâ pastorali, prælati defuncti à se transmissi donabat, eumque de illo sacerdotio diplomate suo Impeiali, ut tum dicebatur, investitum, hoc est, illâ dignitate donatum in Episcopum vel Abbatem consecrari mandabat, absque alia Cleri vel Monachorum electione. Hoc autem per Galliam, Germaniam & Italiam, quæ tunc Latinus orbis dicebatur, usurpari mos erat. Cujus exemplo cæteri quoque Reges, ut Hispaniæ, Francorum, Hungariæ & ejusmodi imitati sunt. Hanc consuetudinem cum omnes, ut dixi, Latini orbis Ecclesiæ tum sæpe & diu in multis suorum Pontificum electionibus servavit Romana ecclesia: & præsertim in Ioannis XIII. Gregorii V. Sylvestri, Clementis, Damasi, Victoris, Nicolaique Pontificum electionibus: qui omnes Ottonis I. & III. Henrici quoque III. & IV. sententiâ Romani Pontifices, sine Cleri Romani suffragiis lecti & ab iisdem Imperatoribus per annulum & virgam de Papatu Romano investiti fuerant. & alio loco: *Imperator non solum Episcopatus omnes & Abbatias minoraque omnia sacerdotia, ut prabendas, Canonicatus, Præposituras, & Diaconatus, & hujusmodi conferebat: sed & Romanum ipsum Pontificem designabat.* Idem: *satis autem constat Ioannem XIII. qui Leoni VIII. immediatè successit, Gregorium V. & Sylvestrum II. Apostolica sedi solâ auctoritate Imperatorum fuisse impositos, nullius Cleri vel populi Romani suffragiis expetitos. Cæteri vero Romani Pontifices, qui inter Ioannem XII. & Sylvestrum II. fuerunt, etsi eos electos fuisse ab Imperatoribus non legatur, sed à Clero, senatu populoque Romano, id accidit, quod electionis tempore Imperatores Urbe absentes, adeò maximis in Germania bellis & alibi impliciti essent, ut de novo Pontifice Romanæ sedi providere non possent. Illud tamen constat, dum Imperatores, tres Otthones loquor, in Urbe vel prope, aut certè in Italia fuerunt, & Romanam forte Ecclesiam pastore vacare tum contigisset, eos novum summum Pontificem dedisse. Si verò tempore novæ electionis eos ab Italia procul esse contigisset, certum est, tum Romanos Pontifices à clero, senatu populoque Romano electos, non absque Imperatorum consensu consecratos fuisse.*

Mortuo

Mortuo verò Alexandro II, inquit idem Onuphrius, *die ejus obitus, horâ vesperorum,* 10. *Cal. Maji, Hildebrandus ipse Archidiaconus, tanquam omnium potens & unicus libertatis Ecclesiasticæ assertor, Cardinalium omnium, Cleri populique Romani consensu, nullâ interpositâ aut exspectatâ auctoritate, Pontifex Romanus pronunciatus est.* Et paulò post: *Quamobrem ante Pontificatum, dum potuit, huic consuetudini maximè adversatus est, & præsertim mortuo Henrico III, in electionibus Stephani IX, Nicolai II, & Alexandri II, Romanorum Pontificum, quos omnes sine Imperatoris auctoritate electos & consecratos constat, contra illorum temporum morem, auctore tantum Hildebrando. Ipse verò jam Pontifex factus, nullo modo Imperatoris auctoritatem exspectare voluit, sed consecrationem & coronationem, nullâ ejusdem Imperatoris habitâ ratione, accepit. Quin imò cum privatus, multo tempore ad recuperandam Ecclesiæ Romanæ auctoritatem laborasset, jam Pontifex factus ab incœpto desistere indignum duxit. Quapropter primis Pontificatus sui annis, concilio multorum Episcoporum & Abbatum Romæ congregato, legem tulit, quâ sub anathematis pœna omnibus laicis, cujusve dignitatis essent, omninò interdicit Ecclesiastici sacerdotii (ut tunc dicebatur) investituram seu (ut nunc dicitur) collationem, haud dubiè Imperatorem reliquosque reges designans, qui omnes dignitates Ecclesiasticas ad libitum eorum conferebant.* Simili modo, hac de re idem Onuphrius loquitur in Clemente III: *Inoleverat quadam in omni Ecclesia Latina & præsertim in provinciis Imperatori subjectis consuetudo, qua in Romana etiam aliquando fuit, ut decedentibus Ecclesiarum prælatis tam Episcopis quam Abbatibus annulus & virga pastoralis ad Imperatorem à Clericis ejus civitatis mitteretur: is statim in demortui Episcopi aut Abbatis locum unum ex familiaribus vel Capellanis suis substituens, eum ad Ecclesiam pastore orbatam, nullâ cleri vel populi electione exspectatâ, mittebat. Hæc autem privilegia de Episcoporum & Abbatum, ut vocant, investitura, Imperio & Imperatoribus (temporum necessitate ita exigente) à Romanis Pontif. Hadriano I. Leone III, & VIII concessa fuerunt, Carolo nimirum Magno & Ottoni I. Imperatoribus hominibus sanctissimis, qui iisdē privilegiis sanctissimè utebantur, pastores idoneos Ecclesiis vacantibus vel eligentes vel eligi procurantes. Verum processu temporis omnibus, ut accidit, rectè institutis in malum labentibus & Imperatorum perversitate & avaritiâ corruptis, cum plerosq; pecuniâ, favore Principis seu ejusdē*

familiarium studio, indignos quidem eligi contigerit, solo utpote Principis arbitrio intercedente, non ferenda esse Romanus Pontifex Gregorius VII. existimavit. Quamobrem qui in hisce privilegiis abrogandis privatus multoties laborasset, nec ob Imperatorum potentiam & Romanorum Pontificum prædecessorum suorum segnitiem multum profecisset, jam Pontifex maximus factus, quæ diu animo menteque conceperat executioni mandari omninò disposuit. Primò enim has electiones contra honestatem fieri sæpe clamitans, simulque per ea jura Ecclesiastica & libertatem subversa iri demonstrans, ac per literas Imperatorem admonens ut ab hisce desisteret electionibus, eas liberè clericis & populis civitatum more majorum relinqui debere asserens, eum iterum & tertiò admonitum, & parere recusantem diris & anathemate gravissimo prosecutus est; lege prius in maxima Episcoporum synodo latâ: nemini laicorum, cujusvis ordinis esset, licere in negotiis electionum Prælatorum se intromittere, neminem clericum nisi à sacra manu hujusmodi prælaturas accipere posse.

Petrus de Ferrariis praxi suâ tit. de formula libelli, quo agitur ex sustit. §. ex suo corpore, numero 4. *Nam scire debes tu ignare, quod Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem scilicet & spiritualem, adeò quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia ecclesiastica per universum orbem, & amplius eligebant Papam.* Idem: *Nota quot modis isti clerici illaqueant laicos, & suam jurisdictionem ampliant, sed heu miseri Imperatores & Principes seculares, qui hoc & alia sustinetis, & vos servos Ecclesiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis usurpari videtis, nec de remedio cogitatis.*

Omitto sexcentos ejusdem opinionis & spectatæ fidei auctores, tam antiquos, quam recentiores. Et illud jus penes Imperatores mansit apud Francos & Germanos usque ad tempora Gregorii VII, qui primus in hoc Imperatorum jus violentum fecit impetum: quod testatur idem Onuphrius in ejusdem Gregorii vita. *Non solum*, inquit, *Imperatorem electione Romani Pontificis, quod & Adrianus tertius aliquandò fecerat, sed & omni auctoritate, quâ reliquos prælatos, Episcopos scilicet & Abbates constituebat, primus omnium Romanorum Pontificum privare tentavit Gregorius VII.*

Inde idem ibidem: *Gregorius suis decretis dimidium Cæsari tollebat.* Et: *Maximè laborandum erat Imperatori, ne hæc decreta starent, si Imperii*

perii

perii jura, imò imperium ipsum salvum esse vellet, quod ejusmodi papalibus edictis proculdubiò dissipandum esse existimabat Et: *Pontificis audaciam veritus Imperator, statuit hominem prævenire, quem videbat totas vires suas eo dirigere, ut se imperio privatum in ordinem redigeret, Imperiique majestatem & jura omnia everteret.* Inde sesqui seculo antiquior eo Cynus Pistoriensis in Dictionario Juris, voce Imperator Constantinus: *Pastores Ecclesiæ in lupos rapaces sunt conversi, insatiabiles rerum temporalium, & ambitione dominandi; diversis viis illicitis nixi sunt & nituntur Imperium & Imperialia usurpare; ideo sub eorum gubernatione totus mundus positus est in maligno, & sub regimine tyrannorum: sed, sicut puto, eorum divina vindicta proxima est, & utinam esset proximior.* Eadem illa consuetudo eligendi Episcopos, Abbates &c. viguit ante hæc Gregorii VII. tempora apud omnes Europæ Christianæ reges, ut videre est apud diversos, sed inter alios apud Grotium lib. de imp. sum. potest. circa sacra. Vide etiam Carolum Sigonium de regno Italiæ lib. 1. an. C. 1078. & 79. & alios.

Excommunicati sunt in synodo Romæ & *sine spe recuperationis*, inquit Baronius, Narbonensis, Mediolanensis, Bononiensis, Tarvisinus, Firmianus, Camerinus Episcopi, hique omnes cum sequacibus suis tam Clericis, quam laicis. A.C.1079.

Post synodum hanc inter acta hoc additur juramentum Archiepiscopi Aquilegiensis nuper electi & confirmati, ut narrat Baronius: *Ab hac hora & in antea fidelis ero Beato Petro & Papæ Gregorio, suisque successoribus, qui per meliores Cardinales intraverint: non ero in consilio neque in facto, ut vitam aut membra aut Papatum perdant, aut capti sint malâ captione. Ad synodum, ad quam me vocabunt aut per se aut per suos nuntios, vel per suas literas, veniam, & canonicè obediam, aut si non potero legatos meos mittam. Papatum Romanum & regalia sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine. Consilium autem quod mihi crediderint aut per se, aut per nuntios suos, sive per literas nulli pandam, me sciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo, & in necessitatibus suis adjuvabo. His, quos nominatim excommunicaverint, scienter non communicabo. Romanam Ecclesiam per secularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia observabo, nisi quantum suâ certâ licentiâ remanserit.*

Ani-

Animadverte, lector, & linguæ & seculi barbariem in Ecclesia. *Damnosa quid non imminuit dies? Hoc majores nostri questi sunt*, inquit Seneca, *hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi.*

An. C. 880. Papa Joannes VIII. concessit Moravensibus, noviter ad Christi fidem conversis, liberum vernaculæ linguæ, id est Slavonicæ, in rebus sacris, etiam in Missæ celebratione usum, additis optimis rationibus, ut videre licet in ejusdem Ioannis VIII. ad Moravenses eà de re conscripta epistola. Hanc consuetudinem etiam Bohemi, Moraviæ vicini, secuti videntur; quam non tantum improbat, sed & concessæ libertatis confirmationem petentibus Bohemis, consuetâ austeritate, omninò interdicit Gregorius: hæc enim habet Historia Ecclesiastica Bohem. cap. 5. ut ait Hottingerus Historiæ Sacræ seculo seu cap. 11. *At cum successores intervenientibus subinde Româ inhibitionibus vernaculæ usum iterum collabi paterentur, Vratislaus Bohemiæ Dux, qui paulò post ob Heroica facinora & in Romanum imperium merita rex creatus fuit, Romam missis legatis à Gregorio VII. solemniter olim concessæ libertatis confirmationem petiit. Quid autem obtenuerit, ex Hajecio, scriptore Pontificio, constat, qui rescriptum integrè ponit, fol. 136; quod ex Bohemico (Latinum enim non extat aut certè visum non est) translatum ita sonat: Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Vratislao Bohemiæ Duci salutem & Apostolicam benedictionem. Inter alias petitiones, Celsitudo tua literis suis à nobis requirit, ut juxta consuetudinem linguæ Slavonicæ, apud vos cultum divinum fieri permitteremus. Scito igitur, dilecte fili, nos nullo modo petitioni tuæ locum dare posse. Sæpe enim meditantes sacram Scripturam comperimus omnipotenti Deo placuisse, & placere, cultum sacrum arcanâ linguâ peragi, ne à quibusvis promiscuè, præsertim rudioribus, intelligatur. Nam si ab omnibus communiter & palam decantaretur, facile in contemptum & fastidium deveniret, aut si ab aliquibus mediis hominibus non posset intelligi, per crebram ejus iterationem neque tamen intellectionem, facile errores quivis possent suppullurare, quos è cordibus hominum evellere difficile foret. Neque prætendi potest, indultum aliquando fuisse aliquid simplicioribus, præsertim recens conversis. Verum est concessas fuisse in primitiva Ecclesia ad desideria sinceri simplicisque populi indulgentias:*

sed

sed quoniam compertum est, multa mala, etiam hæreses exinde exortas, nunc stabilito ordine Christiano, connivere amplius non convenit. Concedi igitur non potest, quod populus vester imperitè flagitat, illudque nos potestate Dei & beatissimi Petri inhibemus: teque per honorem Dei omnipotentis hortantes, ut ejusmodi vana temeritati omnibus modis obsistas, tibi mandamus. Datæ Romæ, &c. anno 1079. Hujus epistolæ meminit in initio anni 1080 Baronius, cujus verba produximus anno 1074, sed paulò aliter concepta.

Romæ in synodo renovatur & confirmatur decretum de prohibendis laicorum investituris, quas Simoniam multi ineptè appellabant, & novus canon de electione Episcoporum statuitur, & anathema non tantum in prædictos Episcopos, sed præcipuè in Henricum Imperatorem dicitur. Nota obiter patientiam & mansuetudinem, quam Gregorio sæpe tribuit Baronius, & mirum & insolitum hoc excommunicationis decretum in Henricum:

„ Beate Petre, Apostolorum princeps, & tu Paule, gentium do-„ ctor, vestras; quæso, aures, mihi paululum præbete, meque cle-„ menter exaudite; nam veritatis discipuli estis & amatores: quæ „ dicam vera sunt. Hanc caussam suscipio veritatis gratiâ, ut fratres „ mei, quorum salutem exopto, mihi obsequentius acquiescant, „ sciant, intelligant, quod vestro auxilio fretus, post Christum & „ matrem ejus semper Virginem, flagitiosis & iniquis resisto, fi-„ delibus autem præsto adsum & auxilium fero. Non enim volens „ & lubens hanc sedem conscendi, sed indignus & lacrymans, „ qui me indignum judicabam, qui in tam excelso throno sederem. „ Hæc autem dico, quia non ego vos, sed vos me elegistis, & „ gravissimum pondus humeris nostris imposuistis. In me au-„ tem vestro jussu montem ipsum conscendentem, claman-„ tem & annunciantem populis eorum scelera & filiis Eccle-„ siæ peccata, membra Diaboli consurrexêre, & ad sangui-„ nem usque manus in me conjecêre. Astiterunt enim reges terræ „ & principes seculi, cum his conjurarunt Ecclesiastici quidam, „ & vulgares in Dominum & nos Christos ejus, dicentes: Dis-„ rumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis jugum ip-„ sorum: hoc autem fecêre, ut me morte vel exilio mulctarent:

„ quorum de numero fuit Henricus, quem Regem vocant, Henri-
„ cus,inquam,Henrici Imperatoris filius,qui cornua & calcem con-
„ tra Ecclesiam Dei superbè nimium erexit,factâ conjuratione cum
„ multis Episcopis Italici,Gallici,Germanicique nominis, cujus su-
„ perbiæ vestra adhuc restitit auctoritas, qui fractus potius, quam
„ ad sanitatem redactus, ad me in Cisalpinam perveniens, absolu-
„ tionem anathematis suppliciter quæsivit. Hunc ego, quem ad
„ pœnitentiam venisse credideram, in gratiam recepi, huicque tan-
„ tummodò communionem reddidi, non tamen in regnum, è quo
„ eum in Romana synodo meritò depuleram, restitui, nec vectiga-
„ lia regni, ut ad fidem rediret, concessi. Hoc ideo feci, ut si redi-
„ re in gratiam cum finitimis suis, quos semper vexaverat, dif-
„ ferret, reddereque res tùm Ecclesiasticas tum profanas ex fœdere
„ abnueret, cogi ad officium execrationibus & armis posset. Hâc
„ opportunitate adjuti quidam Germaniæ Episcopi & Principes,
„ ab hac fera bestia diu vexati, in locum Henrici, suis flagitiis è re-
„ gno cadentis, ducem suum & regem Rodolphum deligunt. Qui
„ regiâ modestiâ & integritate usus, statim nuncios ad me misit, à
„ quibus intelligerem, se coäctum regni gubernacula suscipere,
„ non esse tamen adeò regnandi cupidum, ut non malit nobis,
„ quam regnum pollicentibus obtemperare: futurum se in Dei po-
„ testate semper ac nostra, idque ut arbitremur,nobis facturos filios
„ obsides pollicitus est. Stomachari tum Henricus cœpit, & nos
„ primò quidem precari, ut Rodolphum ab occupatione regni exe-
„ crationibus propelleremus. Dixi me velle videre, cui jus compe-
„ teret, & eò missurum nuncios,qui rem omnem rescîscerent, meq;
„ deinceps judicaturum, uter ipsorum in caussa potior habendus es-
„ set. Vetuit Henricus,quo minus res à legatis nostris decerneretur,
„ multosque tum seculares tum ecclesiasticos interfecit, Ecclesias
„ diripuit & profanavit,atque hoc modo se anathematis vinculis il-
„ ligavit. Hanc ob rem fidens in Dei judicio, & misericordia, inque
„ patrocinio B. Virginis, fultus etiam auctoritate vestrâ, ipsum
„ Henricum ejusque fautores anathematis vinculis colligo, atque
„ iterum ei regiam potestatem adimo, interdicoque Christianis
„ omnibus illo juramento absolutis, quo fides regibus dari consue-
„ vit,

,, vit, ne Henrico ulla in re obtemperent, Rodolphum in regem su- *Non eripit terrestria, qui regna dat cœlestia.*
,, scipiant, quem multi provinciæ Principes, abrogato Henrico, in
,, regem optimum delegêre. Etenim par est, ut sicuti Henricus per
,, superbiam & contumaciam facultatibus suis privatur, ita Rodol-
,, phus omnibus gratus, pro sua pietate & religione regia potesta-
,, te & dignitate donetur. Agite igitur Apostolorum sanctissimi
,, Principes, & quod dixi, vestrâ auctoritate interpositâ confirma-
,, te; ut omnes nunc demum intelligant, si potestis in cœlo legare
,, & solvere, in terra quoque imperia, regna, principatus, & quic-
,, quid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse. Si enim
,, quæ ad Deum pertinent judicare potestis, quid de his inferiori-
,, bus & profanis censendum est? Et si angelos dominantes super-
,, bis principibus vestrum est judicare, quid in servos illorum face-
,, re vos decet? Edisant nunc reges hujus exemplo, & omnes seculi
,, principes quid in cœlo possitis, quantique apud Deum sitis, ac
,, deinceps timeant Ecclesiæ sanctæ mandata contemnere. Hoc au-
,, tem judicium citò in Henricum exercete, ut intelligant omnes
,, iniquitatis filium non fortuitò, sed vestrâ operâ è regno cadere.
,, Hoc tamen à vobis optaverim, ut pœnitentiâ ductus in die judicii
,, vestro rogatu gratiam à Domino consequatur. Actum Romæ
,, Nonis Martii, indictione tertiâ. Hactenus Platina in Gregorio VII.
,, sed paulò aliter Baronius.

Vide Matthæum Paris, in vita Gregorii Platinam, & hoc anno Baronium. Finito Concilio Coronam dicitur ad Rudolphum misisse Gregorius, cui hic versus erat inscriptus, *Petra dedit Petro &c.* sed infœlix sequenti anno in prælio contra Henricum cadet Rudolphus.

Henricus audito secundo hoc Gregorii anathemate, convocat Germanorum concilium. *Cum apud Brixiam Noricam*, verba sunt Urspergensis Abbatis, *triginta Episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu Henrici Regis congregaretur; factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam cognominatum Gregorium VII. quem pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum Principem, & præcipuè sanctæ Romanæ sedis invasorem affirmantes, & Apostolicâ sede depellendum, quamvis absentem judicabant, & Guibertum Ravennensem Archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant.*

bant. Hujus decreti conclusio hæc est: Quia, inquiunt, illum constat non à Deo electum, sed à seipso in fraude & pecunia impudêntissimè objectum: Qui ecclesiasticum subvertit ordinem: Qui Christiani Imperii perturbavit Regnum: qui Regi Catholico & pacifico corporis & anima intentat mortem: qui perjurum defendit Regem; qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia: & quicquid quietè inter piè viventes stare videbatur, concussit. Nos auctore Deo congregati in unum, legatis & litteris freti decem & novem Episcoporum, die sancto præterita Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia & incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum: divinationum & somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonico spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum & expellendum, & nisi ab sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta hæc sunt septimo Kal. Iulii, feriâ quintâ, indict. tertiâ.

Chron. l. 3. A.C. 1081. Sic Marianus Scotus in Chronico suo narrat, *triginta Episcopos ab Henrico Cæsare Romam obsidente congregatos dixisse in synodo, Gregorium profanum, scelestum, amatorem discordiæ, virum sanguinum, sedem Apostolicam usurpasse per Necromantiam.* *lib. 1. cap. 1. de gestis Friderici.* Otto Frisingensis Episcopus testatur, Gregorium, à Brixinensis synodi Episcopis appellatum pseudomonachum & Necromanticum. Ipsa decreti conclusio ab Ursper- *Sigon. hist. de regn. Ital. lib. 9.* gensi relata, à Sigonio & Onuphrio in ejus vita rememoratur. Et cum de hisce dubitare velit Baronius, quare non potior & antiquior horum historicorum erit auctoritas, quam unius Baronii? Sed quemadmodum Gregorium execratur synodus Moguntina & Brixinensis, sic contra alii Guiberti seu Clementis varia enumerant vitia, & mille eum proscindunt conviciis. Infactionibus plerunque prædominantur mali. Aventino Guibertus est concordiæ & pacis studiosus, vir bonus & eruditus, aliis sanctus est Gregorius.

De hisce reciprocis & reiteratis execrationibus sic loquitur idem ille jam sæpe memoratus Anonymus: *Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, ut ipsi jactabant, illigavit: sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eò quod non rationis sed arbitrii, non amo-*

ris sed odii videretur. Cernens autem rex Apostolicum ad hoc tendere ut se regno privaret, nec alia suâ obedientiâ conventum, nisi ut regno renuntiaret: ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa, obsecro, rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut Ecclesiasticum caput de suo culmine dejicias, & in reddenda injuria te reum facias: injuriam pati, felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque Rex caussas & occasiones, qualiter eum ejiceret, inventumque est, eum Romanam sedem olim abjuratam insedisse, quam idcirco abjuraverit, quia ad eam, dum Archidiaconus esset adhuc vivente domino suo, per ambitionem aspirare voluerit. Vtrum hæc vera sint an falsa, parum comperi: alii asserebant, alii figmentum esse dicebant. Vtrisque Roma fuit in argumentum: his, quod Roma mundi domina nunquam pateretur tale nefas; illis, quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret, ob pretium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare.

Inveniuntur aliquot epistolæ apud eundem Anonymum, adnexæ vitæ Henrici IV. Cæsaris Augusti ad diversos, & inter cæteras hæc ad Gregorium VII. cum hac inscriptione:

Henricus non usurpativè, sed piâ Dei ordinatione Rex, Hildebrando, jam non Apostolico, sed falso Monacho.

Hanc talem pro tua confusione salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores S. Ecclesiæ videlicet Archiepiscopos, Episcopos vel presbyteros non modo tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut servos nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem omnia nosse judicasti, qua utique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti, ut jure hoc beatum Gregorium, cujus nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetasse sic dicentem: Ex affluentia subjectorum plerumque animus Prælati extollitur; existimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse: & nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ sedis honorem conservare studuimus: sed tu humilitatem nostram timorem

fore intellexisti, ideoque in ipsam regiam potestatem nobis à Deo concessam, exsurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari, quasi nos regnum à te acceperimus, quasi in tua, non in Dei manu sit Regnum vel Imperium. Quia Dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutiâ & fraude, quodque monachica professio abominatur, pecuniâ favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum Episcopos nostros à Deo vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti: dum laicis ministerium super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condemnent, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendos acceperant. Me quoque (licet indignus inter Christianos sim ad regnum vocatus) te teste, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit; nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitaverim, deponendum asseruit: cum etiam Iulianum apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi sed soli Deo deponendum commiserit, ipse vero quod verus Papa beatus Petrus clamat? Deum timete, Regem honorate. Tu autem qui Deum non times, me constitutum ejus inhonoras. Unde beatus Paulus; ubi angelo de cœlo, alia si prædicaverit, non pepercit: te quoque in terris alia docentem non excepit: ait enim: si quid vel ego, vel Angelus è cœlo præter id quod euangelizavimus vobis euangelizaverit, anathema sit. Tu igitur hoc anathemate & omnium nostrorum Episcoporum judicio damnatus descende, vendicatam tibi sedem Apostolicam relinque, alius in solium beati Petri ascendat, qui nullâ violentiâ religionem palliet, sed Beati Petri sanam doctrinam doceat. Ego Henricus, Rex Dei gratiâ, cum omnibus nostris Episcopis dicimus, descende, descende.

Hæc secunda est ab eodem Rege ad Hildebrandum epistola: *Cum hactenus à te ea quæ sunt Patris exspectarem, tibique in omnibus magnâ fidelium nostrorum indignatione obedirem, recepi à te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset: Nam cum primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti: neque hoc contentus, in reverendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis, acerbissimisque*

que contumeliis contra divina & humana jura (ut ipsi ajunt) exagitasti. Quæ omnia cum ego quâdam patientiâ dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans, quæ nosti scilicet, (ut tuis verbis utar) quod ut aut tu morereris, aut mihi animamque regnumque tolleres. Hactenus Henricus Rex.

Cum Gregorius, Papa subdoli & versuti ingenii, intelligeret, se ab Henrico Rege in synodo Brixiensi non tantum excommunicatum, sed & Papatu dimotum, & Guibertum Archiepiscopum Ravennatem in Pontificem Romanum electum, novas artes & nova fœdera excogitavit. Nam Robertum Nortmannum, Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ ducem, jam toties excommunicatum, anathemate absolvit, certis conditionibus: videlicet, ut terras, ob quas sæpius excommunicatus fuerat Robertus, sibi reservaret: ut se Gregorii totiusque Ecclesiæ Romanæ defensorem fidelissimum exhiberet: ut ad electionem Papæ, post mortem Gregorii auxiliatrices manus præberet. Vide juramentum fidelitatis Gregorio à Roberto factum, & investituram Apuliæ Calabriæ & Siciliæ per Gregorium Roberto concessam. Juramenti hoc est initium. *Ego Robertus Dei gratia & S. Petri, Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux; ab hac hora & deinceps ero fidelis S. Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedi, & tibi, Domino meo Gregorio universali Papæ &c.* nimirum promittit auxilium pro conservatione Papatus contra quoscunque, & pro electione & ordinatione Pontificis Romani. Vide formulam juramenti fidelitatis hujus Roberti, à Nicolao II. facti pro investitura illi firmata, & ab eo Roberto concessa, apud Baronium an. 1059, pag. 272. & an. 1080. pag. 537. sed formulam investituræ à Nicolao concessæ omittit illustrissimus Cardinalis. Investituræ initium hoc est: *Ego Gregorius Papa investio te, Roberte Dux, de terra, quam tibi concesserunt antecessores mei S. memoriæ Nicolaus & Alexander &c.* Addita est constitutio annuæ pensionis, duodecim videlicet denariorum pro unoquoque jugo boum.

Sic Gregorius & prædecessores Gregorii possessionem istarum regionum concedunt Roberto, quas vi & armis Imperatori Orientis eripuerat idem Robertus. Nam cum inter Irenem & Nicephorum Orientis Imperatores & Carolum Magnum Occidentis Imperatorem de limitibus imperii disputaretur, transactum est inter eos,

&

& Neapolis & Sipontum in Italia, utriusque Imperii constitut sunt limites.

Duo hic consideranda veniunt: Cum justitiæ sit suum cuique tribuere, & alienum non occupare, nescio quo jure investituras suorum bonorum vel certâ lege collatorum prohibeat Imperatoribus Gregorius, *cum ea de caussa Episcopos investire* (ut olim scripsit Helmodus) *solius sit Imperatoriæ majestatis*: Papa verò investituram bonorum alienorum concedat Roberto, violento & injusto raptori; nisi illo jure, quod nobis paulò ante suppeditarunt præfati & memorabiles illi dictatus Gregorii VII. qui proculdubiò cum Paulo II. omnia jura in scrinio pectoris sui collocata credidit, cui pro arbitrio animi, omnia aliorum acta rescindere vel approbare liceret.

Platin. in vita Pauli II.

Audiamus quid historici nobis reliquerint de congressu Henrici cum Rudolpho, & de divinatione Gregorii Papę de morte Imperatoris Henrici. Sigibertus an. C. 1080, *Hildebrandus Papa*, inquit, *quasi divinitus sibi revelatum prædixit, hoc anno falsum regem esse moriturum. Et verum quidem prædixit, sed fefellit eum de falso rege conjectura, secundum suum velle, super Henrico Rege, interpretata. Rex enim Henricus cum Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congressu falsus Rex Rudolphus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur.* Idem habet Matthæus Paris eodem anno 1080. De hoc congressu valdè memorabili ita scribit Helmodus in Chronico Slavorum lib. 1. cap. 29. *Congregavit* Henricus *exercitum grandem, ut expugnaret Rudolphum, fuitque cum eo famosissimus ille dux Godefridus, qui postea liberavit Hierusalem, multique potentum. Saxonum verò atque Suevorum exercitus erant cum Rudolpho. Pugnaverunt ergò Reges mutuò & victa est pars Rudolphi, cecideruntque Saxones & Suevi. Porrò Rudolphus vulneratus in manu dextra fugit Marcipolim, mortique jam proximus dixit ad familiares suos: Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hâc ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. Sed jussio Apostolica Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis; quia in manu unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens, cum gravi molestia diem clausit extremum.*

Maria-

Marianus Scotus hæc de Rudolpho: *Bellum juxta Elistrum, Misniæ flumen committitur, in quo Rudolphus Rex occiditur, & Mersburgi sepelitur. Saxones verò victoriam reportarunt.* Idem habet Abbas Ursper-gensis, & alii; qui etiam referunt pœnituisse Rudolphum, & addidisse in ipso exitu, *quod contra Henricum Regem insurrexisset, dextram, quâ ipsi juraverat, justo Dei judicio abscissam*; Imò sic allocutum fuisse Episcopos præsentes: *spectate dextram legitima supplicia expendentem, quæ fidem, sacramento munitam, & Henrico Domino meo datam, vobis urgentibus præter æquum & fas, temerè violavit. Videte, qui me contra Dominum meum solium ascendere fecistis, ut rectâ viâ, me vestra monita sequentē duxeritis*; quibus dictis exspirasse narratur. Ab aliis dicitur Rudolpho circa ilia letale vulnus inflictum fuisse ab illo illustri Godefrido Bullionęo: quidquid autem sit, ita ejus morte consternati sunt Saxones, quamvis victores, ut se victos cęso capite faterentur; victi verò cōtra gloriarētur, omnes hostes, uno illo capite amputato, esse occisos.

In synodo Romana tertium excommunicatur Henricus Rex, cum suis fautoribus, & scribit Gregorius ad legatos suos in Germania de creatione novi Regis in locum Rudolphi, & formulam juramenti à Rege faciendi præscribit his verbis: *Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro Apostolo, ejusque vicario beato Gregorio, qui nunc in carne vivit, & quodcunque ipse mihi præceperit, per veram obedientiam fideliter observabo. De ordinatione vero Ecclesiarum & de terris vel censu, quæ Constantinus Imperator vel Carolus S. Petro dederunt &c.* quæ ita finit: *& illo die, quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles S. Petri, & illius* (Gregorii) *efficiar.* A.C. 1081.

Robertus Dux Apuliæ &c. exercitu quindecim mille hominum superat Alexium Commenum Imperatorem Orientis, qui centum & septuaginta millia pugnatorum in prælium producebat. Leo Ostiensis.

Gregorius scribit post hanc victoriam literas gratulatorias Roberto Duci, & opem contra Henricum, bellum in Italiam transferentem, implorat. Baron. Lib. 9. epist. 17.

Occiso Rudolpho Henricus cum exercitu Romam venit, habens in comitatu suo Liemarum Bremensem Archiepiscopum, penes quem tunc summa consilii erat. Et resistente sibi Papâ Hildebrando cum Romanis, ante castellum S. Petri castra posuit: ibi etiam crebris per biennium incursibus Romanorum

infestatus, parvâ manu multa viriliter egit. Albertus Stadiensis.

Saxones gens dura nec damno monita est, nec signo: quin potius ut obstinatione vinceret, quod manu non poterat, Herimannum novum sibi Regem constituit, qui & ipse novo modo periit. Nam cum Saxones eum de terra sua proturbarent, quidquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, reversus in patriam suam Lotharingiam, portans inane nomen Regis, ad Herimannum Trevirensem Episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra Regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia Regis, qui alendus fuerat non ex suis, sed ex opibus alienis? quâdam die cum iter ageret, incidit animo suo jocus ille, ut ad castellum, quo ituri erant, sub specie hostium ruerent, & qua audacia, qua virtus defendentium animis inesset, tentarent: quam mirabilem, quam inopinam viam sæpe invenit, quod futurum est ut fiat? Cumque portam absque claustris & absque custode repertam irrumperent, aliis, qui intus erant, raptis armis viriliter contra procurrentibus, aliis latebras exerviter quæritantibus, fœmina sexu, non animo, quæ in turrim evaserat, molarem lapidem in caput Regis dimisit: & sic ille manu fœmineâ, ut mors ejus turpior esset, occubuit. Sed ut hoc dedecus dealbarent, fœmina factum in virilem personam ex composito transtulerunt. Simili planè exemplo, quo tyrannus Abimelech, Judicum c.9. verf. 53. periit. Auctor vitę Henrici anonymus; sed hæc postrema sequenti anno contigerunt.

A.C.1083. Idem ille anonymus refert, *mortuo Herimanno Lotharingo, Marchionem Elbertum Saxonem Regnum ambiisse & arripuisse, sed cum in molendinum solitarium somni caussâ se cum suis contulisset, ferocissimum Regis hostem à militibus regiis obrutum, & non in acie, sed in molendino turpiter occisum. Interim Henricus exercitum congregat, Romam venit, & porticum S. Petri seu civitatem Leoninam per vim capit, magnaque ex parte destruit, & Guibertum, Archiepiscopum Ravennatem, Apostolicæ sedis Episcopum absque Romana Ecclesia consilio instituit; qui vocatus est Clemens III.* Leo Ostiensis.

Bertholdus Gregorio addictior: *Gregorius convocat synodum, in qua ne Henricum iterū specialiter anathematizaret, vix à synodo exoratus, omnes tamen excommunicavit, quicunque aliquem ad S. Petrum & Papam venientem impedirent quoquo modo.* Pergit idē Bertholdus paulò post: *sed jam septennio totum Romanum Imperium civili bello nimio schismatis dissidio labo-*

laboravit, aliis quidem Domino Apostolico, aliis autem Henrico faventibus, & ob hoc utrimque totum Regnum pradâ, ferro & igne miserabiliter devastantibus: paucissimi Catholici, id est, pontifici addicti, *Episcopi ex parte Apostolici remanserunt, qui ex propriis sedibus pulsi, suis gregibus providere non permittebantur. Quapropter omnes fermè religiosi, sive Clerici sive laici in aliqua monasteriorum latibula confugientes, hujusmodi mala declinaverunt, ne videlicet devastationem sanctæ Ecclesiæ viderent, cui in nullo adminiculari possent: satius enim illis videbatur, ut saltem seipsos delitescendo salvarent, quam pro aliis incassum laborando cum eisdem perirent.*

Nortmanni timent Imperatorem, eorum legati orant Desiderium Abbatem Cassinensem, postea successorem Gregorii in Pontificatu, *ut secum ad Imperatorem pergat: licet autem ob securitatem suam unà cum Imperatore componerent fœdus, eo tamen etiam animo pergebant, ut pacem inter Imperatorem Pontificemque tractarent. Hoc ubi Gregorio Papæ nunciatum est, Imperatorem cum suis fautoribus ab Ecclesiæ communione separavit. Normanni his cognitis, cum antea Pontificem sincerè fideliterque dilexissent, & corpore & animo tunc alienati sunt.* Leo Ostiensis. *Chronic. Cassin. lib. 3. cap. 49.*

Henricum Romam venientem Gregorius *noluit recipere; imò respuit illum alloqui vel videre, nisi offerret sibi regale sceptrum, & redderet in manus suas regiam potestatem & honorem & regnum: quale scilicet mysterium iniquitatis dicitur à Domino super Principem Tyri, quoniam elevatum est cor ejus, & dixit; Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi: non est enim potestas, nisi à Deo; ideoque vel Petrus princeps Apostolorum non usurpavit sibi aliquid ordinare de regno: sed subjecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum.* *Auctor. Apolog. de unitate Ecclesiæ &c.*

Ergo Rex, inquit ille anonymus, *cum obstinatum Papæ animum non posset inclinare ad studium pacis aliâ pactionis conditione, nisi cederet regno, quod Deo ordinante obvenerat sibi, avitâ pariter & paternâ successione: tunc demum usus belli necessitate, cum exercitu Romam perrexit, urbemque obsidione occlusit, & qua sibi aditum, illis exitum negavit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas everterent, bona diri-* A.C. 1084.

 perent:

perent: provinciaque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus. Foris bella, intus metus erat: undique machinæ surgebant; hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contra qui in urbe erant tela, saxa, præustas sudes, ignemque jactabant, interdum egressi cominus committebant: utrimque fortiter pugnatum est, hos caussa, illos periculum fortes fecit. Tandem, pergit ille auctor, *milites Henrici raptis armis & scalis properantes, citius, ut ajunt, dicto, murum superantes, captam urbem seriò defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur jam Rex portarum reclusum aditum, sed in ultionem temerariæ præclusionis jussit, ut fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quà totus exercitus æquato junctoque latere se simul immergeret. Igitur ubique mors, ubique luctus erat; Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus in castrum S. Angeli, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam suæ præsumptionis pœnituit, & quæ prius meruisse poterat, ut à Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecuniâ à Rege vix obtinuit, ne tota subverteretur. Mox sedatis omnibus, Rex caussam cur venisset in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit, multisque hoc ita factum confessis, Clementem Papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse communi omnium favore consecratus, Imperator & Patricius factus, Romæ se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuit.*

Anno Domini 1084 *Romani Henricum Imperatorem receperunt, & à Papatu abjudicatur eorum judicio Hildebrandus, in cujus sedem VVibertus Ravennensis urbis Archiepiscopus inthronizatur, ac Clemens nominatur, ac justè omnes Hildebrandum fuisse depositum conclamant, tanquam læsæ majestatis reum, qui contra Imperatorem alium ordinaverat. Illi autem qui contra sentiebant reclamantes, asserebant paucorum & laicorum judicio Papam amoveri non posse: & quod gravius est, in locum viventis Episcopi non debere alium ordinari. Henricus tamen in Imperio restitutus est, & à Papa Clemente benedicitur patricius Romanorum. Eodem quoque anno Casinensium Abbas Desiderius contra Clementem Papa efficitur, sed citò post moritur, morbo dysenterico dissolutus.* Hæc habet Matthæus Paris in Wilhelmo Conquæstore.

Cæsar coacto procerum & Episcoporum senatu, advocatâ concione po-

puli, more majorum comitia Pontificalia habuit, in quibus Hildebrandus abdicatur, & Gyibertus Ravennas in Pontificem maximum eligitur. Aventinus. Pergit Anonymus: *Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamavit, & ipsa Roma asserit. Imperator consueverat quoddam oratorium* (in sanctæ Mariæ, ut habet Bertoldus) *orationis caussâ frequentare, & nullum diem quin veniret prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, ubi tantò intentius, quantò secretius orationi vacaret. Hanc ejus consuetudinem dum quidam profanæ mentis attenderet, seu propriâ, seu potius alienâ stimulatus nequitiâ, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublatâque de laqueari tabulâ, quæ caput Imperatoris rectè despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper observabat, dum Imperatot staret ad orandum in loco, quo consueverat. Tamen ille alieni avidus exitii, sed nescius sui, cum pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco moverat) cum pondere, infelix ipse pondus, illæso Imperatore cecidit. Per totam Romam citò res innotuit, & plebs, quæ non facilè sedari potest, dum mota fuerit, invito Imperatore, semianime corpus per rupes, per saxa, tractum, in frusta discerpsit. Tum verò cuncti rem signo non eventui aßignantes, fide & animis Imperatori devinctiores facti sunt, & inimicum consilium non solum illi fideles firmavit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicque, dum nocere studuit, profuit.* Idem refert Bertoldus in historia sui temporis lib. 3. cap. 52. sic pergit Leo Ostiensis: *Anno sequenti Imperator Henricus Romam cum exercitu venit, & supradictum Papam Gregorium, qui in arcem S. Angeli se contulerat, variis bellicis machinis, modis omnibus oppugnare cœpit. Hoc ubi Roberto Duci, qui eâ tempestate Imperatorem Constantinopolitanum oppugnabat, nuntiatum est, Boamundo filio in ipsa expeditione derelicto, Italiam ocyus repetit, atque ingenti coacto exercitu ad Pontificis liberationem adversus Imperatorem ire disponit. Quod postquam Desiderius (Abbas Caßinensis) comperit, Romam nuntium dirigit, qui & Papæ proximam eruptionem, & Imperatori Ducis nuntiaret adventum. Tunc urbe egressus Imperator, quia sine militum præsidio erat, Castellanum oppidum*

dum subiit: Robertus autem Dux Romam cum exercitu nocte ingressus, ex consilio Cincii Romanorum consulis, ignem urbi injecit. Romani rei novitate perculsi, dum extinguendo igni toti incumberent, Dux ad arcem S. Angeli continuò properans, atque inde Pontificem abstrahens, Româ sine mora egreditur, & Gregorium Papam ad nostrum deducit monasterium, Cassinum. *Antequam ab urbe recederet*, inquit Bertholdus, *Dominus Papa, collectâ synodo iterum*, hoc est quartum, *in Henricum & Guibertum, & omnes eorum fautores sententiam anathematis promulgavit.*

Hoc anno exsul Salerni moritur Gregorius VII. Henricus verò in Germaniam redux acta in Italia confirmat.

De Gregorio decumbente narrat Bibliothecarius apud Baronium, *eum præscientem se eo morbo interiturum dixisse: Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Nauclerus generat. 37. *Fertur quoque*, inquit, *idem Gregorius in extremis dixisse: Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior; nisi quis eum arguat ob censuræ gravitatem, quam tanta, uti diximus, in Occidentali Ecclesia scandala sunt secuta.* Alii aliter. Nam Matthæus Paris an. C. 1086, sub Wilhelmo Conquæstore hæc habet. *Eodem anno Gregorius Papa (qui & Hildebrandus dicitur) apud Salernum moritur, & moriens Cardinalibus advocatis confessus est se valdè peccasse in cura pastorali, & suadente diabolo contra humanum genus iram Dei & odium concitasse. Successit ei in Cathedra Romana Clemens; cui post paucos dies defuncto, Caßinensium Abbas Desiderius successit, & Victor nuncupatus est. Benè interim est*, ut inquit G. I. V. in notis ad Consilium Michaëlis Lonigi, Gregorio XV. exhibitum, *quod creditur Gregorius iste, cum instaret mors, culpam agnovisse, ut refert Sigebertus ad an. C. 1085. Imò Florentius VVigorniensis in Chronico ad annum 1084, testem ejus rei laudat Moguntinum Archiepiscopum, quod addo, ne quis à partibus Henrici confictum putet. Nec tamen, si commentici um sit, multum laboro. Nam de Gregorio, cujus exemplo pugnat Lonigus, meritò illud dixero, quod de Nerone ait Tertullianus in Apologetico cap. 5. Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim illum scit, intelligere potest non nisi aliquod bonum grande ab illo damnatum.* De eligendo successore hoc Consilium dedisse moribundum Gregorium refert Wilhelmus Malmesburiensis, historicus Anglus: *si vellent hominem in seculo potentem,*

elige-

eligerent Desiderium, Abbatem Casinensem, qui salubriter & in tempore numero militari (per Normannos) *violentiam Guiberti infringeret: sin Ecclesiasticum & eloquentem, acciperent Episcopum Hostiensem Ottonem. Ita obiit vir apud Dominum felicis gratiæ, apud homines austeritatis fortaßis nimiæ.* Qui ambo ordine successerunt Gregorio, & secuti sunt in omnibus Gregorii vestigia: Desiderius nomine Victoris III, Episcopus Hostiensis nomine Urbani II.

Quid de Gregorii miraculis Bibliothecarius, quid Leo Ostiensis, quid de ejusdem Gregorii sceleribus Benno Cardinalis, quid Sigebertus & alii, judicent alii, nam plerique fuêre partium studiis abrepti. Sed quis quæso hominis torvam, & rigidam austeritatem ferre posset, quę omnes affectus humanos & ipsam rationem adimit? quis in Pontifice, vicario Christi, tam enormem laudabit ambitionẽ? Quis ante eum tam crebra in Imperatores, Reges, Duces, Cardinales, Episcopos, & alios infinitos anathematis vibravit fulmina? Quis unquam Imperatores, Reges, &c. regnis suis privavit & subditos à fidelitate etiam juratâ absolvit? Sed occasione defuncti Gregorii, quid plerisque Henrici hostibus acciderit paucis videamus. Amputata est in acie contra Henricum Rudolphi perjura manus: Herimannum occidit turpis fœminæ per lapidem ictus: Egbertus in molendino inhonestâ morte periit, (licet ea de Herimanno & Egberto postea contigerint.) Insidiator ille cum saxo, quo Henrico oranti Romæ in templo mortem parabat, miserè lapsus à plebe discerpitur. Comes quidam Alemanicus, apud Matthæum Paris, gravissimus Henrici persecutor, à muribus perfidiæ causâ devoratur. Lectu digna historia, si vera. Gregorius coactus ab Urbe secedere, extorris mense Majo, mense verò Julio ejusdem anni extra patriam obiit Robertus Guiscardus: imò & conjurati ferè omnes uno anno malè perierunt, ut habet Aventinus. De pœnâ utriusque immorigeri & ingratissimi filii postea. Nota hic obiter, si alibi, manifestam Dei vindictam contra tam multos, qui adversus Henricum IV. conspiraverant: quæ observatio res est memoratu digna.

Varii variè de moribus Imperatoris Henrici & Papæ Gregorii VII. scribunt; vide Platinam in vita Gregorii VII, apud Abbatem Urspergensem examen excommunicationis Imperatoris inter Moguntinum

guntinum & Salsburgensem Episcopos, Nauclerum gen. 36. & 37. Sigon. lib. 9. &c. nam culpantur ab his, laudantur ab illis. Mihi, *Iliacos intra muros peccatum est & extra. Et certè*

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.

Quare non inconvenienti loco hic addam virtutes & vitia Henrici IV. & Gregorii VII. qui duo præcipui fuerunt, in perniciosa & deploranda hac tragœdia, de imperio summarum potestatum circa sacra, actores, à Joanne Aventino lib. v. Annalium Bojorum conscripta. „ Extant, *inquit*, in bibliothecis nostris epistolæ, diplomata, edi-„ cta, rescripta Henrici & Hildebrandi, ultrò citròque missa. Ego „ horum instrumentorum publicam sequar auctoritatem, utriusque „ caussam sedulò & ex fide perorabo. Vitiis utriusque (ut homines „ fuerunt) notandis amicis, in virtutibus prædicandis hostibus cre-„ dam. Nam Henricum stupris, amoribus, impudicitiæ & adulte-„ rii flagrasse infamiâ, ne amici quidem negant : cæterum in pau-„ peres, monachos, sacerdotes, munificentissimum ; constantiâ in „ adversis, fide in dedititios, clementiâ in hostes, pietate, pruden-„ tiâ civili & militari eximiâ, specie & majestate corporis magno-„ rum operum capaci, quibus eum natura dignata, omnes antecef-„ sisse ; Hocque fastigiò dignissimum fuisse etiam inimici fatentur. „ Et Gregorium virum sanctissimum, pervicaciorem extitisse Pau-„ lus Berriedensis, qui ejus vitam libris duobus complexus est, & „ reliqui ejus partium acerrimi propugnatores produnt. Gerochus „ quoque (quo nemo acrius scriptis libris Hildebrandum tutatus „ est, utpote qui crimina Cæsari objecta, quæ apud nullum alium „ legerim, explicat) tandem suæ partis pertinaciam, ne dicam ty-„ rannidem, hisce verbis coactus veritate notat. Romani, inquit, „ sibi divinum usurpant honorem, rationem actorum reddere no-„ lunt, nec sibi dici æquo animo ferunt, Cur ita agis? Illud satyri-„ cum inculcant;

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

„ Quænam fælicitas ejus temporis fuerit vel hinc existimari li-„ cebit, quod ejus tempestatis illustris, & gravis imprimis & elo-„ quentissimus scriptor, nomen suum prodere non audet. Et ad-„ modum scitè acriterque ad factiones, ad fraudes, ad sceleta, in-„ quit,

„ quit, perventum est; vera scribere periculum, falsa crimen. Ha„ ctenus Pontifices Romani Comitiis curiatis, calatis, à sacerdoti„ bus, equitatu, plebe, senatu per omnium generum suffragia electi „ fuerant; id tum ratum fuisse reperio, si Imperatores Romani au„ ctores fierent, qui illos sicut alios Episcopos ad concilia suo jure „ evocabant: Cæteros quoque universos Pontifices, monachorum, „ mystarum magistros ex Concilii decreto, comitiis centuriatis, „ per suffragia purpuratorum, more majorum, Imperatores per „ Germanias, Galliam Teutonicam, Italiam, Romanum orbem, „ sicuti in Carolo Magno commemoravi, capiebant sanctissimi „ Patres, quemadmodum Christus Dominus & Deus noster, co„ mites & legati ejus fecerunt, & alios docuerunt, Cæsares in ter„ ris à Deo secundos, ante omnes mortales primos, à supremo nu„ mine datos, divinitus constitutos, ab immortali Deo electos, & „ ut illi vocant, coronatos, venerabantur, dominosque suos voca„ re solebant. Eisdem tributum, censum, non denegabant, pro „ eorum salute quotidie comprecabantur: Imperata detrectantes, „ tanquam cœlesti provinciæ resistentes, videri contra pietatem „ Christianam fecisse decernebant. Grande nomen esse Impera„ toris, à Deoque tradi prædicabant, Reipublicæ turbis, ne„ dum armis, ut milites Christi se non immiscebant: paupertate & „ modestiâ cum cæteris Christianis decertabant, quo quisque „ submissius se gereret, hoc majorem esse sentiebant. Ensem an„ cipitem, gladium duplicem Christianæ civitati datum ad „ servandum vivificandumque, non occidendum esse putabant: „ eundemque spiritualem appellabant, qui est sermo Dei, vi„ ta & lux hominum, & mortuos ad vitam revocat, ex ho„ minibus Deos, ex mortalibus æternos facit: tantum abfuit, „ ut illi vel regum quempiam, vel impium, vel Arrianum re„ gno pellere, eidem sacrificiis interdicere, populum sacra„ mento solvere tentarent, atque regna evertere, sanguine hu„ mano se polluere, pro principatu cum Christianis certare si„ bi permittant. Vicissim hos principes, sicut parentes animo„ rum communes amabant. Gregorius VII. qui & Hildebran„ dus, fretus armis Nordmannorum, qui tum per Apuliam, Cala-

,, briam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, confi-
,, sus etiam opibus Machtildæ, mulieris impotentis, & discordiâ
,, Germanorum, primus contra morem majorum contemptâ Im-
,, peratoris auctoritate, pontificatum maximum occupavit. Utram-
,, que personam sibi impositam esse à Christo, se quodcunque, ut
,, liberet, ligare, solvere posse, jactitare, utramque personam agitare.
,, Occidentem adserere, omnem potestatem in se transferre, nemi-
,, nem parem, nedum superiorem ferre, justa aliorum imminuere,
,, cæteris jus atque honorem præripere, cuncta in se transferre: Cæ-
,, sares Reges Augustos, ut precariò regnantes, floccifacere: Pontifi-
,, ces Episcopos in ordinem redigere, devovere, capite diminuere,
,, lites, bella concitans, discordias serens, factiones confirmare,
,, jusjurandum, pacta, sacramenta solvere cœpit: etiamsi injuriâ
,, vel ipsum Cæsarem affecerit, tamen se metui oportere, in qua-
,, dam gloriatur epistola, utpote qui errare non possit, & à Christo
,, Domino servatore nostro, Petroque acceperit potestatem, ut sol-
,, vat ligetque utcunque libeat. Tum mores ambitione avaritiâ-
,, que corrupti paulatim invaluere, tempora periculosa cœpere, quæ
,, nobis cavenda Christus servator noster, Petrus ac Paulus longo
,, antè tempore probè cantarunt. Tum illa quæ de Sylvestro & Con-
,, stantino vulgò inculcantur, & alia pleraque, quæ ob modestiam
,, Christianam referre pudet, non minus imperitè quam impuden-
,, ter mendaciterque conficta sunt, simulata religio, species pietatis
,, invasit. Compilationes, nundinæ sacrorum irrepserunt, & sacro-
,, sancta Philosophia humanis commentis, fabulis anilibus à syco-
,, phantis callidâ interpretatione pollui, corrumpi, violari, cœpit:
,, adeò, ut sine multorum pernicie religio sancta procurari & ad
,, pristinam majestatem restitui non possit. Ante hæc Occidenta-
,, les Christianos Deus parens indulgentissimus, per alienos à reli-
,, gione, nempe Saxonas, Hunnos, Nortmannos, Venetos, Longo-
,, bardos, Ungaros, verberibus, flagellis, ferulis sæpius ac crebrò
,, continenterque castigavit: nunc verò velut ab irato patre neglecti
,, atque exhæredati, more malorum (ut vulgo dici solet) geniorum,
,, invicem pejus Turcis per quadringentos amplius annos sævimus
,, (cantantibus classicum qui prohibere deberent) fallimus, decipi-
,, mus,

„ mus, circumvenimus, defraudamus, trucidamus, in viſcera fer-
„ rum convertimus. Noſtræ libidini relinquimur, noſtro vivimus
„ arbitrio, ſuperbè, avarè, impunè agimus, Deum immortalem
„ mendacii arguere non erubeſcimus. Atque is Hildebrandus qui
„ & Gregorius VII, primus Imperium Pontificium condidit, quod
„ ſucceſſores per quadringentos quinquaginta annos continenter,
„ invito mundo, invitis Imperatoribus, adeò duxêre, ut inferos,
„ ſuperos, in ſervitutem redegerint atque ſub jugum miſerint, at-
„ que cuncta fulmine perterritent:

Quò bruta tellus & vaga flumina,
Quo Styx, & inviſi horrida Tanari
Sedes, Atlantæuſque finis
Concutitur, mutant ima ſummis.

„ Utcunque libet de cælo ad inferos præcipitant, rurſus ex inferis
„ ad aſtra tollunt. Jam Imperator Romanus nihil amplius, appella-
„ tio modò eſt, ſine corpore, ſine ſpecie. Tametſi ex arbore fructus
„ cognoſcantur & nemo ex ſpinis colligat uvas, & miles ſignum
„ ſui tribuni agnoſcat: nobis tamen ante tempus nòn licet ullum
„ judicare, ſed cum ſumma patientia, maximo cæleſtis ſapientiæ
„ ſtudio, ſecundum divi Pauli præceptum, exſpectandum eſt perpe-
„ tuum æterni prætoris edictum; ſed ut me hoc faſce moleſtiſſimo
„ quam celerrimè levem, reliqua exequi pergam. Sacerdotes illâ
„ tempeſtate publicè uxores ſicut cæteri Chriſtiani habebant; fi-
„ lios procreabant, ſicut in inſtrumentis donationum, quæ illi tem-
„ plis, myſtis, monachis fecêre, ubi hæ nominatim cum conjugibus
„ teſtes citantur & honeſto vocabulo presbyteriſſæ nuncupantur,
„ invenio. Cæſar tum, quemadmodum in Carolo Magno, etiam
„ explicavi, Epiſcopos, Pontifices, antiſtites, monachorum magi-
„ ſtros, virginum maximas, ſuo jure capiebat. Et ut homines non
„ Dii ſumus, nihilque eſt ex omni parte beatum, eveniebat interim
„ ut & honorarium ſcribis pro diplomate, Xenium ſuffragatori con-
„ donare neceſſe foret: Sacerdotes illos Nicolaitas, hos Simonia-
„ cos appellat: eoſdem devovet, ambitus, inceſtus condemnat, cu-
„ ria ſacerdotum movet, ſcribit deinde Cæſari, ducibus, principi-
„ bus, dynaſtis, tetrarchis, maximè Bertholdo à Zaringhen, Ru-

,, dolpho Suevo, Welphoni Bojo, Adarberoni & uxoribus horum
,, atque mulieribus, cęterisque quos idoneos credidit: Item Episco-
,, pis, præcipuè Ottoni Constantiensi, sacrificulis, populo,ut supe-
,, riores mystas velut sceleratos, atque impios devitent: eorum sa-
,, crificia,colloquia,sermones,convivia,haud aliter quam contagio-
,, nem fugitent, illos salutare, resalutareve, maximam impietatem
,, esse docet: iisdem parere, si sibi non pareant, æs Ecclesiasticum
,, reddi vetat. Gravissima itaq; seditio Christi gregem perculit, nec
,, unquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ adversus pon-
,, tifices, populus adversus sacerdotes, profani adversus initiatos sę-
,, vire,omnia divina humana permiscere cæperunt: Viri,mulierculę,
,, ut quisq; maximè avarus, ambitiosus, aut invidus erat, bella, lites
,, & odia amabat, levi admodum suspiciunculâ excitatus, sacerdoti
,, suo resistendi, bona tēpli diripiendi ansam pręripiebat,populares,
,, sacerdotulos, qui uxores habebant,flocci faciebant,religionē pol-
,, luebant,sacra temerabant,lustricâ aquâ passim expiabant,decimas
,, igni concremabant, sacrosanctam hostiam (horresco referens) à
,, mystis, qui conjuges habebant,consecratam in lutum abjiciebant,
,, pedibusque conculcabant. Tales enim non esse sacerdotes, neque
,, sacrificare Hildebrandus docebat. Hincque occasione arreptâ,
,, multi falsi prophetæ nebulas offundunt: fabulis,miraculis, exem-
,, pla vocant,à veritate plebem Christi avertunt:sacras literas inter-
,, pretando, suo negotio servire cogunt. Porrò paucissimis Veneri
,, bellum indicentibus, quibusdam castitatem jactantiæ, quæstus
,, ergò simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine
,, stupra,incestus,adulteria passim & impunè cōmittunt. Alii verbis
,, quidem ambitus crimen abominabantur,sed plus auri,sub magna
,, pietatis superficie, dum gratis dare cuncta jactant, corrasêre, plu-
,, resque Sacra venum dedere. Et tu vigilantissime Gregori, quid-
,, nam faceres, si te fortuna ad nostra tempora servasset,& nunc de-
,, mum natus esses, quando amare, potare, stupra, incestus com-
,, mittere, vim puellis inferre, virgines vitiare, alienas permolere
,, uxores, adeò ut cauda salax sacrificulorum, in proverbium, vel
,, vulgò protritum abierit, munus sacerdotale censetur: quando di-
,, vitias, opes, ambire,sacerdotia cauponari,sacra nundinari & quasi
defectos

„ defectos caballos, juxta commune dictum, commutare jus est &
„ longinqua consuetudo. Vulgò dici audio sæpius, cæremoniæ cum
„ Pontifice, ara cum sacrificulo, templum cum æditu o, universa
„ venalia sunt. A Pontificibus minoribus, quos sacrificos vocamus,
„ sexcenti exiguntur aurei nummi, in tantum, ut quosdam hoc
„ munus obiisse pœnituerit, & quosdam designatos rursus, quod
„ non esset unde avaritiam Romanensium corvorum satiarent, ab-
„ dicasse norim: fœnus quod ab aliis Pontificibus redditur, quotan-
„ nis à templis abraditur, majus est, quam ut à me numerorum aba-
„ ci perito numerari queat. Tum simonia, tibi Gregori, erat, nunc
„ absentium confirmationem, annatas, ac nescio quibus aliis nomi-
„ nibus nuncupari audio. *Hæc Aventinus.*

Mortuo Gregorio die 25. Maji præcedentis anni Desiderius Abbas Caßinensis filius Ducis Beneventini, eligitur Pontifex Romanus, operâ præcipuè Machtildis & Nortmannorum, apud quos nomine Hildebrandi legatione fungebatur & Victor III. nuncupatur. Aventinus. *sed cum ipse repugnaret, & abjecto ornatu Pontificio in cœnobium rediret, etiam ejus consecratio dilata est in diem 21. Martii anni sequentis.* Baron. A.C.1086.

Hoc eodem anno Carthusiæ solitudo in Delphinatu, cœpta est habitari à Brunone ordinis auctore ejusque sociis, ex quo loco & nomen accepêre, Carthusiani monachi. In lectionionibus hujus Brunonis invenitur fabula de clerico seu Canonico Parisiensi, qui quanquam sanctus haberetur, ex tumulo suscitatus, testimonio proprio se damnatum esse prodidit &c. quæ ubique jam explosa est.

Pugnatur Romæ inter Clementis III. & Victoris III. Pontificum asseclas, pro occupandis Ecclesiis: & Victor post excommunicatum Clementem cum suis, moritur profluvio ventris. *Clemens Ravennam revertitur & Episcopos ac Abbates per Italiam ordinat.* Baron. A.C.1087.

Otto Episcopus Ostiensis, Monachus Cluniacensis, Ebomacensis Platinæ, in conventu Tarracinæ creatur Papa & vocatur Urbanus II. *qui vestigiis Gregorii VII. insistens, omnia ejus decreta confirmat.* Baron. A.C.1088.

Hoc anno moritur Berengarius Archidiaconus Andegaven-

sis, qui ex tractatu Johannis Scoti Eriginæ de Eucharistia sententiam suam hauserat, quâ negabat *in cœna Domini corpus & sanguinem Iesu Christi sensualiter manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Quam sententiam & in synodo Turonensi apud Gallos,& Romæ sub Nicolao & tandem ibidem sub Gregorio VII. revocasse scribitur: *Quando*, ut est in Actis hujus Concilii, *omnibus in Ecclesia Salvatoris congregatis, habitus est sermo de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, multis hac, nonnullis alia sentientibus. Maxima siquidem pars panem & vinum per sacra orationis verba & Sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter* (per transubstantiationem, ut nunc loquimur) *in corpus Dominicum de virgine natum, quod in cruce pependit, & in sanguinem qui de ejus latere militis effusus est lanceâ, asserebat, atque auctoritatibus orthodoxorum sanctorum Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimiâ & longâ perculsi, figuram tantum, se & alios decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere.* Qua de re dubitasse etiam ipsum Gregorium quidam affirmant. *Hic tamen Berengarius*, ut ait Bertoldus, *nova hæresis de corpore Christi auctor, eo tempore deficiens, abiit in locum suum: qui licet eandem hæresin sæpissimè in synodo abjuravit, ad vomitum tamen suum, canino more, non expavit redire. Nam & in Romana synodo canonicè convictus, hæresin suam in libro à se descriptam combussit, & abjuratam anathematizavit; nec tamen postea dimisit.*

Binius tom. 3. Concil. pars. 2. pag. 1286.

Bertoldus Const. presbyter A. C. 1083.

De hoc Berengario sic loquitur Matthæus Paris in Wilhelmo Secundo: *Eodem tempore Berengarius &c. prolabitur in hæreticam pravitatem: hic panem & vinum in altari posita, post consecrationem Sacerdotis, verum & substantiale corpus Domini esse, sicut sancta & universalis Ecclesia prædicat, negabat. Imprimis autem afficiebatur omnis Gallia ejus doctrinâ; siquidem per egenos scholares, quos quotidianis stipendiis sustentabat, eandem passim divulgabat: unde Papa Leo, cui Victor successit, ut diximus, soliditati Ecclesiæ Catholicæ providens, Vercellis concilium statuit contra ipsum, ubi tenebras erroris ejus, Evangelicorum testimoniorum fulgore detexit. Sed licet primum juventutis calorem, aliquarum hæresium defensione infamaverit, ævo tamen maturiore ita resipuit, ut citra controversiam à quibusdam sanctus habeatur, utpote in*

multis

multis operibus bonis, & maximè humilitate & eleëmosynarum largitionibus approbatus.

Accipe originem & progressum hujus celeberrimæ & miserrimæ quæstionis. Omnium doctorum consensu nulla ejusmodi, ut hodie, in veteri Ecclesia mota fuit quæstio super Eucharistiâ, non ab ipsis hæreticis, qui alioquin fuerunt innumeri, & quorum plurimi negarunt Christi incarnationem. Leo III, Imperator, dictus Isauricus, ut nimium imaginum in Ecclesia cultum sisteret, an. C. 726. eas imprudenti zelo, impetuosè nimis è templis ejecit, & combussit, & edicto omnem earum cultum prohibuit. Idem conatus est Imperator Constantinus, dictus Copronymus, Leonis filius an. C. 754, per Concilium 338 Episcoporum Orientis, Constantinopoli congregatum in templo Blanchernis, à quibus etiam rejicitur cultus imaginum, & ibidem inter cętera panis consecratus seu Eucharisticus nuncupatur vera Christi imago. Joannes Damascenus presbyter monasterii S. Sabasii in Palæstina, acerrimus imaginum propugnator, se non tantum ratione imaginum huic Concilio opponebat, sed & absolutè negabat Eucharistiam posse dici imaginem, typum seu antitypum corporis Christi, cum Christus disertè dixerit: Hoc est corpus meum; sed esse ipsum corpus Domini Deificatum: & quamvis sanctus Basilius & alii patres illis vocabulis usi sunt, id factum fuisse affirmabat de pane illo ante consecrationem. Damasceni opinionem sequuntur Patres Concilii Niceni secundi an. C. 787. Et tamen manifestum est, patres primitivæ Ecclesiæ, & multos illius seculi, quo convocatum fuit hoc Concilium, sanctificatum & consecratum panem vocasse typum, antitypum, symbolum, figuram, imaginem, signum, similitudinem &c. quidam etiam usi sunt vocabulis *transelementationis*, *conversionis*, *transformationis*, *transmutationis*; omnes verò appellarunt panem & vinum consecratum, corpus & sanguinem Domini, ut & ipse Christus Matth. 26. & Paulus 1 Cor. 9. qui modus loquendi est convenientissimus & ab omnibus Christianis, ad evitandas contentiones, simpliciter usurpandus. Sic loquitur Iustinus martyr Apologiâ ad Antoninum Pium Imperatorem an. C. 160. *Postquam Præses, προεστῶς, gratias egit & acclamavit populus, illi qui à nobis dicuntur Diaconi, dant cuique*

cuique præsentium quod sumant de pane & vino & aqua, super quibus actæ sunt gratiæ, portant ad absentes. Et hoc alimentum à nobis vocatur Eucharistia, cujus nemo alius potest fieri particeps, nisi qui crediderit vera esse, quæ à nobis docentur, & qui ablutus sit Lavacro pro remissione peccatorum ad nativitatem novam, & sic vixerit, quomodo tradidit Christus. Non enim ut vulgarem panem neque ut vulgare poculum hoc sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro nobis factus Iesus Christus servator noster, carnem sanguinemque habuit salutis nostræ causâ, sic etiam alimoniam istam, super qua per preces verbi ab ipso traditi actæ sunt gratiæ, per quam alimoniam sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur illius, qui caro factus fuit, Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in commentariis suis, quæ dicuntur Euangelia, sic ajunt præcepisse ipsis Iesum; accepto quippe pane, actisque gratiis dixisse: Hoc facite in commemorationem mei. Hoc est corpus meum, & similiter accepto poculo & actis gratiis dixisse. Hic est sanguis meus. Irenæus lib.5.cap.2. *Quando ergò & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & subsistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ corpore & sanguine Christi nutritur, ut membrum ejus?* S. Cyprianus epist. 63. *nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Cyrillus Hierosol. catech. mystag. 4. *Cum ipse Christus de pane dixerit hoc est corpus meum, quis audebit amplius dubitare? & asseveraverit, dicendo hic est sanguis meus, cui deinceps supererit scrupulus, ut eum esse Christi sanguinem neget?* Gregorius Nyssenus in oratione de baptismo, *Panis eo usque est panis communis, sed postquam mysterium eum consecravit, dicitur corpus Christi,* &c. eodem ferè modo, quo S. Irenæus lib.4. c.34. *Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & divina. In sanctissimo cœnæ Dominicæ sacramento*, inquit Grotius de imperio summarum potestat. cap. 6. *visibilia signa Christi invisibiliter præsentis, exhiberi omnes veteris Ecclesiæ Patres fatentur. de modo præsentiæ non eodem modo loquuntur, neque tamen unitas propter hoc scissa est.* Infinita

hic

hic poſſem producere teſtimonia, ita ut hic iterum locum habeant verba Gregorii Nazianzeni oratione de Theologia: Τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμόνει, μὴ πλημμελεῖ. Plurimum mihi ſemper placuerunt verba hæc Epiſcopi Elienſis: *Dixit Chriſtus hoc eſt corpus meum, non dixit hoc modo eſt corpus meum. Nobis autem vobiſcum cum de objecto convenit, de modo lis omnis. De hoc eſt, fide firmâ tenemus quod ſit, de modo quo fiat, ut ſit, Per, ſive In, ſive Cum, ſive Sub, ſive Trans, nullum ibi verbum eſt. Et quia verbum nullum, meritò à fide ablegamus procul, inter ſcita Scholæ fortaſſe, inter fidei articulos non ponimus. Quod dixiſſe olim fertur Durandus, neutiquam nobis diſplicet*; verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus, præſentiam credimus. *Præſentiam, inquam, credimus, nec minus quam vos veram, de modo præſentiæ nil temerè definimus, addo nec anxiè inquirimus, non magis quam in baptiſmo, quomodò nos abluat ſanguis Chriſti: non magis quam in Chriſti incarnatione, quomodo natura divina humana in eandem hypoſtaſin uniatur. Inter myſteria ducimus (& quidem myſterium eſt ipſa Euchariſtia) cujus quod reliquum eſt, debet igne abſumi, id eſt, ut eleganter inprimis Patres, fide adorari, non ratione diſcuti. Divinam naturam credendo melius quam diſputando intelligi ac comprehendi poſſe dicebat Papa Pius II.*

Multa etenim benè tecta latent, neſcitaque proſunt,
Dum manſueta fides quædam dilata modeſtè
Suſtinet, & nullo ignorat non edita damno.

ut loquitur Proſper adverſus ingratos cap. 35. quare τὰ ἀπόῤῥητα ea Patres vocant, nec temerè evulganda, ſed prudenti & pio ſilentio à contemptu, quem fervidæ & ineptæ contentiones inducere ſolent, vindicanda: ideòque nec à Patribus primitivæ Eccleſiæ in Conciliis aut explicata aut definita ſunt: & in veterum Liturgiis Catechumenis exire juſſum, antequam fideles ad ſacram communionem accederent. Quæ Chriſtus & Apoſtoli tacuerunt, priſci & ſancti viri etiam tacenda & tegenda judicarunt, quia incognita. In inveſtigandis divinis myſteriis multos ſeduxit nimia curioſitas. *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria.*

Iterum dico: Cum Chriſti hæc ſola ſint verba, *Hoc eſt corpus meum*, cur nos ulterius progredimur, cur hic non ſiſtimus gradum omnes, cur nos modum addimus, quem Chriſtus ipſe tacuit, quem non explicarunt Apoſtoli, de quo tam variè loquuntur

primitivæ Ecclesiæ patres? cur nos miselli aliquid definimus, in re, quam nos latere voluit ipse Christus? statuamus cum Christo, cum Apostolis, cum Patribus priscæ Ecclesię in sumenda Eucharistia panem fieri corpus Christi, & vinum sanguinem Christi, de modo nobis ignoto & inexplicabili sit altum silentium. Verba Christi, ut sunt, ut jacent, anxiè servemus, de modo taceamus ad id usque tempus, quo omnia revelabuntur, & interim in pace, quod Christus disertis verbis jussit, vivamus. Cur ob verba ab hominibus addita, contra mandatum Domini contendimus? quia dixit Christus hoc est corpus meum, credamus: quia non addidit modum; non inquiramus. Cur ergo corpus Christi discerpimus, dum de ineffabili & nobis abdito corporis Christi in venerando hoc Sacramento pręsentię modo aliquid definimus? *Melius itaque est*, ut inquit S. Irenęus, *nihil omninò scientem quempiam, ne quidem unam caussam cujuslibet eorum quæ facta sunt, cur factum* & quomodo; *& credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quæ hominem vivificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quam per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Scientia inflat, charitas ædificat. *Et quò quis magis in hujusmodi quæstionibus occupatur, & quò plus aliis adinvenire se existimat, reliquos imperitos & idiotas & animales vocans, eò quod non suscipiant ejus tam vanum laborem, hoc magis est insanus & stupidus, tanquam fulmine percussus, in nullo cedens Deo, sed per scientiam, quam invenisse per se putat, ipsum mutat Deum & jaculatur sententiam suam super magnitudinem factoris.* Et cap. seq. *Sensus autem sanus, & qui sine periculo est, & religiosus & amans verum, quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus, & subdidit nostræ scientiæ, hæc promptè meditabitur, & in ipsis proficiet diuturno studio, facilem sententiam eorum efficiens. Sunt autem hæc, quæ ante oculos nostros occurrunt, & quæcunque* apertè & sine ambiguo, ipsis dictionibus *posita sunt in scripturis, &c.* Verè & prudenter Iosephus Scaliger:

Irenæus lib. 2. cap. 45.

Ne curiosus quære caussas omnium,
Quæcunque libris vis prophetarum indidit
Sacrata cælo, plena veraci Deo.
Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed prudenter præteri.
Nescire velle, quæ magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Sequa-

Sequamur igitur celebre illud dictum S. Hieronymi in epist. ad Paulam: *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlis.*

An. C. 820, inquit Bellarminus de scriptor. Ecclesiast. *Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis*, prope Ambianum in Galliis, *primus fuit, qui seriò & copiosè scripsit de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia. Qui scriptor Propheticus*, ut loquitur Possevinus appar. verb. Paschas. *exstinxit hæresin Berengarii, propè* 200 *annos antequã nasceretur: & qui verum sensum Ecclesia Catholicæ primus explicavit*, ut inquit Sirmondus in vita Ratberti. Nam conatur probare cap. 1. *quamvis figura panis & sanguinis sit in sacramento, nullas res alias esse credendas post consecrationem, quam carnem & sanguinem Domini. Sed si quædam illius verba benè considerentur, impanationem verbi seu panem cum verbo unitum docere voluisse videtur*, inquit Blondellus. Adversus Paschasium scripserunt Amalarius Archidiaconus, & postea Archiepiscopus Trevirensis, Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, Heriboldus Episcopus Auxerrensis, Bartramus seu Ratramus presbyter Corbejensis & postea Abbas Orbasii, ex mãdato Caroli Calvi, Ioannes Scotus Erigena, ille, qui hac de caussa à pueris in Anglia occisus, & plures alii illius ævi viri omnes doctissimi: ita ut ex eo manifestè appareat, illo tempore nihil adhuc certi ea de re ab Ecclesia definitum fuisse.

Hos secutus est Berengarius Archidiaconus Andegavensus, qui statuebat in Cæna Domini post consecrationem substantiam panis non mutari, qui cum suam opinionem ad Lanfrancum, Papiensem postea Archiepiscopum Cantuariensem (qui scripsit librum de veritate corporis Christi in Eucharistia) scripsisset, isque eas literas Romam misisset, condemnatur absens & non auditus, an. C. 1050, à Papa Leone IX. Romæ, & Vercellis: anno verò 1055. à Victore secundo in Concilio Turonensi. An. C. 1659. citat Berengarium Romam Nicolaus II. ubi cogitur subscribere abjurationi scriptæ ab Humberto Cardinale de silva candida, quæ palinodia juri Canonico inserta, multis scholasticis postea displicuit, quod majorem contineret hæresin, quam ipse Berengarius. Quare an. C. 1078. ab Gregorio VII denuò vocatur ad Concilium Romanum, ubi cogitur subscribere præscriptæ à Concilio sententiæ breviori, & quæ minus offenderet, non tamen desiit Berengarius suam promulgare

sententiam, & mortuus reliquit multos sectatores, apud quos nomine sanctitatis celebris erat. Vide Guilielmum Malmesburiensem lib. 3. Platinam in Ioanne XV, & versus Hildeberti Episcopi Mantensis & postea Archiepiscopi Turonensis, in laudem ejusdem Berengarii. Guilielmus Malmesburiensis loco citato, Matthæus Paris an. C. 1087. & Matth. Westmonasteriensis narrant eum apud Gallos, Italos, Anglos plurimos habuisse sectatores, inter quos præcipui fuerunt Petrus Bruysius & Henricus illius discipuli, & Arnoldus de Bresse, qui repleverunt Galliam & Italiam suis discipulis, quos secutus est Petrus Valdensis Lugdunensis nomine, cum suis, qui postea dicti Valdenses, Albigienses, Pauperes Lugdunenses, dispersi per universam Europam. Recepta autem est sententia prædicti Paschasii, Abbatis Corbejensis, ut videre est apud Rupertum, Abbatem Duitiensem, prope Coloniam Agrippinam, qui anno 1110. docebat assumptum panem per Verbum Dei, esse suum corpus, quemadmodum illud quod formatum fuit in ventre sanctissimæ Virginis. Primus vocabulo transsubstantionis usus creditur Stephanus, Episcopus Augustodunensis, seculo undecimo. Quod verbum ita placuit Innocentio III, ut ab eo insertum sit 70 Canonibus à se propositis, an. C. 1215 in Concilio Lateranensi sine aliqua decisione aut approbatione Concilii. Nec quisquam eos publicavit nomine Concilii Lateranensis ante Cochlæum, an. C. 1538, factus autem tandem est de eo articulus fidei in Concilio Patrum 54 Romæ habitum an. 1551. Adoratio hostiæ post elevationem instituta est ab Honorio III & Gregorio IX, an. C. 1240. festum S. Sacramenti ab Urbano IV. an. 1364. processio ejusdem à Joanne XXII, inter annum 1316 & 1327, aut ut alii volunt sub Urbano V. circa annum 1364. Vide Blondellum, *en ses esclaircissemens sur l'Eucharistie.* Ego in quæstione hac, hodiè inter Christianos tam fervidè & tam variè disputata, de re tam sancta & veneranda, cum B. Ambrosio dicere soleo: *fac me Domine Iesu Christe per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire ac firmiter retinere, dicere ac cogitare, quod tibi placet & animæ meæ expedit.*

Eodem fere tempore aut paulò serius exorti sunt Valdenses Lugduni in Gallia, *& eorum in Aquitania ac vicina regione successores,*

res, ut loquitur Lancelotus du Voysin, *qui ab Albiensium in Septimania urbe primariâ, Albigenses dicti sunt. Hi invitis Principibus Christianis omnibus circa annum* 1100, *& temporibus subsequentibus doctrinam suam, ab ea, quam hodie protestantes amplectuntur parum differentem, non per Galliam solum totam, sed etiam per omnes penè Europa oras dissemi-narunt. Nam Galli, Hispani, Angli, Scoti, Itali, Germani, Bohemi, Saxones, Poloni, Lithuani & gentes alia eam ad hunc diem pertinaciter defenderunt. Hac* Poplinerius, *qui* secundum Genebrardum, *candidus & eruditus vir, purè & simpliciter ad historia veritatem, non ad caussæ gratiam cuncta narravit.* De Valdensibus hæc habet inter cætera Reynerus, qui fuit Inquisitor in Longobárdia, & vixit an. C. 1254. cujus libri inveniuntur in tomi 4. parte 2. bibliothecæ patrum: *Inter omnes sectas,* inquit, *qua adhuc sunt, vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesia quam Leonistarum* (vocantur etiam pauperes de Lugduno, *de Lions*, urbe Galliç) *& hoc tribus de caussis ; prima est quia est diuturnior. Aliqui enim dicunt quod duraverit à tempore Sylvestri, aliqui à tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior, ferè enim nulla est terra, in qua hac secta non sit. Tertia, quia cum omnes alia secta, immanitate blasphemiarum in Deum audientibus horrorem inducant; hæc scilicet Leonistarum magnam habet speciem pietatis: eò quod coram hominibus justè vivant & benè omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in symbolo continentur, solummodò Romanam Ecclesiam blasphemant,* (*nempe quod in opes, fastum & vitia Pontificum liberius inveherentur* (ut ait Thuanus) *& clerum, cui multitudo Laicorum facilis est ad credendum.* Sic pergit idem Reynerus lib. 5. *Cum cives majores pariter essent in Lugduno, contigit quendam ex iis mori subitò coram iis. Unde quidam inter eos tantum fuit territus, quod statim magnum thesaurum pauperibus erogavit, & ex hoc maxima multitudo pauperum ad eum confluxit, quos ipse docuit habere voluntariam paupertatem, & esse imitatores Christi & Apostolorum. Cum autem esset aliquantulum literatus, novi Testamenti textum docuit eos vulgariter. Pro qua temeritate cum fuisset reprehensus, contempsit & cœpit insistere doctrina sua, dicens discipulis suis; quod clerus, quando malæ vita esset, invideret sancta vitæ ipsorum & doctrinæ. Cum autem Papa excommunicationis sententiam tulisset in eos, pertinaciter contempserunt: & sic us-*

Lancel. du Voysin. Poplinerius in histor. Franc. lib. 1.

Reynerus contra hæreticos l. 4.

que hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipsorum. Sed audiamus de eorum origine & doctrina Jac. Augustum Thuanum, & amplissimum & integerrimum virum, historiarum lib. 6. *Petrus Valdus locuples civis Lugdunensis an. C. circiter* 1170. alii aliter, ut vidimus, *Valdensibus nomen dedit. Is, ut monumentis testatum reliquit Vidus Perpinianus præsul Elmensis, qui quæsitoris in Valdenses munus exercuit; domo ac bonis relictis, totum se Euangelicæ professioni devoverat, & prophetarum ac Apostolorum scripta populari linguâ vertenda curaverat, antiquorum etiam Patrum aliquot testimoniis adjunctis; quibus in animum defixis, ingeniò suo & sensu fretus, prædicationis munus sibi sumpserat, perque plateas ac vicos Euangelium plebi interpretabatur. Cum jam multos sectatores exiguo tempore circa se haberet, eos tanquam discipulos ad Euangelium promulgandum in omnes partes ablegat: qui quod plerumque literarum ignari essent, facilè in varios errores prolapsi à Lugdunensi Archiepiscopo in jus vocantur, & quamvis, ut ait ille, convicti, in sola pertinacia præsidium posuerunt, cum dicerent, in iis quæ religionis essent, Deo non hominibus obediendum esse: itaque ab Ecclesia rejecti, cum se coram Pontifice stitissent, proximâ ante Concilium Lateranense synodo omninò, tanquam pertinaces & schismatici damnati sunt. Vnde omnibus invisi & execrabiles facti, passim exules, sine lare, per provinciam Narbonensem, Galliam Cisalpinam, ac præcipuè inter alpes effunduntur, ubi tutissimum perfugium nacti, complures annos latuerunt. Eorum hæc dogmata ferebantur: Ecclesiam Romanam, quoniam vera Christi fidei renuntiarit, Babylonicam meretricem esse, & arborem illam sterilem, quam ipse Christus diris devovit, & revellendam esse præcepit: proinde minimè parendum Pontifici & Episcopis, qui ejus errores fovent: Monasticam vitam Ecclesiæ sentinam & Plutonium esse; vana illius vota, nec nisi fœdis puerorum amoribus servientia: presbyterii ordines magnæ bestiæ, quæ in Apocalypsi commemoratur, notas esse: ignem purgatorium, solemne sacrum, templorum encœnia, cultum sanctorum, ac pro mortuis propitiatorium, satanæ commenta esse. His præcipuis ac certis eorum doctrinæ capitibus, alia affictà de conjugio, resurrectione, animæ statu post mortem, & de cibis. Igitur Petrus Valdus, eorum antesignanus, patriâ relictâ in Belgium venit, atque in Picardia, quam hodie vocant, multos sectatores nactus, cum inde in Germaniam transiisset, per*

Vandalicas civitates diu diversatus est, ac postremò in Bohemia consedit, ubi etiam hodie ji, qui eam doctrinam amplectuntur, Picardi ea de caussa appellantur. Habuerat Valdus & socium Arnoldum, qui diverso itinere in Septimaniam descendit, & Albæ Augustæ olim dictæ basit; inde Albugæi, qui Tolosates, Rutenos, Cadurcos, Agennates, brevi tempore pervaserunt &c. Sed Thuanum vide eorum incrementum & progressum ad sua usque tempora deducentem, & sævissimam persecutionem seu potius cladem Albigensium, & postmodum Merindolensium in Provincia, & Caprariensium in comitatu Venascinensi, sub Rege Francisco primo, narrantem: Vide etiam ejusdem præfationem aut potius ad Regem Henricum IV. dedicationem eximiam, adversus enormem superioris seculi persecutionem in dictos Valdenses, in initio suarum historiarum. Huic similis strages hoc an. 1655, quo hæc scribimus, in Alpibus Pedemontanis jussu Ducis Allobrogum contra quosdam Valdenses barbaricâ cum crudelitate accidisse narratur, ubi aliquamdiu Ducum permissu latebras vitæ & doctrinæ suæ consecuti erant. Fidei eorum confessionem, quam an. C. 1544. pro innocentiæ suæ defensione Regi Francisco obtulerunt & quæ an. C. 1551. Parisiis in Parlamento regio publice recitata est, vide apud Carolum Molinæum in tractatu de Monarchia Francorum. *Carol. Molin oper. tom. 3. edit. Paris.*

Urbanus Papa decernit legationem in Germaniam per Gebehardum Episcopum Constantiensem, de qua ista Bertholdus: Dominus Papa Urbanus Romæ in insula, quæ inter duos pontes sita est, morabatur, decretalemque epistolam venerabili Gebehardo &c. direxit, & in tota Alemania, Bojoaria, Saxonia & aliis vicinis regionibus vicem suam commisit, ut ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret. Sententiam quoque anathematis à prædecessore suo Papa Gregorio VII promulgatam eâ discretione confirmavit, ut in primo gradu Ravennatem Hæresiarcham cum Henrico rege anathematizaret; in secundo gradu eorum fautores, qui eisdem armis, pecuniâ, consilio, obedientiâ faverent, quique ab eisdem & ab eorum fautoribus ecclesiasticos ordines & honores acciperent. In tertio autem gradu eorum communicatores posuit, quos etsi non excommunicaret, adeò tamen externâ communione commaculatos asseruit, ut in Catholicam societatem sine absolutione & pœnitentia recipi non deberent, videlicet qui excommunicatis salutatione, osculo, oratione, convictu, & ignoranter, communicassent, &c. Baronius.

Gui-

A.C.1089. *Guibertus autem ejusque complices in parte Regis eorum Henrici, anathematicas ordinationes facere non cessarunt, ipsasque suis sectatoribus non nisi carissimè venditas impenderunt. Vnde & malum excommunicationis in tantum propagatum est eo tempore, ut Catholici vix se ab eorum contagio possent illæsos custodire. In Teutonicis partibus quatuor Episcopi in Catholica* (id est, Urbani) *communione perstiterunt &c.* Bertholdus. *Hoc eodem anno* (verba sunt ejusdem Bertholdi) *Urbanus concilium collegit, & Ecclesiastica suorum prædecessorum statuta, confirmavit. Guibertus autem à Romanis turpiter expellitur & ne amplius Apostolicam sedem invadere præsumat, juramento promittere compellitur.*

A.C.1091. Idem Bertholdus: *Romani turrim Crescentii, nempe munitionem S. Angeli qua eatenus Domino Papa obediebat, dolo captam diruere tentarunt.* Et paulò post: *Romani quoque Guibertum, quem jamdudum expulerant, iterum Romam intrare permiserunt. Porro schismaticorum tyrannide* (sic malè affectus Imperatori Bertholdus de Henrico addictis loquitur quos nunc Henricianos, Guibertistas, hæreticos, nunc excommunicatos & schismaticos vocat, ut contra Papæ addictos Catholicos, S. Petri fideles & Christi milites appellat.) *valdè laborabat Urbanus, quod enim Henricus Imperator jam in Italiam, post Egberti obitum cum exercitu descendisset, atque Mantuam civitatem dolo cœpisset, aucta plurimum sunt vires schismaticorum, deficientibus ad schismaticos illis, qui non ratione, sed prapollenti potentiâ seculari, uti ventis potentioribus agitata arundines, moverentur. Capta sunt & alia plurima oppida, vix paucis munitissimis salvis: quorum caussa Henricus elatior, more suo Guibertum jam arescentem virescere fecit, rursus intrudens in Urbem, Urbano apud Samnites sedem habente.*

A.C.1092. Bertholdus: *Dominus Papa Urbanus natalem Domini in terra S. Petri extra Romam celebravit. Nam Guibertus ita se prope domum S. Petri incastellavit,* (castrum S. Angeli occupaverat & præsidio munierat) *ut non facile absque sanguinis humani effusione expelli inde potuerit: Henricus quoque Imperator in Longobardia jam biennio morabatur, & circumquaque terram VVelphonis, Italici ducis, pradâ, ferro & incendio devastare non cessavit, &c.*

A.C.1092. Bertholdus: *Dominus Papa natalem Domini extra Romam in terra S. Petri celebravit, eo quod nondum Romam absque armata manu intrare potuerit,*

tuerit, Guibertistis & excommunicatis multum adhuc ibi prævalentibus. Ipse vero Guibertus eo tempore cum Imperatore suo Henrico in Longobardia morabatur, & quidquid potuit cum ipso contra Ducem VVelphonem & ejus uxorem Mathildam S. Petri filiam machinabatur. Hoc eodem anno Conradus Imperatoris Henrici filius adversus patrem rebellans, regnum Italiæ sibi vendicat, jam per Vrbanum ab excommunicatione solutus, de quo hæc Bertholdus: In Longobardia prudentissimi milites S. Petri VVelpho Dux & uxor ejus Mathilda, jam triennio contra schismaticos viriliter dimicantes, tandem multum contra ipsos confortati sunt. Nam Conradus filius Henrici Regis, à Patre discessit, & VVelphonem Ducem reliquosq; fideles contra Patrem cum suis adjuvit. Civitates quoque Longobardiæ, Mediolanum, Cremona, Placentia, contra Henricum prædicto Duci adhæserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt, ut fautores Henrici ad ipsum non possent pervenire. Idem postea: *Conradus in Longobardia ab Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi in Regem coronatur, annuente VVelphone duce & Mathilde,* qui Anselmus paulò post moritur. Baron. Anonymus in vita Henrici: *Henricus relicto in Italia filio Conrado, jam tum regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi, & penè totam Italiam sibi vendicanti, opponeret, & Regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cum insurgant in parentes ipsi filii? unde securitatem sibi quis promittat, cum nec ab eo tutus sit, quem genuit? Cessent connubia: Nemo sibi optet hæredem, hæres tuus erit hostis tuus. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à Patre, & quam ob caussam relictum diximus, à Mathilde persuasus (quem enim astutia fœminea non subvertat & decipiat?) junctus inimicis, Patris coronā sibi imposuit, Regnum invasit, prophanavit jus, confudit ordinem, impugnavit naturam, quærebat patris sanguinem, quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Hostes Imperatoris exultant, laudant factum filii, & præcipuè fœminam facti Ducem. Imperator doluit fortunam filii: cum autem eum ab incepto revocare non posset; omnibus in unā sententiam coëuntibus, & concordi favore approbantibus, minorem filium, invasore prius ex decreto curiæ dijudicato, hæredem Regni sui constituit: à quo, ne & ipse abiret in viam fratris sui, jusjurandum accepit, videlicet, ne unquam se vel de regno vel de prædiis patris eo vivente, nisi fortè ex consensu ipsius, intromitteret. Iam tum murmur & metus erat inter duos fratres intestina bella*

fore, magnamque Regni cladem futuram: sed qui omnia dispensat, hunc metum morte Conradi abstulit. &c.

Hoc anno narrat Baronius nefandum scelus, caussam rebellionis Conradi, quod Imperatorem Henricum commisisse refert ex Dodechino, Monacho Germano, quod tamen non habet Bertholdus, nec alii, quod sciam, quamvis Henrico non satis æqui: nec hoc tacuissent Pontifices Urbanus & Paschalis in suis tam frequentibus & sæpius repetitis excommunicationibus in Henricum Imperatorem vibratis: quod quidem factum dicit illustrissimus Cardinalis, sed reperire non potui.

A.C. 1094. Bertholdus: *Urbanus Papa nativitatem Domini Romæ solenniter celebravit, quamvis plures Guibertini in urbe adhuc latuerint, quos Papa absque militari manu non facile potuit expellere. Guibertus autem cum Imperatore apud Veronam eo tempore fuit, seseque libenter papatum deserere velle simulavit, si alio modo pax in Ecclesia recuperari non potuerit, & Urbanus Romæ in quadam firmissima munitione morabatur: sed Guibertini turrem Crescentii, ipsam molem Hadriani, dictam S. Angeli, obtinebant.*

Imperator Henricus & Angliæ rex Guilielmus Conquæstor favent Papæ Clementi, Galli vero & Itali Urbanum Pontificem colunt. Quare Angliæ rex prohibet ne Anselmus Episcopus Cartuariensis pallium petendi caussâ adiret Urbanum.

Hoc anno, ut veteres annales Venetorum habent, contigit inventio corporis Sancti Marci, precibus solennibus impetrata, & magno miraculo demonstrata, sese prodente beato Euangelistâ: cum ejus corpus solenni ritu collocatum fuit sub altari primario. Quod magnum Dei beneficium perpetuâ memoriâ conservandum statuerunt, cum annuâ die eandem inventionem esse celebrandam publicis sancivêre decretis. Baronius.

A.C. 1095. *Celebrato Concilio Placentiæ, Conradus Rex, Henrici filius, Papa Urbano Cremonam venienti obviam progreditur, eique stratoris officium exhibuit 4. idus April. deinde fecit ei juramenti fidelitatem de vita, de membris & de Papatu Romano: Papa in filium sanctæ Ecclesiæ recepit illum, eique consilium & adjutorium ad obtinendum Regnum & ad coronam Imperii acquirendam coram populo firmissimè promisit, salvâ quidem justitiâ illius Ecclesiæ & statutis Apostolicis maximè de investituris in spiritualibus officiis à laico non usurpandis. Venerant ad hoc Concilium legati Alexii Impe-*

Imperatoris Constantinopolitani petitum suppetias adversus Turcas, suburbia urbis regiæ deprædantes. Bertholdus.

Celebratur synodus in Anglia generalis, in qua Urbanus illegitimus, Guibertus, id est Clemens legitimus Papa judicatur, cum edicto, in Anglia neminem Episcoporum alium aliquem recipere debere Romanum Pontificem, nisi quem Rex ipse pro Pontifice recepisset: sed nuntii duo, singulares versutiarum artifices, Romam missi, ut explorato Urbis statu apud Papam agerent, ut Regi pallium mitteret, tradendum cui liberet: strenuè & impigrè illi qui missi fuerant executi, Albanensem Episcopum VValterum ex præcepto Vrbani Papæ in Angliam adducunt. Is Dofris appulsus in curiam venit ingentibusq; promissis animum VVilhelmi Regis sitientem explevit; si Urbanus reciperetur in Papam, fore, ut quæcunque Rex petenda existimasset, ille privilegio sedis Apostolicæ roboraret. Hæc Edinerus, & hoc strata-gemate quæ voluit obtinuit Papa.

Hoc eodem anno concilium celebrat Papa Urbanus II. in Claromonte, civitate Arverniæ, apud Gallos, ubi multi constituuntur Canones, quibus hierarchia Ecclesiastica plurimum stabilitur. Inter cætera statuitur, *quod Ecclesia Catholica sit in fide casta, & ab omni seculari servitute libera: Ut Episcopi, Abbates, vel aliquis de clero à Principe aut laico dignitatem non recipiat. Quod nullus cujuslibet sacri ordinis carnali commercio utatur. Præcipitur jejunium quadragesimale, incipiendum à laicis in die cinerum, à clericis ipsa Dominicâ quinquagesimâ; item jejunia quatuor temporum. Dicitur anathema ei, qui sacri ordinis viros eorumve famulos apprehenderit, item iis, qui ad septimam generationem consanguinitatis se copulaverint. Quod nemo in Episcopum eligatur nisi presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus, nisi licentiâ Papæ. Excluduntur filii presbyterorum ex uxoribus aut concubinis nati à presbyteratu, nisi prius facti fuerint monachi. In hoc concilio Urbanus Hildebrandi decreta renovat, & Galliæ regem in ipsa Gallia propter pellicem anathemate ferit.* sub finem Concilii post habitam prolixam ad synodum orationem indicit & ubique prædicari mandat expeditionem Hierosolymitanam ad recuperandam Palæstinam seu terram sanctam, quod sciret id sæpè tentatum à prædecessore Gregorio VII, in quem finem in eodem concilio hunc addidit canonem idem Papa: *Quicunque pro sola devotione non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Dei Ecclesiam Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.*

Inde Urbanus animum ad incboatam Ecclesiæ reformationem perficiendam, & quod non tam ad pietatem insigne, quam ad gloriam futuri temporis illustre splendidumque erat, ad Hierosolyma, quæ à Saracenis longo jam tempore (annis circiter 490) *tenebantur, recuperanda traduxit: Huic autem rei bæc est occasio præbita. Petrus quidam Eremita, genere Francus, paulò ante à sepulcro reversus, literas Simeonis Patriarchæ Hierosolymitani attulerat, quibus ille damna, contumelias, suppliciaque gravissima, quæ Christiani Domini sepulcrum visitantes à Saracenis quotidie patiebantur, narrabat, atque ab eo auxilium perditis Christianorum rebus poscebat: quibus literis lectis, simulque Eremitæ sermone eadem in majus orante, commotus, statuit pro viribus bellum inferre, atque Hierosolymorum urbem impiorum è manibus extorquere.* Sigonius ad annum 1094. Idem: *Signum ejus* expeditionis *fuit crux è purpureo panno confecta, quam primus è Pontificibus Urbanus salutaris in signum expiationis indulsit vestibus super dexteram scapulam affigendam. Unde qui profecti sunt in eam expeditionem cruce signati, & ipsa expeditio cruciata vocata est: erat pro tessera militari*, ut inquit Petrus Diaconus, *signum sanctissimæ crucis.*

Ut autem indictam in Synodo expeditionem promoveret Urbanus Papa, permansit in Galliis: Episcopi autem ad sua reversi haud otiosi perstitêre; sed in suis diœcesibus singuli singula circumeuntes oppida, Hierosolymitanam expeditionem magno animi fervore literis pontificiis indicebant. Porrò eorum, qui ejusmodi cœlesti tubâ excitati nomina dabant, infinita erat propemodum multitudo, ut opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas vel sexus vel valetudo ponderi militari subeundo impar esse manifestis indiciis videbatur, adeò ut magnus fuerit delectus habendus. Baronius.

A.C. 1096. Hoc anno sub diversis ducibus, diversis temporibus & locis, diversi exercitus Constantinopolim contra Turcas in favorem Alexii Imperatoris, & ad recuperandam Palæstinam iter arripiunt, & cum nemo Calvisio brevius & accuratius illam narret historiam, dabo eam eodem ordine & ejusdem verbis.

In Galliis cum convenissent, qui expeditionem sanctam in Palæstinam suscipere volebant, Papa eos jussit ex rubra lana cruces facere, & humeris affigere: fuit autem innumerabilis multitudo, qui hoc & sequentibus annis

Pala-

Palaestinam versus profecti sunt. VVilhelmus Malmesburiensis, qui tum vixit, putat, si in una summa computentur, fuisse ad sexagies centena millia.

Primus ingressus est iter Walterus, *quidam nobilis,* Sensavir *appellatus, cum militibus suis, 8 die Martii, sed in toto exercitu vix habuit octo equites: cujus exercitus ferè totus à Bulgaris spoliatus & caesus est, ipse tamen venit Constantinopolim.*

Secundus fuit Petrus Eremita, *Ambianus Gallus, auctor ferè bujus expeditionis, qui, sicuti diximus, à Simeone patriarcha Hierosolymitano cum literis commiseratione dignis ad Urbanum in Europam ad adducendum exercitum missus, collegit exercitum ferè quadraginta millium ex Lotharingia, Bavaria & Austria. Horum, cum praedas interdum in Hungaria sectarentur, caesi sunt ad decem millia, reliqui veniunt Constantinopolin Calendis Augusti: inde Hellespontum transgressi in Asia castra locant, utque commeatus esset expeditior, in duas partes distribuuntur, & pars altera Duce* Reynaldo *trium dierum iter ingrediuntur in Romaniam & castrum munitum expugnant: ubi cum duobus mensibus fuissent, Calendis Octobris occurrunt Turcae, & obsessos octo dierum siti macerant, & deditione tandem capiunt, omnesque in captivitatem abducunt. Altera pars jam rebellis erat* Petro, *eumque fugaverat; hosce Turcae similiter invadunt, & aut trucidant, aut in captivitatem inducunt, atque ita ferè omnes pereunt ex* Petri *exercitu.*

Tertius fuit Godeschalcus *Presbyter, vir disertus; is collegerat in Germania voluntarios ad quindecim millia; qui cum praedâ non abstinerent, caesi sunt ad Belgradum ferè omnes à rege Hungariae.*

Quartus, qui per Hungariam iter ingressus est, fuit Comes Emmicho, *item* Thomas de Feria, & Hermannus *Comes; cum sociis aliis, qui ad ducenta hominum millia collegerat, & tria equitum millia. Hi cum per Germaniam transirent, & expeditionem hanc contra infideles & paganos susceptam scirent, Iudaeos Colonia, Moguntia & alibi aggrediuntur, eorum ad duodecim millia trucidant. Cum verò in Hungariam venissent, ab Hungarorum rege transitu prohibentur, & cum putarent se vi perrumpere posse, in fugam aguntur, & qui evaserunt, vel in Italiam abierunt, vel abjuratâ peregrinatione, domum redierunt.*

Quintus fuit Hugo Magnus *regis Philippi in Gallia frater, qui cum in Bulgariam cum suis venisset, à Bulgaris capitur & captivus Constantinopolim perducitur.* Gest. Francorum.

Sextus qui ingressus est, iter fuit Godefridus Bilioneus, *qui abiit die* 15. *Augusti cum fratribus & aliis præstantissimis viris, & feliciter Hungariam & Mœsiam transiit, ibi certior factus de* Hugone Magno *capto, legatos ad* Alexium *Imperatorem mittit, petitum ut libertati restituatur, cum religionis caussâ & ad hostes ipsius* Alexii *debellandos iter ingressus sit, sed repulsam patitur* Godefridus, *ideò iratus Imperatori, octo dierum spatio Thraciam vastat, atque ita Alexius coactus non solum Hugonem, sed & omnes alios, quos captos habebat, libertati restituit. Venit inde Constantinopolin* Godefridus, *die* 23 *Decemb. Ubi cum iterum* Alexius *prohiberet, ne peregrinis forum venale præberetur,* Godefridus *jubet suburbia Constantinopolis vastari, atque ita ad legitima commercia cogit.*

Septimus fuit Boamundus, *Roberti Guiscardi filius, Rogerii Apuliæ ducis frater, princeps Tarentinus, qui Adriaticum mare transiens, Dyrrhachium usque pervenerat, & per Græciam Constantinopolin venit, & in Græcia hibernat.*

Octavus fuit Raimundus, *Comes Tholosanus, qui ex Longobardia per forum Iulii, Histriam & Dalmatiam, in Macedoniam descendit, ibique hibernat.*

Ultimus ingreditur iter Robertus *Normandiæ Dux, qui ducatum suum vendidit fratri suo, regi Angliæ, decies mille libris: huic juncti fuerunt* Stephanus *Comes Blesensis, &* Robertus *Comes Flandriæ, sed ante hyemem vix ingressi Italiam, Lucam, inde Romam veniunt, ac in Apulia & Calabria hibernant.*

Principes omnes, cum Alexio fœdus sanciunt hisce legibus: ut Alexius Imperator peregrinantes adjuvaret operâ, consilio, armis & commeatibus, quantum posset: Ipsi contra, quicquid Turcis eriperent, Alexio restituerent, exceptis Hierosolymis. In obsidione Nicææ, urbis Bithyniæ, omnes cum suis exercitibus principes conveniunt, ubi omnibus numeratis, inventa sunt peditum sexcenta millia, & equitum loricatorum centum millia.

Vide Wilhelmum Tyrium de bello sacro, Matthæum Paris in Wilhelmo secundo, Platinam in Urbano II. Sigonium loco citato Geneb. Baron. &c.

Officium Dei genetricis à Petro Damiani an. C. 1056, in usum suorũ monachorum institutum, hoc anno tam à laicis quam Clericis ut

ut legeretur singulis diebus sabbati, Urbanus Papa mandat. *Ut autem res difficillima*, inquit Baronius, *inchoanda, hactenus in Ecclesia Catholica intentata, optatum consequi posset effectum, placuit Urbano Pontifici Dei Genetricis precibus adnitendum, ut conciliaret sibi cœleste numen, quod probè sciret experimento, quaque ardua progressura feliciter, quibus Beatæ Mariæ Virginis faveret gratia & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum idem Christi vicarius eodem Claromontensi Concilio, rogatâ sententiâ Patrum egit, ut horariæ illæ preces & laudes, quæ vulgò Dei genitricis dici consueverũt Officium, apud monachos Eremitas, institutione Petri Damiani (ut superius vidimus) frequentari cœptæ, ex illis deducerentur ad Clericos, à quibus dignè ex animo eidem sanctissimæ Virgini persolvi deberent, ut ipsa apud filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot & tantis discriminibus subeundis, ejus fulciretur auxilio atque præsidio muniretur. Quod quidem tunc à sancta synodo, Urbano agente, eâ occasione indictum & à Clericis piè susceptum, ad laicos quoque fuit, tam viros quam mulieres, propagatum & quidem cum magno fœnore gratiarum, ut experti sunt omnes jugiterque experiuntur fideles, illud ex animo frequentantes: quas preces & Carthusiani divino monitu haud pridem suscepêre dicendas &c.* Hactenus Baronius. De hujus officii origine alii aliter, & inter cæteros vir quidam eruditus, sed anonymus hæc habet: *Officium de* Beata *nuncupatum, nonnullis ortum habet ab hæreticis Nestorii temporibus, qui cum, impietate nunquam satis abominandâ, duos filios fingens, Christum divisisset, & natum ex Maria Virgine Deum esse negasset, ad veritatem Catholicam fidelium mentibus penitus inculcandam, tam in Orientis, quam Occidentis Ecclesia, cognomen illud, Græcè Maria Θεοτόκος, Latinè verò, Maria mater Dei, frequenter usurpari cœpit. Verum quod initio tantum ad Christi cultum excogitatum fuerat, deinde illius quoque matri communicatum est, & ipsi soli tandem impositum. Qua de caussa, ubi mos venerandarum imaginum invaluit, Christus inter brachia virginis infantuli formâ depictus est, ut honor qui debebatur illi etiam in ætate puerili, tunc exhiberetur. Sed progressu temporum honor iste quoque transiit in unius Mariæ venerationem, etiam absque respectu filii, qui tantummodo, quasi quædam appendix, in imaginibus permansit. Unde concionatores, præcipuè contemplativi à vulgo, qui plurimum in rebus ejusmodi valet, quasi à torrente tracti, omissâ plerumque mentione Christi, laudes,* epithe-

Idem Genebrardus Liturgia c. 24.

epitheta, atque servitia religiosa, ad instar eorum, quæ jam Deo reddebantur, excogitarunt. Ad annum enim fermè 1050 *quotidianum Officium per septem horas Canonicas distinctum ad venerationem beatæ Virginis institutum est; veluti jam pridem ad cultum divinæ majestatis celebrari consueverat. Et insequentibus quinque seculis adeò prævaluit ista veneratio, ut ad culmen tandem pervenerit, donec etiam illi, quæ divinæ sapientiæ in scripturis sacris peculiaria sunt, attributa fuerint: & imprimis peccati originalis exemptio; quæ tunc à paucis admittebatur, necdum in ecclesiasticis ceremoniis usurpabatur. Ad annum vero*, 1136, *Canonici Lugdunenses in Officiis ecclesiasticis eam admiserunt: Qua de causa* S. Bernardus, *qui tum maximè florebat, & omnium sui temporis absque controversia & doctissimus & sanctissimus habebatur, quamvis in beatissimæ Virginis laudes propensissimus esset, nihilominus epist.* 174. *Canonicos Lugdunenses multis redarguit: quod in ecclesiasticis officiis, repentinis novitatibus acquiescerent, novam inducentes celebritatem, quam ritus ecclesiæ nesciebat, ratio non probabat, antiqua traditio non commendabat. Reginam quidem Virginem, Domini matrem, honorandam esse, sed honorem reginæ judicium diligere. Nulla ei ratione placere posse contra ecclesiæ ritum præsumptam novitatem, quæ temeritatis esse mater, soror superstitionis, filia levitatis.* Hæc ille auctor libello, cui titulus: *consultatio de reformandis horis Canonicis.*

Ecclesia Lugdunensis propter quandam revelationem, ut dicebatur, diem conceptionis S. Mariæ festum volebat, quod multis rationibus refutat S. Bernardus, his inter cætera verbis: *Nunquid patribus doctiores aut devotiores sumus? At valdè honoranda est (inquis) mater Domini. Benè admones, sed honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis. Mirare fœcunditatem in virgine, prolem venerare divinam.* Et sub finem: *Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioqui nulla ei placebit contra ecclesiæ ritum præsumpta novitas, temeritatis mater, superstitionis soror, levitatis filia. Nam si sic videbatur, consulenda potius erat Apostolicæ sedis auctoritas, & non ita præcipitanter sequenda paucorum imperitorum simplicitas. Et antè quidem errorem apud aliquos compereram; sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat: sed apud sapientes super-*

superstitione deprehensâ, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim, &c. Hactenus Bernardus. Simili ferè modo loquitur S. Augustinus epist. 119 ad Ianuarium cap. 19.

Audiamus quid ille Petrus Eremita dux expeditionis Hierosolymitanæ secundus, in honorem beatæ Virginis Mariæ excogitasse dicatur à Polydoro Virgilio lib. 5. cap. 9. *Cæterum,* inquit, *ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam Dominicam precem cum angelica salutatione recitamus, est modus orandi postremò inventus, per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus modo preculas, modo paternostros appellat. Ii numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo, sunt enim perforati, & quot hi sunt, toties Dominicam precem, quot illi, toties Angelicam salutationem, ter numerum ineundo recitent, terque symbolum brevius inferant: Et id Deipara Virginis Psalterium nuncupant. Ejus rei auctor fertur Petrus Eremita, homo Gallus, civis Ambianensis, qui ab hinc annos 430, hoc est circiter annum salutis humanæ 1090 sanctitate floruit, egitque cum Urbano Romano Pontifice, ut bellum Asiaticum à nostris sumptum fuerit, quo Hierosolyma recepta est. Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modo ex ligno, succino & corallio, sed ex auro argentoque fiant, sintque mulieribus instar ornamenti, & hypocritis præcipui fucosa bonitatis instrumenti.* Hæc Polydorus Vergilius.

Sed errare videtur Polydorus: nam ille Petrus, ad numerum lapillorum suas preces dixisse narratur, imitatus fortasse Paulum Monachum & Eremitam, cujus mentio fit inter alios apud Sozomenum lib. 6. cap. 29. *qui in singulos dies trecentas orationes Deo velut tributum quoddam reddidit, ac ne per imprudentiam in numero erraret, trecentis lapillis in sinum conjectis, ad singulas preces singulos inde ejecit lapillos.* Sed ab aliis primus harum precularum ad numerum calculorum ligneorum dicendarum inventor fuisse traditur Dominicus, natione Hispanus, auctor & institutor ordinis Prędicatorum seu Dominicanorum an. C. 1213, ut vult Spondanus, qui Annalium Baronii conscripsit epitomen & continuationem, & dicto loco sic eam narrat historiam; *Illis ipsis temporibus, quibus Albigensium hæresis,* ut loquitur Spondanus, *per partes Galliarum & Italiæ miserè grassabatur, & adeò multos excæcaverat seculares, ut in Domini sacerdotes & Clericos*

sævissimè furerent, prædictum Dominicum levantem in cœlum oculos & montem illum gloriosæ Virginis Mariæ, quæ germine suo tortuosi serpentis caput obtrivit & cunctas hæreses interemit, ac benedicto fructu ventris sui mundum primi parentis lapsu damnatum salvavit, respicientem, modum facilem atque omnibus planum ac valdè pium orandi ac precandi Deum excogitasse, nempe Rosarium seu Psalterium ejusdem Virginis nuncupatum, quo eadem virgo salutatione Angelicâ centies & quinquagies, ad numerum Davidici Psalterii repetitâ, & oratione Dominicâ ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus, interpositâ veneranter colitur, hocque orandi modo per Ordinis sui fratres divulgoto, atque à nonnullis accepto, cœpisse Christi fideles iis meditationibus accensos, in alios viros repente mutari, hæresium tenebras remitti, & lucem Catholicæ fidei aperiri; denique ad hanc orandi formam pro locorum diversitate sodalitates institui. Istam enim institutionis sanctissimi Rosarii rationem eosque illius affectus, totidem ferè verbis nobis aperuit Romanus Pontifex, ejusdem nominis Pius Papa V. Constitutione de eo editâ; quod & nonaginta antè annis à Sexto quarto approbatum, ejus pariter Constitutio declarat. Hactenus Spondanus. sed de sævissimis Simonis Monfortii Comitis & S. Dominici armis, plura alii.

Papa ex Galliis ad Apostolicam sedem cum magna gloria reversus, cum suis Cardinalibus Romæ nativitatem Domini celebravit; quippe totâ Romanâ urbe sibi subjugatâ, præter turrim Crescentii, in qua adhuc latitabant Guibertini. Bertholdus.

A.C.1097. *Urbanus Papa, ut Ecclesiam Constantinopolitanam cum Romana in quæstione de processione Spiritus sancti ad concordiam reduceret, Concilium indicit Bari in Apulia, ad quod evocat Græcos, ut etiam Anselmum Cantuariensem in Anglia Archiepiscopum, natione Italum, cum rege suo propter investituras Episcoporum in regno discordem, ubi cum disputaretur de processione Spiritus sancti, & Pontifex se satis explicare aut extricare non potuisset, dum quæstionem expedire tentans magis involveret, Græcis contra non improbabiliter occurrentibus, nisi Anselmus adfuisset, qui respondentis partes sustinuit.* Baronius ex Wilhelmo Malmesburiensi.

Hoc anno ordo monachorum Cistertiensium suum habuit initium auctore Roberto Abbate, qui cum viginti duobus monachis, relicto monasterio Molismensi

Molismensi in Episcopatu Lingoniensi, abierunt in locum salebrosum & vastæ solitudinis, quem Cistertium vocarunt, atque ita in Burgundia primam exstruxerunt Abbatiam. Chron. Belg. Sigebertus. Nescio quâ occasione hisce turbidis & perversis temporibus tam multi & tam varii ordines monachorum instituti sint, nisi fortè, quod omnes pii & pacis amantes, fugerent tristes & horrendas in Ecclesia turbas,in recessu & solitudine ab omni hominum tumultu liberi vivere quæsierint:alii alias statuunt caussas. Sequenti seculo an.C. 1113 institutus est ordo S. Iohannis Hierosolymitani, ordo Templariorum an. 1119.paulò post ordo Præmonstratensium,Militum Teutonicorum, Carmelitarum, Cruciferorum *&c.*

Lanceam quidam Antiochiæ invenerat, quam dixit revelatione divinâ inventam, & esse eam, quâ latus Christi in cruce perforatum fuerat, & die 28 Iunii eâ prælatâ exercitus fortiter rem gesserat. Sed cum videretur hoc fraude dicere, fidei faciendæ gratia per rogum ardentem transit, sed ita afflatur igne, ut paucis diebus moreretur. Tyrius lib. 6. cap. 14. & lib. 7. cap. 18, cujus lanceæ eodem hoc anno etiam meminit Baronius.

Plurimæ ejusmodi imposturæ & fraudulentæ reliquiarum aliarumque rerum sacrarum nundinationes in historiis veterum occurrunt, inter alias vide Baronium tom. 11. an. C. 1027. pag. 89.

Ivo Abbas S. Quintini, vir doctus, abrogato per Papam Urbanum Godefredo Carnotensi Episcopo,de adulterio accusato,in ejus locum ab eodem Papa surrogatur, ægrè id ferente Archiepiscopo Senonensi & Metropolitano, eumque accusante læsæ majestatis, quia contra regni privilegia electus erat à Pontifice Romano, cum secundum ordinem Ecclesiasticum ea lis primò fuisset deferenda provinciæ metropolitano & ejusdem suffraganeis. Hac de re appellat ad Papam Ivo etiam contra Canones Ecclesiæ, & cum regiæ majestatis despectu. Cum verò Rex per conniventiam permitteret, nam ut sibi suam pellicem Bertradam conservaret, non audebat Urbanum offendere, victor Ivo suo Episcopatu perfrui non desiit, & ab eo tempore acris fuit propugnator Pontificiæ auctoritates apud Gallos, ut paulò ante Anno Coloniensis & alii apud Germanos, & Anselmus Cantuariensis apud Anglos. A.C.1099. *Ivo ep.* 12.

Vide Ivonis epistolas, ex quibus ejusdem propensionem erga

Urbanum & ſedem Apoſtolicam cognoſces, 28, 67. 68. 116. &c. in hâc poſtrema ad Papam hæc inveniuntur verba: *Qui Gallicanarum Eccleſiarum pericula cottidianarum preſſurarum experimento cognoſcimus, earundem preſſurarum onera ſedi Apoſtolicæ revelanda notificare praoptamus. Rhemenſem metropolim aliquando matrem veſtram, nunc autem filiam ſub omni celeritate veſtris conſolationibus refoveri veſtro auxilio multum poſtulamus: ne adverſarius noſter quærens quem devoret, electionem in dominum Manaſſem, factâ aliquâ verſutiâ, valeat perturbare, aliquâ perturbatione quaſſare, non enim poterat illa Eccleſia inter omnes ſuos filios quemquam invenire, ſedi Apoſtolicæ magis devotum, ſuis utilitatibus magis neceſſarium, tum propter generis nobilitatem, tum propter morum honeſtatem. Quantum vere neceſſarium ſit Romanæ Eccleſiæ, ut in prædicta ſede devotum ſibi miniſtrum ſubſtituat, non eſt meum veſtram prudentiam inſtruere, quæ novit eandem ſedem diadema regni habere, & penè Gallicanis Eccleſiis exemplum ruinæ, vel etiam reſurrectionis exiſtere.* Et alibi: *Ego de me ſentio, quod non eſt aliqua perſona tranſmontana, quæ pro fidelitate veſtra, pro aſſertione præceptorum veſtrorum tot contumelias pertulerit, injurias acceperit.* Et: *Ut bona Epiſcopalia adverſariis expoſita fuerint, damnaque uſque ad penuriam panis inflicta ſint.* Poſtea, anno ſui epiſcopatus octavo, gravis orta eſt controverſia inter Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, ſedis Apoſtolicæ legatum & Ivonem, ſuper conſecratione Archiepiſcopi Senonenſis. Legati faſtum cum acriter perſtrinxiſſet epiſtolâ 65. Ivo, & de inveſtituris Regum, poſt canonicam epiſcoporum electionem quondam uſitatis, paulò liberius ſcripſiſſet, etiam offendit Urbanum, qua de re ſic loquitur Baronius: *Vidiſti lector, in quot & quanta diſcrimina miniſter improvidus conjecerit eccleſiæ ſtatum? ſi enim quæ ſua ſunt quærere, ut Chriſtianæ caritati repugnans, vetat Apoſtolus, quomodo Apoſtolicæ ſedis legatus quæ ſua non erant, cum tanta jactura Eccleſiæ Gallicanæ præſumpſit? ſed quoniam prudentiâ carnis & non ſpiritus perperam facta à miniſtris, defendi ſoleant ab eorum Dominis, cum legibus divinis atque humanis quemque peccantem pœna conſequi debeat, Urbanus Papa humani quid paſſus, his Ivonis acceptis literis à legate, vehementer in Ivonem ipſum commotus eſt; cujus ira pondus ipſe Ivo non ferens, eò deſperationis adactus eſt* (ſeu potius eò magnanimitatis devenit, quod mani-

manifestè indicant ejus litteræ) *ut se ab Episcopatu abdicare statuerit, licentiamque id peragendi ab ipso Urbano petierit.* Baronius.

Ivo ille ex sanctorum patrum canonibus conscripsit decretalia, quorum usus erat ante tempora Gratiani. Idem.

Henricus Imperator in comitiis Conradum filium in Italia rebellem proscribit, & Henricum filium natu minorem ex consensu Principum regem eligit, cum prius juramento promisisset, se futurum parenti fidum. Ursperg.

Conradus, VVilhelmi successor, 22 Trajecti Episcopus, templum S. Mariæ ædificaturus paludosum invenit ibi fundum, qui ferendo ædificio non esset, ut loquitur Calvisius. *Vorago fuit vel æstus, quales in hac regione frequentes, magna sæpe impedimenta ædificantibus adferunt,* **Wellen** *Belgicè vocant. Voraginis indicium extat in templo, Taurus columnæ incisus, sed à posteris, est enim à Scorelii ibidem Canonici arte, cum hoc ab antiquitate translato disticho:*

Accipe posteritas quod post tua secula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

Ab Imperatore Henrico IV adjutum Episcopum constat: in cujus rei memoriam statua Imperatoris, diu in medii templi turricula visa fuit, ut alia ejusdem collegii monumenta docent. Egregium sanè est ædificium, antiquam non barbaricam, sed Romanam referens structuram. Buchelius in Bekam.

Hoc anno Papa Urbanus natalem Domini cum magna pace celebravit: nam & castellum S. Angeli cum aliis munitionibus in sua potestate detinuit, omnesque æmulos in civitate perdomuit, & paulò post eodem hoc anno mortuus est. Bertholdus.

In fine hujus anni post captam Nicæam & Antiochiam, etiam capitur Urbs Hierosolymorum, cujus Regnum datur Godefredo, ut Principatus Antiochiæ Boamundo. Godefridus (qui primus conscensis & superatis mœnibus in urbem irruperat) Rex designatus, recusat coronam auream, quia indecens ducebat diadema aureum hominem peccatorem gestare ea in urbe, in qua Salvator mundi & Rex regum spineam coronam sacratissimo suo sanguine madentem gestare coactus fuerat. Negat coronam Laicus, quærit coronam Clericus. *VVilhelmus Tyrius lib. bello sacro.*

Mortuo Urbano secundo in ejus locum succedit Paschalis II. A. C. 1100.

 antea

antea dictus Reinerius, Monachus Cluniacensis, natione Tuscus. Moritur etiam Guibertus dictus Clemens III. qui annos 21. contra Gregorium, Victorem, Urbanum & Paschalem Papa fuerat. Ut etiam Conradus, Imperatoris Henrici filius adhuc patri rebellis, ut loquitur Sigebertus. Præterea moritur Godefredus Rex Jerusalem, vir præter peritiam & fortitudinem militarem pietate insignis: cui successit omnium Principum consensu Balduinus Godefredi frater, inter quem & Patriarcham Hierosolymæ statim magnæ obortæ sunt dissensiones, pessima novi regni fundamenta, ut videre est apud Guilielmum Tyrium de bello Sacro.

Similes etiam ortæ sunt contentiones in Anglia inter Regem & Anselmum Episcopum Cantuariensem, propter decretnm Concilii Romani de Ecclesiarum investituris, Laicis omnibus prohibitis: nam Anselmus Lanfranci discipulus & successor & monachus, natione Italus, electus Episcopus Cantuariensis investituram per virgam & baculum quærebat sibi dari à Papa Urbano, quod ægrè ferebat Rex Wilhelmus secundus, qui dicebat, verba sunt Matthæi Paris, *Quod nullus Archiepiscopus vel Episcopus regni sui Curia Romana vel Papa subesset: præcipuè cum ipse omnes libertates haberet in regno suo, quas Imperator vindicabat in Imperio. Anselmus itaque hanc ob rem à rege ut læsæ majestatis postulatur, &c.* Hoc tamen obtinuit an. 1107 Anselmus sub Henrico primo, Angliæ rege, vel 1108 ut habet Baronius ex Wilhelmo Malmesburiensi.

A.C. 1101. Plurimum contenditur de investituris inter Papam Paschalem, & Imperatorem Henricum, Philippum Galliarum & Henricum Angliæ regem. Pro Papa apud Gallos decertante Ivone, apud Anglos Anselmo Cantuariensi.

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus concilium tenuit Londoniis in Ecclesia S. Pauli, præsente rege & suffraganeis Episcopis, circa festum Michaëlis. In hoc Concilio sacerdotes concubinarios excommunicavit, nisi eas de cætero amoverent. Hoc autem bonum quibusdam visum est, & quibusdam periculosum: ne dum mundicias viribus majores expeterent, in immunditias laberentur deteriores. Deinde regi, quæ Roma decreta in concilio generali acceperat, de investituris Ecclesiarum plano sermone descripsit, quod videlicet nullus Ecclesiarum Prælatus Episcopus vel Abbas vel clericus,

clericus, investituras alicujus Ecclesiastica dignitatis de manu suscipiat Laicorum, unde non leves turbæ apud Anglos. Matth. Paris.

Henricus Imperator à Paschali Romæ in concilio excommunicatur, quod est sextum fulmen, si bene memini, in eundem Imperatorem vibratum. A.C.1102.

Hoc eodem anno, cum Robertus Flandriæ comes, jam ante biennium reversus ab expeditione Hierosolymitana, arma ex præcepto Paschalis Papæ, *convertisset adversus schismaticos, inhærentes Henrico Imperatori contra Ecclesiam Romanam, & Cameracenses* (*ut Sigebertus affirmat*) *exagitasset, ut adversus Leodienses eâdem insaniâ* (eâdem fidelitate erga suum dominum) *laborantes vires converteret, his literis exhortatus est eundem Paschalis Papa*. Baronius.

Gratias agimus, inquit, *prudentiæ tuæ, quod præceptum nostrum in Cameracensi parochia executus es: idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis* præcipimus. *Iustum enim est, ut qui semet ipsos à Catholica ecclesia segregarunt, per Catholicos ab Ecclesiæ beneficiis segregentur. Nec in hac tantum parte, sed ubique cum poteris Henricum Hæreticorum caput, & ejus fautores pro viribus prosequaris. Nullum profectò gratius sacrificium Deo offerre poteris, quam si eum impugnes, qui se contra Deum erexit; qui Ecclesia Dei* regnum *auferre conatur, qui in loco sancto Simonis idolum statuit, qui à principibus Dei sanctis Apostolis, ejusque vicariis de Ecclesia domo, S. Spiritus judicio, expulsus est. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut ita laboribus ac triumphis ad cælestem Hierusalem Domino præstante, pervenias.* Hactenus ad Robertum Paschalis Papa. Hisce literis Leodienses non tantum fortiter, sed & consideratè, responderunt, *acerrimâ declamatione*, ut loquitur Baronius, cujus hæc est inscriptio: *Omnibus bonæ voluntatis hominibus, Leodiensis Ecclesia veritatem fidei & Catholicam unitatem inconcussè tenens*. Sed cum sit epistola valdè prolixa, & digna ut omnium oculis Leodiensium prudens illa constantia subjiciatur, invenies illam inter addenda, sub finem hujus historiæ. *Contra hanc Paschalis epistolam etiam scripsit Sigebertus Gemblacensis monachus in Brabantia. Sed prohibita est ab Ecclesia*, ut loquitur Bellarminus.

Æneas Sylvius, qui est Pius secundus Pontifex Maximus, tradit comi-

tissam

tissam Mathildem Romano Episcopo testamento legasse, id quod Patrimonium Petri nominant, tumque vocem cœlitus auditam (ut à gravißimis accepi Theologis) venenum mellitum fœminam propinasse Christianis. Aventinus lib. VI.

A.C. 1103. *Anselmus Cantuariensis post multas tribulationes & injurias quas à Rege perpeßus erat, Romam perrexit, sicut inter ipsum & Regem convenerat, ducens secum degradatos Abbates &c. qui Romam veniens à Papa Paschali susceptus est reverenter. Dehinc pro regiis constitutus negotiis VVilhelmus de VVarenast clericus & procurator regis Anglorum, caußam ejus in medium tulit, ac inter alia constanter allegavit, quod nec ipse pro regni amißione investituras Ecclesiarum amittere velit, & hoc verbis minacibus affirmavit. Ad hac Papa: si, quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro regni amißione donationes Ecclesiarum amittere pateretur, scias pracisè, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impunè permittere obtinere. In his ergo regis negotio terminato, Anselmus pro Episcopis & Abbatibus degradatis, multâ precum instantiâ dominum Papam rogare cœpit, ut cum illis misericorditer dispensaret, ut poßent amißas recipere dignitates. Tunc sedes clementißima, qua nulli deeße consuevit, (dum modò aliquid albi vel rubei intercedat) præscriptos Pontifices & Abbates ad pristinas dignitates misericorditer revocavit, &c.* Matthæus Paris sub Henrico.

A.C. 1104. Magnis & multis hoc anno flagrabat contentionibus Ecclesia, uti de electione Papæ Romani, de prohibitis Episcoporum & Abbatum investituris, de appellationibus Romam, &c, quæ omnia ob Principum æmulationem & altum eorundem soporem astu artibusque sibi acquisiverunt Pontifices Romani, Gregorii VII vestigia animosè sequentes: idque per proprios suorum regnorum Episcopos, cum Pontificibus Romanis contra suos reges conspirantes.

Hoc quoque tempore Anselmus à Roma rediens cum Lugduno appropinquaßet, VVilhelmus de VVarenast regius Anglorum procurator, de quo superius mentionem fecimus, interdixit ex parte Domini sui, ne rediret in Angliam, nisi Patris ac fratris sui consuetudines se ei fideliter permitteret servaturum. Quod ille audiens admiratus est, sciens se aliâ conditione ab Anglia receßiße. Perveniens autem Lugdunum resedit cum Hugone Archiepiscopo civitatis (Legato Apostolico) *omnia qua Dei sunt diligenter inten-*

intendens. Rex autem Henricus ut comperit tam Papam quam Archiepiscopum in sua perstare sententia, mox Archiepiscopatum in dominium suum redegit, & Anselmum bonis omnibus spoliavit. Matth. Parif.

Hoc anno occurrit res memoratu digna. Pontifex avidè inhiat in investituras Episcoporum & Abbatum Principibus eripiendas. Imperator Henricus fortiter & strenuè resistit; tandem interim filium etiam Henricum contra patrem instigant quidam principes & Episcopi; quorum consilio filius Patrem Imperialibus & Imperio privat, idque instinctu Pontificis & legatorum ejus, cum summo Imperii detrimento, filii Henrici dedecore & animi summo dolore, sed serò nimis: quo verò jure, quâ injuriâ, videat, cui animus ab odio & favore liber. Referam ego res gestas verbis Historicorum illius ævi, ex quibus æquus lector de rei veritate judicare poterit. A.C. 1105.

Audiamus Conradum Urspergensium Abbatem, qui dicitur filio quam Patri fuisse æquior: *Mortuo Conrado Imperatoris filio rebellat contra Imperatorem Henricum alter filius Henricus, idque consilio & operâ quorundam Principum Germanorum; fœderatis denique Orientalis Franciæ & Noricis Principibus, ad Saxones, acerrimos Imperatoris hostes, abiit. Abjurat omnem hæresin, & Pontifici debitam profitetur obedientiam. Consilio Episcopi Moguntini & Constantiensis, Paschalis Papæ Legati, conventus Ecclesiasticorum in civitate Northuysen indicitur. In hoc Concilio omnia Pontificum decreta confirmantur. Non nisi vocatus interesse conventui voluit Henricus Rex, servans adolescentiæ verecundiam, & Christi sacerdotibus dignam exhibens reverentiam. Multi Episcopi restituuntur suis sedibus, & præcipuè Moguntinus diu exsul. Contestatur filius se hæc non agere regnandi desiderio, & se velle patri subjicere, si ille Papa. Arma parant pater & filius, collectis exercitibus, & ad pugnam paratis, operâ Principum pacis studiosorum absque prælio discedunt, flumine tantum eos separante. Ad milites protulit hæc verba Henricus filius: Ego quidem Christianis legibus subarrhatum regnum, ut hæres & successor, mihi tenere, si tamen rerum omnium dominatori placuerit, cupio; parricida vocari vel esse nolo. Quod si pater meus Apostolicæ se subjecerit obedientiæ jugo, ego mox his, quæ sua mihi concesserit clementia, contentus ero. Interim me non impugnatorem patris, sed propugnatorem paterni regni noveritis. Colloquitur cum patre*

filius Binga. Hic præpostero ordine patrem filius monet de anathemate &c. & debitum obedientiæ promittit, si resipiscere dignetur. Senior has & hujusmodi complures sententias ad senatusconsultum optimatum instantis curiæ distulit &c. Scribit ad Papam literas Imperator de pace & concordia Christiani orbis, & hoc dilatum dicit propter nimiam austeritatem quorundam pontificum, qui se non tantum regno hæreditario privare conabantur, sed subditos contra legitimum Dominum ad rebellionem excitabant. Quod si placuerit tibi, inquit, paternè nobiscum agere, & pacem nobiscum componere, mitte nobis familiarem nuntium &c. Generalis conventus Moguntiæ habetur, ubi aderant duo legati Apostolici, qui sæpius à diversis etiam Apostolicis Henricum seniorem à communione totius Ecclesiæ Christi & S.Petri auctoritate sequestratum confirmabant. Cum autem Imperator Moguntiam cogitaret, Principes metuentes vulgi tumultum, patri potius quam filio faventis, ipsi in Ingelheym occurrunt; tandemque generali illum circumvenientes consilio, usque ad reatus confessionem satisfactionisque professionem perducunt. Quare regalia vel Imperialia insignia, crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii potestati tradidit; & se juxta summi sacerdotis, totiusque ecclesiæ decreta suæ animæ consulturum promisit. Hoc ordine Henricus filius à Germaniæ principibus Rex electus, ab Apostolicis legatis confirmatus est. Tandem ab hoc conventu ad Papam Paschalem decernitur legatio eximia. Iam exaltatis sibi(verba sunt Urspergensis) *Ecclesia Romana cornibus ad incutiendum timorem cunctis usquequaque schismatum membris, etiam capitis ipsius ossa, Guiberti scilicet dicti Papæ, de sepulcro suo, quod per quinque jam annos in ecclesia Ravennensi possederat, projici fecerat, universaque ejus instituta, ut verè non Apostolici sacerdotis, sed apostatici invasoris, annullare decreverat. Denique in tantum divinæ legis subitò zelus efferbuit, ut etiam ipsa cadavera pseudo-episcoporum in Germania ab Ecclesiis eliminarentur: exemplum imitati Papæ Paschalis.* Hactenus Abbas Urspergensis. Non illepidè quondam dixit Plancus apud Plinium, in præfatione historiæ mundi, *cum mortuis non nisi larvas luctari*: quâre nihil esse potest indignius viro ingenuo, ne dicam Christiano. Apud Poëtam, *Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.* Jam verò eandem historiam narrabo ex auctore illo anonymo, cujus sæpe mentionem fecimus, *qui Henrici Imperatoris inhærebat lateri,*

quique

quæque ipsi erat à secretis ; scripsitque paulò post Henrici mortem ejusdem vitam, ut inquit Baronius. Hic idem auctor, ut magni videtur Imperatorem fecisse, sic etiam cum magna loquitur veneratione de ipso Gregorio VII, ut vidimus, ita ut præ cæteris huic fides sit habenda, cum à partium studio liberior esse videri possit. Apologiam Henrici scripsisse hunc anonymum affirmat Baronius: Sed invectivam in Henricum Imperatorem, apologiam verò pro Gregorio scripsisse Baronium luculenter docent ejus annales.

Mortuis Regibus, Henrici hostibus, inquit Anonymus, *in pace vivebant Germani, sed assueti rapinis ob diuturna bella, ut occasionem repetendæ consuetudinis invenirent, movendis iterum bellis studebant, iterum æmulum Imperatoris quærebant: huic rei filium maximè idoneum existimabant. Itaque ut suggestioni locum invenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum secum abducebant, conviviorum illecebris inescabant, jocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda, quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Denique ut fit inter adolescentes, quodam soliditatis glutino vincti sunt, ut etiam fidem dextramque multis sacramentis darent. Cum ergò eum multis dolis irretitum decipi posse considerarent, quâdam die inter alia, tanquam ex obliquo, patrem ejus in mentionem adducebant: se mirari quod tam durum patrem pati posset, nihil eum à servo differre, cum omnia quæ servi sunt toleraret: Patrem ejus senem esse, & moderandis regni habenis invalidum, si investituram regni usque ad obitum ejus differret, haud dubium quin alter illud præriperet: illum multos fautores habiturum, propter invidiam & odium patris sui: se autem omnium vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maximè cum ejus patrem excommunicatum ecclesia dudum rejecerit, & proceres regni reprobaverint: nec sibi observandum, quod incautè juraverit, imò tum demum sanctificasse, si juramentum excommunicato juratum irritum faceret. Pater verò de filio nihil mali suspicatus, familiaritatem ejus cum regni majoribus probavit, sperans eos sibi tantò fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum laturos, quantò prius invicem in amore magis coäluissent. Quid multa? statim illectus atque abstractus à concupiscentia maligna suggestioni (ut semper seductilis est adolescentia) nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris observans tempus recedendi à Patre, quando id*

maximo Patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quosdam Saxones rebelles, deseruit, proculdubiò deserendus ab iis, qui sibi, ut desertor fieret, persuaserant. Imperator missis ad eum legatis, tam lacrymis quam mandatis revocavit, obtestans eum, ne senem Patrem contristaret, imò ne patrem omnium offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne se fabulam mundo faceret. Interim meminisset, quâ se cautione obligasset: hostes esse, non amicos, insidiatores, non consiliatores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, & se non ulterius partem secum habiturum, quia excommunicatus esset, asseruit. Ita sub specie caussæ Dei, suam caussam egit. Illicò Bavariam, Sueviam, ac Saxoniam percurrit, proceres attraxit, attraxit omnes (ut sunt ingenia rerum novarum cupida) & subintravit in regiam potestatem, tanquam vivum sepeliisset patrem. Et paulò post colligit exercitum, quod & Imperatorem, ut exercitum colligeret, coëgit. Uterque exercitus ad fluvium, cui Regino nomen, se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hic pietas, ibi furor consedit. Cumque potentiores utriusque partis tanquam tanti dissidii mediatores convenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis & multis magnisque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant, & nisi domesticam fraudem præsensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur sceleri fortunæque cedendum putavit, & ad similitudinem David, ne filius paricida fieret, fugit. Cogitans Imperator quod inimici, hâc quà venerant persequerentur eum, ad Ducem Bohemiæ divertit, quamvis nuper eum in arcto non benè reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & usque in Saxoniam deduxit: ubi quamvis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis usque ad Rhenum honorificè deductus. Unde hoc? nisi quod manus Domini erat cum eo, & invisibilem ducem habebat, qui eum per tela, per hostes ducebat. Continuò Rex, ut faventem sibi fortunam urgeret, curiam Moguntinam ad natale Domini indixit, invitavit proceres, accersivit multos, ut cunctis innotesceret, quia Dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam Imperator etiam convocatis necessariis suis venire disposuit, volens in ratione ponere rectène secum actum esset. Quod cum agnovissent adversarii ejus, metuentes sibi & suæ caussa, si veniret ille, tam armatus multitudine quam ratione; hanc fraudem Regi suggerebant, ut obvius patri, sumpto valdè pœnitentis

Vide Aventinum.

tentis

tentis vultu, culpam fateretur, & gratiam expeteret, dolere se, quod maligna suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inveniret. Et si sic occasionem fraudis invenire posset, uteretur illâ; sin autem non, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hâc instructus arte cum venisset ad Patrem, pater credulus verbis & lacrymis filii, irruit super collum ejus flens, & deosculans eum, gavisus instar istius Euangelici Patris revixisse filium, qui mortuus erat, & inventum, qui perierat. Quid multa? condonavit filio tam pœnam, quam culpam, & hoc illi fuit injuriam filii vindicasse. Post hæc Patrem sicut fictâ pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei quemadmodum ei suggestum fuerat, ut dimissâ tantâ multitudine, ad curiam ambo mediocri copiâ venirent, nihil esse, cum illi coissent in concordiam, quod illi resisteret; vastari omnia, si pergerent eâ copiâ. Placuit consilium patri, bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissâ multitudine non plus quam trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnâm mansionem; ibi se filius obsequio patris totum impendebat; ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur; sed nescius illam oblectationis noctem ultimam esse. Mirum, fraudem vimque tam ordinatam fortunam habuisse. Posterâ namque die cum appropinquarent Moguntiam, venit nuncius subornatus, qui diceret Bavaros & Suevos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi pratentatis eorum animis; audaciam hominum nulli[illegible] regi frenis, diverteret potius ad castellum, quod juxta erat, dum ipse conveniret eos, & à sententia incœpti abduceret, ut ad eum, ob requirendam ejus gratiam, adduceret. Fecit Imperator, ut filius suggesserat, divertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulcra species mendacis fidei. Cum autem Imperator cum paucis intrasset, occlusâ portâ fidelibus ejus aditus negabatur: detectâ fraude, qui receptus ut Dominus, tentus est ut captivus. Itaque appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reversus, tanquam rem virtutis egisset, cum magna jactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendisset. Tum vero curia lætitiâ plausuque resonabat & nefas justitiæ, fraudem virtuti asscribebat.

 statim

statim misso legato, Patri mandavit, ut si vitam servare vellet, absque mora sibi crucem, coronam, & lanceam cæteraque regalia transmitteret, & munitiones, quas firmissimas tenebat, in manum ejus transferret. Nec ille cunctabatur, omnia quæ jussus est facere, nec imperium pluris habebat quam se. Sed nec in hoc satisfecisse videbatur, nisi & ipse coram veniret, & in conspectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non sua potestatis, sed in comprehensione adductus, solus coram eis, qui dudum coram se steterant, stetit, nec rationis libertatem habens, ut captivi fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea Imperii renunciatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coëgit, respondit: se videlicet imperio renunciare, non vi coactum, sed propriâ voluntate inductum, sibi jam defecisse vires ad moderandas Imperii habenas, non se ejus jam cupiditate teneri, quod longo usu didicisset habere plus molestiæ quam gloriæ, tempus esse, ut honore cum onere deposito, provideret animæ suæ: tantum filius suus caveret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset & illum facere, & se pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitum & lacrymas commovit, filium autem ad commiserationem movere nec ipsa natura potuit. Et cum caderet ad pedes filii, orans ut recogitaret in se saltem jus naturæ, nec vultum nec animum ad patrem reflexit, cum ipse potius ad patris pedes advolvi debuisset, eo quod illi regnum (cujus hæres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ præripuisset. Præterea veniam deprecabatur ab omnibus quos unquam injustè læsisset: sed & pedibus Apostolici legati advolvitur, orans & obsecrans ut se à banno solveret, & communioni Ecclesiæ redderet. Laici misericordia moti veniam dabant: Legatus autem Domini Apostolici absolutionem negabat, asserens non hoc suæ potestatis esse, oportere ab ipso Apostolico absolutionis gratiam eum exspectare. Quid multa? abrenunciatâ imperiali dignitate privatus discessit, & ad quandam civitatem, quam filius victui illi promiserat, recessit.

A.C. 1106. *Imperator Henricus è loco, ubi constitutus à filio fuerat privatam agere vitam; fugâ elapsus, Coloniam primum, inde Leodium venit, ubi ab Episcopo benignè exceptus est: quod agrè tulit filius, quare Leodii sibi pascha celebrandum statuit, ut patrem, si fieri posset, comprehenderet, & ab Episcopo, qui sui honoris æmulum recepisset, injuriam expostularet*, ut pergit anonymus. *Cùmque pater vidisset quod filius Pascha Leodii celebran-*

brandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum an mandatum Dei præstantius magisque tenendum: respondebis, nisi à vero deductus sis, se esse jumentis similem, qui cœlestia terrenis, divina humanis non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere atrem tuum, quam verbum ipsius Dei, Honora patrē tuum? Isti te decipiunt, non instruunt, isti honori tuo non provident, sed invident, isti sub specie fidei perfidia laqueos nectunt, non aliter pervenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, ut peccatis meis id exigentibus (qua sententia adversariorum meorum est) abjecerit me Deus ne regnem: attamen tuum non erat in abjectionem meam operam dedisse, & regnum quod tibi paraveram mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant & devovent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum nesciunt, quid in diligendis parentibus natura debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturam ætatem decepit, cum etiam senes & fixum animi statum ad malum, mala consilia nonnunquam inflectant. Fortuna mea alieni potius quam tui sceleris est, &c. in quibus pater filio celebrationem Paschatis Leodii dissuadet, multis rationibus, præcipuè cum pater semel turpiter deceptus, filio perfido fidere non possit. *Hanc legationem Patris aure surdâ filius audivit*, inquit Anonymus, *nec à sententia sua abduci potuit: quamobrem, cum jam instante Pascha Pater recedere vellet, Episcopus & Henricus Dux (qui & ipse fuerat ab Episcopo invitatus) eum recedere prohibebant: se non posse pati ut in tanta festivitate pulsus è tectis hominum, sylvas peteret latebrasque ferarum: illum quidem destitutum absque caussa imperio, sed non amicorum obsequio: si pace frui permitteretur, nihil se magis quam pacem velle; sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille verò, ne eis materia cladis foret, cedere quam manere utilius asserens, tandem eis, cum importunius instarent, consensit, & ut postulabant, mansit. Iamque multus equitatus faciem Regis longè præcedens ad Pontem fluvii, qui vocatur Mosa, venerat; & alterius ripa crepidinem filius prædicti Ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longè per opportuna loca in insidiis locaverat: filius ille Ducis fugam simulabat, ut falleret, quam cum viderent Regii, præcipiti cursu Pontem transeuntes, fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis, & fraudis quā latebat. Postquam autem ventum*

tum est ad locum, ubi disposita fuerant insidiæ, exsurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo in fugam se retorserunt. Ad pontem verò, ubi fugax multitudo se coarctaverat, tantò plus sceleris impia manus peregit, quantò minus constipata turba se movere potuit: sed multò plures fluvius absorpsit, quam ensis hausit: nam cum hostis à tergo premeret, impellente metu in fluvium se præcipitabant, & attoniti confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseriam vel maximam, cum pons multitudine prægravatus repente corruit, & fluvius homines pariter equosque involvit. Nulli erat locus evadendi, nulli profuit ingenium natandi, nam aut armorum pondere, aut inhærentium connexione fatigatus, in profundum trahebatur. Quod malum ut scelestius esset, in ipsa die parasceves contigit, crevitque magnitudo sceleris ex reverentia temporis. His ita transactis, Rex iter Coloniam convertit, sed cum illa quoque aditum sibi præclusisset, in villa, quæ dicitur Bonna, Dominica Pascha peracta est.

Ægerrime hanc cladem tulit Henricus filius, qui Moguntiæ apud proceres de hac Leodiensi fraude conquerens, novus ut conscriberetur exercitus petiit, ad vindicandum tam Coloniensium exclusionem, quam Leodiensium insidias. Venit cum exercitu Coloniam Henricus filius, eamque obsidione cingit, sed frustra. Totius patriæ robur coibat, ut Coloniam obsidione liberarent, sed Imperator pugnam obnixè dissuadebat, cruentum facinus detestatus: tollerent omnem sollicitudinem capiendæ urbis, quæ & ex firmitate murorum, & ex forti milite tutissima, & omni victus genere esset opulentissima, accedente & Rheni beneficio &c. Sic Imperatoris hortatu à pugna revocati, hostiles tantum excursus observabant, & ignaros loci passim cædentes, metum hosti, ne longius evagaretur, incutiebant. Omnia verò quæ prædixerat Imperator evenerunt, fames, labores, castrorum fœtor, morbi non tantum vulgus, sed etiam ipsos principes aut ægritudine confecit aut letho rapuit. Quâ tempestate mentes cum fluctuarent, subitò fama veniens, nubila tantæ perturbationis in serenum convertit. Retulit enim Imperatorem mortis debitum persolvisse, postquam imperasset annos 50, *ad quam famam primò hæsitabant: sed cum nuntius extremum munus patris annulum videlicet & gladium cum mandatis filio portans venisset, tanta lætitia oborta est, ut voces gratulantium minimè sedari possent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant,*

gebant, vulgus lamentabatur, ubique gemitus: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius patriæ pauperes conveniunt, deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lacrymas, deosculantur largas manus &c. sed nec tumulum deserebant, ibi vigiliis, lacrymis & orationibus vacabant, plangenda recitantes, quot nam opera misericordiæ fecisset in se; quamvis mors ea plangenda non erat, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis habuit, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem puduit; qui totâ cordis aviditate Dominici corporis cibum sumpsit &c. Hactenus ille Anonymus. Abbas Urspergensis hæc addit:

Leodiensis autem Episcopus, cæterique coëpiscopantes inter cætera recipiuntur (à Papa Paschali) *in communionem pœnitentiæ hac conditione: quod cadaver ipsius excommunicati per se pridiè in monasterio tumulatum effoderent, & absque ulla sepultura vel exsequiarum communione in loco non consecrato deponerent, comprobantibus his qui aderant Archiepiscopis & Episcopis; quia quibus vivis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit: quo facto paulò post corpus ipsum Spirensi civitati est in sarcophago lapideo Regis consensu delatum, sicque extra Ecclesiam per quinquennium mansit inhumatum.* Hæc Urspergensis.

Commotus rei atrocitate cogor, quod pace tuâ fiat lector, cum Poëta exclamare:

Quod genus hoc hominum, quave hac tam barbara morem
Permittit patria? Hospitio prohibemur arena:
Bella cient, primâque vetant consistere terra,
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

Ad quem locum sic ait La Cerda. *Est hæc maxima nota barbarorum, dicente Tullio in Rosc. Nam quid est tam commune, quam aër aut spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus; littus ejectis? prohibere itaque re adeò communi, quam signat ferocitatem?* Multa admiror in his postremis aliquot Pontificibus, qui cum fuerint religione monachi, nescio quid feritatis in moribus & regimine Ecclesiastico non committant. Torvus & inhumanus quidam rigor in iis plus quam in prædecessoribus eminet: fortè quia in deviis & sylvestribus vixerunt locis, ab omni hominum civili consortio remoti. Qui cum in-

ingressuri monasterium, promittant paupertatem, continentiam, & obediéntiam cum omni humilitate conjunctam; extra monasterium in sede Apostolica constituti, toti mundo summam ambitionem & avaritiam ostendunt. Conculcant Imperatores & reges, Imperia & regna proterunt, omnia jura tam divina quam humana pervertunt. Quæ non convitia, quas non execrationes, quæ non fulmina in Imperatores patrem & filium Henricum IV. & V. cætera catholicos, conjiciunt, tantum, quia suo jure hæreditario de electione Papæ Romani de investituris Episcoporum & Abbatum &c. cedere noluerunt, schismaticos, & hæreticos? Hæresis in fide consistit, & *disce à me*, inquit Christus, *quia ego sum mitis & humilis corde, veni non imperare sed ministrare*. Sed quod maximè miror, paupertatem antea polliciti, jam cum ingentes possideant opes, auri tamen summo torquentur amore. Dolens hæc profero, non exprobrandi gratia: nam alioqui infinita possem producere testimonia ejus temporis, tam ex Gallis quam Germanis & precipuè ex Anglis, ut Matthæo Parisiensi, Eadmero, Malmesburiensi, Neubrigensi, Wendovero, Westmonasteriensi, Walsingamo, plerisque Monachis. De regimine Ecclesiæ sic loquitur Gregorius I. reg. lib. 1. epist. 24. ad quatuor Patriarchas: *Summus itaque locus benè regitur, cum is qui praeest, vitiis potius, quam fratribus dominatur. Benè acceptam potestatem regit, qui & tenere illam potest, & impugnare* seu cohibere: *Benè hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris in æqualitate componi. Sic autem servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis; ne dum prælatus quisque plus se, quam decet, dejicit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit: & sic servanda est disciplinæ severitas, ne, dum plusquam necesse est zelus accendatur, mansuetudo funditus amittatur. Sæpe namque vitia se virtutes esse mentiuntur, ut tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus justitiæ, remissio pietas velit videri. Disciplina itaque & misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed magnâ discretionis arte servanda & justè consulens misericordia & piè feriens disciplina. Hinc namque est, quod docente veritate, per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur, scilicet, ut per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur. Necesse*

August. homil. 4.

quippe

quippe est, ut is, qui sanandis vulneribus praeest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenus per vinum mordeantur putrida, per oleum sananda foveantur. Sit ergo amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans: ne unitas in Ecclesia rumpatur, & schisma ejus in loco oriatur. quod ex hoc nimio Hildebrandi rigore accidisse vidimus, cum contra Alexandrum II. ab Hildebrando sine Imperatoris auctoritate electum, Imperator Cadaloum Episcopum Parmensem in Pontificem Romanum eligendum designavit an.C.1061. quod duravit annos sexaginta, ad annum scilicet 1121, cum Burdinus antipapa à Gallisto millitari manu propè Sutrium captus, summa cum ignominia Romam deducitur. Scimus omnes Christum ambitionem, fastum, mentis elationem, injustum principatum, & appetitum superbè dominandi, sicut, principes gentium damnasse, legitimam verò & Ecclesiasticam potestatem instituisse, quæ à Deo ad Ecclesiæ unitatem servandam constituta est, nam Ecclesia nil aliud est, quam fidelium in unitate collectio. Docet *Luca* 22. Christus præsidentium humilitatem, & cum lenitate æquam potestatem: *Non dominantes in clero*, nedum supra Imperatores & Reges, *sed sic ut sitis exemplaria gregis*. Audiamus Syrachidem cap. 32: *1 Petri* 5. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex ipsis, curam illorum habe & sic considera, & omni cura explicita recumbe, ut laeteris propter illos*, & cap. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Plura similia nobis suppeditabit S. Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium Papam.

Fuit hoc tempore opinio non vulgarium virorum, Antichristum hoc fore seculo revelandum: & inter alios Norberti, viri temporis hujus famâ celeberrimi, de quo ista S.Bernardus ad Gaufridum Carnotensem Episcopum: *Bernardus* *Cum ante hos paucos dies ejus faciem videre & de cœlesti fistula, ore vide-* *epist.* 56. *licet ipsius, plurima haurire meruerim; hoc tamen ab ipso non audivi: verum de Antichristo cum inquirerem quid sentiret: durante adhuc eâ, quæ nunc est generatione, revelandum illum esse, certissimè se scire protestatus est. At cum eandem certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet; audito, quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. Hæc S. Bernardus*, inquit Baronius.

A.C. 1107. *Factus est conventus Episcoporum & Abbatum, pariter & magnatum Londiniis in palatio regio, præsidente Archiepiscopo Anselmo, cui annuit Rex & statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per donationes* seu collationes *baculi pastoralis vel annuli quisquam de Episcopatu vel Abbatia per Regem vel quamlibet laicam manum investiretur in Anglia, concedente Archiepiscopo, ut nullus ad prælationem electus, pro homagio, quod regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur.* Matthæus Paris in Henrico.

A.C. 1110. Anno autem 1110. hæc habet Petrus Diaconus: *Postulat deinde à Paschali Imperator Henricus Filius, ut patris sui corpus in Ecclesia sepeliri permitteret; ad hoc Paschalis respondet: sanctarum scripturarum his obsistit auctoritas, divinorumque miraculorum reverentia prohibet. Ipsos enim martyres Dei jam in cœlestibus positos id terribiliter jussisse, scilicet, ut sceleratorum cadavera de suis Basilicis ejicerentur &c.* Bone Deus, quam rigida, quam frivola hæc est Pontificis maximi responsio! Et quam verè hoc est, secundum proverbium, *mortuos* velle *jugulare.*

Audiamus quid de Henrico Patre in simili ferè casu narret Otto Frisingensis, de rebus gestis Frederici Imperatoris lib. 1. cap. 7. *Cum Mersburgi videret sepulcrum Rudolphi splendidum, & diceretur, non decere hostem Imperatoris ita honorari mortuum; respondit Imperator: Iaceat ille, & eo quidem modo, quo voluit jacere; me verò splendor iste tantum abest ut offendat, ut optem & cupiam omnes meos hostes etiam splendidius jacere sepultos.* Claudenda esse odia cum sepultis, dicebat apud Cassiodorum Rex Athalaricus.

A.C. 1111. Unicum hic addam, quas videlicet dederit suæ ambitionis & ingratitudinis, ne aliis utar verbis, adversus suum patrem pœnas, Henricus filius. Cum adimadverteret quantum honoris, auctoritatis & emolumenti Imperatori & Imperio detraxisset Papa per ablationem investiturarum, abit cum exercitu Romam Henricus, ubi Paschalim Papam capit, & diu captivum detinet, & eo modo Ecclesiarum in Germania investituras & coronam obtinet; stipulatus ut regalia sibi redderet, quę à temporibus Caroli, Ludovici, Ottonis, Henrici, aliorumque prædecessorum ad regnum pertinebant. Nam regno, jam inde à Carolo trecentis & amplius annis investituras Episcopatuum tenenti, volebat restitui: Quare & privilegium bullatum

latum de concessis investituris, & sacramentum Eucharistiæ in signum & confirmationem observationis pactorum cum Papa initorum ab eodem accepit. *Nam cum in missa ad hostiæ confractionem venisset Papa*, inquit Petrus Diaconus Monachus Cassinensis, *partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit, dicens: sicut pars ista vivifici corporis divisa est, ita divisus sit à regno Christi, qui pactum illud violare tentaverit.*

Chronici Cassin. lib. 4. cap. 42. qui vixit hoc eodem tempore.

Sigebertus Monachus Gemblacensis, qui mortuus est anno sequenti, nimirum an. C. 1112. hisce verbis suam ferè finit Historiam: *Henricus Rex Romam vadit, propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & sacerdotium, quæ cœpta à Papa Gregorio VII, qui & Hildebrandus nominatus est, & exagitata à successoribus ejus, Victore & Vrbano, & præ omnibus à Paschali, magno scandalo erat toti mundo. Rex autem uti volens auctoritate & consuetudine & auctoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui pòst de regibus Francorum imperavit Romanis, jamque per trecentos & eo amplius annos imperaverant sub sexaginta tribus Apostolicis, dabant licitè Episcopatus, & Abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc majorum auctoritatem censebant Papæ synodali judicio, non posse nec debere dari per annulum vel per virgam Episcopatum vel aliquam Ecclesiasticam investituram à laicali manu. Et quicunque ita Episcopatum, aut aliquam aliam Ecclesiastici juris investituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè caussam Rex Romam tendebat, & si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant potenter eos proterebat. In reconciliatione autem, quæ facta est inter Imperatorem & Papam (nam ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat) die Pascha Henrico in Imperatorem coronato, post lectum Euangelium, tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum privilegium de investitura Episcopatuum & Abbatiarum, tam per annulum, quam per virgam; scilicet ut regni ejus Episcopis vel Abbatibus, liberè præter violentiam & Simoniam electis, investituram, virga & annuli conferat, post investitionem verò canonicè consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinuerit.*

Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem dum in celebratione Missæ traderet ei corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria Virgine, passum

in cruce pro nobis (sicut sancta Apostolica tenet Ecclesia) damus tibi in confirmationem veræ pacis inter te & me. Datum est Idibus Aprilis, indictione quarta.

Eodem ferè modo hæc narrat Matthæus Paris, Monachus S. Albani in Henrico secundo: *An. Domini* 1112. *facta est contentio inter Papam Paschalem & Henricum Imperatorem hac de caussa: Imperator uti voluit privilegio antecessorum habito annis trecentis sub Pontificibus sexaginta, qui licitè dederant Episcopatus & Abbatias per annulum & baculum pastoralem. E contra censebant Romani Pontifices, nec posse nec debere dari per virgam vel annulum Episcopatum vel aliquam institutionem Ecclesiasticam à manu recipere laicali. Facta est pax inter Imperatorem & Papam Paschalem, ita ut Episcopi deinceps & Abbates institutionem accipiant ab Imperatore & suis successoribus per virgam & annulum & prius faciant Episcopo, ad quem pertinent, canonicam obedientiam, & consecrationem accipiant consuetam. Acta verò hæc sunt ante altare Apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium, & sic Papa dedit corpus Christi Imperatori.*

Abbas Urspergensis, comparat Henricum Imperatorem cum Patriarcha
Genes. 3. *Iacob, quod, sicut ille detinuit Angelum, & non dimisit, nisi benediceretur ab eo: ita iste Paschalem Papam tenuerit & detinuerit sanctèque pièque, quousque ab eo quam petebat benedictionem acceperit. Addit præterea, quod dum adhuc Henricus Paschalem apud se retineret, accepisse ab eo liberam facultatem sepeliendi in Ecclesia Henricum parentem suum, parentandique more Catholico, cum sacerdotes Germaniæ testati essent, eum peccatorum suorum pœnitentem, clausisse diem extremum. Quo obtento, ut reversus est idem Imperator, sumtuosissimo funere eundem patrem suum in ecclesia sepelivit. Nec multò post Henricus Imperatoriâ munificus liberalitate, tam spirituali Papa suo Paschali, quam singulis ejus Episcopis, Cardinalibus, Clericisque majoribus ac minoribus dona tot, tanta & talia dispertivit, ut absentibus omninò memoratu incredibile, sit.* Hæc Abbas Ursperg. qua de caussa non leviter perstringit Urspergensem Baronius.

A.C.1112. Sequenti anno hoc juramentum per sumptionem Eucharistiæ & bullam Apostolicam confirmatum, improbat, rejicit, detestatur Paschalis, & in Henricum insurgit, non tam ipse, ne pacem violasse diceretur, quam per suos legatos, qui in Græcia, in Palæstina, Hieroso-

rosolymis, in Italia, Gallia, Germania, Anglia, Polonia &c. diris eum devovent, quasi quod quis per alium facit, ipse non fecisse videretur. *Vide Baron.*

Hisce & similibus de caussis Hildebertus, Episcopus Cenomanensis, & postea Archiepiscopus Turonensis hoc ferè eodem tempore, dicitur nobis sequens reliquisse distichon; ubi agit in laudem urbis Romæ:

Urbs felix, si vel Dominis urbs ista careret,
Vel dominis esset turpe, carere fide.

Sequentibus annis subsecutæ sunt mille excommunicationes ab omnibus Christiani orbis partibus, per Paschalis successores, Gelasium II & Calistum Pontifices, ita ut investituris renunciare cogeretur, cum suo & Imperii summo dedecore & damno: quo facto absolutionem excommunicationis obtinuit à Papa Calisto Henricus, A.C. 1119.
idque in conventu VVormatiæ, ubi Imperator scripto professus est, se dimittere Deo & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedere liberam consecrationem in omnibus Ecclesiis; idque manu suâ subscribit & aureo sigillo obsignat, quod adhuc habetur Romanæ, Papa contra concedit Imperatori, ut in præsentia ejus Episcopi & Abbates eligantur, & electus regalia per sceptrum ab Imperatore recipiat. Baron.

Quamobrem postea impar factioni Pontificum & eorum comitiis A.C. 1122.
destitutus, cum Pontificatus universi, omnia sacerdotia & beneficia Pontificis Romani facta essent, in odium & contemptum omnium adductus, desperans suę caussæ, in Belgium proficiscitur ad sororem, Comitis Hollandię viduam & Trajecti ad Rhenum sine liberis an. C. A.C. 1125.
1125. moritur. Meritò infelicium Principum numero asscribendus, Parenti, sibi & imperio perniciosus. Qua de re ita Paulus Æmilius: *Ea res*, inquit, *multum virium Imperatoriæ majestati detraxit in animis populorum: plus enim quam dimidium suæ jurisdictionis perdidit. Et quantum auctoritatis Imperatori Romano decrevit, tantum Pontifici Romano accrevit.* Liceat hic mihi dicere, quod Poëta de Roma gentili:

Simplicitas rudis ante fuit, nunc aurea Roma est,
Et magnas domiti possidet orbis opes.

Ut hæc tristissima inter Imperatores & Pontifices tragœdia, magnum

gnum & memorabile in historia sacra monumentum, clarius innotescat, eam verbis Joannis Aventini referam, aut potius Davidis Scoti, qui fuit Mariani Scoti socius, & scripsit res gestas Henrici V. aut legati cujusdam ipsius Imperatoris, cujus meminit sexto Annalium libro Aventinus: Quando Imperator Henricus IV. Leodii „ obiit, *inquit*, finem parricidii bello dedit. Filius ejus Henricus V, „ qui adversus patrem arma nefanda moverat, compositâ Germaniâ „ inferiore, cæteris omnibus qui parenti adhæserant, gratiam facit, solum Henricum Ducem Luthariorum, ex consilii decreto „ dignitate abdicat, in vinculaque conjicit. Luthariam Godofrido Lovaniensi tradit. Verum Henricus è custodia suâ industriâ „ elapsus, ducatum vi recipit, Aquagraneas occupat, Godefridus „ subito irrumpit, Henricum terga vertere cogit, ejus uxorem fugâ „ sibi consulere, ignominiosum fœminam capere ratus, permisit. „ Cæsar, pacatis rebus in Bojoria concedit Reginoburgum, inde „ Augustam Rhetiæ petit, frustra ibi diutius Paschalis Pontificis „ Maximi adventum exspectat, nam is eò se venturum promiserat: „ at ubi de morte Augusti certior factus est, ad Padum substitit, in „ Germaniam proficisci detrectat. In Italia XII. Kal. Octobr. „ Concilium Episcoporum concelebrat: Hildebrandi acta, opes „ factionis, absentium animos literis, præsentium verbis confirmat. „ Gebrardum Tridentinis, Conradum Juvavensibus consecrat „ Pontifices; collegia, contubernia, immunitate donat, tributum „ annuum (sicut diplomata ejus ostendunt) imponit. Ad se deficientibus absque cunctatione gratiam facit, obstinatis, nisi ante „ diem præscriptum resipiscant, sacrificiis interdicit. In scrinio sacri pectoris Episcopi Romani omnia jura contineri, justa omnia „ condita esse, nec eundem religione mendacii astringi posse pronuntiat. Proinde debere homines consideratius jam loqui cum „ illo, atque pro legibus habere, quæ dicit. Quicquid adversus „ Romanum senatum Pontificalemque se extulerit, contundendum esse decernit. Conventu peracto ad Cæsarem legatos cum „ mandatis mittit, se in Germaniam venturum, ubi de summis „ utriusque rebus colloquatur, promittit. Inde Romam ipse, at „ Cæsar Reginoburgum ad hiemandum petit, & adventum Paschalis

Curia Romana.

„ lis præstolatur. Verum is se in Gallias Cluniacum confert. Postea „ Augustobonæ in Trecassiorum & Galliæ Lugdunensis urbe, conciliato sibi Galliæ Episcoporum favore, ad captandam plebis au„ram, leges turbulentissimas rogat atque perfert. Cæsarem de „ creandis Pontificibus ad disquisitionem vocat, ipsum Pontificalibus comitiis excludit, ea ad plebem transfert, nempe commu„ nem omnium pastorem, communiter omnium suffragio capien„ dum esse statuit, pollui religionem, si quispiam sacris addictus cœ„ lestis atque immortalis Imperatoris cæremoniarum consors „ sit, terreno atque mortali regi se in clientelam atque servitu„ tem dicaverit. Sacerdotiorum administrationem ad Pontificem „ Maximum, armorum ad Cæsarem pertinere. A singulis igi„ tur Episcopis jusjurandum exactum, futuros in potestate Romani „ Pontificis.

„ Quintus per edicta ita obnunciat. Non licere Gallis curiosis a„ liena, quæ nihil ad eos attinent, curare, cuilibet facile esse de alie„ no largiri. Christiani orbis imperium sibi à Deo Opt. Max. im„ positum esse, proinde de veteri more & ritu priscæ religionis sa„ cris supremæ majestatis placitis non defuturum, daturumque jure „ suo operam, nequid Respublica detrimenti capiat: extare vetu„ stissimam sanctissimorum Patrum legem, tempore Caroli Ma„ gni perlatam, quâ Paschalis atque cum eo sentientes, per om„ nium sacerdotum religiones devoventur atque proscribuntur. „ Nullo pacto fas jusque esse, fastuoso Pontifici, levissimis Gallis, „ magis superstitiosis quã religiosis, tot divos, tot pientissimos Pon„ tifices Maximos, minores mystas, monachos, reges, Imperatores, „ superos atque cœlites, impietatis condemnare, se, quoad vita sup„ petat, non passurum, ut instituta à majoribus accepta, per tot annos „ hactenus observata, fraude & astu paucorũ cum maxima Christia„ norum morum pernicie, obliterentur. Pontifices, Episcopos, my„ stas, monachos ab Imperatoribus atque regibus locupletatos esse. „ Ubi his pares opibus facti sunt, more perditorum, quo plura do„ nata fuerint, plura concupiscere, illisq; sordere prima quæque, ubi „ majora sperarint: titulo honesto libertatis ecclesiasticæ fraudu„ lentos homines grassari; illud conari, ut se excluso, paulatim

Henrici V. edictum.

„ etiam populum, sacerdotes, Episcopos alios, in ordinem atque „ servitutem tandem redigant, atque arma in eos, quorum beneficia „ possident, ne hæc aliquo pacto repeti queant, vertant. Pontifices „ Romanos orbis imperium animo cogitare, regnum Christiani „ populi affectare, non quieturos, donec oppresso Cæsare omnibus „ jugum servitutis, quod ipsi excussêre, imponant: Christi crucia„ menta declarare, quænam sit rabies sacerdotum, adversus immo„ dicam concupiscentiam, cui si semel animus devoverit, nullum „ stare terminum: se penè impuberem, imperitum omnium rerum „ ab illis egregiis pastoribus dolo circumventum, in patrem charis„ simum concitatum esse, armaque horum consilio sumpsisse. Nunc „ genitore oppresso, adversus se conspirasse, neque modum ambi„ tioni ponere, nisi alios omnes dignitate & honore expolient, &, „ quo ipsis, quicquid lubeat, liceat: ab singulis juramentum, se fu„ turos in eorum potestate, quicquid illi dicant, pro legibus habi„ turos, atque tandem pro Deo adoraturos, exigant. In hanc sen„ tentiam multæ ultrò citròque datæ sunt epistolę. Novissimè Cæ„ sar rescripsit. Quamvis veterem consuetudinem atque ritum à „ tot sanctissimis patribus per tot annos observatum, jure atque „ armis retinere possit, nihil tamen suâ referre, si pontificalibus „ comitiis excidat, modo Episcopi, mystæ, monachi, prædia stipen„ diaria, fiscos, nervos, Reipublicæ, arces, civitates, urbes, oppida, „ vicos regios, castella, Reipublicæ atque Cæsari reddant, decimis „ contenti vivant, Dei & pauperum populique caussam, philoso„ phiam divinam interpretando, crucem Christi præferendo, vota „ illustrando, agant, atque universis Christianis paupertatem atque „ simplicitatem servatoris nostri, comitumque ejus æmulando, „ præluceant. Convenit itaque inter Pontificem Maximum atque „ Cæsarem, uti sacerdotes, flamines, Pontifices maximi, minores, „ medioximi, omissis hujuscemodi Reipublicæ (ut Christus ma„ gister noster appellat) spinis, victu parabili ac parco contenti, „ Christi præceptoris nostri, quoad liceat, modestiam, pauperta„ temque sectentur, studio literarum operam navent: atque ad hanc „ legem promulgandam jam Paschalis Romam ex Galliis redierat. „ Et Cæsar, quàm maximo potest apparatu, Italicam expeditio-

nem

„ nem meditatur, conventuque Reginoburgi peracto, eam indicit.
„ Mense Augusto ex Germania in Italiam cum copiis movet, quosque (inter quos præcipuus fuit David Scotus, harum rerum scriptor) divini humanique juris consultissimos, quorum arbitrio domesticus motus, perniciosa discordia, civilis seditio, quâ per duodequinquaginta annos continenter Respublica attrita est, tolleretur, atque penitus exstingueretur, secum ducit. Pontificia potestas, specie quidem Ecclesiasticæ libertatis tuendæ, in cujus auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi, sacrificulorum favorem legibus popularibus, Pontificalibus decretis, aucupabatur. Ipsa atque eandem occupantium inexplebilis honorum atque regni fames, omnium seditionum caussa fuit. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum, quam pastorem communem communiter omnium ovium suffragio deligi? Quid tam æquum, quam ut nihil in Republica Christiana temerè, nihil avarè, nihil superbè fieret, sed cuncta, quasi præsente Deo, ejus legato auctore, gererentur. Quid porrò tam rationi consentaneum, quam sacris addictos, immunes esse, ne fidem dextræ humano sanguine pollutæ, dare adigerentur? Quid denique tam populare & ad jus libertatis Christianæ æquandæ tam efficax, quam ut liberis nemo nisi justus rex, & ab ipsis creatus, & quamdiu benè beatèque vivat, atque illis libuerit, imponatur? Sed hæc reipsâ in perniciem erupêre. Latuit anguis in herba, & misera Respublica Christiana dilacerata est discordiâ parricidali.

„ Primam facem certaminum accendit Hildebrandus, qui & Gregorius VII. Hic pulsus Româ, extorris aris & focis Salerni interiit. Statim Victor & Urbanus vindices legum Hildebrandi, non minore motu incaluêre, terrore atque tumultu omnia complevêre. Hic filiis adversus parentem Cæsarem Augustum arma sumere persuasit, ipsoque sublato, nihilominus Paschalis eâdem viâ rem aggressus, acrius conflavit incendium, dum leges Hildebrandinas afferere non destitit. Cæterum pars exercitus (inde enim divertit oratio) per juga Tridentina, per Cottias Alpes, in campos Italiæ penetrarunt. Cæsar Eporediâ egressus, conjunctis copiis, Novariâ expugnatâ & combustâ, in ditionem

„ cispadanâ Italiâ receptâ, Padum transit. Placentiæ castra facit,
„ stativaque habet. Parmæ Machtildam uxorem Welphonis Reguli
„ Bojorum in fidem atque clientelam accepit: quicquid resistere
„ ausum fuit, perdomitat. Apennino superato, Florentiæ subsistit,
„ ibique brumales ferias concelebrat. Inde Aretio vi ad obsequium
„ subacto, ad Aquampendentem procedit, ibi legatos suos cum
„ mandatis Romam missos, atque cum Romani Pontificis atque
„ populi oratoribus reversos, offendit. Rursum alios in Urbem ad
„ Pontificem maximum proficisci jubet. Interim Sutrium progre-
„ ditur, ibi amici Cæsaris atq; Pontificis Romani conveniunt. Cę-
„ sari referunt, Paschalem postulare, ut Cæsar clientela Episcopo-
„ rum se abdicet; cæterum ab sacerdotibus & templis ducatus, prę-
„ fecturas, tetrarchias, vectigalia, portoria, tributa, prędia stipēdiaria,
„ agros, vicos regios, arces, urbes, castella, jus cudendę monetæ, Im-
„ perii Cæsarisque beneficia, regia munia, & hujuscemodi Imperii
„ patrimonium nervosque Reip. recipiat. Annuit postulatis Cæ-
„ sar, hâc lege, ut id in conventu procerum & Pontificum Imperii
„ celebri fieret, diplomateque ex concilii decreto confirmaretur.
„ Uterque hanc conditionem accepit. Pontifex obsidibus datis pa-
„ ctum confirmat, fidem dat sic fore. Cæsar acceptis obsidibus Ro-
„ mam accedit, à Pontifice S. P. Q. R. eo honore, quo Principem
„ orbis & Urbis decuit, excipitur. Per portam argenteam ad tem-
„ plum D. Petri deducitur: ibi recitato fœdere, lectis epistolis ultro
„ citroque missis, maximo Pontifice illud jure suo, ritu solemni con-
„ firmare conante, atque id quod æquum bonumq; foret juxta pro-
„ missa se comprobuturum adseverante, Episcopi plerique, maximè
„ Conradus archimysta Juvonensis, ex Abusinæ patrię meæ regulis
„ ortus, intercedunt, obnunciant, vociferantur nullum jus spolian-
„ dorum Episcoporum, templorumque opes ecclesiasticas Deo dica-
„ tos in prophanos transferendi Paschali esse: se verò vectigalia, por-
„ toria, oppida, regiones à majoribus sibi relicta quæsitaque hacte-
„ nus possessa, non tam facile amissuros. Henricus Kauffringe Ca-
„ stello superioris Bojariæ ortus, stricto ense Conrado primario Bo-
„ jariorum Episcopo obstinatius refraganti, mortem, nisi principi-
„ bus Romanis assentiatur, comminatur. Atque ille impavidus, ex-

porrecto

„porrecto jugulo; feri si libet, inquit, devotum caput. Cæsar intercedit, ab imminente nece Conradum eripit: Henricus, apage „ait, nondum tempus est. Ita dies ille solis, qui tum erat media „quadragesima, disceptationibus protractus est in noctem. No-„ctu Romani arma corripiunt, copias Cęsaris invadunt. Cæsar „suis auxilium fert, fortiter resistit, hostes in fugam vertit, in „Tyberimque agitat, ibique submergit. Mœnibus urbis dirutis, „dispositis per regiones stationibus, perdomitis hostibus, urbe egre-„ditur, ante mœnia Romæ castra locat, secum Pontificem, Roma-„nos flamines abducit, atque Ulrico fratri Henrici ab Eppesteyn, „Reguli Charionum, monachorum divi Galli in Suevia antistiti, „patriarchæ Aquileiensi commendat: Paschales ferias in castris „perpetrat. Ibi tum virorum bonorum operâ potissimum Wel-„phonis, Bojorum Reguli, mariti Matthildę controversia compo-„sita est, hac lege atque omine, ut Cæsar posthac perpetuò absque „ambitu, sine precio pontifices assumeret, sicut hactenus semper „more majorum factitatum foret: sacerdotia, pontificatus, sine pe-„cunia daret, sicut hactenus quasi jure hęreditario consuevisset. Sa-„cerdotes, Episcopi, regia beneficia, Salica prędia, quę possiderent, „retinerent, Pontifexque Romanus harum conditionum auctor „fieret. His itaque confectis Cęsar octavo post Paschalia die à S. „P. Q. R. magno gaudio in templum D. Petri deducitur, à Paschali „consecratur, Augustusq; cognominatur. Posteaquam Euangelium „recitatum est, Paschalis pro concione testes universos esse jubens, „veterem ritum assumendi Pontificis Cęsari restituit, eidem juxta „Patrum decreta addicit. Deinde lege hac atque diplomate dato, „porrectâque sacrâ hostiâ; Domine, inquit, hic est Dominus Deus-„que noster, ex Maria Virgine natus, pro nobis in crucem actus, si-„cuti sacrosanctus Christianorum cœtus credit, accipe pignus verę „amicitię, quo mutuò reconciliati sumus. Factum hoc Idibus A-„prilibus, indictione quartâ, anno ab restituta salute millesimo „centesimo undecimo. Mox contradicentibus Pontifici Maximo, „more majorum, diras atque inferias dicit. Nemo non tum læti-„tiam agitabat, pacem tot annis desideratam terrisque depul-„sam, cœlorum reducem gratulabantur. Ad pristinam majesta-

„ tem Imperium resque publicas rediisse, concordiâ perpe-
„ tuâ stabilitum videbatur. Paucis post diebus Imperator reditum
„ parat, Paschali, flaminibus, Pontificibus, maximis, minoribus
„ medioximis, amplissima, supra quam cuiquam credibile est, do-
„ na facit. Posthæc à Pontifice, sacerdotibus, S.P.Q.R. abeunti be-
„ ne precantibus per aliquot spacia itineris deductus Apenninum
„ transit, in Germaniamque reversus, Spiræ justa parenti magnifi-
„ cè facit. Albertum comitem à Sarbrugh Cancellarium suum mo-
„ re majorum, Pontificem Moguntinum declarat &c. *& paulò post:*
„ Sed ad Henricum V redeo. Is Reginaldum Barrensem Dynastam
„ in confinio utriusque Franciæ imperata facere cogit: Barrio Ca-
„ stello, nunc est Luthareorum reguli, expugnato, captivum du-
„ cit, Moguntiam Mechtildem filiam Henrici, Regis Anglorum,
„ uxorem ducit, nuptias facit. Omnes Principes potentiâ Cæsaris
„ territi, metuque perculsi, ob amicitiam quam cum Pontifice Rom.
„ inierat, apparuere. Lotharius Saxonum Dux in celebri proce-
„ rum corona nudis pedibus & discinctus procumbens veniam pe-
„ tiit & impetravit. Verum Alberto Moguntino Pontifice auctore,
„ plerique proceres & Sacerdotes, maximè Saxones adversus Im-
„ peratorem conspirant, domum, jugum excussuri, remeant. Au-
„ gustus judicio ad se delato, Albertum Moguntinum in vincula
„ conjicit, Unde elapsus ad Saxones se confert, Fredericus quoque
„ Agrippinensis Episcopus cum civibus rebellionem facit. Godo-
„ fridus atque Henricus Lutharíæ inferioris duces, imperata etiam
„ detrectant. Pleraq; tum prodigia bellū civile portendisse in fastos
„ relatum est. sanguine pluit, terra intremuit, dira grando segetes,
„ homines, pecora attrivit &c. Rursus Germania in sua viscera fer-
„ rum convertit; solum Fredericus & Conradus, hic Franciæ, alter Sue-
„ viæ regulus, & Godefridus præfectus prætorio Rheni Imperatoris
„ tutabantur partes, cæteri omnes jugum excutiunt, sæviunt,
„ cuncta incendiis, cæde complentur. Urbes, oppida, vici, castella,
„ diripiuntur, ad solitudinem & egestatem reducuntur, licentiâque
„ & consuetudine belli civilis, grassatores plurimi, passim villas, ci-
„ vitates, itinera obsident, viatores, cives, rusticos, sacerdotes, sine
„ discrimine, spoliant; fana donis referta expilant.

Dum

„ Dum hæc in Germania fiunt, legati Calojoannis, qui Alexio „ parenti successerat, Imperatoris Constantinopolitani, Romam venêre, & honorificentissimè excepti sunt. Romani eisdem ad quintum lapidem officii gratiâ obviam procedunt. Postridie Pontifex „ Max. sacerdotes, senatum, populum, acturos de communi omnium salute atque libertate Urbis, reginæ mundi, in templo Constantini coire jubet. Legati Orientalis Imperatoris introducti, super omnes ad dextram Paschalis collocantur: deinde paucissimis „ ita verba faciunt: Salutat universos orbis terrarum Dominus Imperator Orientalis, postulatque ut relictis insanis, discordiosis, furibundis & ebriosis Germanis, sævissimis prędonibus, qui famem „ & egestatem suam latrociniis explere coguntur, ad verum, antiquum & legitimum Imperatorem redeatis: is non solum Ecclesiæ se propugnatorem præstabit, sed etiam viduas, pupillos, infimumque quemque auro, argento ditabit. Hæc ubi dicta, acclamatum est more gentis: Perplacet, reddamus diadema legitimo „ & antiquo rerum Romanarum Principi. Deficiamus à Teutonicis „ seditiosis & stolidis ad veterem Romani Imperii moderatorem. „ Vetus Roma cum nova, Occidens cum Oriente rursus conjungatur. Posthac Paschalis concionatur in Imperatorem Henricum „ Quartum, atque ejus filium Quintum, crimina, injurias, vitia „ commemorat. Petrus Leon præfectus Urbis, Joannes Cajetanus, „ Hugo Cluniacensis antistes, cæteri pacis studiosi obnunciant, „ clamant, perstrepunt, vociferantur Paschalem maximo Reipublicæ, Italiæ, Romæ, omnium denique incommodo, contra fas & „ & æquum, pacem exuere, fœdus dissolvere, pactum prævaricari, Christianam religionem discordiæ malis scindere atque polluere. Fit tumultus, conventus dissolvitur. Postridie in eandem „ ædem Episcopi partium Paschalis, vocato ad arma populo, frequentes obstinatique concurrunt, confluunt. At Paschalis, exclusso populo, accitis in curiam quibusdam Italię flaminibus, Siciliæ, Galliæ, Britannię Episcopis, maximè Conrado Prænestino, „ Belvacensi, Rhemensi, legato Burgundiæ, quibus omnibus potentia Germani principis formidolosa erat, contra nitentibus „ pacis studiosis, ac statum temporum, perniciem communem,

clades

„ clades futuras, civilia arma, Christianorum necem, dissensiones,
„ seditiones deplorantibus, in Imperatorem Henricum V. concio-
„ natur, ingratum vocat, eundem à se Patronum D. Petri nuncupa-
„ tum, tamen cuncta cęde, incendiis, rapinâ, sacrilegio complesse;
„ castella vi expugnasse, commemorat. Alia convicia, quæ ira in
„ Cęsarem congessit, jactat; sacrilegii, cædis, homicidii, latrocinii,
„ tumultus concitati condemnat. Deinde Hildebrandum atque
„ Urbanum amplissimis verbis collaudat, acta eorum comprobat:
„ Imperatorem, prophanos quosque à rerum divinarum cura, à
„ sacerdotiorum procuratione, ab opum Ecclesiasticarum, rerum-
„ que administratione decreto submovet, comitiis Pontificalibus
„ arcet, excludit, omne jus interdicto Cęsari adimit, nullam ejus
„ rationem in ejusmodi habendam censet. Pontificem maximum
„ mendacii religione obstringi non posse decernit, inductoque
„ priore decreto, diploma privilegiumque sibi captivo vi atque ar-
„ mis in castris sub papilionibus à tyranno extortum, ut sua Roma
„ servitute atque sævitiâ immanissimorum latronum liberaretur.
„ Privilegium nuncupat, quod modo ratum erat, irritum facit,
„ quod dictum, indictum est, contra sentientibus sacrificiis inter-
„ dictum. Deinde Frederico Agrippinensi, Conrado Juvavensi Ar-
„ chiepiscopis scriptum, Imperatorem in numero impiorum com-
„ putatum esse, è curia Christianorum submotum, & ad auxilium
„ Ecclesię Romanę invitantur illi archimystę. Extant epistolę at-
„ que hujusmodi, quæ ego breviter perstringo, quemadmodum
„ gesta sunt, servantur in bibliothecis nostris, relata à quodam le-
„ gato Augusti, qui interfuit, & quid quoque die à singulis dictum
„ factumque fuerit, Imperatori renunciavit. Dumque talia in Italia
„ & Romę fiunt, Conradus archimysta Bajorum ad Saxones defi-
„ cit, Hugonem Episcopum Cęsarianum Brixina movet, Reno-
„ berthum monachorum Valispurgensium pręsulem sufficit: Hain-
„ ricum quoque Fruxinensem Episcopum abdicare conatur. Vi-
„ sco-pagum, alia templa, quę is consecrarat, resecat, Fruxinum
„ inde se confert, Hainricum Paschalis decreta refellentem, digni-
„ tate moturus. Verum mystę ejusdem fani, qui tum doctissimi
„ omnium sacerdotum Germanię censebantur, acta Paschalis
velut

„ velut sacris literis contraria rescindunt; Conradum urbe exigunt.
„ Qui à Salisburgensibus quoque exclusus in Saxoniam aufugit.
„ Saxoniæ proceres, Episcopi, archimystæ, Conradus Ianuensis, Albertus Moguntinus, Fredericus Agrippinensis, Theodoricus Legatus Paschalis, in Agrippinensi Colonia cojerunt; Augustum „ & Episcopos ab eodem, more & ritu priscæ religionis in senatum „ Pontificalem allectos, devovent, pastoribus Imperatori rebellantibus, mandata detrectantibus, belligerantibus adversus Cæsarem, veniam scelerum condonant, cœlum aperiunt, cæteris claudunt: fidem igitur servantes oppugnantur, sub specie religionis „ stupra, incestus, sacrilegia passim committuntur; cædes, incendia, „ impunè fiunt. Augustus se quoque tutaturus Agrippinam Coloniam petit, agris circa vastatis, in Saxoniam tendit, cum Saxonibus contendit. Sigefridus ac Horo Mansveltæ proceres Saxonum, prælio succubuêre atque occisi sunt. Inter hæc Conradus „ in Francia & ad Danubium, Fridericus in Suevia & juxta Rhenum sorore Imperatoris geniti, fortiter acta avunculi tutantur. „ Emicho dynasta, partium Alberti Sarobrigę Episcopi Moguntini, „ auctoris hujus belli civilis, à Friderico occiditur. Stephanus Colomanni Regis Hungariæ filius, Leopoldus Austriacus, cum „ duce Bohemiæ Ladislao, subsequuntur vestigia Hungarorum.

„ Ad Eysenostadium (quod ferreum oppidum significat) progrediuntur. Agris circumcirca vastatis, incolumes revertuntur. „ Iisdem diebus Welpho Dux Bojorum absque liberis Caupheringii (vicus est Lycatiorum) obiit, anno potestatis duodevicesimo, „ æræ Christianæ millesimo centesimo undevicesimo. Corpus ad „ Altorf deportatum est. Tum quoque Uxor ejus Machtilda in Italia vita defuncta est.

„ Augustus Henricus Quintus cum uxore Italiam intrat, opes „ Machtildæ jure hæreditario (nam cognata fuerat) possidet. Eodem tempore Paschalis Romæ, ad quem Augustus cum mandatis „ legatos miserat, moritur. Priores Pontifices Romani ad diplomata, epistolas, libellos, omnes hactenus Imperatoris annos addiderunt, primus Paschalis hisce tacitis, suæ potestatis numerum „ adscripsit; hunceque primum immunitate donasse collegia, licet

„ ab aliis extructa, reperio. Hocque vitâ defuncto Romani certio-
„ rem faciunt Imperatorem, petunt ut Romam veniat, atque co-
„ mitia pontificalia cum sacerdotibus, senatu populoque more ma-
„ jorum habeat. Inter hæc quidam Joannem Cajetanum magi-
„ strum epistolarum Pontificem designant, Gelasium appellant. Is
„ ubi adventare ad urbem Imperatorem accepit, in Galliam aufu-
„ git. Tertiò ab Augusto & Romanis revocatus, redire ad ovile
„ noluit. Cluniaci obiit. Tum Henricus Quintus & Romani ve-
„ teri consuetudine, Mauritium Burdinum, Archiepiscopum Bra-
„ censem, Hispanum, Pontificem Maximum legunt, Gregorium
„ Octavum appellant. Profugi dissimulatâ hujus consecratione,
„ Vidonem, Archiepiscopum Viennensem, germanum Stephani
„ Burgundionum tetrarchæ, avunculum Balduini Flandri, consan-
„ guineum ImperatorisPontificatui maximo imponunt, Callistum
„ vocant. Is à sociis emendicatas pecunias, ubi Augustus ex Italia
„ in Germaniam redit, Romanis distribuit, ad Urbemque trium-
„ phabundus deductus est. Gregorius Sutrium aufugit, atque in
„ vincula conjectus est. Henricus Quintus impar factioni Ponti-
„ ficum Romanorum, diffidens rebus suis atque eventum caussæ
„ desperans, cumCallisto in gratiam rediit, ex summaque discordia
„ Principes Romani reconciliati sunt. Augustus comitiis Pontifi-
„ calibus, clientela Episcoporum destitutus, arbitrio cœtus Eccle-
„ siastici excidit; Pontificatus universi, sacerdotiaque, beneficia
„ Romani Pontificis facta sunt. *Hactenus Scotus apud Aventinum.*

Diploma, quo Imperator Henricus V. post multas vexationes remisit jus confirmandi Episcopos & Prælatos, de quo inter prædecessores diu certatum fuerat, Callisto II. Pontifici Romano: *In nomine S. individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratiâ Rom. Imp. Aug. pro amore Dei & Sanctæ Rom. Ecclesiæ & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & SS. Dei Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in regno aut Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem,& liberam consecrationem: possessiones & regalia S. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque hodiernum diem sive tempore patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quæ habeo, eidem & Ecclesiæ resti-*

restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter curabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam clericorum quam laicorum, quæ in guerra ista amissa sunt, consilio principum vel justitia, quæ habeam reddam: quæ non habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Et do veram pacem domino Papæ Callisto sanctæque Rom. Ecclesiæ, & omnibus qui in partibus ejus sunt vel fuerunt, & in quibus S. R. Ecclesia auxilium postulaverit à me, fideliter juvabo, & de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam justitiam, hæc omnia acta sunt consensu & consilio principum, quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus Archiepisc. Moguntinus, Fredericus Archiep. Coloniensis, H. Ratisponensis Episcopus, Otto Bambergensis Episc. Bruno Spirensis, Episc. H. Augustensis Episc. Godebaldus Trajectensis Episc. Uldaricus Constantiensis Episcopus, H. Fuldensis Abbas: Henricus Dux Bavariæ, Freder. Dux Sueviæ, Bruno Dux Saxoniæ, Dietboldus Marchio-Cambiensis à Vochtburgh, Freder. Palatinus C. Rheni, Otto Palatinus, Comes à VVittelsbach, Engelbertus Marchio Istriæ, Berengarius Comes Habsburgi, Theodoricus Comes Montisbellicardi, & alii quam plures. Hæc habet Buchelius in notis ad Bekam: sed paulò aliter Baronius.

Concessio autem Papæ facta Imperatori hæc est apud Urspergensem: *Ego Callistus servus servorum Dei, dilecto filio suo Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia: ut si qua inter partes discordia emerserit; Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium prabeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calendas Octobris.* Eadem habet Guilielmus Malmesburiensis, & Baronius.

Cum omnes Ecclesiarum investituras ab Imperatore Henrico accepisset Callistus Papa, facile etiam obtinuit, ut omnes in Ger-

mania presbyteri & Diaconi, relictis uxoribus in cælibatu vixerint, quod inter alios testantur ludicri, alicujus forte irritati, ob ademptam conjugem, presbyteri, versus:

O bone Callixte, nunc omnis clerus odit te,
Antea presbyteri poterant uxoribus uti,
Hoc destruxisti, quando tu papa fuisti:
Sed bene fecisti, pro sola mille dedisti,
Ergo tuum festum semper celebretur honestum.

Quâ constitutione non parum auctoritatis sibi acquisivit Roma. Finem facio, mutata est regiminis Ecclesiastici forma; Imperatorum, Regum, & Principum dominus est Papa; Monarcha est secularis, & spiritualis, vicarius Christi, successor Petri, Papa œcumenicus &c. idque secundum novos illos & sæpius memoratos Gregorii VII. dictatus, Hildebrandi oracula.

Si quis attento contemplari velit animo regnorum & rerumpublicarum series & vicissitudines, jure meritòque admirabitur, urbis Romanæ fatale æternumque imperium. Assyrii, Persæ, Græci mundi Monarchæ, sua habuerunt regnandi tempora, sed brevia: Roma jam imperat ab Urbe condita annos bis mille supra quadringentos. Quare non immeritò eam veteres æternam vocarunt. Sed cum nihil in hac mundi inferioris regione sit æternum & omnia vetustas consumat, providentia divina, quamvis forte nesciamus quo fine, urbis Romæ dominium extra ordinem procurasse & custodivisse videtur. Iterum dico: si monarchias à mundi exordio, si populorum & civitatum, quæ toto terrarum orbe floruerunt, res atque facta literarum monumentis mandata, mente revolvamus, atque inter se collata consideremus, urbe Româ quid grandius, quid potentius, quid diuturnius? Quæ subinde cogitatione reputans, cum stupore admiror, post tot ætates rerumque incredibiles mutationes, post tot & tantas clades, post plurimas & crudelissimas Europæ expilationes direptionesque, quibus potentia Romana & ipsa Urbs non semel est conquassata, Imperii nomen, juris ac reipublicæ formam, & ipsam Urbem, tametsi sæpe dirutam, aboleri non potuisse: quam nec victores Gothi, Longobardi, Franci, populi adhuc barbari & bellicosissimi delere aut extinguere potuerunt, quam-

vis

vis non perfunctoriè id sæpe conati fuerint. Iam verò præcedenti & hoc undecimo seculo ita denuò accrevit potentia Romana, ut, qui hactenus crearunt Pontifices, jam Pontificum nutu cum præscripto juramento eligantur Imperatores. Henrico Quarto eripit, Rodolpho, Herimanno, Egberto, Conrado, Henrico V. diadema confert Papa. Henrico V. succedit Lotharius natione Saxo, *& legati pro confirmando Rege* (ut solent legati Papæ ad Imperatorem) *Romam mittuntur Gerardus Cardinalis Cameracensis, & Virdunensis Episcopi*, ut loquitur Dodechimus in appendice ad Marianum Scotum. Hæc omnia longè antè prævidisse visus est eximius vates, ubi his loquitur verbis:

Romulus excipiet gentem & Mavortia condet Virgilius
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet: Æneid. 1.
His ego nec metas rerum nec tempora ponam,
Imperium sine fine dedi. Et alibi:
Nulla dies unquam memori vos eximet avo;
Dum domus Ænea Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus *habebit.*

Hæc Maro de seculari potentia & diuturnitate æternæ urbis, *qua victura, dum erunt homines*, secundum Ammianum. Adde, quod jam mutatâ Romæ regiminis formâ, admirandâ rerum vicissitudine verum fiat, quod quondam de Roma cecinit Prosper Aquitanus lib. de Ingratis: Ammianus lib. 14.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Relligione tenet. Ita ut tantum, sinon plus, jam polleat Roma imperio spirituali quam olim dominatione terrenâ, quamvis esset orbis terrarum Domina. Scio quibus coloribus hoc Romanæ urbis imperium à multis hodie depingatur: sed quidam non malè distinguunt inter Curiam & Ecclesiam Romanam. Curiæ Romenæ dogmata non pauca nobis demonstrant Dictatus Hildebrandini & ejusdem & sequentium, quæ narravimus, Pontificum acta. Ecclesia verò Romana, matrix omnium in Europa nostra Ecclesiarum sibi & nobis omnibus conservavit summa Christianę religionis capita, veri & sinceri cultus firma principia, & solida fundamenta: Baptismum videlicet, Symbolum, Decalogum & orationem Dominicam;

in quibus arcano providentiæ divinæ beneficio, universus penè consentit Christianus orbis, & quæ verè Catholicam & salvantem efficiunt fidem. Utinam in his paucis cum vitæ innocentia, omnes pariter & sobriè saperemus; amabilem, pacatam, & sanctam illam priscæ Ecclesiæ faciem, quasi postliminio restitutam, conspicere mihi persuaderem! in quâ hæc ad salutem necessaria & sufficientia præcipuè requiruntur: ut videre est in veteris primitivæ & Catholicæ Ecclesię forma, quâ externa quâ interna, quam dedimus primâ historiæ nostrę parte an. C. 150, ex Justino Martyre & aliis diversis temporis illius viris & doctissimis & sanctissimis, pro fide Christi martyribus, & Apostolorum discipulis. Sed postquam jam pridem in partes itum est, & in varias scissa est Occidentalis Ecclesia sectas, fidem nostram magis ostentamus omnes, quam charitatem ostendimus: disputare malumus quam bene vivere; contentiones & pugnas, quam pacem; factiosi magis quam religiosi. Heu pietas, heu prisca fides! heu mites animæ SS. Irenęi, Cypriani, Ambrosii, Augustini! quam attoniti hæc nostra videretis tempora, & in iis ab ingenio humano fabricatas religiones, novos fidei articulos, mutatos ritus, corruptos mores, prostratam pietatem. *Nam dum in verbis pugna est*, iterum hoc dico cum S. Hilario, *dum de nominibus quæstio est, dum de ambiguis altercatio est, dum de autoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, propè jam nemo est Christi.* Propter minima litigamus, quocunque casu semel pronuntiata mordicus defendimus, caussam Petri & caussam Dei dicimus, cum sit nostra: nemini cedimus, abscondita & captum humanum excedentia scrutamur, decisa nunquam temerariè definimus, & leviter tantum dissentientes condemnamus; nova statuimus, antiqua rejicimus, nostra laudamus, aliena reprobamus, & pro appetitu ex defectu charitatis excommunicamus: imò omnes non tam veritatem quam victoriam quærimus: &, veluti Donatistæ apud S. Augustinum stultè effutiunt, *Quod volumus, sanctum est*, cum velle debeamus, quod sanctissimus voluit Deus: *nam Dei voluntas ipsa est justitia*, ut alibi loquitur Cyrillus. *Quod fit juxta Dei voluntatem*, inquit Chrysostomus orat. 2. adversus Iudæos, *quamvis videatur esse improbum, est tamen omnium*

opti-

optimum: quod fit prater Dei voluntatem, quamvis videatur optimum, est tamen omnium pessimum & iniquissimum. Quid ultrà quarimus? nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, ut loquitur Tertullianus de præscript. adversus hæret. cap. 8. Quare bene judicat de voluntate Dei, ad pacandas nostri temporis inutiles rixas clarissimus vir Alexander Morus, in notis ad Esaiæ prophetæ cap. 53. parell. 10. *Suprema hic & altissima totius mysterii ratio aperitur*, Dei voluntas, inquit Morus. *Cur ille, cujus in ore nullus erat dolus, nullum in manibus flagitium, attritus & afflictus adeò est?* Deus voluit. Voluntati ejus quis resistit? *inquit Paulus.* Non mea, sed tua fiat voluntas, *inquit Christus. Res mira, innocentem plecti, sontem absolvi, latrones & sanctum sanctorum eidem supplicio addici. An non aliud erat modus, alia ratio, quâ servaretur humanum genus? Nescio,* sed non alia magis Deo placuit. *Multis quaestionibus hac si responsio daretur,* Deus voluit, *non tot hodiè lites, non dicam vitilitigationes Ecclesiam exercerent. Non vagrandia conderentur volumina super caussis & rationibus divina voluntatis, qua prima omnium est, & nullam supra se habet. Protestantes vestram fidem! Quoties nobis excidit actus, ut Iurisconsulti decerent, protestationi contrarius? Omnes enim & alia & hoc in primis protestamur, in Dei bene placito acquiescendum esse: at quotusquisq; demum acquiescit? Caussas pradestinationis omnes, & finalem & materialem & formalem & efficientem, sic enim tricari juvat & perplexarier, accuratè cognoscere volumus, hoc est*, id volumus, quod Deus noluit; *& si quis aliter quam nos rem putet, belligeramur illicò, nec dissentientes in rebus etiam abstrusissimis & mortalitatis nostra modum exuperantibus, patimur. Multò certè minus nocentes, quã ii, pro quibus Paulus optavit esse anathema, nobis anathema sunt. Nec Paulinus tantum zelus in nobis friget, sed Paulina etiam illa sobria frugalisque sapientia* (& charitas) *desideratur. Ac in libris ejus latet, in labris nostris natat: cum in pectore ferveat immensa sciendi libido. Sed* minuatur illa quæ inflat, dum augeatur illa, quæ ædificat, *inquit Augustinus. Multò certè maxima pars certaminũ, qua polemicis ventilantur in scriptis, decidi poterant hoc uno Propheta dicto:* Dominus voluit.

Hâc occasione huic subjungo sententiam Episcopi Exoniensis Iosephi Hall, de colloquio Lipsiaco, inter Theologos Saxones & Hassos, & iisdem controversiis: *Tria omninò sunt*, inquit, *in*

quibus

quibus dissidere profitentur gravissimi utriusque partis Theologi. Primum illud est, sitne Dominus Iesus non solum juxta divinam sed etiam humanam naturam vi unionis personalis, verè omnisciens, omnipotens, omnipræsens? Esse quidem Dominum Iesum (Deum scilicet & hominem) in utraque naturâ suâ omniscium, omnipotentem & omnipræsentem, utrisque in confesso est. Hoc dato, illud IUXTA, purè scholasticum est. Quo usque nimirum se extendat virtus unionis illius hypostaticæ, silet spiritus, noluit nos scire Deus, *tutò nescit Christianus. Disputent, si volent doctores, & problemate hoc ingenia, quantum lubet, exerceant, sat erit homini Christiano ut sciat, habere se Servatorem* θεάνθρωπον, *cui omnia hæc divina attributa verè competant; sed & Theologi ipsi habent, quo acquiescant, dummodò concessum hoc utrimque fuerit, etiam humanam naturam personaliter omnisciam, omnipræsentem, omnipotentem esse; quod nos omnes rotundè profiteri non dubitamus. O nos osores pacis, si adhuc malumus litigare! In his omnibus utinam animis nostris insideret illa Iohannis Gersonis saluberrima distinctio: Esse quædam de necessitate fidei, quædam verò de fidei devotione: De illis, dubitare nefas, de his, absque omni periculo vel* ἐπέχειν, *vel aliter sentire licet.*

Secundum est de modo percipiendi Christum in Eucharistia: Inibi scilicet verè ac realiter exhiberi ac manducari corpus Christi, unàque cum terrenis hisce elementis accipi fatentur utrique. De indignis tantum quæstio est. Indigna certè lis, quæ pacem publicam interturbet. Facilè concedimus utrique, etiam indignos manducare istud, quod unione Sacramentali corpus Christi est, ac proinde reos esse corporis & sanguinis Iesu Christi: quid nunc ultrà de orali indignorum manducatione litem movemus? Illud nempe curent Christiani, ut ipsi dignè communicent, quod Deus voluit; *de indignorum participatione parum solliciti sint. Quousque verò se ostendat vis unionis istius sacramentalis, sive oralis, sive spiritualis, litigent in scholis Theologi;* id nescire nos voluit Deus: *non est quod id Christiani anxiè nimis disquirant; non est, quod, dum tam curiosa hæc opinionum momenta nobis mutuò indulgere recusamus, pax Ecclesiæ violetur.*

Tertium est fatale illud prædestinationis Theorema, de quo variè sententiam suam exprimunt utriusque partis Theologi, modestè quidem prudenterque. In plurimis maximisque conspirant utrorumque judicia: nempe liberrimam gratuitamque esse miserentis Dei electionem: nullam in

electis

Electis aut caussam aut occasionem invenisse Deum, cujus intuitu hi potius quam illi eligerentur. Sed ab æterno Deum in in peccatis & infidelitate perseverantes, ad æternam damnationem prædestinasse & reprobasse, non rigido & absoluto aliquo decreto, absque omni respectu peccati, sed justissimo suo judicio: ita ut omnis sive caussa, sive culpa in hominibus ipsis meritissimò quærenda sit. In illo hærent, quod gravissimi Theologi Saxonici prævisionem fidei & perseverantiæ præstituunt actui Electionis divinæ: præordinasse quippe ab æterno Deum, quos prævidit in tempore credituros, &c. Certè inter omnes de prædestinatione quæstiones, levissima illa est, quæ de ordine decreti solet agitari: quandoquidem nobis certum sit uno & simplicissimo actu totum hoc ab infinito & sapientissimo rerum moderatore peragi. Nihil certius est, quam Deum prævidisse credituros, & salvandos prædestinasse. Detur hoc modo, quod eidem Saxonici non illibentes profitentur; Fidem esse unicum Dei ipsius donum, & quicquid boni in electis sit, ex mera & liberrima Dei gratia, quæ illis in Iesu Christo ab æterno data fuit, originaliter provenire: nihil profectò esse potest periculi in illa prævisionis sententia. Præviderit ab æterno Deus, quod ipse ab æterno dare decreverit in tempore credituris; tuta sunt istic omnia, nec est quod iste contentionis funis ultrà protrahatur. Certè, si alibi, etiam in hac quæstiòne multa nos ignorare voluit Deus: utinam & nobis ea nescire velle placeret, & cum miti & humili Christo Deo diceremus: *non sicut ego volo, sed sicut tu;* quanta esset in multis Ecclesiis tranquillitas! *In omnibus verò istis exosculor piam hanc ac verè fraternam* ἐπιείκειαν καὶ φιλοσοφίαν: *sic nempe oportet Christianos, sic Theologos.* Hæc Josephus Hall, in tractatu de pace Ecclesiastica inter Euangelicos procuranda, edito à Joanne Duræo, qui multa similia irenica scripta à diversis reformatorum Ecclesiis exarata, nuper publici juris fecit: quorum Syllabum dabimus inter addenda, sub finem hujus secundæ partis. Vide etiam quæ de Duræo diximus parte primâ pag. 601.

Nos ergò, omissis inutilibus & abstrusissimis his quæstionibus, & neglectis morosorum quorundam hominum frivolis condemnationibus, quæ, proh dolor! ubivis nimis sunt familiares & fervidæ, relinquamus eas καρδιογνώστῃ Deo, & nostro omnium judici Christo, & cum pace, ea, quæ dicturus est cum veniet in gloria cum

ſanctis Angelis, & ſegregabit bonos à malis, ſicut paſtor oves ab hædis, attentè conſideremus, & piè exerceamus, *ut, cum in claritate ſua & majeſtate cœleſti venire cœperit*, ut loquitur S. Cyprianus, *inveniat nos tenere quod monuit, obſervare quod docuit, facere quod fecit*, credere quod voluit; & cum fiducia in magno illo die ſtare poſſimus ante tribunal Domini, & ſententiam illam cum cæteris electis lætabundi excipere: *Venite benedicti Patris mei, & poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Amen, Amen.* Seduxit me, benigne lector, amor pacis.

Cyprianus epiſt. 63.

Ex hac in Eccleſia & Imperio regiminis mutatione, videre mihi videor redivivum Levitarum in Judaica Republica regimen. Qui diviſo poſt Salomonem Hebræorum regno, *relictis urbibus, quas inter Iſraëlitas habebant, eam partem amplexi ſunt, quæ patrio more integra incorruptaque religionum ſolemnia tenuit. Sed ut nihil perpetuum eſt, tandem poſt Babylonienſe exilium, cum extructum ſecundum templum eſſet, temporum iniquitas bellorumque aſtus, quâdam fati lege cauſſam depoſuit ad aliud ſchema. Primò enim Pontificatum Maximum gerere ii ex Levitis auſi ſunt, quibus per legem illud affectare non licuit. Ea quaſi materies omnium malorum fuit; fecit enim avidos nimia felicitas. Nec tam temperatæ cupiditates fuêre, ut in eo, quod contigerat, deſinerent. Gradus à magnis ad majora factus eſt, & qui inſperata accipiebant, ſpe improbiore Principatum aſſecuti ſunt. Et tandem verò quaſi actum nihil eſſet, regio nomine aſſumpto, diadema capiti impoſuêre: hinc inſidiæ inter illos, doli arteſque patritiæ & nulla modeſtia votorum. Ex qua enim tempeſtate ſibi pulcrum duxerunt ſupra Rempublicam ſtare, quâ viâ illuc pervenirent, pervenirent dummodò, nihil penſi habebant. Ita qui rariſſimam laudem, & nulli adhuc ordini conceſſam concupiverant olim innocentiam, poſtremò mutatis ſtudiis, omnia divina humanaque promiſcua habuerunt, unius arrogantiæ ſuperbiæque dominio.* Hactenus Cunæus.

Cunæus lib. 2. cap. 9.

Epiſcopi Romani tribus primis ſeculis ſimplicitate, innocentiâ & ſanctitate præ cęteris præſtantes, tam ardenti flagrarunt ardore Chriſti, ut nec carceres, nec exilia, nec metalla, nec laqueos, nec leones metuerent, & plerique martyres pro fide Chriſti mortui ſint. Sed paulatim ſimplex illa pietas, quæ inter vexatos oppreſſoſque floruerat, refrigeſcere cœpit. Ex quo per Imperatores Chriſtianos

A. C. 330.

ſtianos effectum eſt, ut ea profeſſio non tuta tantum, ſed & honoribus cumulata eſſet, mundo velut intruſo in Eccleſiam. Hinc Epiſcopi inter ſe acerrimè certarunt de ſummis ſedibus: & ita, quemadmodum primis ſeculis *ingloriosa martyria certatim ruebatur; nunc* an. C. 420. inquit Severus, *Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*: ita *ut ſupra modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem*, ut inquit Marcellinus, *ardentes, ſciſſis ſtudiis Roma conflictarentur, adusque mortis vulnerumque diſcrimina ab adjumentis utriuſque progreſſis &c.* Damaſo Papâ an. 367, *cum id adepti futuri eſſent ita ſecuri, ut ditarentur oblationibus matronarum, procederentque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut eorum convivia, regales ſuperarent menſas] &c.* Hac de cauſſa *Pontificatum Maximum petere auſi ſunt quibus per leges illud affectare non licebat.* Sed præcipuè cum per dona Pipini, Papâ Stephano III. an. 755. & Caroli Magni, Papâ Hadriano, an. 774. Ludovici Pii, Ottonum & aliorum, Imperat. amplas regiones & multas in Italia urbes poſſidere cœperunt. *Ea quaſi materies omnium malorum fuit, fecit enim avidos nimia felicitas; nec tam temperatæ cupiditates fuerunt, ut in eo quod contigerat definerent. Gradus à magnis ad majora factus eſt, & qui inexſpectata acceperant, ſpe improbiore Principatum aſſecuti ſunt.* Quem cum multi multis & improbis modis quæſiverint, tandem obtinuit Gregorius VII.

Sulpitius Severus. lib. 2. ſacr. hiſt.

Ammianus Marcellinus lib. 27.

Huic uni, inquit Onuphrius, *cum omnes Latina Eccleſia, tum præcipuè Romana, acceptum referre debet, quod libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta, quod tot divitiis, opibus, & profanâ ditione locupletata; quod Imperatoribus, Regibus & omnibus Chriſtianis Principibus ſit præfecta: à quo poſtremò, ut omnia verbo uno complectar, maximus iſte eximiuſque ſtatus, in quo Eccleſia Romana eſt, omnium Chriſtianorum Domina; cum antea tanquam vilis ancilla, non ab Imperatoribus modò, ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto, premeretur: ab hoc maxima illius & omni ſeculo tremenda venerandaque Romani Pontificis, & infinita penè poteſtatis jus manavit. Nam etſi ante Romani Pontifices, tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtique vicarii, & Petri ſucceſſores colerentur; non tamen eorum auctoritas, ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus ſuberant; ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis*

creabantur : de iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Nortmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis, mulieris per Italiam potentissimæ, confisus, discordiâque Germanorum Principum, bello civili laborantium, inflammatus, præter majorum morem, Imperatorem non dico excommunicare, sed etiam Regno Imperioque privare ausus est. Res ante ea secula inaudita &c. Vide supra. Hic est idem ille Onuphrius, ille ordinis S. Augustini monachus, ille historiarum helluo.

Liceat mihi hic percunctari cum Tertulliano Apologet. cap. 6. *Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, & novè de die vivitis: per quod ostenditur, dum à bonis majorum institutis deceditis, ea vos retinere & custodire, quæ non debuistis, cum quæ debuistis non custodistis.* Et cum Augustino Sanctæ Ecclesiæ summo lumine, Christi personam agente, tractatu 115, exposit. super caput 18 Joannis, dicere: *Audite ergò Iudæi & gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo; regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major cum Christus natus nuntiaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit; timendo magis quam irascendo crudelior. Regnum, inquam, meum non est de hoc mundo. quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo: Venite credendo, & nolite sævire metuendo. Putabat se, infelix Herodes,* ut ait Hilarius Arelatensis, *regali solio detrudendum, sed non est ita. Non enim ad hoc venerat Christus, ut alienam invaderet gloriam, sed ut suam donaret: non ut regnum terrestre præriperet, sed ut cœleste conferret: non venerat ad dignitates rapiendas, sed ad injurias perferendas: non ut caput ad gemmatum diadema, sed ad spineam coronam præpararet; non ut super sceptra constitueretur illustris, sed ut crucifigeretur illusus.* Non eripit terrestria, qui regna dat cœlestia. Sic verò loquitur Augustinus parte primâ, tractatu sexto super Joannem: *Quo jure defendis villas Ecclesia divino an humano? divinum jus in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Unde quisque quod possidet, nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra, & plenitudo ejus. Iure humano dicitur hæc villa mea est, hæc domus mea est,*

hic

hic servus meus est. Tolle jura Imperatorum, quis audet dicere: hac villa mea est, meus est iste servus, mea est ista domus? Item noli dicere: Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur &c. Audite ergo Episcopi, qui ex sola Imperatorum pietate & liberalitate vestra possidetis, audite Curiæ Romanæ assessores, dignitatis Imperatoriæ eversores, audite omnes investiturarum antiquarum exterminatores & usurpatores, qui falcem mittitis in alterius messem, audite quæso, Sanctum Bernardum in libris de consideratione ad Papam Eugenium scriptis; qui à Gregorio VII. introductam catastrophen vidit, sed nec laudavit, nec corrigere potuit. *Vide Grotium de imp. sum. pot. circa Sacra cap. 10.*

Floruit maximè Bernardus tempore Innocentii II, Pontificis Romani an. C. 1130. *Vir verè Apostolicus*, ut loquitur Baronius, qui dictis de consideratione libris, *Episcopatum non dominium, sed officium & ministerium vocat*. Sic, inquam, loquitur l. 1. ad Eugenium Papam, in monachum antea à Bernardo electum, Bernardus, illius ævi & sanctissimus & doctissimus: *vir non minus gloriâ miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris*, ut inquit Bellarminus: *Si te philosophiæ huic totum repente devoveris, prædecessores tui non ita consueverunt, eris molestus quampluribus, quasi qui à Patrum vestigiis subitò deviaveris. Nempe id videberis agere in sugillationem illorum: sed & notabere vulgi proverbio: quia hoc facit quod nullus, mirantur omnes, veluti qui cupias admirationi fore, nec potes eorum omnia simul & subitò vel errata corrigere, vel excessus redigere in modum.* Et: *quamquam si de bonis, & non de novis sumamus exempla, non defuêre Romani Pontifices qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio Urbis & barbaricus ensis civium cervicibus imminebat, nunquid tamen terruit B. Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio? eo namque temporis (quod ex ejus præfatione liquet) obscurissimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter. quam eleganter exposuit. Sed esto: Alius inolevit mos, dies alii sunt, & alii hominum mores: & tempora periculosa non instant jam, sed extant. Fraus & violentia invaluêre super terram, calumniatores multi, defensor rarus, ubique potentiores pauperiores opprimunt &c. Plena est ambitiosis ecclesia, non est quod jam exhorreas in studiis & molitionibus ambitionis, non plus,*

 quam

quam spelunca latronum in spoliis viatorum. Timeant nummularii nec fidant in nummis &c. Et lib. 2. *Esto ut aliâ quâcunque ratione hæc,* aurum & argentum, *tibi vendices, sed non Apostolico jure: Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit solicitudinem, ut*
1 Petri 5. *dixi, super Ecclesias: Nunquid dominationem? Audi ipsum;* non dominantes, *ait*, in clero, sed formâ facti gregis. *Et ne dictum solâ humi-*
Luca 22. *litate putes, non etiam veritate. Vox Domini est in Euangelio:* Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. *Et infert;* Vos autem non sic. *Planum est: Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si similiter utrumque habere voles, perdes utrumque. Alioqui ne te exceptum*
Osea 8. *illorum numero putes, de quibus sic queritur Deus:* Ipsi regnaverunt & non ex me, Principes exstiterunt & non cognovi eos. *Iam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam, sed non apud Deum: forma Apostolica hac est: Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Interdictum tenemus,*
Matth. 12. 18. *audiamus edictum:* Qui major est vestrum, *ait*, fiat sicut junior: & qui præcessor est, tanquam qui ministrat. Et; *Ita tu præsis, ut pro-*
Luca 22. *videas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis ut prosis, præsis ut fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad*
Matth. 24. *quid? Ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses non imperes. Adde hoc; nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.* Et: *Et item de hæresi, quæ clam serpit ubique, apud aliquos sævit palam: nam parvulos ecclesiæ passim & publicè deglutire festinat. Quæris ubi sit hoc? Vestri, qui terram Austri tam sæpe visitant, ecce hi sciunt & tibi dicere possunt. Eunt & redeunt per medium illorum, sed quid boni egerint, non audivimus: & audivissemus, nisi præ auro Hispaniæ, salus populi viluisset. An non limina Apostolorum plus jam ambitio quam devotio terit? Annon vocibus ejus vestrum tota die resultat palatium? An non quæstibus ejus tota legum canonumque disciplina insultat? An non spoliis ejus omnis Italica inhiat, inexplebili aviditate, rapacitas? Quando hactenus Roma aurum refudit?* Et lib. 3. in initio, dicit quidem Papam successisse Apostolis, *qui fuerant constituti principes super omnem terram;* sed qualis ille fuerit principatus explicat, & addit: *At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id sobriâ consideratione pensan-*

pensandum. Non enim per omnem reor modum; sed sanè quadantenus, ut mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Si pergis (nota pergis) *usurpare & hanc, contradicit tibi, qui dicit: meus est orbis terræ, & plenitudo ejus.*

Et lib. 4. *Quid de populo loquar; populus Romanus est, nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis Parœcianis quod sentio. Quid tam notum seculis, quam protervia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, assueta tumultui, gens immitis & intractabilis, usque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere. En plaga, tibi incumbit cura, hac dissimulare non licet. Rides me forsitan, fore incurabilem persuasus.* Et. *Clamabitur insuetum: nam justum negari non poterit. An verò assuetum neget quis, quod constat non modò factum aliquandò, sed & aliquandiu factitatum? Quid illud sit dicam, & non proderit. Cur? quia non placebit satrapis, plus majestati quam veritati faventibus.* Quondam *unus erat de subditis quæstus, unaque voluptas, si quo modo eos posset parare Domino plebem perfectam. Vbi nunc, quæso, consuetudo hæc? subiit dissimilis valdè, longè in aliud mutata sunt studia: & utinam non in pejus. Cura tamen & anxietas & æmulatio & sollicitudo, fateor, perseverant. Translata hæc non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quod nec substantiæ parcitis non magis quam antea. Diversa autem locatio dissimilitudinem facit. Magna abusio; Pauci ad os Legislatoris, ad manus omnes respiciunt. Non immeritò tamen. Omne Papale negotium illa agunt. Quem dabis mihi de tota maxima Vrbe, qui te in Papam receperit pretio, seu spe pretii non interveniente? Et nunc experire paucis, noverimne & ego vel aliquatenus mores gentis: ante omnia sapientes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nesciunt: hi invisi terræ & cœlo, utrique injecêre manus; impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amantes, nemo amat, & cum timeri affectant ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, praeesse non norunt: superioribus infideles, inferioribus insupportabiles. Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi. Hi importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperunt. Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua; largissimi promissores & parcissimi exhibitores. Blandissimi adulatores & mordacissimi detractores; simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores.*

tores. Iam ad ordinem recurramus. Quale est, quod de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt tibi euge, euge? Pauperum vita in plateis divitum seminatur: argentum micat in luto, accurritur undique, tollit illud non pauperior, sed fortior. A te tamen mos iste, vel potius mors ista non cœpit, in te utinam desinat. Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multâ circumdatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum potius, quam ovium pascua hæc: scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? vides omnem ecclesiasticum zelum fervere, sola pro dignitate tuenda? Honori totum datur, sanctitati nihil aut parum. Si caussâ requirente paulò submißius agere, ac socialius te habere tentaveris, absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majestati non convenit, quam geras personam attendite. De placito Dei ultima mentio est, pro salutis jactura nulla cunctatio, nisi quod sublime est, id salutare ducamus: & quod gloriam redolet, id justum. Ita omne humile probro ducitur inter Palatinos. Timor Domini simplicitas reputatur, ne dicam, fatuitas: Virum circumspectum, & amicum propria conscientia, calumniantur Hypocritam: Porrò amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilem dicunt. Evigilasne ad istos, qui circumdiderunt te laqueis mortis? Da veniam non tam temerè, quam timidè hæc loquenti. Æmulor te æmulatione bonâ, & utinam quam vehementi tam utili: scio ubi habitas, increduli & subversores sunt tecum: lupi non oves sunt, talium tamen tu pastor. Hic, hic non parco tibi, ut parcat Deus. Pastorem te populo huic aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus sedem tenes, te neges heredem. Petrus hic est qui nescitur processiße aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri

Ioan. 24. *salutare mandatum:* si amas me, pasce oves meas. *In istis non successisti Petro, sed Constantino. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens, non est tamen quod horreas operam curamve pastoralem pastoris heres, non est quod erubescas Euangelium: Euangelizare pascere est. Fac opus Euangelista, & pastoris opus implesti. Dracones, inquis, me mones pascere, scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro. Quid tu denuò gladium usurpare tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam &c. Libet jam claudere hunc librum, sed in calce aliqua velim quasi epilogando repetere, vel addere prætermissa. Consideres*

ante

ante omnia sanctam Romanam ecclesiam, cui Deo auctore praees, Ecclesiarum matrem esse, non Dominam: te vero non Dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis &c. Audiamus eundem Bernardum super cantica serm. 33. & sermone 6. in psalmum, Qui habitat, ita loquentem: *Videte primitivam Ecclesiam,* inquit, *si non primum pervasa est acriter nimis à timore nocturno. Erat enim nox quando omnis qui interficeret sanctos, arbitrabatur se obsequium praestare Deo. Hâc autem tentatione devictâ & & sedatâ tempestate, inclyta facta est, & juxta promissionem ad se factam, in brevi posita in superbiam seculorum. Et dolens inimicus quod frustratus à timore nocturno, convertit se callidè ad sagittam volantem in die, & vulneravit in ea quosdam de Ecclesia, & surrexerunt homines vani, cupidi gloriae, & voluerunt sibi facere nomen, & exeuntes de ecclesia, diu eandem matrem suam afflixerunt in diversis & perversis dogmatibus. Sed hac quoque pestis depulsa est in sapientia sanctorum, sicut & prima in patientia martyrum. En tempora ista libera quidem, Deo miserante, ab utraque illa malitia, sed planè fœda à negotio perambulante in tenebris. Vae generationi huic à fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis: si tamen Hypocrisis dici debet, quae jam latere prae abundantia non valet, & prae impudentia non quaerit. Serpit* hodie *putida tabes per omne corpus Ecclesiae; & quo latius, eo desperatius: eòque periculosius, quò interius. Nam si insurgeret apertus inimicus haereticus, mitteretur foras & arescerét: Si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se. Omnes amici, & omnes inimici, omnes necessarii, & omnes adversarii, omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quae sua sunt quaerunt. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo, honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, in sellis, in calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidae mensae & cibis & scyphis, inde comessationes & ebrietates, inde cythara & lyra & tibia, inde redundantia, torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum Praepositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim haec meritò cedunt, sed negotio illi quod perambulat*

Esaia 38. *bulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus*
Psalm. 39. *domesticorum: non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amarissima: sed in qua pace? Et pax est, & non*
Esaia 1. *est pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto:* Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*: spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à tur-*
Psalm 90. *pi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio fiat Dæmonium meridianum, ad seducendos*, si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplici-
1 Sam. 15. 11. tate sua: *siquidem absorbuit fluvios sapientium & torrentes potentium,*
Iob. 40. *& habet fiduciam, ut Iordanis influat in os ejus, id est simplices & humiles, qui sunt in Ecclesia. Ipse enim est Antichristus, qui se non solum diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id quod dicitur, aut quod colitur, Deus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies, sponsus & advocatus Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.*

Sic idem Bernardus de conversione Pauli serm. 1. *Nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo Christiani dicuntur. Amici tui Deus & proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt. Conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani, à minimo usque ad maximum; à planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla: egressa est iniquitas à senioribus judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere;* Ut populus sic sacerdos, *quia nec sic populus ut sacerdos. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis perversio est. Atque utinam sola hâc parte nocerent. Esset fortè qui dominicâ præmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam, ipsorum non exempla imitari, sed observare præcepta, juxta illud:* Quæ
Matth. 24. dicunt facite & ad opera illorum nolite respicere. *Nunc autem*

dati

dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, & quæstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidem pietates inveniuntur, in suscipienda, imò accipienda magis animarum cura: sed hæc apud eos cura minor & de animarum salute, novissima cogitatio est. An vero salvatori animarum gravior ulla poterat esse persecutio? Iniquè agunt & cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus Antichristi. Meritò tamen & crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis & graviorem sentit pro potestate, quam propriis sustinet à ministris. Hæc videt Christus & silet. hæc salvator patitur & dissimulat. Propterea dissimulemus nos quoque necesse est & sileamus interim, maximèque de prælatis nostris, magistris Ecclesiarum. Attende, lector, ad hæc Bernardi verba posteriora, & ad similia in epistola ejusdem, 174, ad Canonicos Lugdunenses, & Augustini epist. 119 cap. 19. ad Ianuarium, & videbis caussam, quare paullatim tam multi in Ecclesiam irrepserrint errores. Nam si viri illi sanctissimi zizania illa runcare aut impedire nec potuerint, nec ausi fuerint, quid credes evenisse seculis posterioribus, cum nulli aut pauci Augustini, pauci Bernardi invenientur? cum plurimi errores jam in Ecclesia admissi imperarent & Zizania salutares, in agro Domini, herbas aut supprimerent aut præfocarent. Nec hoc valdè mirum cuipiam debet videri, cum ipse Joannes Apostolus & Euangelista in Apocalypsi jubeatur scribere Angelo Ecclesiæ Ephesinæ, inter alia, his verbis: *Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin minus, veniam tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi resipueris.*

Vixit, ut supra diximus, eodem hoc tempore sanctus ille Bernardus, natione Burgundus, judicio & doctrinâ præstans, Ecclesiasticorum sui ævi Princeps; Honorio II, Innocentio II, & Eugenio Pontificibus familiaris, Regibus & magnatibus carus, curiæ Romanæ haud ignarus, rerum jam gestarum oculatus testis, & omni exceptione major: qui an. C. 1113. ætatis 22. cum sociis triginta, anno decimo quinto post institutum ordinem Cistertiensem, factus est monachus, & postea primus Abbas Claræ vallensis: eodem inquam, tempore *cum Paschalis Papa Romæ in concilio multorum* *Vide epistolas Bernardi.*

Episcoporum,(curia,inquam,Romana)*suum fatetur errorem, nempe quod Imperatori Henrico V, investituras concesserit*, aut potius reddiderit: *qui censebant privilegium id revocandum esse, unde legati Pontificii, item Archiepiscopi in Galliis & alibi, imò & Albertus Archiepiscopus Moguntinus Henricum excommunicat, & totam Germaniam in eum concitat: & præcipuè Saxones, qui fœdus cum aliis principibus & plurimis Episcopis contra Imperatorem inierant.* Urspergensis. Cum justo Dei judicio, nullâ relictâ prole masculâ, hærede successore orbus, ingratus, ne dicam impius in patrem filius, paulò post moritur, & operâ Alberti Moguntini Lotharius Saxonum Dux Imperio potitur: qui Imperatorum præcedentium exemplis territus, plurima Pontifici indulgendo, plurimum & Imperio & Ecclesiæ nocuit.

Hic subsisto, satur immanium in Ecclesia turbarum; subsequuntur duæ Imperatoris Henrici IV epistolæ, altera ad Regem Celtarum, Philippum videlicet I. Galliarum regem, quem similiter vexavit & afflixit Gregorius VII, altera ad filium Henricum patri rebellem: ut etiam ex ipso Imperatore rem gestam intelligas.

Primę epistolę ad Regem Celtarum sic meminit Otto Frisingensis, Chron. lib. 7. cap. 12. *Inde Leodium digressus*, inquit, *ab iisq; fastigio regali exceptus, omnibus se fraude circumventum, se ad reddenda regalia vi coäctum, quibus potuit, in regno suo seu aliis regnis positis declamavit: Extat de hoc inter cæteras ejus epistolas ad Regem Celticæ, qui Francorum dicitur, seu AquitaniæDucem, epistola missa, quæ miseriarum ejus tragœdiam continens, saxeas quoque mentes, ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset; quæ sic incipit. Princeps charißime &c.* Hactenus Otto Frisingensis.

Henricus Rex Regi Celtarum.

„ Princeps charissime, & omnium in quibus post Deum speramus, „ fidelissime; primum & pręcipuum inter omnes vos excepi, cui „ conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miserias necessa„ rium duxi, & etiam genibus vestris advolvi, si licet salvâ Maje„ state Imperii. Primum quidem est, quod non solum vobis, sed „ totius Christianæ professionis hominibus gravissimum ac into„ lerabile arbitramur, quod de Apostolica sede, unde usque ad me„ moriam nostri tēporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis & „ salvationis animarum oriebatur, modo persecutionis, excommuni-

catio-

„ cationis & omne perditionis flagellum emittitur: Nec ponunt
„ ullum modum sententiæ, tantum ut satisfiat voluntati indiscretæ.
„ hujus suæ voluntatis, usque adeo nunc abusi sunt, ut nec Deum,
„ nec quid aut quantum mali inde proveniat pensantes, per se & per
„ suos omnibus modis invehantur, cum obedientiam & omnem
„ subjectionem debitam sæpe obtulerim sedi Apostolicæ, si tamen
„ honor debitus & reverentia, sicut antecessoribus meis, & mihi ex-
„ hibeatur. Quid autem intendant opportunius, significabo vobis, si
„ quando optati colloquii copiam Deus nobis dederit. In hac igitur
„ persecutionis & odii sui infamatione, cum parum viderent se
„ proficere, contra ipsum jus naturæ laborantes (quod sine maximo
„ cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non valeo & quia dici-
„ tur, vehementer contremisco) filium meum Absolon, inquam, di-
„ lectissimum non solum contra me armaverunt, sed etiam tanto
„ furore animaverunt, ut inprimis contra fidem & sacramentum,
„ quod ut miles Domino juraverat, regnum meum invaderet, Epis-
„ copos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores
„ meos sustineret: ad ultimum, (quod maximè vellem taceri, aut si
„ taceri non potest, vellem non credi) omnem affectum naturæ ab-
„ jiciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quicquam
„ pensi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignomi-
„ niæ suæ summam aspiraret. In hac tanta mali sui machinatio-
„ ne, cum essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in lo-
„ cum, qui Confluentia dicitur, in ipsis Dominici adventus sanctis-
„ simis diebus, ad colloquium evocavit me, quasi de communi sa-
„ lute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cum vidi, ilico
„ ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes
„ suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animę,
„ si pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, in me ipse nullam
„ conquireret maculam honori & nomini suo: quia culpę patris vin-
„ dicem filium esse, nulla divinæ legis constituit sanctio. At ille tam
„ pulcrè, imo misertimè institutus ad malitiam, quasi abominabile
„ & execrabile scelus cępit detestari, & procidens ipse ad pedes meos
„ de præteritis cœpit veniam deprecari; in reliquum, ut miles domi-
„ no, ut patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obaudi-

 turum

„ turum promisit cum lacrymis, si modo sedi Apostolicæ vellem „ reconciliari. Quod cum promptissimè annuissem, & delibera„ tioni suæ & concilio Principum hoc tantum mancipandum pro„ misissem, in præsenti nativitate se producturum me Moguntiam „ & ibi de honore & reconciliatione mea quam fidelius posset, actu„ rum, & inde in pacem & securitatem me reducendum pro„ misit in ea veritate & fide, quâ patrem à filio honorari & filium à „ patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & Gentili ob„ servanda est, securus ibam & filius meus aliquantum me præces„ serat: & ecce quidam fideles me deceptum verissimè affirmabant, „ & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Revocatus autem „ filius meus, & iterum à me instantissimè monitus sub ejusdem fi„ dei & sacramenti obtestatione animam suam pro anima mea fore „ promisit, secundâ vice. Cum autem ad locum, qui Binga voca„ tur, pervenissem, jam existente die Veneris ante nativitatem, nu„ merus armatorum suorum jam satis augebatur, jam fraus ipsa de „ se detegebatur, & filius ad me: Pater, inquit, nobis secedendum „ est in vicinum castellum, quia Moguntinus Episcopus in suam „ civitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis: nec vos „ impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. „ Illic nativitatem cum pace & honore agatis, quoscunque placue„ rit vobis, vobiscum habeatis: ego interim quantò instantius, „ quantò fideliùs potero, pro nobis utrisque laborabo, quia caus„ sam vestram meam existimo esse. At ego: mi, inquam, fili; ju„ dex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomo„ do te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribu„ lationibus meis honori tuo inservierim, quot & quantas inimici„ tias pro te habuerim & habeam, solus conscius es. Ille autem „ tertiò, sub ejusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret „ occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. „ Sed postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & „ corde fuerit locutus, manifestè rei ostendit eventus. Ex omnibus „ meis ego quartus sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit: „ custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici. Bene„ dictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi Rex potentissi-

mus.

,, mus. Cum ergò ipso sacratissimo die nativitatis suæ, omnibus re-
,, demptis suis, ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli
,, filius ille non est datus. Nam, ut taceam opprobria, injurias, mi-
,, nas, gladios in cervicem meam exertos, nisi omnia imperata fa-
,, cerem: prætereа famem & sitim quam perferebam ab illis, quos
,, injuria erat videre & audire: ut etiam taceam, quod est gravius,
,, me olim satis felicem fuisse: illud nunquam obliviscar, illud nun-
,, quam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctis-
,, simis diebus, sine omni Christiana communione, in illo carcere
,, fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo
,, missus venit ad me quidam Princeps Wighbertus, dicens: nul-
,, lum vitæ meæ esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia
,, regni insignia redderem, ex voluntate & imperio Principum. At
,, ego, etsi omnis terra quantum inhabitatur, Regni mei terminus
,, esset, nollem regnum vitâ commutare: quia vellem, nollem, sic
,, agendum, & quia definitum intelligebam, coronam, sceptrum,
,, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam.

,, Tunc communicato consilio cum inimicis meis, meus filius
,, egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eo ad-
,, ducturus, sub multa frequentia armatorum suorum me adductum
,, ad villam, quæ dicitur Inghelheym, fecit me ad se adduci, ubi
,, maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inveni,
,, nec ipsum filium meum meliorem reperi. Et quia firmius & sta-
,, bilius videbatur eis esse si propriâ manu cogerent me regnum &
,, omnia regalia exfestucare: simili modo & omnes minabantur
,, mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium
,, fieri posse. Tunc ego inquam, quia de sola vita mea agitur, quâ
,, nihil pretiosius habeo, ut saltem vivens pœnitentiam exhibeam
,, Deo; quicquid imperatis faciam. Cumque inquirerem, si saltem
,, sic de vita mea certus essem: Apostolicæ sedis legatus, qui ibidem
,, aderat (non dico, qui omnia hæc audierat) respondit; me nullo
,, modo eripi posse, nisi publicè confiterer me injuste Hildebran-
,, dum persecutum esse: Wibertum (Antipapam Clementem) ei
,, injustè suppofuisse, & injustam persecutionem in Apostolicam
,, sedem & omnem Ecclesiam hactenus exercuisse.

,, Tunc

Henricus Dei gratiâ, Romanorum Imperator Augustus, Henrico filio suo.

„ Si eâ nos affectione tractasses quâ deberes, libentissimè tecum „ loqueremur,& paterna tibi mandaremus: verum quia longè a- „ lius,quam paternę affectionis & humanitatis circa nos animus tibi „ fuit, nequivimus aliter tecum loqui, quam quod ipsa rei manife- „ stissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico expe- „ rimento facti tibi conscius es, qualiter datâ fide & securitate per- „ sonę & honoris nostri omni affectione devotionis promisisti, nos „ ducere Moguntiam coram Principibus,. & inde nos securissimè „ reducere quocunque vellemus. Hac fiduciâ cum tecum amanter „ & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam „ nos cepisti. Ubi nec paternæ lacrymæ,nec patris mæror, nec tri- „ stitia, quâ ad pedes tuos aliorumque advolvebamur, te commo- „ vit ad misericordiam,quin nos caperes, & captum mortalibus ini- „ micis illudendum & custodiendum traderes, ubi multimodo ge- „ nere contumeliæ & terroris afflicti,compulsi sumus fermè venire „ usque ad ipsum mortis articulum. Ante captivitatem abstulisti „ nobis Episcopatus & quicquid de honore Regni potuisti & præ- „ dia nostra & ipsam familiam: in captivitate verò quicquid resi- „ duum erat, ut lanceam & crucem & omnia regalia insignia, vi & „ timore mortis (ut ipse bene scis, & omni fermè notum est Chri- „ stianitati) à nobis extorsisti, relictâ vix ipsa vitâ. Cum hoc tibi „ de nobis non sufficeret, postea semper ubicunque fuimus, omni- „ bus modis quibus potuisti nos persequi, non cessasti, ut vel per- „ deres, vel de regno expelleres. Verum nos satis mirari non pos- „ sumus, qua ratione vel occasione tam obstinatè facias, cum de „ Domino Papa & de Romana Ecclesia, nulla tibi residua sit occa- „ sio. Nos enim nuntio Domini Papæ & Romanæ ecclesiæ te „ præsente parati fuimus & sumus obedire & omnem obedien- „ tiam & reverentiam ei coram & semper exhibere, & consilio „ Principum & spiritualis patris nostri Henrici Cluniacensis Ab- „ batis, aliorumque religiosorum virorum de statu Ecclesiæ & ho-

„ nore regni libentissimè agere. Te ergo rogamus pro honore re-
„ gni, & tua & paterna devotione, & per auctoritatem Romani
„ Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, ut de injuria nobis illata, & de
„ his, quæ nobis vi & injustè abstulisti, justitiam facias. Rogamus
„ etiam, ut cum nil rationis tibi sit quare nos persequaris, nos
„ & fideles nostros cesses infestare; imò permittas nos pacificè
„ & quietè vivere: ut integrè & cum tranquillitate possimus omnia
„ supradicta agere. Recognosce etiam & tecum cogita quia Deus
„ judex est, cui commisimus nostram causam & vindictam, cujus
„ etiam judicia sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniam quan-
„ tuncunque super afflictionem & infortunia glorieris, & super
„ humilitatem te extollas; forsitan de sede sancta sua, inter te &
„ me, gratuitâ suâ misericordià aliud non definivit, intercedente
„ justitià, quam tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia re-
„ verentia vel intercessio nobis valet, opto ut justitiam consequi
„ possimus, vel ut tuæ persecutionis impetus cesset. Ad hoc idem
„ Romanum Pontificem, sanctam & universalem sedem, Romanam
„ ecclesiam appellamus. Hactenus Imperator Henricus.

Quis majorem posset in tanto Imperatore & Patre desiderare animi demissionem? nec tamen ea potuit filio satisfacere. Quis majorē ingratitudinem, feritatem, ne dicam impietatem, in filio adversus patrem tam humilem tam benevolum unquam aut vidit aut observavit? Et tamen Baronius, magnâ animi exacerbatione, quod doleo in tam magno viro, multa contra Imperatorem incondita & temeraria, inconsideratè dicere non erubescit: quod apud cordatos, non parum fidei & auctoritatis historicis detrahere solet. Nam quis unquam veritatem quærere audebit apud eos, qui impetuosà verborum vi, vehementi partium studio, & quasi odio veritatis, ipsam veritatem oppugnant, evertunt, opprimunt? Qui Gregorium VII, *vehementis ingenii virum*, ut ait Schafnaburgensis, & *ingentium animorum Papam*, ut loquitur Petavius, sed nimis ambitiosum & turbulentum, ne dicam crudelem, in album Sanctorum referunt, & tantam ei sanctitatem tribuunt, ut eandem Gregorii indumentis virtutem à Deo inditam prædicare audeant, qualem Pauli fuisse constat, Act. 19? Qui bellicosissimum & Catholicum Imperato-

rem,

rem, Imperatorum filium & nepotem, à Gregorio & aliis Pontificibus ſępius excommunicatum, à Paſchali Papa per filium Henricum vi & fraudibus circumventum, omni honore orbatum, carceri incluſum, & piè Leodii mortuum, juſſu ejuſdem Paſchalis ſub dio extra templum per quinquennium Spiræ relictum inſepultum, vocare non verentur hęreticum, quod cedere noluerit de jure hęreditario, idque tradere Gregorio, ab ipſis pontificibus, prędeceſſoribus Imperatoribus antea ad Eccleſię tranquillitatem conceſſum? Qui immitem & impium in patrem filium vocare pium non metuunt, quod patri, contra omnem hiſtoricam veritatem, *tanquam ex vehementi febri phrenitico, deliranti, inſanienti, furentique, vincula*, contra quintum Decalogi pręceptum, odio quaſi parricidali, *injecerit*? Iterum exclamare rei atrocitas & turpitudo me cogit; Væ illis, qui tenebras lucem, & amarum dulce eſſe volunt. Quid remedii ergò ſupereſt, ad conſervandam poſteris veritatem ſartam tectam, quando volumus ea vera aut falſa eſſe, quę malumus eſſe vera aut falſa, quod cauſſæ noſtræ protrocinentur? Audiamus, quid de his Pontificum artibus & machinationibus judicet Ivo Carnotenſis, pro ratione illius temporis vir doctus, & ſedi Apoſtolicę addictiſsimus, qui cum intellexiſſet Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem Papę legatum, poſtea Papam nomine Calliſtum, convocare velle Concilium totius Francię, in quo ageretur de fide & inveſtituris Laicorum, ſic ſcribit ad Joannem Archiepiſcopum Lugdunenſem epiſt. 238, diſſuadens ſynodi illius convocationem his verbis: *Quæ in hoc conſilio de inveſtituris Laicorum, quas quidam inter hæreſes computant, tractare diſponitis, potius pudenda patris noſtri nudabitis, quæ publicanda non eſſent.* Tum etiam ad evitandum ſchiſma, quod ex Imperatoris excommunicatione & ſimilibus molitionibus excitari poſſe timet Ivo, adducto S. Auguſtini teſtimonio ex lib. 3. ad Parmenionem: *Hoc ſanitas obſervat Eccleſia, ut cum quiſque fratrum, id eſt, Chriſtianorum, intus in Eccleſia ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt. Atque cum ea dilectione fiat, de qua ipſe Apoſtolus alibi præcipit, dicens: Ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem, &c.* Et paulò poſt: *nec enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi*

cum ille corrigitur, qui non habet sociam multitudinem. Nam revera, si contagio peccandi multitudinem invaserit, divina disciplinæ severa misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba sunt; & plus turbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos. Ad hæc non videtur nobis utile consilium ad illa consilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare: quia nec nostro, nec ullius probantur subjacere judicio. Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus. Cum ipse mediator obedire eis præcipiat. Et si tales sunt, quales Pharisæi erant, si ea quæ ad Cathedram pertinent, rectè præcipiant, ea verò, quæ contra cathedram faciunt, minimè faciant &c: Postremò, quod quidam investituram hæresin vocant, cum hæresis non sit nisi error in fide. Sicut enim fides est cordis ad justitiam, cordis autem confessio ad salutem: ita hæresis est error ad impietatem: professio autem ejusdem erroris est ad perniciem. Et fides & error ex corde procedunt. Investitura autem illa, de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis & accipientis, quæ bona aut mala agere possunt, credere aut errare in fide non possunt. Ad hæc, si investitura hæc hæresis est, &c. Cum ergo ea, quæ æternâ lege sancita non sunt, sed pro honestate & utilitate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt. Non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis & saluberrima dispensatio. Quod cum multi nimis studiosi minimè attendant, ante tempus judicant, spiritus mobilis & immobilis non intelligentes differentiam. Si verò quis Laicus ad hanc prorumpat insaniam, ut in datione & acceptione virgæ, putet se tribuere posse sacramentum, vel rem sacramenti Ecclesiastici; illum prorsus judicamus hæreticum, non propter manualem investituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Hęc Ivo. Hoc unum addo. Si laicorum investitura hæresis est, quid dicemus de Hadriano I. & Leone VIII Pontificibus, hujus hęreseos auctoribus, qui Imperatoribus Magnis Carolo & Ottoni has investituras ultrò concesserunt. Quod etiam testatur ipsum privilegium à Papa Paschali Henrico V. concessum, juramento & communione corporis & sanguinis Christi in Missa confirmatum & corroboratum: *Illam igitur dignitatis prærogativam*, inquit Paschalis, *quam* prędecessores nostri vestris prędecessoribus *Catholicis Imperatoribus concesserunt,*

Abusus juris non tollit jus.

runt, nos quoque tuæ dilectioni concedimus, & præsentis privilegii paginâ confirmamus, ut regni tui Episcopis & Abbatibus liberè præter violentiam & simoniam electis, investituram virgæ & annuli conferas, post institutionem verò canonicè factam, consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Quare igitur nuncupatur hæreticus, Imperator Catholicus, qui tantùm jus suum ab ipsis Pontificibus Imperatoribus, teste Paschali, & ipsâ rei gestæ veritate, concessum conservare voluit, & in cæteris Papæ & sedi Apostolicæ omnem obedientiam obtulerit? Quare phreneticus, insaniens, &c. dicitur, cujus nemo historicorum istius ævi meminit? Ego saltem non reperio, ubi in tam detestanda injuria, à filio patri illata, furoris aut insaniæ indicia vel minima ostenderit pater? si liceret, majori jure quis posset hæc retorquere in filium (qui hic ridiculè vocatur *pius*) *sed principi populi ne maledicito*, inquit Paulus.

Mitius de hoc Henrico & aliis Germaniæ Imperatoribus, judicat Onuphrius Panuinus, sæpe ante hoc à nobis citatus: *Hos præter summam generis nobilitatem*, inquit, *fidem in Deum, pietatem eximiam, laus bellica ita illustres fecit, ut Carolo Francorum, Otthoni Germanorum, regibus res egregiæ bello gestæ, Magni cognomen jure pepererint. Henricus vero III.* (nobis IV.) *quo nemo bellicosior fuit, nemoque collatis signis pluries ad hanc usque diem cum hoste conflixit: adeò ut Marcellum & C. Cæsarem dictatorem supergressus, bis & sexagies cum gentibus ferocissimis pugnarit, in horum Principum numero refertur; qui quantum Romanæ atque Italicæ Majestati semper detulerint, illud argumento esse potest, cum se Cæsares aut Augustos pro Ottonibus aut Henricis, pro Carolis & Fredericis dici maluerint; atque se nunc reges nunc Imperatores Romanorum appellari gaudeant. Imperium quoque maximum tantâ virtute sibi in Occidente pararunt, ut propemodum cum antiquo Populo Romano conferri potuissent, cum omnem Germaniam, quà latè patet non inconditam, ut prius, & asperam & desertam, sed nobilissimis oppidis frequentissimam, in ditionem suam redegissent, & ad fidem Christi convertissent. Quod veteres Romani Imperatores, quamvis sæpius tentassent, nunquam consequi potuerunt. Germaniam, Gallias omnes, Hispaniæ & Italiæ majorem partem, certè Carolus Magnus & ejus successores possedêre, infinitis tum urbibus tum gentibus refertissimas. Quod quamvis maximum Imperium, id*

In præfat. lib. 3. de Rom. Princip.

quoque ut reliqua mortalia, nonnullorum Imperatorum inertiâ labans, & in casum pronum, in praeceps ire fecerunt aliquot Pontifices, dum studiis suis nunc Francos nunc Germanos extollunt deprimuntve.

Unde non immeritò Imperator Fredericus II. apud Petrum de Vineis lib. 1. epist. 31. ait: *Reverà Imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidiâ.* Unde subsecuta sunt inter Imperatores & Pontifices immanissima bella; &, ut inter arma silent leges, sic omnis vera pietas & charitas Christiana. At *ex eo*, inquit Christus, *cognoscent vos esse discipulos meos, si dilexeritis alter alterum. Unde bella & lites in vobis?* inquit S. Jacobus, *Nonne hinc? nimirum ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris.* Reges, Episcopi, Principes, Presbyteri, quaerite regnum Dei, quaerite vitam tranquillam, quaerite pacem Christi: Charitas est vinculum pacis, cor, vita & anima Ecclesiae Catholicae, & via ad regnum coeleste: *sed concupiscitis & non habetis*, inquit ibidem S. Jacobus; *occiditis & invidetis, & non potuistis adipisci: litigatis & belligeratis, & non habetis propterea quod non postulastis: petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiscentiis insumatis.* Audiamus ergo ipsum Apostolorum principem S. Petrum epist. 1. cap. 2. Christi fideles sic alloquentem: *Vos autem genus electum*, inquit Petrus, *regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit, ut virtutes praedicetis illius, qui è tenebris vos vocavit in admirabilem suam lucem. Qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei, qui quondam non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti. Dilecti obsecro, tanquam advenas & peregrinos, abstinete à carnalibus concupiscentiis, quae militant adversus animam: & conversationem vestram habete honestam inter gentes, ut in hoc quod obtrectant vobis quasi maleficis, ex bonis operibus aestimantes vos, glorificent Deum in die visitationis. Proinde subditi estote cuivis humanae creaturae propter Dominum, sive regi tanquam excellenti, sive praesidibus, ut qui per eum mittantur, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium: quoniam sic est voluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus: tanquam liberi, & non veluti praetextum habentes malitiae libertatem, sed tanquam servi Dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate.*

Ioan. 13. 35. Iac. 4. 1.

Si lubet ulterius progredi, audiamus ingenuam confessionem, cum

cum Pii Papæ, tum Pandulphi Collenutii, qui historiæ Neapolitanæ lib. 4, sic ait: *Verumtamen ubi ante oculos meos propono, à Christo Pontificibus, cujus Vicarii perhiberi volunt, dictum esse, uti imitentur & se, tanquam magistrum, cujus discipuli sunt & ministri, sequantur; & jussos ab eodem gladium vagina reponere, & hostibus non solum septies, sed & septuagesies septies ignoscere; è contrario tot insidias, technas ac proditiones adversus Fredericum,* nunc Henricum, *video; ac tot legatos viros ecclesiasticos, nomine pastorum intitulatos in regnum, Marchiam & Romaniam contra ipsum emissos, tot civitates hac de caussa destructas, tantum sanguinis Christiani effusum; & præter hæc expendo, Fredericum,* nunc Henricum, *nihilominus semper victoriosè triumphasse ac a Pontificibus contra ipsum electos fortunâ atque consilio destitutos, miserè interiisse: non aliud proferre possum, quam verum esse id, quod Papa Pius in historia Austriaca scripsit; Non fieri ullum insigniter grande malum in Ecclesia universali, quod non exeat atque initium sumat à Presbyteris; ac certè judicia Dei esse nimis ardua atque occulta.*

O infelix & deploranda Ecclesia! ubi cœci duces mundanis potius quam spiritualibus consiliis regunt populum Dei, ubi carnali prudentiâ, vi & armatâ manu constituuntur Ecclesiæ rectores! Primitivæ Ecclesiæ arma erant cœlestia, nempe preces, suspiria, jejunia eleëmosynæ, gemitus, lacrymæ. Pulcra sanè & honorifica est functio presbyterialis, & propterea requiruntur ad eam non tantum communes omnibus verè Christianis virtutes, sed & quædam excellentiora, quantò ipsi presbyteri supra plebem eminent; quemadmodum eos describit Apostolus Paulus; *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, &c. inquit 1 Tim. 3.1. quibus addit S. Hieronymus: *Opus non dignitatem: laborem non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Opus, quod S. Lucas & Apostoli Act. 1. 17. & 25. & Paulus 2. Tim. 4.5. vocant ministerium: quod S. Bernardus *non dominatum, sed officium & ministerium* non semel appellat, lib. de consider. ad Papam Eugenium, ut jamjam vidimus. Et si placet audire functionis presbyterialis seu Pastoralis dignitatem ex Clarissimo Salmasio, vide apparatum ad lib. de primatu, pag. 165. *Ego dico*, inquit, *non satis posse commendari, laudari vel extolli, si intra ministerii spiritualis fines, sicut olim instituta est, maneat: tantùm quippe superemi-*

net

net omnes civiles administrationes & potestates, quantum regnum cœleste mundano regno præcellit: quantum spiritualia temporalibus antestant: divina humanis: caducis æterna: vita morti: cœlum terræ: &c. Magistratus ejus in ministerio est: dignitas in humilitate: honor in onere: auctoritas in vita sanctitate: jurisdictio in vitiorum reprehensione: imperium in doctrina verbi divini. Hæc si habeant ministri Christi, & officium faciant, regibus ipsis terræ superiores censeri debent: non honore, non potestate, sed ministerii genere & animorum curâ. Addam pauca ipsius S. Petri Apostoli verba: *Presbyteros qui inter vos sunt obsecro, qui sum & ipse presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem consors gloriæ, quæ revelabitur: pascite quantum in vobis est gregem Christi, curam illius agentes non coactè, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: neque ceu dominium exercentes adversus clerum,* (in gregem, seu in populum Christianum) *sed ut sitis exemplaria gregis, & cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam.*

1 Pet. 5. 1.

Prohibet Apostolus id, uti ad hunc locum Estius, *quod Dominum suum prohibentem audiverat, illis verbis:* Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos. *Matth.* 20. *Non solum enim dominari dicuntur in alios, qui potestatem, quam super illos habent, ad suam ipsorum convertunt ac referunt utilitatem, cujusmodi potestas est dominorum in servos; verum etiam qui more Principum hujus seculi, imperant, cum ostentatione potestatis, nec nisi cum satellitio & pompa asseclarum prodeunt in publicum: scilicet, ut terrorem subditis incutiant. Atqui Christus voluit in pastoribus & rectoribus Ecclesiæ, magis apparere humilitatem & mansuetudinem, quam potestatis ostentationem atque severitatem, & amorem magis quam terrorem: ut absit non solum animus, sed etiam species dominandi in plebem subjectam; potiusque se per humilitatem gerant ut ministros eorum, quibus præsunt, utilitatem eorum spiritualem omni studio procurantes, juxta quod Dominus ibidem consequenter præcipit:* Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. *Quod quidem ministerium consistit non solum in docendo ac præcipiendo, verum etiam in exhibendis sanctæ conversationis exemplis.* Sed alia tunc aliquot seculis fuerunt tempora & alii mores.

Vidimus hactenus centum & mille annorum historiam sacram,

&

& varias magnasque in Ecclesia mutationes, sed utrum in melius aliis judicandum relinquo. Ego finio & concludam verbis Joannis Aventini, in initio lib.6. suæ historiæ seu Annalium Bojorum, super istius ævi deploratissimo & turpissimo statu, tam in ecclesiasticis quā secularibus, qui jam tot continuos annos cum summo Christianæ religionis approbrio duravit. Vide & deplora corruptissimos istorum seculorum mores & turbidissimos in Imperio & Ecclesia motus, quos ille procellas vocat & tempestates; quibus navicula Petri penè subversa & submersa, quibus sacra mixta prophanis, quibus totum Imperium, & in eo ipsa Ecclesia, imò & tota Europa concussa tremuit, & etiamnum legendo horrescit. *Tandem*, inquit, *ex civilium armorum procellis, ex parricidalis dissensionis fluctibus emersimus, altoque ad littus appulimus, jamque in portu navigamus. Quam illa bonis, simplicibus, apertis viris, non dicam Christianis, qui eâ tempestate vixerunt, doluerint, nescio. Quid ego molestia hisce duntaxat cogitandis ac commemorandis senserim non facile verbis explicavero. Illud tacere non possum, me, velut grandi onere levatum, gaudium lætitiamque jam nunc agitare, & quidem seriò. Invenias tamen plerosque fascicularios, supplementarios, summularios, specularios atque Chronicarios, (indigni sunt ut nominentur) qui de hujusmodi dissensione multa prodant, multa mentiantur, temerarii ac planè impii, qui de rebus sibi incognitis arcanisque, soli Deo notis, audacter pronuntiare audent; indulgentissimo parenti personam sævissimi tyranni imponunt, quasi ipsi dii sint & non errent, neque misericordia Dei egeant. Cum interim ipsi simulatâ religione, animi sint sub vulpe latentis: vitia, virtutes, cœlum, inferos, cuncta venalia habeant, quorum Deus, honor, pecunia, venter, & ea quæ sub ventre sunt: Ego superioris dissensionis ac seditionis, ut brevissimè verum hic quoque absolvam; has caussas fuisse reperio, quas ordine, quoniam res magna est & memoranda, & ad subsequentium facit cognitionem subtexo. Imperator Henricus IV, Cæsar Augustus, septimum nondum natus annum, patrem amisit, ob ætatem obnoxius fraudi fuit: Principes proceresque tum omnia voluptate atque utilitate metiri cœperunt, laborem fugitare, sudoris, pulveris, impatientes esse, levissimis rebus, gaudiis corporis vacare, venationi indulgere, curam Reipublicæ deserere, negotia in alios à se relegare, inopum querimonias neque audire, nedum cognoscere, viduas, pupillos, pauperes, ignobiles, obscuros sacerdotes, populares agricolas, cives*

suos tineis & soricibus direptui exponere insueverunt: eosdem stellionibus, fumivenditoribus, aurisugis, prætoribus, scribis, lictoribus, leguleis, servire siverunt. Latrociniis quoque eâdem tempestate ex consuetudine licentiaque bellorum civilium, proceres jure suo dediti fuerunt. Henricus ubi ex ephebis excessit, ista quoad licuit, jure, edictis, vi, quovis modo prohibere conatus est. Pleraque pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam aut etiam per pacem exstiterunt: Grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, prohibuit. Pleraque retractavit, alia severius emendavit. De pace ex integro sanxit, pluribus factiones quæ titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coibant, abolevit. Omnia collegia præter antiqua & legitima dissolvit, legibus parere omnes nobiles, ignobiles, coëgit. Hanc ob rem Saxones atque Turogi, qui in ordinem cogi recusabant, potissimum rebellionem faciunt. Nortmanni quoque grassantur in Italia ultra Romam, citra Machtilda locupletissima fœmina dominatur. Hildebrandus cum hisce omnibus etiam adhuc privatus societate atque amicitiâ initâ, non solum absque voluntate & sine consensu Cæsaris, quod hactenus non licuerat, Pontificatum maximum occupavit, verum Imperium etiam Romæ sibi ac successoribus asserere cœpit. Ejus hoc consilium atque ratio fuit, sicque animum induxit: probabilia hæc atque verisimilia, quæ jam subnectam, paulatim obtineri posse conjectatus est: quæ cum obtinuisset (uti tandem evenit) tum facile, dictum factum, inveniri aliquam caussam, quamobrem abdicaretur & dejiceretur fastigio rerum, atque in ordinem redigeretur vel potentissimus Imperator; atque ratiunculæ tales fuerunt: Omnem potestatem à Deo Christo, à Christo Petro, ejusque successoribus Episcopis Romanis datam; eisdem religione jurisjurandi, conditione parendi perpetuâ, cæteris verò principibus duntaxat temporario sacramento, quoad illis libeat, quemvis Christianum astrictum esse: licere proinde primario sacerdoti Imperatorem, precariò duntaxat regnantem, ubi Romano Pontifici (qui Christi Domini Deique vicem in terris gerit, ejus religioni præsidendo perfungitur) non obtemperabit, abdicare: eidem, sicuti cuilibet Christiano, diras atque inferias, more Pontificum, dicere: Imperium enim beneficium Pontificis maximi esse. Item tyrannum quovis modo è Republica tollendum, neque ex liberis Regum quempiam, nisi ab ipsis creatum, quamdiu illis placeat receptum, dominari posse. Episcopum communem animorum parentem atque pastorem non ab Imperatore in

curia, sed à sacerdotibus populoque communiter in templo deligendum esse. Et sacerdotem, qui uxorem habeat, divinam rem non facere; ejusque sacrificia summopere à populo, ne contagione polluatur, evitanda. Neque illis ullo pacto decimas & hujuscemodi donativa tribuenda esse. Hasque ultimas tres rationes Hildebrandus in vulgus edidit: reliquis sibi quidem perceptis nequaquam imperita multitudo, omni vento doctrina (sicuti ait divus Paulus) circumduci solita, tanti honoris specie atque umbrâ & astu lactata aures arrigebat. Hoc furore tum concitati Germania, Gallia, Italia populi, ferrum in sua viscera converterunt: per triginta tres annos à Gregorio & Urbano continenter sanguine ovium belligeratum est. Hic fretus Conradi filii Augusti amicitiâ; uterque armis & pecuniâ Nortmannorum & Machtilda adjutus. Acriter contra ab aliis repugnatum est, donec Augustum Paschalis per filium Henricum è fastigio rerum in privatum statum deturbavit, pollicitus se in Germaniam ad conventum solennem Augustam Rhatia venturum. Dumque eo contendit, certior fit de morte Augusti. Ad Padum ergo subsistit: atque coacto sue partis cœtu, acta Gregorii Urbanique comprobat, Clementis tertii, cæterorumque Episcoporum atque Augusti rescindit; pollui religionem, si quispiam sacrificus suffragio prophani cooptatus fuerit, fidemque Principi dederit, necesse esse, cuivis Christiano in Romani Pontificis leges jurare, decernit. Quisquis posthac ejus decretis non steterit, albo Christianorum eradit, nullique alii jus in Christianum senatum veniendi esse, rogationem profert, legem promulgat. Antehac mysta, Monachi, sacerdotes, virgines, sacrata fœmina, Episcopi, rebus divinis, studio literarum, scribundis literis (delegatâ domus, penatium, agrorum curâ in prophanos) duntaxat operam dabant: rerum fluxarum, caducarum, administratione contaminari, pollui se credebant. Pecunia igitur prædiorumque rei familiaris curam, in procerum quempiam, qui vicinus aut auctor contubernii erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret; huncque Boëtum, Germanico atque Græco vocabulo, hoc est patronum curatoremque vocabant. Primùm tum immunitatem libertatemque, amoto hujusmodi administratore, sacerdotes receperunt, polliciti quotannis Romano Pontifici nummum aureum (quem Bysantium vocant diplomata) pensitare, facile tum Paschale de alieno largiente, tributumque accipiente, qui aliam quoque rationem in vulgus dissipavit. Communem pastorem, communiter

 muniter

muniter ab omnibus, grege, ovibus & arietibus, hoc est, sacerdotibus, plebe, deligendum esse. Atque rursus per sexdecim continuos annos, pro hisce aucupiis, armis non citra sanguinem decertatum. Omnia divina humanaque permista sunt. Contra Cæsar & alii plerique Episcopi & proceres summopere nitebantur, nec animi tamen Romanorum Pontificum frangebantur, sed admonebantur, quo majores necessitudines compararent, quibus cogi possent, Imperator, Reges, Principes, Episcopi, Senatus, populus nisi id probarent, quod ipsi constituissent. Nec per septies septem annos destitêre, donec voti compotes facti sunt; tantumque bolum ex faucibus Imperatoris eripuêre: Imperatorque comitiis Pontificis, Republicâ Christianâ non solum excidit; sed & comitia Cæsarea irrita esse extortum, nisi Romanus Pontifex auctor fiat; Cæsareque primum excluso, mox populo, paucorum potentia crevit. Imperatoris majestas, Principum auctoritas, res populi diminuta est. Nec diu hâc licentiâ sacerdotes lætati sunt. Sacrificuli, mystæ, Episcopi omnes Maximo Pontifici & Romanensibus serviunt: hisce tributarii, vectigales, stipendiarii sunt. Hi qui minus habent quidquid corradunt, quicquid unciatim defraudando genium miseri comparcunt, ditioribus addere coguntur: idque illi universum abripiunt, haud existimantes quanto labore partum sit. Cuncti Episcopi pro sua inscitia in ordinem redacti sunt: universis servitus imposita est, in unius cuncta potestatem redacta sunt. Quandò verò ejus tanta potestas est, cur non illa perpetuò, ne non nobis tot sint Domini, utitur? modo ait, modo negat, quasi pilam quolibet propellit, rursus, ubi usus venerit, arripit. Cum tanta messis cur non metit? cur non amat? cur non pascit, quando tot oves fame pereunt? cur ovili capros, hircos, lupos, libidinosos adulteros, virginum, sacrarum fœminarum stupratores, coquos, muliones, argentarios, nummularios, fucos, pecuniarum aucupes, luxu perditos, perfidos, perjuros, literarum omnium penitus rudes imponit? non audita loquor, ea quæ hisce oculis video, narro. Cur lupis oves committit, cur gregem suum simulatoribus religionis perniciosissimis, rem suam duntaxat agentibus, servire, cur pueros & effeminatos agnis suis dominari permittit? Xistus quartus Pontifex Maximus clarissimo Principi Alberto genitori Ducum nostrorum, illiusque populatibus, ut absque pretio sextæ septimanæ quoque die, item aliis solemnibus jejuniis, ovis, caseo, lacte, liberè vescantur præcipit? Extat diploma. Cur Reginoburgensium personatus vicariis contra edictum summi Pontificis

tificis non veritus ejus fulmen, illa nos à se emere cogit, atque nostra nobis vendit, hasque nundinas demum ante triennium abhinc instituit? Episcopi nostri quales sint, pudet dicere. Pauperum alimentis canes, equos, ne dicam scorta, alunt, potant, amant, literas omnes velut contagionem vitant. Nullam curam inopum, quarum opibus incubant, agunt; Nihil in eisdem præsidii est pauperibus. Superbiâ, luxu, armis eum quovis vel Persicis Regibus, locupletissimo Imperatore decertant. Qui imperat, leges imponit, præscribit, jubet, vetat, si tacet, satis laudat. Cur canis mutus est & non latrat, luposque clavâ Herculis in malam crucem abigit? Imperatores, Reges & Principes nostri, tot cœlites Christianæ paupertatis amatores, & nullius præterquam pacis & literarum studiosos nobis dedêre. Nempe Divos Corbinianos, Lampertos, Heremannos, Erhardos, Hydulphos, Vergilios, Rupertos, Pigramos, Columbanos, Eberhardos, Herdevicos, Conrados, Ottones &c. At, si Diis placet, nunc venatores, inauspicatissimum in S. Literis genus hominum omnibus imponuntur, sanctissimis Patribus ad hæc conniventibus. Christus summus rerum Imperator, Deus, natus sempiternus, cui totius orbis imperium, hominum Deûmque fatis pater destinavit, cœleste solium, imperium æternum reliquit: homo factus, mortuus & sepultus est, ut nos collocupletaret. At illi obscurissimis crepundiis, atque egentissimi, sine tribu, sine nomine procreati, ut ditentur, ut opibus, potentiâ, imperio rerum, quæ Christus spinas vocat, potiantur, ferre parem, nedum superiorem non possunt: Christi sanguine redemptos in maximam servitutem redigunt: in gregem ejus crudelissimè sæviunt. Ea est temporum infelicitas, non licet loqui, quæ sentis, non licet sentire, quæ loqueris. Oves tondere, deglubere, occidere uti libuerit sub specie religionis, longinqua est consuetudo. Si quis in legem Christi prævaricatus fuerit, si quis convitium in majestatem divinam, in Deiparam virginem, in reliquos cœlites jactaverit, superos maledictis execratus fuerit, impunè abit. Nemo huic negotium facessit, aut diem dicit: at qui illos homines non Deos esse, errare posse docuerit, ad modestiam, paupertatem Christi cohortatus fuerit, humanæ imbecillitatis admonuerit, erro pestilentissimus judicatur, sexcentas ei scribunt dicas, sacrosanctam philosophiam, divinitus à Spiritu sancto editam, interpretando, suis moribus aptam faciunt, ambitioni suæ servire cogunt: scita decretaque Christi non servare, sed servire sibi volunt. Legibus à Chri-

 sto

flo latis semetipsos solvunt; placita ejus contemnunt, nedum illis parere studeant. Multum refert in qua quisque tempora inciderit. Extat decretum in libris pontificalibus & annalibus Europæ, præcipuè in Carolo Magno, ubi regibus, Imperatoribus sacerdotia omnia largiri, Pontifices maximos, minores capere licet, hos in illorum verba jurare jus fasque esse declaratur, contra sentientibus dira atque inferia dicuntur, & id quod antea religio atque pietas fuit, nunc paginâ (ut ajunt) versâ, injustitia atque irreligiositas esse cœpit. Mali, avari, lascivi, parum studiosi, olim non esse sacerdotes censebantur: eorum sacra, nequis contagione pollueretur, populus jussus fugitabat: nunc contra est; pietas vera, charitas mutua, libertas Christiana extincta est: superstitio, protervitas, pervicacia, perjurium, amor sui, crevit: boni mores interiére. Crimina fervent; squallet legum silva; lites, calumniæ, adolescunt. Humanorum decretorum ergastula increvêre, invasêre: mortalium commenta sacram philosophiam contaminant, sanctissimi levia præcepta Christi extrudunt. Fastus, avaritia, luxus, ambitio, simulatio invaluêre. Unius avaritiam totus orbis explere nequit. Invicem sæviendo, mordendo, invidendo, criminando, insidiando, rapiendo, fraudando, paciscendo, fallendo occidimus atque perimus. Sic fit, sic homines sunt, regnare omnes concupiscunt, parere recusant. Plures mali quam boni. Hactenus Aventinus.

Petrus Abbas Cellensis floret. Hoc eodem ferè tempore floruit Petrus Abbas Cellensis, Bernardo imprimis carus, uti ejusdem testantur epistolæ, *ut loquitur Boxbornius in universali sua historia*, qui deinde S. Renigii Abbas & Episcopus Carnotensis salutatus est. Cujus viri epistolæ, cum benificio doctissimi & diligentissimi Jacobi Sirmondi in manus venerint, earumque quædam ea contineant, quæ ad horum temporum historiam ac lucem plurimum facere ego intelligo, præsertim spectantia sparsam magis magisque Euangelii lucem inter Septentrionis Europæ incolas, paganos adhuc magnam partem & barbaros, & accuratissimis etiam Septentrionalium rerum scriptoribus ne inspectas quidem animadvertam, nonnullas earum, quæ pro nostro hic faciunt instituto, promendas existimavi. Neque tædio, ut spero, antiquarum rerum & originum cupidis erit, ea hic legere & agnoscere, quæ vulgò ignorantur.

Carthusienses & Cistercienses Monachi in Da- Monachi certè, quos vocant, Carthusienses & Cistercienses, in Daniam tunc invitati, ut & alii aliorum Ordinum, iisque, propagandæ religionis caussâ, Monasteria exstructa sunt: qua de re Cel-

lensis

lensis Abbatis *Ad Domnum*, ita enim ipse loquitur, *& patrem suum carissimum Eskilo, Lundensem* (Ita enim habet inscriptio. Cave interim ne cum iis erres, qui Lundensem aut Londinensem in Anglia, & Lundensem in aliis Septentrionis oris Episcopatus confundunt) *Archiepiscopum. Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Carthusienses fratres expeterem, & de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatenus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum Ordini illorum in partibus vestris perquirendum & præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena & perfecta caritatis effusio, nova seminaria de omni genere sacrorum ordinum seminare provinciam vobis à Deo commissam, ut exinde fructus, qui permanent in æternum, susciperetis; & manipulos justitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Iam non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis sive Claravallis ordo ibi multiplicatione fratrum excrevit: nihilominus & religio Præmonstratensis. Quia igitur gustavit & vidit prudentia vestra, quod bona sit negotiatio ista, ad ulteriora manum porrexistis, & de illo Ordine, qui quasi Cherubin, sive Seraphin, immediatè residenti agno, qui habet oculos septem & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est ut imperastis. Adquievit sanctus Carthusiensium fratrum conventus justis petitionibus vestris.*

nia sedem figunt. Petri Cellensis ea de re Epistola.

Monachorum & ab ipsis Monachis damnata, qualis nunc temporis vita fuerit, hæc, quæ sequitur, ejusdem Abbatis Cellensis Epistola satis superque ostendet. Neque enim aliud narrandum hic ego mihi proposui, quam quod singula sæcula notandum præbent; ab iis præsertim notatum, quorum ævo nulla inter Christianos, qualia hodie sunt, partium studia habebantur. Sic enim fit, ut veritas, tanquam partium studio corrupta, haud possit accusari. Ipsum igitur Cellensem epist. XIII. qualem eam Sirmondi exhibet editio, hac de Monachorum ævo sive impudentia sive impietate disserentem audiamus. Ejus ad Monachum Norvicensem de qua diximus, epistolæ hæc verba sunt; *In nostra, credo, quod & in vestra patria non Monachi, ut pace illorum dicam, sed ex Monachis super numerum multiplicati, nomini Sancto, quod invocatum est super eos, contumeliam faciunt, dum turpiter vivunt, dum ventris, gulæ, & luxuriæ desideriis se exponunt; dum corpus suum, quod dici nefas est, & negatio contra Deum, contumeliis afficiunt. Nomen itaque Dei per eos blasphematur inter gentes. Utinam Phinees resurge-*

Alia ejusdē de vita Monachorum corrupta.

surgeret! utinam Helias zelo zelatus pro domo Israël recumbentes in idolis igne cœlesti consumeret! utinam saltem Ieremias captivitatem filiæ Sion triplici luctu, scilicet orationis, prædicationis, & exempli doceret, moneret, defleret! Verus nempe Pharao, qui omnia dissipat, & cum Deo non congregat, lapides sanctuarii per platearum compita disseminat, vasa templi Domini in delubris suis juxta Dagon asportat, filium virginis cum filio Veneris collocat, & in phialis & scyphis cum concubinis suis usque ad mane potare non cessat. Vsquequo, Domne, non est qui pennam moveat & gannire audeat? Medium silentium tenent omnia. Moyses non extendit manus ad cœlos: graves enim sunt, & plenæ sanguine. Ideo vincitur Israël, & vincit Amalech. Quatuor fabri cornibus suis ventilant universum Iudam & Israël, dum residuum erucæ comedit locusta,& residuum locustæ bruchus, residuum bruchi rubigo. Hæc sunt tertia & quarta generatio, in quibus Dominus reddit peccata patrum in filiis. Prima scilicet generatio est suggestio carnis, secunda primus pulsus cogitationis, tertia deliberatio vel perpetratio operis, quarta gloriatio sceleris. Felix qui his cornibus non ventilatur. Si qua itaque in vobis est misericordiæ scintilla, si qua viscera pietatis, si quis vos benignitatis, compungimini. Lacrymæ procul dubio istæ nequaquam inutiles erunt. Aut enim illis proderunt & convertentur, aut ad vos redient, & in sinum vestrum revertentur. Vt redeant itaque à via sua mala, monendo transire de porta ad portam gladio potenter accinctus, nemini parcat, sed disperdat de terra memoriam eorum, qui ad cor redire distulerint; qui iniquitatem, quæ in manu eorum est, non abstulerint. Hæc ad vos tanquam ad amicum justitiæ, zelatorem domus Dei, odio habentem eos qui contradicunt sermonibus Sancti. Ad eos verò, quibus nihil dulce præter vinum & pretium, nihil amarum præter claustrum & silentium, nihil amandum præter carnem & mundum, nihil exosum præter Dei verbum & Spiritum, nubes Dei coruscant, tonitrua cœli fulgurant, ventus vehemens & ignis involutus accelerant. O insensati! Quis poterit habitare ex vobis cum igne devorante, aut cum ardoribus sempiternis? Nonne ibi recipietis venenum pro vino, supplicium pro pretio? Seris & vectibus ferreis porta inferni conseretur vobis, qui claustro noluistis includi: & clamor quoque & continuus luctus,qui non siluistis à facie Domini. Caro, quam curiosè nutristis, sollicitè fovistis, studiosè lactastis, regnum Dei non possidebit. Mundus, cui mundi creatorem postposuistis,in quo immundè sorduistis, cujus fallaci pulchritudine oblectati patriæ cœlestis obliti estis, non eruet vos de manu inimici. Verbum Dei tunc vos verberabit,

non

non liberabit; accusabit, non excusabit; damnabit, non salvabit. Quid vobis cum Spiritu Dei, cujus contumeliis non parcitis, cujus templum violatis, quem contristare non reformidatis? Ni fallor, quod in eum peccastis, non remittetur vobis, neque in hoc saculo, neque in futuro.

Nihilominus tamen incomparabile eorundem, in propaganda Religione apud Septentrionales Europæ populos, studium nobis hic laudandum est; & quidem ejusdem Cellensis Abbatis auctoritate, cujus de oblato per Fulconem EuangelioDanis Norwagisque Epist. xv. hæc verba leguntur; *Pauper ille Episcopus domnus Fulgo, quem per Euangelium in Christo ego genui monachum, & vos Episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra Deo gratias nobiscum refert, exponens quod sustentamentum vita & peregrinationis sua vos habet, & semper habiturum confidit. Scitis, Domne pater, quam duram provinciam sortitus sit, & quod animam suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper expectans, quam longam vitam, Scitis etiam, quia qui Prophetam in nomine Propheta recipit, mercedem Propheta recipit. Unde remittimus eum ad vos, & commendamus eum Deo & vobis. Retinuimus eum siquidem malo tempore, remittimus autem bono & congruo, ut visitet messem, utrum matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum siquidem misit ad aratrum ope vestrâ & opere, ad Christianitatem dilatandam, & horrea Dei fertiliori segete implenda. Vestrum enim, vestrum est, quicquid incrementi provenerit ex labore ipsius, quia & de vestro vivit, tanquam operarius Dei & vester: & ad gloriam vestram respicit atque coronam, quodcumque Christo acquirere potuerit.*

Danis Norvvegisque Euangelium per Fulconem offertur.

Post Henricorum hæc tempora, ortosque iis imperantibus gravissimos atrocissimosque, quos proximè memoravimus, motus, imperatrix regnatrixve domus tandem mutata, sceptrumque ad Saxones translatum, primusque eorum LOTHARIUS, ejus nominis II. Imperator salutatus est. Cæterum cum Conrado, Sueviæ Principe ditissimo ac patruele, grave illi de imperio certamen fuit. Lotharius superior exstitit; eique Conradus, cum spes omnes suas jam accisas observaret, egregiam ea in re operam ponente S. Bernardo, Clarevallensi Abbate, qui nunc floruit, cujusque proximè meminimus, tandem conciliatur.

Lotharius II. Saxo, Imp.

Imperium Occidentis ad Saxones transfertur.

Hic Pontifici Romano, ut tunc tempora erant, plurima in-

dulgendo, plurimum & Ecclesiæ & imperio detraxit, & Monarchiam, Pontificum Romanorum ambitione occupatam, magnis incrementis auxit. Quid faceret? Præcedentium proximè Imperatorum exemplis & calamitatibus terrebatur.

Romana leges ab eo restituta.

Irnerii IC, singularis ea in re industria.

Id interim in eo vel inprimis laudandum omnes deprehenderint, quod per Longobardorum & Francorum irruptiones quasi exstinctas & perditas Romanas leges, velut è situ produxerit, atque iis robur suum restituerit, usus eam in rem opera industriaq; Irnerii J.C, (Wernerum vocant alii) qui ea tempestate celeberrimus, à Barbaris invectas consuetudines ac iniquos mores ex veteri Romano jûre, cui cognoscendo totum sese Constantinopoli dederat, emendavit, Romæque, atque item Bononiæ, idem illud aliquamdiu docuit. Ac sic quidem & auctoritate Lotharii, & singulari inusitatâque Irnerii industriâ abolitæ prope sepultæque Romanæ leges, vires ac quandam quasi juventam nunc recepêre. Sed in hujus laudis gloriæque consortium, Princeps fœmina etiam illius ævi clarissima venit. De qua Aventinus Annalium Bojorum VI. *VVernherus quoque Iureconsultus, rogante atque jubente Mathyldâ, VVelphonis secundi, Ducis Bojorum uxore, leges Romani populi à Iustiniano Imperatore invulgatas, hactenusque neglectas, situ & carie obsoletas, cum tineis & blattis depugnantes, recognovit atque publicavit, continenti scripturâ expositas, in libros, capitaque divisit, sententiam paucis summatim præscripsit, legendo, commentando, interpretando, easdem etiam cæteris notas fecit: parum adhuc divulgatas diligentius retractavit.*

Hanc amissi juris & perditarum legum Romanarum historiam paulò accuratius descripsit Arthurus Duck L. L. Doctor. de auctoritate & usu juris lib. 1. cap. 11. his verbis:

Libros verò *Iustinianaos* Romæ aut in Italia per quingentos annos ab ejus excessu visos fuisse nobis constare non potest; tantùm conjici potest eos in Illyricum venisse, quòd eorum publicatio Præfecto Prætorii Illyrici à *Iustiniano* mandata sit. Italiam tenuerunt Gothi per sexaginta annos post *Iustinianum*, quibus pulsis in ulteriorem Galliam per Longobardos, Reges eorum per ducentos annos Italiâ potiti sunt, eodemque tempore in *Hispania* Visigothi, & Vandali, in Gallia Gothi, Franci, Hunni aliique Populi barbari domi-

dominabantur. Hi nullas patiebantur leges nisi à se conditas, Longobardicas, Gothicas, Francicas, Alemannicas aliasque quas adhuc habemus in Codice Legum antiquarum, quæ etsi in plurimis sanè justæ sunt & laudandæ, sapiunt tamen barbariem earum gentium, & Leges Longobardorum (quæ cæteris excellentiores habitæ sunt) barbaræ, asininæ, & Fæx potius quam Lex ab Interpretibus nostris sunt appellatæ: illum tamen honorem Romanis olim Dominis suis præbuerunt, ut Leges suas omnes Latinè scripserint, & contractus omnes secundùm Leges Romanas inierint, & eas Juris Romani reliquias quas adipisci potuerunt in usu Judiciorum unà cum Legibus suis observaverint, Codicem *Theodosianum*, *Gaii* Institutiones, *Ulpiani* fragmenta, *Pauli* notas & sententias, forsan majorem honorem delaturi Libris *Iustinianæis*, si in eos incidissent.

Post ducentos annos *Carolus Magnus* Gallorum & Germanorum Rex, devictis in Italia Longobardorum Regibus, *Romæ* à Senatu Populoque Romano electus Romanorum Imperator, & à *Leone* III. Pontifice Romano approbatus, circa annum 800. summo restituendi Juris Romani desiderio tenebatur, quod assequi non potuit, sive bellis continuis occupatus, sive ex defectu Librorum Juris Romani, quos illius Jurisconsulti non potuerunt conquirere. Jacebat enim sepulta literarum omnium & Legum peritia sub *Carolo* Magno & per duo sæcula insequentia, quod omnes viri docti deplorant, in quibus invaserat omnium animos talis stupor, amentia, oblivioque literarum omnium & Morum, ut vix Principes Pontificesve reperiantur, qui aliquid dignum memoria gesserunt. De Jure Romano nihil interea auditum, solum Ravennæ apud Exarchos Græcos reperiebatur quinta pars Pandectarum, quæ tractat de ultimis voluntatibus & successionibus hæreditatum; nam ea pars Italiæ Exarchis Imperatoribus Constantinopolitanis adhuc durante Longobardorum regno obtemperabat, donec ex conventione inter *Carolum Magnum* & *Irenem* Imperatricem Constantinopolitanam facta, pars Imperii Romani Occidentalis *Carolo* & ejus posteris, Orientalis verò Constantinopolitanis cessit.

Post has verò tenebras Scientiarum omnium, ea fuit fœlicitas

citas Juris Romani, ut cum ipso in lucem extracto cæteræ Scientiæ omnes revixerint, quod accidit sub *Lothario* Saxone Imperatore Occidentis circa annum 1127. quo unà cum *Innocentio* II. Pontifice Romano bellum gerente contra *Rogerium* Regem Siciliæ & Neapolis, imploratoque Pisanorum auxilio (qui tum liberi Reipublicæ jure utebantur) in excidio Urbis Amalfitanæ in Apulia, libri Pandectarum ibi reperti, in honorem rerum ab iis strenuè gestarum, præminm, ut Opima Spolia, iisdem tributa sunt, eosque religiosè servabant *Pisani* usque ad annum 1406. & ad eos in controversiis suis Doctores nostri advolabant. Eo verò anno *Guius Coponius* exercitus Florentini præfectus civitate Pisarum captâ, Pandectas in magnam triumphi sui partem Florentiam transtulit, ubi eâdem religione & curâ adhuc servantur. Eodem tempore cum Pandectis in lucem revocatis cæteræ scientiæ sub iisdem tenebris sepultæ repullularunt. *Petrus* enim *Lombardus* Episcopus Parisiensis Theologiam per antiquorum libros sparsam in methodum redegit, quod *Iohannes Damascenus* ante annos quingentos Græcis præstiterat, & *Gratianus Monachus* Bononiensis Decretorum librum composuit, & *Petrus Trecensis*, dictus *Comestor*, Historiam Scholasticam edidit, qui fratres naturales ex una concubina nati perhibentur.

Pandectis jam postliminio restitutis, Jus Civile Romanorum omnes Occidentalis Imperii Populi amplectuntur, & ad illud exornandum miro consensu concurrunt. Erat eodem tempore in Aula Imperatricis *Matildæ* magni nominis Jurisconsultus *Irnerius* qui Constantinopoli Juri operam dederat, & in rebus *Lotharii* administrandis summum locum tenebat. Eo authore & suasore *Lotharius* Jus Romanorum in Academiis doceri, & ex eo causas in judiciis dijudicari Edicto mandavit, ipseque *Irnerius* Bononiæ circa annum 1150. Jus Civile docuit, eumque secuti *Bulgarus*, *Placentinus*, *Odofredus*, *Aro*, aliique.

Et tamen J. Lipsius de monitis & exemplis Politicis cap. 10. sic alloquitur Imperatorem Lotharium LL. restauratorem: *Bone Lothari, manes tui per me quiescant: sed rosa aut lilia sepulcrum tuum non ornent, qui nobis tot tricas & spinas sevisti. Nam quæ tam clara causa est, quæ non aliquâ lege, lege? imò interpretatione (nam & has admisimus) obscu-*

obscuratur? Qua tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est Caussidicina, & peritè captare aut capere laudem habet. Atqui opus est multitudine, inquiunt: ut varii factorum eventuumque velut vultus & species discernantur. Nam si pauca leges, quid? an judici pleraque libera relinquentur? fenestram sive ostium ad iniquitatem pandemus? Non ego censeo: sed neque sic judicem coërceri. Obsecro, qua illa copia est, qua omnia comprehendat aut distinguat? Ipsum Iustinianaum jus vide: hic deficit, & multa ex similitudine, & obscuris ex eo argumentis judicantur. Imò ubi copia, plus intricati erit: & semper argutia & calumnia in sinu aut recessu hujus illiusque legis latebit & se defendet. An non videmus cottidie?

Cæterum cum revocatæ & restitutæ istæ leges detrahere nonnihil Papę Romani auctoritati, quę supra imperatoriam jam excreverat, viderentur, prodiit ecce, Lothario hoc imperante, Monachus quidam, Gratianus nomine, qui Constitutiones ac Decreta Pontificum collegit, digessit, iisdemque Synodorum veterum Canones plurimos, qui ex usu & pro destinatione sedis Romanę esse ac facere plurimum videbantur, permiscuit. Atque hæc origo & incunabula quasi prima sunt illius Iuris, quod Canonicorum hodie appellatur. Ex duplici hoc jure, Canonico & civili, illo Imperatorum, hoc autem Pontificum, tandem natæ in Italia sunt Gibellinorum & Guelphorum celeberrimæ factiones; quorum quidem isti Imperatoris, hi Pontificis Romani partes ac causam egêre, idque per crudelia & continua inter Christianos bella.

Quicquid sit, vides, lector, quo miseriarum & ignorantię illis temporibus devenerit Roma, & cum Romanis tota ferè Europa: Vides inter Imperatorem & Pontificem, secularium & Ecclesiasticorum principes, magnas altercationes, immanissima bella: vides conculcatum Imperium, turbatam & oppressam Ecclesiam, & ubivis crassam barbariem. Scitum est illud Senecę, & quasi ab oraculo depromptum: *Nihil constat loco stabili, & nihil quo stat stabit loco, omnia sternet obducetque vetustas.* Ipsum jus, ut vidimus & cum eo ipsa perierat justitia: leges non tantum silebant inter arma, sed jam penitus amissæ, extinctæ & sepultę videbantur: unde perversissimi & corruptissimi illi Romanorum & totius Christiani orbis mores: quales nobis describit libris de consideratione S.

 Ber-

Bernardus & alii. Imò depravata à quamplurimis barbarorum populorum inundationibus ipsa Romanorum matrix lingua: mutatum Imperii & Ecclesiæ regimen & ipsa religio: quæ quasi novam induit faciem, tam per horribiles & antea inauditos Gregorii VII dictatus: quos Urbanus II. & Paschalis II, per diversa synodalia decreta confirmarunt, roborarunt, stabiliverunt; quam per alia Pontificum diversorum statuta, priscis patribus incognita, paulatim in Ecclesiam ita introducta; ut non tantum in consuetudinem, sed etiam apud multos in legem abierint. Pauca dabo, de quibus in primitiva, Catholica, simplici & sancta Ecclesia, de qua egimus hujus historiæ parte primâ pag. 197, altum silentium; quæ cum sint res novę, novis etiam nominibus appellantur: quales sunt, *Doctrina hodierna de clavibus Ecclesiasticis & pœnitentia: unde dispensationes, exemptiones, dissolutiones juramentorum & votorum: reservationes casuum: excommunicationes horrendæ & arbitrariæ, etiam in causis merè civilibus: Indulgentiæ, quæ dantur vivis & mortuis*, *Taxa Cancellariæ Apostolicæ & pœnitentiariæ, in qua multa stupenda & audita nunquam: Confessio auricularis, cum prohibita revelatione maximorum & exceptorum etiam criminum: satisfactio vicaria, Opera superrogatoria ex thesauro Ecclesiæ, imaginum cultus, persecutio Christianorum dissentientium, Episcopi Romani supremus in terris loco Christi, quâ spiritualia, quâ temporalia, vicariatus & ejusdem ἀναμαρτησία, &c.*

At S. Apostolus 2 Tim. 3. inquit: *Tota Scriptura est divinitus inspirata, ut perfectus sit homo Dei: Sacræ literæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu.* & 1 Joan. 1. 4. *Hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Sic passim loquuntur omnes Patres. Tertullianus *adorat scripturæ plenitudinem, rectissimè sciens*, ut loquitur Irenæus, *quod scriptura sit perfecta, quippe à Verbo Dei & spiritu ejus dicta. Incredibile enim est*, inquit Tertullianus, *ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem omnibus regulis edidisse*: quare Scripturam vocat S. Irenæus, *fundamentum & columnam fidei & Ecclesiæ*: & Cyprianus quærit, *Vnde est ista traditio? Vtrumne de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens?* Athanasio *sufficiunt per se sacræ & divinitus inspiratæ scripturæ, ad omnem veritatis indicationem. Apostolus*

sumpto

ſumpto ab hominibus exemplo, inquit Baſilius, *vehementiſſimè interdicit, ne quid eorum, quæ in divinis literis habentur dematur, aut quod abſit, addatur. Sic enim eſt apud illum : Tamen quis hominis confirmatum teſtamentum ſpernit aut ſuperordinat?* Eleganter aureum illud os: γραφῶν γὰρ ἀνάγνωσις, οὐρανῶν ἐστὶν ἄνοιξις. Scripturarum lectio, cœlorum eſt apertio.

Δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ καὶ
ἁγίῳ πνεύματι.

ADDENDA
ET
EMENDANDA.

LECTORI S.

Cum meam, Candide Lector, hiſtoriam ad hæc uſque tempora perduxiſſem, & ibidem finem imponere ſtatuiſſem, tractatum de vita Gregorii VII ab Onuphrio Panuino Veronenſi, hiſtorico eximio, & ordinis S. Auguſtini monacho, conſcriptum, & à Gretzero Patre Societatis editum, hiſce meis rhapſodiis ſubjungere deſtinaram: quem licet diu & ſedulò, tam apud amicos, quam bibliopolas quæſitum, cum nanciſci non potuiſſem, caſu in meas incidit manus D. Blondelli Diatribe, de formulæ *Regnante Chriſto* uſu. Et cum eam, motus nomine optimi hiſtorici, perlegerem, capite decimo ſexto ejuſdem tractatus inveni eum fusè & accuratè de Gregorii VII actis & actitatis diſſerentem. Cum verò hujus viri ſummam antiquitatis peritiam cum moderatione conjunctam ſcirem, qui nobis argumenta & ſcriptorum teſtimonia producit, aut potius affundit (ut loquitur de Blondello Grotius) ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, non potui non in tuam gratiam ea, quantumvis prolixa ſatis, huic meo centoni aſſuere; ne quid rerum ab illo Pontifice geſtarum, (qui Baronio eſt *perfecti Papæ idea*) te lateat. Videbis hic inter cætera ex ſerie Imperatorum, apud omnes ſcriptores conſtanter obſervata, totius orbis pertinacem conſenſum, *Grot. epiſt. ad Gallos 183.*

contra innumera in Imperatores Henricum patrem & filium Catholicos, vibrata fulmina; dum Rodolphum, Herimannum & Egbertum, electos per Gregorium VII. Imperatores, alto silentio prætereunt, tanquam illegitimos. Tu lege, benigne lector, &, positis affectibus, judica.

Quo

XVI. *Quo merito Philippo primo ante divortium minatus sit Gregorius VII.*

CUm ille ipse Gregorius VII, qui Henrico tertio *regnum eripere tentavit, & excommunicatis fidelitate aut Sacramento constrictos à Sacramento absolvit, modisque omnibus ne eis fidelitatem observarent prohibuit*, Philippo primo de *eripiendo regno* inauditas anteà minas intentarit: Urbanusque ut sedis, sic motæ de dignitate Henrico III litis hæres, quam ex ejus disciplina hauserat doctrinam retecta fronte propagaverit, hæc ad Vapincensem Episcopum scribens, *Iuratos milites Hugoni Comiti ne ipsi (quamdiu excommunicatus est) serviant probibeto, qui (si Sacramenta prætenderint) moneantur oportet, Deo magis servire quam hominibus; fidelitatem enim quam Christiano principi jurarunt, Deo ejusque sanctis adversanti, & eorum præcepta calcanti, nullâ cohibentur auctoritate persolvere.* Quærendum 1. *An justas suo tempore Philippi abstinendi causas habuerit Gregorius septimus.* 2. An *quod adversus* Hugonem Comitem extra Francorum regnum constitutum *statuit* Urbanus, *in Philippum sacrâ communione privatum statuendum putaverit.* 3. An promulgato adversus Philippum excommunicationis decreto, *ab observanda se fidelitate* absolutum ex Francis ullus crediderit. Cau. 15. qu. 6. c. 4. Ibid. c. 4. Actor. 4. v. 5 29.

Denato anno 1073. April. 20. feria 2. Alexandro Papâ, eâdem die suffectus Gregorius, bis Philippo primo minatus est. Cùm enim post Rodulphi Episcopi dormitionem Landricus Augustodunensis Ecclesiæ archidiaconus à Clero & populo Matisconensi electus fuisset, querentibus Clericis Philippum Regem * *electionem consensu suo factam impedire velle*, licet *per Albericum Cubicularium se ad* † *Pontificii censuram judicii, & vitam corrigere, & Ecclesias ordinare firmiter respondisset* Rex, directis nihilominus Decembris 4. ad Rodericum Cabilonensem Legatum, quem *regiâ familiaritate uti cognoverat* mandatis, hæc cum dura & ab omni hominum memoria inaudita ipsi insinuare jussit, *aut Rex ipse repudiato turpi Simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permit-* * Gregor. 7. lib. 1. Epist. 36. † Epist. 35.

tet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint generalis anathematis mucrone percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt. Esai. 42. 3. Quid adversus *acquiescentem* ac spontè manus dantem (quasi *linum fumigans extinguere, aut calamum quassatum confringere* unquam licuerit) *excandescere*, & intentatum à Matisconensibus crimen conversionis laudibus deprecantem, minarum aculeis desigere necesse erat? non quæro an *Simonia* reus fuerit, quem antiquo *regalium* jure usum probabilius videri possit: fuerit (quandoquidem hac coinquinatus pice quomodocunque creditus est) inter Simoniacos quondam audacissimus, an verò ejus causâ generalis anathematis mucrone Francorum gens percutienda, ac (præceptæ à Domino fidei ex officio tenax) ob summam in principem etiam malum observantiam reatu obstringenda fuerit, ut (quod olim ethnicis ipsis intolerandum fuit) *delirante rege plecterentur* populi? Sed fortè in Simoniam (si qua eo regnante admissa est) sciens prudens inciderit, à familiaribus ἀπειρόκαλον (utpote 20 tantum ætatis annum agentem) juv[illegible]n nactis, transversus actus; quid autem absurdius, quam ab err[illegible]te principe alieni criminis pœnas exigere, ut *quicquid deliraverint populi Rex* ipse etiam pœnitens *plectatur*? Nondum à Landrici Matisconensium electi consecratione annus affluxerat, cùm nova se Gregorio flagellandi verbere linguæ Philippi obtulit occasio, ablatâ anno 1074 quo vitæ 21 explebat, exteris aliquot mercatoribus sive mulctæ ob violatas regni consuetudines nomine, sive alio, grandi pecuniæ summâ. Emunctorum itaque præter spem hominum clamoribus excitatus, naturâ θερμότερος Gregorius, ad minas, & pœnas de Rege regnoque universò reposcendas totus conversus, Septembris 10, ad Manassem Rhemensem aliosque Francorum Præsules fulminantem epistolam dedit, *quâ in regni corruptelas summa cum acerbitate invectus est. *His (inquit) temporibus & culmen honoris, & tota facies decoris regni collapsa videtur, cùm neglectis legibus, omnique conculcatâ justitiâ, quicquid fœdum, crudele, miserandum, intolerandumque est, tibi & impune agitur, & adepta licentia jam in consuetudine habetur. Ante aliquot annos postquam repentè inter vos regia potestate, nullis legibus, nulloque imperio injuria prohibita sunt, vel punita; inimici inter se quasi quodam communi jure gentium*

* Bruno de bello Saxonico. A. D. 1074. *Philippum Latinæ Franciæ rectorem, multis pollicitationibus sollicitat Henricus, ut antiqua memor amicitiæ sibi quandocunque vocatus fuerit in auxilium veniat; Sed ille similiter à suis accusatus, & penè solio paterno depositus, vix suum honorem, cui adhuc hærebat se dixit retinere; nedum isti suum, à quo penitus ceciderat, tentaret reponere.*

tium quisque pro viribus conflixerunt, ad vindicandas injurias suas arma copiasque paraverunt: Quibus permotionibus etsi plerunque in patria cædes, incendia, & alia, quæ bellum fert, exorta sint, dolendumque id fuit, sed non tantopere admirandum. Revera *mirandum* non *fuit*, sub Rege puero,, cujuscumque generis turbis implicitnm regnum fuisse: hoc post Henrici Nigri decessum suo malo & Italia & Germania expertæ sunt: sed *mirandi* justa causa fuisset, si Philippo & Henrico in ipso adolescentiæ flore constitutis; & Magnatum & populorum diuturnæ licentiæ assuctorum compositi mores fuissent. Audiamus nunc quibus se tandem (crescente sensim malitiâ) Franci sceleribus obstrinxerint. *Nunc* (inquit Gregorius) *omnes malitiâ, quasi quodam pestilentiæ morbo, repleti, horrenda & multum execranda facinora multoties, nemine impellente, committunt; nihilque divini attendunt; perjuria, sacrilegia, incestum perpetrare, sese invicem tradere pro nihilo ducunt, & (quod nusquam terrarum est) cives, propinqui, fratres etiam, alii alios propter cupiditatem capiunt, & omnia bona eorum ab illis extorquentes vitam in extrema miseria finire faciunt. Peregrinos ad Apostolorum limina euntes & redeuntes (uti cuique opportunum sit) capientes, in carceres trudunt; & acrioribus quam Paganus aliquis eos tormentis afficientes, sæpè ab illis plusquam habeant, pro redemptione exigunt.* Atqui nihilo meliore conditione fuit Italia continuis ferè Græcorum, Saracenorum, Normannorum, Teutonicorum armis ab ipso millenarii exitu attrita; nec defuerunt ex Gregorio VII, carissimis, qui (paulò antequam ad Francos nostros scriberet) *limina Apostolorum* petentibus manus infestas injicerent, Beatrix nimirum Dux sexagenariâ major, & Matthildis Comitissa 28. ætatis annum supergressa, *sancti Petri filia* dicta, quæ commendatum à Gregorio ipso Garnerium Argentinensium Episcopum Roma revertentem sub custodia positum detinebant; *Quod vos* (inquit Gregorius libri 1. epistolâ 77. April. 15. datâ) *fecistis in eum, quàm inhonestum vobis, quàm mihi verecundum, quamque B. Petro & Apostolicæ sedi contumeliosum sit, quæso cum animis vestris reputate; ut in quibus peregrinorum, his in partibus tutissima debet esse defensio, inopinata pericula lateant, & nostra, qui hoc aliis Principibus prohibemus, in hac re quasi consentanea pro familiaritate vestræ dilectionis voluntas arguatur; præsertim cum eun-*

eundem fratrem per literas nostras non sine magna fiducia vobis commendaverimus. Quamobrem nobilitatem vestram multum rogamus & admonemus, ut injurias ejus (quantum potestis) demulcentes, eum omni benevolentiâ & manifestâ charitatis exhibitione eum abire dimittatis; & sicut in supra memoratis rogavimus literis, tutum sibi usque ad Dominum Erlembaldum Mediolanensem, ducatum prabeatis; quî factum ut minax Gregorii ingenium, quod Reges maximos ad nutum paratos esse jubebat, *rogandi, monendique* sponte necessitatem subierit? an muliebris sexus miseratione flexus *supercilio nubem ademit?* non opinor; quandoquidem nec Matthildi Guillelmi Papiensis sorori, nec alte-

Lib. 2. epist. 3. 36. ri Matthildi Guillelmi VIII. Aquitanorum Ducis relictæ pepercit; sed fortè placatiorem Beatrix & filia Matthildis expertæ sunt, quia ab ejus partibus adversus Henricum Regem propinquum, stabant; earundemque patrocinio audentior factus, quę *summos montes ferirent fulgura* Regiis capitibus tremendus vibrabat.

Pergit sanè in Philippum Prçsulesque commotior, *Quarum rerum Rex vester (qui non Rex sed tyrannus dicendus est) suadente diabolo, caput & causa est, qui omnem atatem suam flagitiis & facinoribus polluit, & suscepta regni gubernacula miser & infelix inutiliter gerens, subjectum sibi populum non solum nimis soluto ad scelera imperio relaxavit; sed ad omnia qua dici & agi nefas est, operum & studiorum suorum exemplis incitavit. Nec satis visum est ei in dispersione Ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in perjuriis, & in multimoda fraude, (unde sæpius eum redarguimus) iram Dei meruisse: quin etiam mercatoribus qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper convenerant (quod antehac à Rege factum fuisse nec in fabulis refertur) more predonis infinitam pecuniam abstulit, & qui legum & justitia defensor esse debuit, is potissimum deprædator extitit: nimirum id agens, ut mala sua non jam infra terminos regni quod occupat comprehendantur; sed ad suam (credo) confusionem extendantur,* &c. *vos fratres etiam in culpa estis, qui dum perditissimis factis ejus sacerdotali vigore non resistitis, procul dubio nequitiam illius consentiendo fovetis. Proinde (quod inviti ac gementes dicimus) multum timemus, ut non pastorum, sed*

Joan. 10. 12. *mercenariorum sententiam accipiatis, qui videntes lupum sub oculis vestris*

Esai. 56. 11. *gregem Dominicum lacerantem fugitis; dum quasi* çanes non valentes latrare

latrare, *sub silentio vos absconditis*, &c. *Si vos audire noluerit, & abjecto timore Dei, contra regium decus, contra suam & populi salutem in duritia cordis sui persliterit, Apostolicæ animadversionis gladium nequaquam eum diutius effugere posse, quasi ex ore nostro sibi notificate. Propter quod & vos Apostolicâ auctoritate commoniti atque constricti, matrem vestram sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam debitâ fide & obedientia imitamini; & ab ejus vos obsequio atque communione penitus separantes, per universam Franciam omne divinum officium publicè celebrari interdicite. Quod si nec hujusmodi districtione voluerit resipiscere, nulli clam aut dubium esse volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione (adjuvante Deo) tentemus eripere. Sanè si in hoc tanto, tamque necessario negotio tepidos vos cognoverimus; non jam amplius dubitantes quin vestrâ fiduciâ fultus incorrigibilis perduret, vos ipsos sicut socios & complices scelerum ejus Episcopali privatos officio pari vindicta jaculo feriemus.*

Novembris sequentis Idibus, antequam minaces irarum fluctus detumuissent, Guillelmum Aquitanorum Ducem quantum potuit ad ultionem accendit; *Licet* (inquit) *Philippi Regis Francorum iniquitates ad notitiam tuam pervenisse dubitandum non sit: utile tamen duximus, quantum de eisdem iniquitatibus doleamus tibi innotescere. Nam inter cætera scelera quibus non solum Christianos, sed & Paganos videtur superasse principes, post Ecclesiarum quas sibi licuit confundere varias destructiones, adeò regiæ dignitatis posthabuit verecundiam, ut avaritiâ potius inflammante, quam ratione aliquâ poscente, Italiæ negotiatores, qui ad partes vestras venerant depradatus fuerit*, &c. *Si consiliis vestris acquieverit, nos eum quâ debemus charitate tractabimus*; alioqui *si in perversitate studiorum suorum perduraverit, &* secundum duritiam, & impœnitens cor suum, iram *Dei & sancti Petri* sibi thesaurizaverit, *nos* (*Deo auxiliante & nequitiâ suâ promerente*) *in Romana Synodo, à corpore & communione sanctæ Ecclesiæ ipsum & quicunque sibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, sine dubio sequestrabimus, & ejus quotidiè super altari sancti Petri excommunicatio confirmabitur. Diu est enim quòd iniquitates suas portavimus, diu est quòd sancta Ecclesia injuriam (parcendo adolescentiæ suæ) dissimulamus. Nunc autem adeò perversitate morum suorum se notabilem reddidit, ut si tanta valetudinis,*

Lib. 1. epist. 18.

Rom. 2. 5.

tudinis, tantaque fortitudinis esset quantam Pagani Imperatores sanctis Martyribus intulerunt, nos timore aliquo tot & tantas iniquitates suas nullo modo impunitas dimitteremus.

Cùm in Philippum velut *malorum caput*, non *Regem* ſed *tyrannum*, qui *omnem ætatem flagitiis & facinoribus polluisset*; Imò *Paganos ſceleribus ſuperaſſet*, acrius invehatur; eique *Eccleſiarum diſperſionem & deſtructiones varias, rapinas nefandiſſimas, adulteria, perjuria, multimodam fraudem, prædonum morem, deprædationes* exprobret; quorum omnium nulla apud coætaneos, ſive Francos, ſive exteros occurrit memoria; mirari ſubit celeberrimum ſua ætate virum, ſive *loci privilegium*, ſive gravitatis famam ſpectes, tranſverſum adeò (dominante irâ) actum, ut calumniarum quicquid in *Regem* adoleſcentem & inauditum maledicæ linguæ congeſſerant, pro vero venditare, extremâque pœnâ vindicandum pronunciaret. Philippum ab omni omninò culpa liberare nec velim, nec neceſſe eſt, cùm *neminem ſine vitiis naſci, optimos eſſe qui minimis urgeantur*; nemini pudori futurum, ſi *humani nihil à ſe alienum profiteatur*, apud omnes conſtet. Sed ad regiæ innocentiæ patrocinium potiſſimum facit, id unum à ſcriptoribus, quotquot nunc ex veteribus ſuperſunt, in tanto principe culpari, quod Bertradâ *ſuperductâ* libidini ſuccumbere viſus ſit; de memoratis à Papa ſceleribus *altum* ubique *ſilere*, iniquiores verò, qui falſa de eo & incomperta ſparſerunt, hoc ipſo à criminibus immunem præſtare, quod rumuſculos aucupati levia nonnulla & per ſe innoxia vitio ipſi vertere auſi ſint; ne quis vel *mercede redemptos*, vel formidine deterritos ejuſdem famę pepercisse quis putet.

Si Sugerium noſtrum ſententiam rogemus poſt *ſuperductam* Bertradam nonnihil labis (ſui quodammodò oblitus) contraxit, nunquam tamen vel *malus*, vel (quod ante annos decem ſuſpicabatur Gregorius) *ſcelerum mancipium* factus eſt, *in diem proficiente filio* (inquit Sugerius) *pater ejus Philippus in diem deficiebat; Neque enim poſt ſuperductam Andegavenſem Comitiſſam quicquam regia Majeſtate dignum agebat, ſed rapta conjugis raptus concupiſcentia voluptati ſuæ ſatisfacere operam dabat: unde nec reipublicæ providebat, nec proceri & elegantis corporis ſanitati plus æquo remiſſus parcebat. Hoc unum ſupererat, quod timore & amore ſucceſſoris filii, regni ſtatus vigebat*; non diſpar Guil-

lelmi

lelmi Malmesburiensis è media Anglia judicium, *Philippus Rex Francorum, Regi nostro nec utilis, nec infestus fuit; propterea quod esset ventri magis quam negotiis deditus*, &c. *adde quod (ut superius dixi) Philippus accedente senio, libidine gravis, Comitissaque Andegavensis specie lusus, illicitis ardoribus defœneratus famulabatur*: succinit ex vicina Normannia Ordericus Vticensis Ecclesiæ monachus lib. 8. *mollis princeps (comperta lasciva mulieris voluntate) flagitio consensit, ipsamque relicto marito Gallias expetentem cum gaudio suscepit*, &c. *Ideò dolori dentium, & scabiei, multisque aliis infirmitatibus & ignominiis meritò subjacuit*. lib. 10. *Philippus Rex piger & corpulentus, belloque incongruus erat*. lib. 11. *Corpulentus Rex Franciæ hoc audito*, incarceratum scilicet à Guillelmo Pictaviensi, Fulconem privignum, *valdè contristatus est, puerumque de ergastulo precibus & minis eripere conatus est*, &c. *Rex crebris aculeatus punctionibus tantum nefas terrore minarum punire voluit, sed turgidus Dux ponderosum Regem parvi pendens adolescentem diutius retinuit*. an verisimile fiat Philippum ob corporeæ gravitatis molem (quam in Ludovico filio laudatissimo principe fuisse notavit Sugerius) aliaque ætatis detrimenta carpere ausos, si qua ejus crimina novissent, dissimulaturos fuisse, ad Guibertum Sanctæ Mariæ de Novigento Abbatem, aculeatæ linguę hominem, pudore suffusum (ne comperta Philippi scelera prodere videretur) ignorantiam mentitum, cùm scripsit *hujus gloriam miraculi in scropharum tactu cum Philippus pater ejus alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis amisit*, nesciebat igitur quo propriè merito majoribus impar evaserit; ut autem Bertradæ formam flagrantius deperierit, uxorius (si quisquam alius) factus; & impinguati ac scabie afflicti corporis molestia jugi, & debilitate segnior; imò quodammodò degener, non tamen corporis (quam Sugerii exemplo deplangere oportuit, non criminari) debilitas animi nobilitatem adeò obscuravit, ut ab avita virtute penitus descisceret; quandoquidem Ivoni & Sugerio *Rex magnificus*, Guillelmo Tyrio lib. 1. c. 14. & lib. 11. c. 16. *Rex illustris* & lib. 13. cap. 22. *Rex excellens*; Ivoni epist. 56. *Serenissimus* & 22. *piissimus*. Epitaphiorum scriptoribus *Francorum summus, strenuus in bellis, regni defensor aviti; solers consilio, providus eloquio; insignis pietate, trucis coërcitor iræ; verbis jocundus, moribus & placi-*

Lib. de sanctis & eorum pignoribus.

Epist. 15. 28

placidus; item *virtute potens, genus altum.* Alexandro II Papæ epistolâ ad Gervasium Rhemensem *charissimus filius* dictus est: quod plus satis arguit Gregorio VII imposuisse, qui Philippum *Dei & religionis inimicum* (qui nemini pio *charus* esse nedum *charissimus* posset) ad libitum effictis calumniis persuaserant. Infamati præter meritum principis causâ ex officio susceptâ; cùm eum *quicquid justitia dictaverit amplexurum*, Gregorio spem Manasses Rhemensis fecisset; obtinere tamen non potuit, ut minari desineret: *Malum inauditum* (inquit epist. 32. lib. 2. Decemb. 8. data) *scelus detestabile, quod Philippus Rex Franciæ, imò lupus rapax, tyrannus iniquus, Dei & religionis sanctæ Ecclesiæ inimicus, Italis & aliarum provinciarum mercatoribus, contrà Deum & regni sui honorem fecit, & alia quorum ad aures nostras clamores frequentissimè venerunt si (prout justitia dictaverit) correxerit, nos procul dubio lætari gratiarum actionibus Deum laudare, ut pro perdita & inventa ove, sciat fraternitas tua. Si verò contrà hæc (quod nolumus) egerit, Deum procul dubio sibi inimicum, sanctamque Romanam Ecclesiam, & nos, qui (licet indigni) præsidemus, viribus & modis omnibus adversari promittimus.* An quicquam Rex *correxerit*, an verò (perspectâ Regis innocentiâ) sponte deferbuerit ira Gregorii, nemo facilè dixerit, sed mutatam sexto post anno, (ab eodem in id unum incumbente ut Manassem Episcopali throno deturbaret) velificationem fuisse, 20. (anno 1080. Decemb. 27. data) lib. 8. epistola docet: qui enim anteà *lupus, tyrannus, deprædator, Dei & religionis inimicus, perditissimus* denunciatus fuerat, simulac pontificis *amicitiam cupere*, & Manassem patrocinio suo destituere visus est, *gloriosus Francorum Rex* audiit; nec posteà Gregorium adversarium sensit; qui postremâ adversus eum epistolâ à præcedentibus (de *privandis* officio *Episcopis regnoque eripiendo*) minis, sive quod horrendum per se, suâque novitate odiosum carmen Francis ingratissimum nosset, sive quod indefinitâ *modis omnibus adversandi promissione* comprehendi posse sciret, consultò & prudenter abstinuit; quandoquidem *expressa nocere, non expressa non nocere* ab antiquo certissimum est.

Confessa nunc (quæcunque Philippo impacta sunt) crimina fuisse animi gratia fingamus; an *lupi rapacis* instar, indeclinabili odio persequendus fuit, qui (si *lupina* indole fuit) adhuc inter catulos

erat

erat; vix annos 21 natus? *Septennem* certè Philippum an. C. 1059. Maji 23. *in Pentecoste Indictione* 12. coronatum fide dignissimis monumentis proditum est, nec abludit sancti Dionysii monasterio à Guillelmo Guitardo Guarini filio data in hæc verba desinens charta, *publicè in monasterio sancti Dionysii anno ab incarnatione Domini* 1074. *regente eodem monasterio Gualterio tertio, atque in Francia rege Philippo regnante, intrà adolescentiæ annos*, imò nec ipse Gregorius diversus abit, libri 2. epist. 5. hæc de Rege scribens, *relictis juventutis suæ moribus, attritam regni sui dignitatem & gloriam tenendo justitiam reparare incipiat*, epist. 18. *diu est quod sanctæ Ecclesiæ injuriam (parcendo adolescentiæ suæ) dissimulavimus* lib. 8. epist. 20. A.D. 1080. Decemb. 27. datâ; *nos adolescentiæ tuæ præterita delicta, spe correctionis tuæ portantes*, &c. *jam ætate vir factus, in hac re procura, ut non frustra tuæ juventutis culpis pepercisse videamur*. An eum qui anno circiter 1070. *charissimus* Alexandri Papæ (velut *intaminatis honoribus fulgens*) *filius* audierat, antequam malorum omnium experimenta capere licuisset, *repentè turpissimum* evasisse dixerimus? utque *in limo profundi* penitus *immersum* (velut alterum ex Euangelio *prodigum*) periisse, ac θηρίον ἀνθρωπόμορφον factum fuisse demus, an non *Christi servorum servum* quem præ cæteris ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα (ex Apostoli præscripto) esse oportuit, atrociora (quæ peccatorum potentium animos efferare solent) verba procul amandare, ac sententiæ Paulinæ de inobedientibus (ne *modum excedere medicina* videretur) meminisse decuit, *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripere ut fratrem*? Quanto satius fuit Ottonis Magni de Joanne XII Papa (quem *his omnibus quæ Dei sunt adversari*, querebantur Romani) meliora spondentis imitatione, & dicere & sentire, *Puer est, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum, spero eum objurgatione honesta, suasione liberali, facilè ex illis sese emersurum malis*, &c. *paterna abdicatione Dominum Papam conveniamus, si non voluntate, verecundiâ saltem in virum perfectum sese mutabit, sicque forsitan devictus, benè consuescere studebit, his desuescere*: quàm æquè *puerum* principem, qui per literas & Legatos se *B. Petro Apostolorum principi devotè ac decenter velle obedire; & in his quæ ad Ecclesiasticam religionem pertinent*, Cleri monita *desideranter audire atque perficere*, jam significaverat; Imò Joannis æmulatione

Tom. 2. Script. Franc. hist. p. 153. 62.

Psal. 68. 3.

Luc. 15

2 Tim. 2: 24.

2 Thess. 3. 15.

Luitprand. lib. 6. 2. 6.

Greg. 7. lib. 1. epist. 78.

mandare poterat, *haud mirum eſſe, ſi hactenus juventutis devictus igne quid puerile geſſerit*; aſperioribus verbis lancinare; ac publicæ (velut conclamatum) deteſtationi objicere, ac ſi paternam στοργὴν expungere, ſpiritales liberos * παροργίζειν, Κυριότητος † καταφρονεῖν, δόξας βλασφημεῖν Eccleſiæ rectorum quiſquam ſine noxa usquam potuerit?

*Epheſ.6.3 †2Pet.2.5.

Aliusin Gregorii verbis (qui propemodum *Herculeus* videri poſſit) *nodus* extat: proteſtatur is, *diu ſe Regis iniquitates portaviſſe, Eccleſiarum injuriam diſſimulaviſſe, de Eccleſiarum diſperſione, adulteriis, rapinis, nefandiſſimis perjuriis, multimodâ fraude* (quæ alius nemo objecit) ſæpè regem *adoleſcentem* redarguiſſe; cùm tamen unicam corripiendi Regis, qui Matiſconenſium electo minus propitius erat, occaſionem nactus videatur. An *ſæpè redarguiſſe* dici debuit qui *ſemel*? ſi *ſemel* correptum à Papa Regem, ſed qui *ſæpè* iram Dei meruerit, idque unum his Gregorium verbis innuiſſe dixerimus, *ſæpè eum redarguimus iram Dei meruiſſe*; aliundè nova difficultas exorietur, quærentibus quàm verè, qui vix per ſeſquiannum pontificatum tenuerat, nec ante affectum annum de Rege queſtus erat, decimo poſt menſe *diu ſe iniquitates ejusdem portaſſe* ſcribere potuerit; nam *diu* factum dici non admodum meretur, quod ad paucos menſes adeoque *non diu* duravit: Sed hæc fortè exaggerandi animo, nec ad vivum reſecanda (per ſe commotior & ab aliis incitatus) ſcripſerit Gregorius: Id verò unicè notandum reſtat, quocunque animo Regi *dicam* ſcripſerit, quaſcunque in eundem ut *perditiſſimum* invehendi cauſas habuerit; *novum, inauditum*, ipſoque jure *nullum* fuiſſe, quod *eripiendum* quomodocunque affecto Regi *regnum*, & *ſequeſtrandos, quicunque ipſi regalem honorem vel obedientiam exhiberent*, ſtatuere (adverſus Nicolai II. deceſſoris exemplum recens) auſus ſit; Cùm enim anno 1059. Henricum Philippi patrem adverſarium in Matiſconenſis electi cauſa paſſus, nihil ultrà preces conandum putaret, hęc cedro digniſſima, quęque Gregorii VII. paulò poſt ſecuturis molitionibus omnem omninò aditū obſtruere debuerant ad Gervaſium Rhemenſem verba ſcripſit; *Agat glorioſus Rex ut libet contrà nos, quia nos pro illo ejusq; exercitu Deum ſemper precari parati ſumus.* Revera ad Gregorium usque ſeptimum inter Chriſtianos repertus

Tom. 4. ſcript. Franc. p. 198.

tus fuerat nemo, qui Christi quibuscunque Legatis *transferendorum temporalium regnorum potestatem* adscriberet, nec quicquam antiquæ Ecclesiarum sententiæ adversum magis animo concipi potuit; illa enim (ab anno plus minus 400. tyrannorum pessimi Herodis occasione) uno velut ore inter Latinos de Christo optimo maximo cecinit: *non eripit mortalia, qui regna dat cælestia*: Gregorius verò de Philippo Rege (cui Herodianum nihil adscribi jure unquam potuit) stylo ferreo, nec anteà unquam usitato scripsit, *modis omnibus regnum Franciæ ab ejus occupatione tentabimus eripere*, ut quod Christum ipsummet facere, & fieri ab aliis noluisse senserant hactenus omnes, Gregorius idem primus aggressus sit. *Prudent. hymno 12.*

Quo is Henricum Teutonum Regem impetu anno 1076 adortus est; eodem jam debilitatum Urbanus II & Paschalis in præceps facilè impulerunt; cùm enim novam de Romanæ sedis in temporalia omnia qualicunque imperio sententiam, quam propulsandæ injuriæ vehemens desiderium Gregorio VII expresserat, conjuratorum Saxonum, Suevorum, Longobardorum defectiones, in Italia, Germania, Burgundicoque regno (quod Germanici appendix tunc quædam fuit) probabilem fecissent; tunc maximè verum apparuit *nihil esse quod credere de se non possit, cum laudatur Diis æqua potestas*: simulac in Henrici principis perniciem armata factio, irreconciliabili odio suadente, solio reges à Romano Papa deturbari posse sibi persuasum finxit; usurpatam primùm à Gregorio septimo potestatem (ubicunque per populares motus licuit) audentius sibi reliqui pontifices arrogarunt: Hinc factum, ut *ἀδέως*, ac planè eventûs securus, mandato ad Vapincensem Burgundicæ ditionis, quam nova sententia pervaserat, Episcopum directo, *Hugoni Comiti excommunicato servire, & fidelitatem persolvere milites prohibuerit* Urbanus Papa; nihil (quod sciamus) adversus Philippi Regis (ut ut excommunicati) Majestatem apertè molitus: Cùm se origine Francum, Francorum mores nulla falsa opinione depravatos, aut defectione efferatos, à Philippo (cujus potissimùm adversus Henricum Imperatorem patrocinio fovebatur) nullum sibi periculum impendere meminisset, nec aliud quàm simplex *abstentionis à sacris* decretum in eum edere auderet.

Igno-

Ignorare certè nequaquam poterat, quod paulò post palam notavit Apologiæ pro Henrico III scriptor anonymus, totâ Germaniâ & Italiâ nulli nisi qui factioni nomen dedisset Gregorii VII molimen placuisse; quem fœderatorum *surreptione delusum & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsum, banno Regem innodasse; omnes qui fidem ei juraverant, à juramento absolvisse; cæteris factum multum displicuisse qui tam inefficaciter quam illicitè factum asse-

1. rebant,constabat; Id enim ne falsum suspicemur, Lambertus vetat, qui Italos omnes postquam Henricum anno 1077. colla Gregorio submisisse audierunt, *fremuisse, eum secus ac decuisset egisse, crimen gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, fœdissimâ subjectione suâ fidem planè Catholicam, auctoritatem Ecclesiæ, dignitatem rei prodidisse*,tantumque ei *odium brevi conflavisse* monet,ut ad resumendos animos ipsum coëgerint. Vetat 2 è Francis nostris, anonymus Francicæ historiæ

2. scriptor in annum 1110 desinens. *Defuncto* (inquit) *Alexandro Papâ, loco ejus successit Hildebrandus, qui & Gregorius. Hic magnâ Synodo Romæ congregatâ, Ainricum Imperatorem de quibusdam criminalibus ad se delatis accusabat. Imperator audiens se criminari, legitimam purgationem offert; Papa autem purgationem ejus negat se recepturum, sed eum (cum imperio dignus non sit) anathemate feriendum, nisi coronam imperii deponeret. Quo nolente imperium deponere; contrà * voluntatem totius penè Concilii, eum excommunicavit. Quæ res totum Ecclesiæ statum turbavit. Exigebat quoque idem Papa ab eo dimitti dominationem omnium sui imperii Ecclesiarum, ne cui baculum pastoralem donaret, juxtà quod in antiquorum statutis continetur Patrum. Quod ille facere renuit. Hæc fuit justior causa istius anathematis. Imperatore igitur Ecclesiæ communione privato, Papa Gregorius quendam Rodulfum genere† Saxonem pro eo regnare constituit. Hic à Ducibus ejusdem Imperatoris qui ad bellum eum lacessierant interfectus est. Post hæc Imperator Legatos Papæ dirigit, iterum atque iterum satisfactionem super suis accusationibus offert; Papâ verò in sua perseverante sententia, Romam cum magna armatorum manu tendit, eamque per aliquod tempus obsidet; Quâ tandem receptâ, Guilbertum Ravennatem Episcopum pro Gregorio Papam constituit, qui mutato nomine dictus est Clemens; Gregorius verò in Apuliam aufugit, in qua quamdiu supervixit commoratus est.* Hactenus coætaneus ille

tom 4. p 89. * Falsò itaque scripsit Bruno *de bello Saxonico* in propria causa non audiendus. *omnium consilio & consensu Henricum Synodali judicio damnatum*: & Domniz. lib. 1. c. 19. *omnibus excelsè dignum esse clamavisse privari regno Regem.*

† Fortè majores Saxones fuerunt, sed ipse inter Suevos natus est & Saxonum factioni se posteà addixit.

ille è Floriacensi cœnobio monachus, cui anni 1108. *tempore Paschalis cum esset super fluvium Garumnam, in loco qui dicitur* † *Scyrs*, sol † Hodie *la Reole*.
triplex conspectus est; cum autem ex ejus minimè gratiæ suspecti relatione tria hæc habeamus; 1 Henricum Imperatorem *sæpius accusatum legitimam semper purgationem & satisfactionem*, nunquam à Papa admissam, *obtulisse*. 2. à Papa *contra totius penè Concilii voluntatem excommunicatum* fuisse. 3. *excommunicatione illa totum Ecclesiæ statum turbatum* fuisse; Francis nostris (quorum Monachus ille communem sententiam refert) Henrici excommunicationem adnexamque exauctorationem nequaquam placuisse necesse est. Vetant 3. belli sacri scriptores, qui Henricum (ut ut anathemate 3.
percussum) *Imperatorem* agnoverunt· Imò (quod in se fuit) prædicaverunt: Anonymus & Fulcherius, *Anno Dominicæ incarnationis* 1095. *regnante in Alamannia Ainrico Imperatore*, &c. Albertus Aquensis lib 1. c. 7. *Anno Dominicæ incarnationis* 1095. *Indict*. 4. *Henrico* IV, *Rege, ac* 3. *Imperatore, anno regni ejus* 43. *Imperii verò* 13. Gilo Parisiensis lib. 1.

Anno milleno sexto, deciesque noveno,
A Patris Verbo velamine carnis amicto,
Cum Rex eximius Francorum sceptra Philippus
Ferret, & Henricus regeret Lotharingica quartus.

Guibertus Abbas lib. 3. c. 2. *urbe expulit*, Robertus Wiscardus, eum *quem Ligures Regem Romæ, Alemannus habet, Henricum videlicet Augustum, virum utique innumeris, imò ferè jugibus victoriis fortunatum*. Guilielmus Tyrus lib. 1. c. 13. *per annos aliquot Henricus Teutonicorum Rex, & idem Romanorum Imperator à Domino Gregorio Papa, hujus Urbani prædecessore, passus fuerat quæstiones*, cap. 14. *Anno ab incarnatione Domini* 1095. *Indict*. 4. *regnante Domino Henrico* IV, *Teutonicorum Rege, & eodem Romanorum Imperatore, anno regni ejus* 43. *Imperii verò* 12. lib. 8. c. 24. *capta est prædicta civitas Hierusalem anno ab incarn. Domini* 1099. *mense Iulio decima quinta die mensis, feria* 6. &c. *præsidente sancta Romana Ecclesiæ D. Urbano Papâ* II, *Romanorum verò Imperium administrante D. Henrico* IV, lib. 9. c. 8. *à Domino Imp. Henrico defecerat Saxonum populus*, &c. *hac injuriâ* Radulfi *permotus Imperator*, &c. *Dux Godefridus cum Aquila præcedens Imperatorem versus aciem, cui præerat pseudorex Radulfus*, &c. Si Henricus (qui post iteratam exauctorationem à Guiberto Ravennate

Gregorio ſeptimo ſuffecto coronam Imperialem anno 1084. ſumpſerat, anno 1095. *Rex & Imperator* fuit; ſi *quæſtiones à Papa*, *injuriam à Radulfo paſſus eſt*, ſi denique Radulfus à Gregorio VII. *Rex* ſalutatus, & *corona* donatus, *Pſeudorex* habitus eſt; quis exauctorationis à Gregorio VII, & ſucceſſoribus attentatum molimen, ipſo jure *nullum* ſi Willelmum audiamus, fuiſſe non videt?

4. Vetant 4 vibrata toties in Henrici caput anathemata; Si enim ei(poſt impetratam anno 1077.abſolutionem) anno 1080.Mart.7. *regnum Teutonicorum & Italiæ iterum interdicens*, *omnem poteſtatem & dignitatem regiam* abſtulerat Gregorius: quid rurſus A. D. 1081. in Quadrageſimæ ipſius initio, A. D. 1083. Junii 24. A. D. 1084. menſe circiter Aprili à Gregorio VII. A. D. 1089. April. 18. ab Urbano II. A. D. 1102. April. 3. *in Cœna Domini*; à Paſchali II. anathemate nominatim percelli, (quaſi cum larva irrito conamine luctari, aut jamdudum exangue imò elatum cadaver confodere liberet)neceſſe erat? Sed nulli à partibus alieno *ſanctorum Patrum traditionem* (quam *ſoli Deo judicandum Regem* docuiſſe A. D. 1080. non fruſtra jactabat Henricus) deſerere, fas adhuc creditum fuerat; tantaque deinceps Teutonum adverſus novam ſententiam concordia fuit, ut anno 1089. vix 5. Præſulum capita nimirum Wirceburgenſis, Patavienſis, Wormacienſis, Conſtantienſis, & Metenſis pro Urbano adverſus excommunicatum principem ſtare dignarentur.

Sexies excommunicatus Henricus Imperat.

5. Vetat 5. Deſiderii Caſſinenſium Abbatis (quem ſucceſſorem & optavit, & habuit Gregorius VII,) ingenua & factis confirmata profeſſio: nam 1. Henrici iterato anathemate perculſi epiſtolis accerſitus, anno 1083. (tantiſper dum Romæ obſidionem pateretur Gregorius) pro ſalutatione *debitum fidelitatis obſequium*, in fronte epiſtolæ ſcripſit. 2. Oranti Henrico *ut de acquirenda Imperii corona ipſi ſibi fautor exiſteret*; *facturum ſe pro viribus promiſit*: 3. *Accepto ab Imperatore præcepto aureâ bullâ munito, de poſſeſſione totius monaſterii (petitâ remeandi licentiâ) ad filios ſuos tandem atque ad monaſterium rediit.* Atqui ex novæ ſententiæ propugnatorum hypotheſi, nullum *obſequii debitum* agnoſcere tenebatur, *omni juramenti vinculo ſolutus*; nullum ſpondere *fidelitatis obſequium*, vetante Papa, jure pote-

Sigon. de regno Italiæ parte 2. l. 9. p. 228. à Gregorio VII. monaſterium juſſus eſt Deſiderius ex manu ſua Henrici nomine ſuſcipere.

poterat; abdicato operam addicere piaculum erat; ab eo *præcepta de monasterii possessione* vel poscere, vel *accipere* nefas; imò merum ludibrium videbatur; quid enim præcipere *præcipiendi jure* carens, aut præstare omnimodâ præstandi potestate exutus Rex poterat? Cùm igitur eum pro dignitate constanter coluerit, ad *debiti* principibus *obsequii* præstationem fidem obligaverit, ab eo *privilegium impetrandum* putaverit, *exauctorationem* à Gregorio septimo, *cui cuncta literis suis significavit, quid sibi esset agendum ut moneret orans*, factam (ipsomet Gregorio vel judicante, vel consulentis judicium confirmante) nullam censuit. Nec sententiam posteà ad pontificatum assumptus mutavit; anni enim 1087. mense Augusto coram Beneventana Synodo ne verbulum quo *Imperatoris* ante septennium prædecessore depositi famam vel dignitatem læderet, sibi elabi passus; totam in Guibertum Antipapam, quem solum nominatim *anathematis vinculo innodavit*, bilem effudit, commotumque ab eo adversus Gregorium Romanum Imperium, & *coacto Imperatoris* * *exercitu Apostolicæ sedis invasorem effectum eum* fuisse questus est; ut Henricũ *Imperatorem* (non obstante Gregoriano anathemate contra quàm novę sententię assertores putant) & re & nomine fuisse necesse sit.

Hinc corrigendus Bertholdus videtur, qui A.D. 1087. Augusti I. *in colloquio prope Nemetensem urbem* coacto recitatas Victoris tertii literas refert, *in quibus Gregorii VII judicium super Henricum & fautores confirmabat*.

Vetat 6. Ottonis Bambergensis Paschali II. qui paucis ante diebus novo Henricum *anathemati tradiderat*, probatum factum; cùm enim *vovisset nunquam se in Episcopatu mansurum, nisi & consecrationem & investituram à* Papę *manu suscipere mereretur*, hæc anno 1102. ad eum scripsit: *In obsequio Domini Imperatoris per aliquot annos degens, & gratiam in ejus oculis inveniens, suspectam habens in manu Regis investituram, semel & iterum (cum dare vellet) renui Episcopatum, nunc verò jam tertiò, in Bambergensi Episcopatu me ordinavit. In quo tamen minimè permanebo, nisi vestra complaceat sanctitati, per vos me investire & consecrare.* Henrici ab anno 1080. extra Romanæ Ecclesiæ communionem positi, imò (si Gregorii VII, judicio stare lubeat) *exregis* partes constanter secutus, Paschalis pontificis non modò gratiâ excidisse, sed patientiam tentare, perpetui in excommunicatum cultus professione videri poterat; neutrum tamen evenit: Nam Paschalis *visis* Ottonis *literis, gavisus*, eumque *dilecti fratris* titulo dignatus, *de* sua *benevolentia dubitare* vetuit; quamtumvis *regiam*

* Id ipsum suis verbis l. 9. p. 230. expressit Sigonius, *Henricum*, inquit, *Catarem adversus eum commoverit*.

investituram abjurare contentus, abstentum principem solito (velut *Dominum suum* & *Imperatorem*) cultu prosequeretur; nec ob præstitum eidem *per annos aliquot obsequium*, ullo se reatu teneri fateretur. Si Henricus Gregorii VII judicio à *regia dignitate abjectus*, censeri debuit; quomodo Ottonis (cum bona Paschalis gratia) *Dominus* & *Imperator* audiit? Si Gregorio *ut nullus Christianorum ei sicut Regi obediret, interdicenti*, parere necesse fuit; quî factum, ut violati interdicti (continuato *per annos aliquot* obsequio) reus, insons habitus sit?

7. Vetat 7. Sugerius Abbas, qui commune Francorum nostrorum de Henrico V, ejusque consultoribus judicium memoriæ prodidit: *Henricus* (inquit) *imperator vir affectus paterni, & totius humanitatis expers, genitorem Henricum crudelissimè persecutus, exhæredavit; & (ut ferebatur) nequissimâ captione tenens, inimicorum verberibus & injuriis, ut insignia regalia, (videlicet, coronam sceptrum & lanceam S. Mauritii) redderet, nec aliquid in toto regno proprium retineret, impiissimè coëgit*. Si *exauctoratus* à Gregorio VII, ad privatam vitam redactus Henricus senior fuerat, nec à filio (qui nihil nisi ex Legati Romani Clerique Teutonici præscripto egit) *exhæredatus*, sed ab alieni violenta usurpatione depulsus, dici debuit; nec *proprium in regno quicquam*, jure qui nihil habebat, *retinere* potuit; nec *ad reddenda regni* ad se non pertinentia *insignia coactus*, injuriam passus est; nec filius patri (jubente Papa) manus injiciens in culpa fuit; nec in eum jure Sugerius invectus est. Si verò *patrem crudelissimè* & *persecutus* est, & *exhæredavit*; Si *nequissimâ captione tenuit*; Si *impiissimè ad reddenda regni insignia coëgit*: nec regiâ dignitate excidit, nec jure *exauctoratus* est pater, nec insontes haberi possunt, qui filium regni cupidine illectum adversus eum quomodocunque armaverunt; Nec falsò Sigebertus *Henrici Imperatoris filium contra jus naturæ, & fas legum, in patrem insurrexisse* scripsit.

Henrici certè filii (quanta quanta fuit) duritiam suam Clerus Germanicus fecit, *Leodiensi Episcopo cum Coëpiscopantibus in communionem pœnitentiæ recepto hac conditione, quod* Henrici patris cadaver *per se pridiè in monasterio tumulatum effoderet, & absque ulla sepultura vel exequiarum communione in loco non consecrato deponeret*: id

Ursperg.

verò

verò ex Papæ ſententia, *Archiepiſcopos & Epiſcopos qui aderant comprobaviſſe*, Petrus Diac. * expreſſè docuit; *poſtulanti Imperatori ut patris ſui corpus in Eccleſia ſepeliri permitteret, ſanctarum Scripturarum his obſiſtere auctoritatem* Paſchalem anno 1110. reſpondiſſe memorans. * *Lib. 4. c. 38.*

8\. Vetat denique ille ipſe, qui ſibi primus deſtituendorum Regum poteſtatem arrogavit Gregorius VII. Cum enim Saxonum (qui anno 1057. Henrico Regi, *dum adhuc ætas vix ultra quinquennium progreſſa opportuna injuria eſſet, regnum eripere pulchrum* putare cœperant) continuis annò 1075. clamoribus irritatus, Legatos qui accuſato diem ad Februarii ſequentis ſecundam dicerent, eique præverten dæ quomodocunque injuriæ neceſſitatem afferrent, miſiſſet primus; quamprimum Wormatienſis conventus decreto *omne ſibi Papatus jus abrenunciatum* reſcivit, par pari referre (*totius regni gubernacula contradicendo, Chriſtianoſque omnes à juramenti vinculo abſolvendo*) conatus; *ne regem magis injuria ſua dolore, quam juſtitiæ zelo, excommunicaſſe putaretur*, editis ſubinde apologiis, invidioſi apud omnes facti crimen vituperationemque amoliri coactus eſt; *Audivimus* (inquit data ad ſuæ partis Teutonicos epiſtolâ) *quoſdam inter vos de excommunicatione quam in Regem fecimus, dubitare, ac quærere utrum juſtè excommunicatus ſit*, &c. *eorum opinioni ſatisfacimus, qui putant nos ſpiritualem gladium temerè & magis motu animi noſtri, quam divino metu, & juſtitiâ zelo arripuiſſe*; & epiſtola 3. libri 7. *Pervenit ad nos, quod quidam ex vobis de me dubitant, tanquam in inſtanti modo neceſſitate, uſus ſim ſeculari levitate*, &c. *Quotquot Latini ſunt, omnes cauſam Henrici, præter admodum paucos, laudant, ac defendunt: & pernimia duritiæ ac impietatis circà eum me redarguunt*. Si perditę vitę principibus omnem Eccleſiaſtico decreto poteſtatem abrogari poſſe conſtabat; qui factum, ut ad Gregorii VII, in Henricum molimen ſtuperent ferè omnes; Hermannumque Metenſem inter factionis primipilos in acie ſtantem, ignorantiam ſuam profiteri neceſſe eſſet? *poſtulaſti* (inquit ad Hermannum l. 8. ep. 21. Gregorius) *te quaſi ſcriptis juvari, ac præmuniri, contra illorũ inſaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem ſanctæ Apoſtolicæ ſedis non potuiſſe Regem Henricum, &c. excommunicare*;

Lambert.

Bruno de bello Saxonico.

nec quenquam à Sacramento fidelitatis ejus absolvere. An verò *præmunivit?* Imò in ipso conatu fractus à lineis excessit, causamque per se deploratam nullo tibicine fulciri posse docuit; obstrictos sceleribus principes supremos à sacra communione arcere licuisse, confirmare necesse non erat; quandoquidem nondum natus fuerat qui negaret: aliud planè anno 1076. in quęstionem veniebat, quod anteà nemo vel mente conceperat; nempè abstinendis suo merito principibus, *regiam potestatem* excommunicatione *tollere*, & subditos à fidelitatis Sacramento *absolvere* cuiquam mortalium fas esse. Utrumque Christiano orbi obtrudere ausus Gregorius, idonea probatione caruit; Promissas Petro à Domino *claves* frustra jactat, quæ *regni* non terreni (quod sępè pessimos jure gentium contingit) sed *cœlestis* (quod sanctos quâ sancti sunt, non quâ in seculo potentes spectat) fuerunt.

Matth. 16. 19.

Sacerdotibus rectè divina tractantibus fidelium convenire colla submitti, licet scripserit ‡ Gelasius; hinc tamen non fit, quotquot ex sacerdotibus illam sibi (quâ sacerdotes sunt) in temporalia potestatem arrogant, *divina* quomodocunque *tractare*, vel eo nomine à *fidelibus* venerandos esse: cum enim temporalia, *divina* aut *cœlestia*, dici nequaquam mereantur, sed *humana* & *terrena*; quisquis ea quomodocunque *tractanda* suscipit, *divina* propriè tractare censendus non est, sed (sub Deo) sua. Julio Papæ ad Orientales infelici ausu supposita, quam Gregorius septimus laudat, epistola, & falsum (si ad severioris examinis leges exigatur phrasis) docet, *Romanam* scilicet Ecclesiam *aperire & claudere regni cœlestis januam quibus voluerit*; cum nec ipse (cujus sibi privilegium vendicat) Petrus *quibuscunque voluit* absolutè, sed iis solis quibus ex officio velle tenebatur, *aperuisse* aut *clausisse* dicendus sit; & ἀπροσδιόνυσ☉ planè est; cum nemo ἀνακόλουθον non videat *aperit & claudit januam regni cœlestis*: Ergo *regiam dignitatem excussis quibuscunque* (quod Gregorius volebat) *tollere* & *summa papavera* quandocunque libuerit *demetere* potest; nec (si Gregorii septimi exemplo, *cui aperiendi & claudendi cœli data est potestas, de terra judicare licere* pronunciandum putemus) laudato à Gregorio ipsomet loco sinat Gelasius; *duo esse quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritatem sacram pontificum,*

‡ *Epist.* 8.

De vinculo anathem.

cum, & regalem potestatem, &c. *quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, ejus cui imperium superna dispositione collatum cognoscunt legibus, ipsos quoque parere religionis antistites*, &c. *cum ad verum ventum est, eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec Imperatorem pontificis nomen imposuisse, nec pontificem regale fastigium vindicavisse*, &c. *Christum memorem fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperantē sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis discrevisse*, &c. *ut & Christiani Impp. pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur; quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo* militans Deo minimè se negotiis sæcularibus *implicaret*, scribens. Apostoli 1 Cor. 6. 3. loco *nescitis quod Angelos judicabimus? quanto magis secularia?* manifestè abusus Gregorius, eum in alienissimum sensum detorquere cogitur; propriam enim nullam sacerdotum (quà sacerdotes sunt) in *temporalia* & *Βιωτικὰ* potestatem insinuare, sed communem fidelium omnium (quibus in fratrum controversiis arbitrium deferre licet) prærogativam afferere Paulo cum propositum fuerit; si quotquot *Angelos* apostatas in seculi fine damnaturi sunt, de *regibus* judicium ferant, non modo sacerdotum, sed privatorum quorumcunque (si modo nomen inter pios profiteantur) fuerit de *regiis* Capitibus pronunciare, quo quid absurdius fingi potest?

2 Tim. 2. 4.

Vide Herodis Attici consecr.

Gregorius Magnus anno 602. mense Novembri Regum nostrorum rogatu xenodochii Augustodunensis cujuscunque sortis violatoribus (eorum omnium qui consecrationum formulas etiam inter infideles scripserunt exemplo) imprecatus, ad Senatorem Abbatem in hęc verba scripserat: *Si quis Regum sacerdotum*, &c. *contra venire tentaverit potestatis honorisque sui dignitate careat*: quæ veterum, (imò seculi sui) morem dissimulans, depositionis (de qua ne cogitaverat Gregorius primus) * anno sive 1076. sive 1081. decretum interpretatur Gregorius septimus. Sed ejus hallucinationem similia imprecationum exempla refellunt. Sancta Radegundis anno 567 ad finem epistolę à Gregorio Turonensi descriptæ. *Si Regum aliquis*, &c. *Agneti Abbatissæ molestias aliquas inferre tentaverit*, &c. *Beatos Confessores Hilarium & Martinum*, &c. *habeat contradictores & persecutores*,

*Æquè falsò lib. 4. epist. 23. scripsit *B. Gregorium doctorem sanctum & humillimū decrevisse Reges à suis dignitatibus cadere, si temerario ausu præsumerent contrà sedis Apostolicæ jussa venire.*

1.

2. *res*, &c. Concil. 8. Toletanum anno 653. Decemb. 16. cap. 10.
Quicunque detractor, & non potius venerator, decreti ejusdem atque legis,
esse maluerit, sive religiosus ille, sive sit laicus, non solum Ecclesiasticâ ex-
communicatione plectatur, verum & sui ordinis dignitate privetur. Te-
3. stamenti B. Renugio suppositi sive primus auctor, sive interpola-
tor: *Si quando genus illud regium*, &c. *Ecclesiarum Dei pervasor*, &c.
existere voluerit, &c. * *fiant dies ejus pauci, & principatum ejus acci-*
piat alter, &c. Concilium Parisiis anno 847. Febr. 14. Indict. 10.
4. congregatum, *maledictiones illas, quæ in* † Judam *prolatæ sunt, exci-*
piat monasterii Corbeiensis violator, *utpotè invasor gregis Christi, &*
necator pauperum. Prætereà si filii nostri Domini rerum, eis qui hæc nunc
fortè machinantur, aut quandoque tentabunt, adspiraverint, semel & se-
cundò, tertiòque vel amplius admoniti; si non se correxerint, similiter eos
5. *obligationis sententia & hîc, & in futuro adstringat*, &c. Agnes Picta-
viensium Comitissa chartâ in Engeriacensium gratiam anno circi-
ter 1032. scriptâ: *Si quis sanè in posterum Rex, aut Princeps, aut Dux,*
Comes, Vicecomes, aut qualibet persona Ecclesiastica, vel secularis, hujus
nostræ constitutionis decretum rescindere voluerit, & oblationem bonæ vo-
luntatis nostræ, quam Deo & Sancto præcursori ejus facimus, destruere
præsumpserit; si bis aut ter commonitus satisfactione idoneâ non emenda-
6. *verit, hæreditatis & honoris nostri dignitate perpetuò careat.* &c. Rani-
mirus Aragonum Rex chartâ anno 1062. Junii 25. Sancti Joannis
Cœnobio datâ. *Quicunque futurorum Regum, successorum nostrorum,*
transgredientes & deviantes ab hoc regali simul & pontificali decreto ten-
taverint dissolvere hanc Scripturam, in præsenti sæculo omnipotens Deus,
qui est justus judex, & regum Rex, dissolvat & dividat regalem honorem
7. *& potentiam regni eorum, detque illud se timentibus*, &c. Alphonsus
Tolosanorum Comes, chartâ de libertate A. D. 1147. mense No-
vembri fer. 6. scriptâ, *Si aliquis homo, vel fœmina, aliquid hujus doni (ut*
suprà scriptum est) infringere voluerit, non habeat potestatem, & damne-
tur in infernum cum Dathan & Abiron, &c. & chartâ de portatico: *Si*
quis homo, vel fœmina hoc donum, & hanc libertatem irrumpere volue-
rit, sit maledictus & excommunicatus, & ira Dei veniat super eum, &
terra absorbeat eum sicut Dathan & Abiron absorbuit; deinde & inferni
pœnas patiatur, & insuper Tolosæ populus & Burgi, & etiam totus Tolo-
sanus

* *Allud. ad Psal.* 108. 8.

† *Ibid.*

fanus populus cum gladiis & baculis, & lapidibus, super eum irruat, & interficiant eum omnes homines turpiter. Quis utriusque ſexus laïcos ac præcipuè Agnetem Comitiſſam Gregorii primi formulam (ſi *regia* depoſitionis decretum propriè dictum fuit) imitari, ſeque *rei ad ſe non pertinenti immiſcere* quod ſine culpa eſſe non poterat, auſuros fuiſſe ſomniet?

Clementi Apoſtolico ſuppoſitam *ad Iacobum Domini fratrem* epiſtolam, laudat deinceps Gregorius VIII; in qua ſententiæ, quam iræ indulgentior propugnandam ſuſcepit, nihil quicquam præſidii, multa verò contraria ſunt. hæc nimirum *ne in alia aliqua occupatione prorſus inveniaris, mundialis negotii occaſione perplexus; neque enim judicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodiè te ordinare vult Chriſtus; uti ne præfocatus præſentibus hominum curis non poßis verbo Dei vacare*, &c. *iſta opere, quæ tibi minus congruere ſuperius expoſuimus, exhibeant ſibi invicem diſcentes, id eſt laïci*, &c. *ſi mundialibus curis fueris occupatus, teipſum decipies, & eos qui te audiunt*, &c. *ad hoc ſolum vacato, ut opportunè & ſine intermißione doceas verbum Dei*: Si enim, *in occupatione nullâ mundialis negotii occaſione perplexus* eſſe debet, ſi *ſæcularium cognitor conſtitutus* non eſt, *Epiſcopus*; Regum qui *ſæcularibus* præſunt, in iis quæ reip. adminiſtrationem ſpectant, *judicem* ſe profiteri (quod Gregorius VII fecit) ſine culpa non poteſt; cum Regis vel deſtitutio vel creatio, *negotium* ſit inter *ſæcularia* maximè *perplexum*. Nec argumentum rectè procedere certò certius eſt; *quiſquis ei amicus eſt cui Epiſcopus amicus non eſt, ex illis eſt qui Eccleſiam exterminant*; ergo *ingratum Regem Epiſcopus ad privatam vitam detrudere, quandocunque ſic apud ſe ſtatuit, jure* (quod Gregorius videri voluit hæc Pſeudo-Clementis in Henrici Regis cauſa verba citans) *poteſt*.

Excommunicatum ab Innocentio I. Arcadium Imp. à Georgio Alexandrino primo fabulæ parente aliiſque ſimilibus impoſturam paſſus & falsò (Valramo Naumburgenſi Apologiæ pro Henrico Imp. lib. 2. monente) aſſeruit & (ſi falſo aſſentiri libeat) fruſtra; quandoquidem *regis* excommunicatio, nec *regiam* dignitatem abrogare, nec à *regiis* excommunicatum functionibus arcere (quicquid in contrarium vel ſenſerit, vel ſentire alios juſſerit Gregórius VII) poteſt. Hildericum *Francorum Regem à regno Romanum pontificem*

Vide rursus Apologiam pro Henrico. *depoſuiſſe omnes Francigenas à juramento fidelitatis quod illi fecerant abſolviſſe*, omni majorum teſtimonio deſtitutus, primus, (idque perperam & contra Francicorum omnium monumentorum fidem)
1. ſcripſit. Fredegarius Scholaſticus, qui Chronicon Childebrandi Ducis, Pippini ipſius patrui, juſſu contexuit; *unà cum conſilio & conſenſu omnium Francorum, miſſâ relatione à ſede Apoſtolica auctoritate percepta, præcelſus Pippinus, electione totius Franciæ in ſedem regni, cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubjectione principum, unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo depoſcit ſublimatur in regno.* Chronicon
2. breve A.D. 815. Indict. Indict. 6. ſcriptum, Tom. 1. ſcript. Franc. pag. 798. *Pippinus Regnum Francorum ſolus obtinuit, & per auctoritatem Zachariæ Papæ, & electionem Francorum, inungente Bonifacio Archiepiſcopo, Rex factus eſt; Childericum verò, qui ſolus Rex de ſtirpe ſuperiorum Regum remanſerat, regno privatum Clericum effecit.* Eginhar-
3. dus Caroli M. Notarius & Abbas, libello de Caroli vita: *juſſu Stephani Rom. pontificis depoſitus ac detruſus Childericus*, &c. *Pippinus per auctoritatem Rom. pontificis ex præfecto palatii Rex conſtitutus.* Idem Annal. ad A. D. 749. *Burchardus VVirtziburgenſis Epiſcopus & Folradus presbyter Capellanus, miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent pontificem de cauſa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habuerunt. Per quos prædictus pontifex mandavit melius eſſe illum Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, datâque auctoritate ſuâ, juſſit Pippinum Regem conſtitui.* A. D. 750. *Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem, Pippinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris, unctus ſacrâ unctione; manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi & Martyris, & more Francorum elevatus in ſolium regni, in civitate Sueſſiona: Hildericus verò qui falsò Regis nomine fungebatur tonſo*
4. *capite in monaſterium miſſus eſt.* Annales Bertiniani in A. D. 882. deſinentes, A. D. 749. *Burchardus VVirtziburgenſis Epiſcopus, & Folradus Capellanus, miſſi fuerunt ad Zachariam Papam interrogandum de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem poteſtatem, ſi benè fuiſſet an non. Et Zacharias Papa mandavit Pippino, ut melius eſſet illum Regem vocari qui poteſtatem haberet, quam illum qui ſine regali poteſtate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem*

Errore memoria pro Zachariа Stephanum ſcripſit.

ergo

ergo Apostolicam jussit Pippinum Regem fieri. A. D. 750. *Pippinus secundum morem Francorum electus est ad Regem, & unctus per manum sanctæ memoriæ Archiepiscopi Bonifacii, & elevatus à Francis in regno in Suessionis civitate. Hildericus verò qui falsò Rex vocabatur tonsoratus est & in Sithiu * monasterium missus.* Ado Vienn. Archiep. 5.
circà A. D. 870. denatus, Chronico. *Misit Pippinus † VVurgardum VVirsburgensem Episcopum & * Fulradum Cappellanum suum ad Zachariam tunc temporis pontificem Romanum, ut interrogarent eum, si ita manere deberent Reges Francorum; cum penè nullius potestatis essent, jam solo regio nomine contenti. Quibus Zacharias pontifex responsum dedit, Regem potius illum debere vocari qui remp. regeret. Reversis Legatis, abjectoque Childerico, qui tunc regium nomen habebat; Franci per consilium legatorum & Zachariæ pontificis, electum Pippinum Regem sibi constituunt, Childericus tonsuratus, & in monasterium missus est.* Regino 6.
Prumiensis Abbas Chronico in A. D. 905. desinente. *Anno Dominicæ incarn.* 749. *Burchardus VVirtzburgensis Ecclesiæ Episcopus, & Folradus Cappellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus in Francia qui illis temporibus non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si benè essent Reges. Et præfatus Papa mandavit Pippino, melius sibi videri illum Regem vocari qui potestatem haberet, quam illum qui sine legali potestate manebat: Et ne perturbaretur Christianitatis ordo per auctoritatem Apostolicam jussit Pippinum Regem creari, & sanctæ unctionis oleo inungi. Anno Dominicæ incarn.* 750. *Pippinus secundum morem Franc.* ut in Annalibus Bertinianis paucissimis verbis additis, nimirum *Bonifacii Moguntiacensis urbis Archiepiscopi,* &c. paulò post *attonsus est & in monast. missus.* Annales Me- 7.
tenses in A. D. 903. desinentes. *Anno Dom. incar.* 950. *ex consultu B. Zachariæ Papæ urbis Romæ, Pippinus Princeps à Bonifacio Archiepiscopo unctus, Rex Francorum constituitur.* Annales anonymi in A. D. 808. 8.
desinentes: Tom. 2. script. Franc. p. 12. *Anno* DCCXLIX. *Zacharias Papa per Fulradum mandavit, ut Pippinus ad * Regem levaretur.* DCCL. ut in Annalibus Bertinianis. Annales alii in A. D. 814. desinentes 9.
Tom. 2. script. Franc. p. 25. ad A. D. 749. & 750. ut in Bertinianis 10.
ad verbum, Libellus *de Regum genealogia*, ex Cod. Serenissimi magnę Britanniæ Regis; Tom. 1. script. Franc. p. 796. editus, & *de Majori-* 11.

* *Sithiu* id est S. Bertin en Ponthieu.

† Pro Burchard.

* Pippini nepotem, Hieronymo fratre natum.

* fortè regnum.

bus domus, alius in Tom. 2. p. 2. conjectus; *Pippinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit; interrogans eum, si ita manere deberent Reges Francorum; cum penè nullius essent potestatis, solo regio nomine contenti. Quibus Legatis, Romanus pont. respondit, illum debere Regem vocari, qui remp. regeret; Detonso igitur Childerico, & in monasterio detruso, mox*
12. *Franci Pippinum sibi Regem constituunt.* Monachus Ecolimensis libro vitæ Caroli M. *defecit totum genus regale, Childerico insensato deposito de solio, & facto Clerico, in monasterio; mox Franci cum consilio Domini*
13. *Papa Zacharia, & nobilium Romanorum, Deo volente, uno consensu, & una voluntate elevaverunt sibi in Regem Pippinum*, &c. Anonymi fragmentū in annum 759. desinens, Tom. 2. script. Franc. p. 784. *Diviso post obitum Martelli regno Francorum, Majores Domus præfuerunt Carolomannus & Pippinus, Regibus tamen in Francia, sed parvâ dignitate regnantibus. Igitur Pippinus missis Romam Legatis, Zachariam Papam de regno Francorum & ignavis ejus Regibus consuluit. Cujus auctoritate, & non multo post jussu * Stephani pontificis Romani, Hilderico qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito, atque in monasterium detruso; Pippinus major domus Rex Francorum electus, & Suessionis à S. Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo unctus est.* A.D. 752. † &c. *Pippinus autem per auctoritatem Rom. pontificis ex præfecto Palatii Rex constitutus.* Adrevaldus Floriac. *de miraculis S. Benedicti* lib. 1. c. 15. *Pippinus regni*
14. *Francorum assecutus summam, jussu ‡ Stephani Rom. pontificis Hildericum inertissimum Regem depositum ac detonsum, in monasterio deinde trusum privatè vivere compulit. Dein auctoritate ejusdem pontificis ex præfecto*
15. *palatii Rex constitutus*, &c. Annales Fuldenses in annum 900. desinentes. *A. D. 751. * Pippinus missâ Romam Legatione, Zachariam Papam interrogat de regibus Francorum ex antiqua Merovingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur sed potestas regni tota apud Majorem domus habebatur*, &c. *orat ergo sibi decerni, qui eorum justè Rex debeat dici & esse, is qui securus domi sedeat; an ille qui curam totius regni & omnium negotiorum molestias sufferat?* A. D. 752. *Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri apostoli, mandat populo Francorum ut Pippinus qui potestate regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex qui ultimus Merovingorum Francis imperavit depositus, & in monasterium missus est. Pippinus verò in civitate Suessionum*

* A.D. 754 *Hilderici depositionem* ejusque *in monasteriū detrusionem* cōfirmavit, Zachariæ *cōsilio* prius factam, anno nimirū 750, non propriè *jussit* Stephanus.

† Lege 750.

‡ Zachariæ jussu factū.

* Factum id anno 749.

Legendum 750.

num à S. Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, regni honore sublimatus est. Vitæ S. Genulfi lib. 2. c. 5. *Pippinus pius Dux, &c. multùm militia virtutibus insignis post depositionem Hilderici, totius militiæ voto, unà cum auctoritate Zachariæ Papæ, primus ex sua linea in regno Francorum Rex sublimatus est.* 16.
Petrus Bibliothecarius hist. abbreviatâ in A. D. 751. [1] *Pippinus Legatos Romam misit ad Zachariam pontificem maximum, ut qui ex antiqua stirpe Merovingiorum* [2] *fuerit, regnaret in Gallia; exaudit Pontifex, & mandat Gallis, ut in eorum Regem haberent Pippinum.* 17.
[1] *Rursus anno 751. assignat quod ad 749. pertinet.*
[2] *Legendum non fuerit.*
Egilvvardus Burchardi vitę circa A.D. 1104. scriptę lib. 2. c. 1. *adeò habitus est ab omnibus honorabilis, ut etiam totius regni consilio, unà cum Folrado Abbate eodemque Archicapellano, ad prædictum Zachariam Rom. pont. mitteretur,* &c. 18.
Zacharias Papa super hujusmodi negotio Regum consultus, remandavit per Burchardum Pontificem & Folradum Abbatem, melius esse vocari illum Regem apud quem summa potestatis consisteret, datâque auctoritate suâ Pippinum Regem constitui jussit. Qua Legatione peracta, Pippinus per auctoritatem Apostolicam quam tam probabiles viri in audientia primatum scriptis ac dictis deferebant, more Francorum electus ad Regnum, per manus S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis elevatus est in regni solium, in Suessionum Civitate. Qui post, per Stephanum Papam unctus in Regem, & confirmatus, atque à juramento quod Childerico Regi cum cæteris primatibus fecerat, absolutus; posteà regnavit annis XV, Childericus verò qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est;
Hepidanus Sancti Galli monachus Chronico in A. D. 1044. desinente A. D. 752. *S. Bonifacius Episcopus* [3] *martyrio coronatur & Dominus Pippinus per auctoritatem* [4] *Stephani Rom. pontificis deposito ac detonso Rege Hilderico, qui à baptismo alieno nomine vocitatus est Daniel, ex præfecto palatii Rex constitutus est, & cum exercitu* [5] *Francorum Italiam ingreditur.* 19.
[3] *Passus Iunii 4. anno 754.*
[4] *Zachariæ anno 750.*
[5] *A.D. 754.*
Hermannus Contractus, Chronico edit. Francofurti anno 1613. *A. D.* [6] *752.* [6] *Pippinus auctoritate Stephani Papæ deposito ac detonso Rege Hilderico, Rex Francorum factus, regnavit annis XV,* [7] edit. Colon. 1618. [8] *A. D. 751. Pippinus missis Romam legatis Zachariam Papam de regno Francorum, & ignavis Regibus ejus Merovingis, nomine solo regnantibus, consuluit.* A. D. 752. [9] *Auctoritate Zachariæ Papæ & non multo post Stephani, &c. deposito ac dein tonso Rege Hilderico, Mero-* 20.
[6] *Lege 750. quo nondum sedebat Stephanus.*
[7] *Regnavit annis fere 18.*
[8] *Lege 749.*
[9] *Lege 750. & 754.*

Merovingorum ultimo, Pippinus Rex Francorum electus, & Suessionis à S. Bonifacio Archiepiscopo unctus & consecratus, regnavit annis XVII.

Gemina hæc advocatorum ex Francia, Alamannia, Italia testium decas, uno consensu ante Gregorii VII, ætatem docet 1. Zachariam Papam anno 752. Martii 15. denatum, à Fulrado Hieronymi (qui Pippini germanus erat) filio, Pippini ejusdem, Francorumque universorum nomine, anno 749. præcisè consultum; qui *auctoritatem* (id est *responsum*, & *rescriptum*, quod Legati Francorum detulerunt) dedit, *meliusque esse, qui regnum administraret Regem dici*, pronunciavit. 2. Zachariam eundem nullam sibi reges destituendi, sed de *Regum* statu consulentibus respondendi, quæque *meliora* videbantur suadendi (contra quam nonnulli Gregorii VII, exemplo putant) arrogavisse: hinc factum ut ejus *rescriptum* à Francis nostris quorum maximè intererat quid in eorum gratiam præstitisset nosse *responsum*, *consilium*, *consultum*, dictum sit. 3. Ejus tamen *jussu*, & *sanctione depositum* Hildericum multi scripsere, quia ad Bonifacium Vicarium de *ungendo* Pippino, *tondendoque* Hildrico à Francis abdicato, *præceptum* dixerit: unus verò Gregorii VII, coætaneus Egilvvardus, anno post eventum plus minus 275. *absolutos à juramento quod Childerico fecerant* Pippinum Francosque refert; quia scilicet exempla nonnulla extabant quibus (novo prorsus more) relaxatam Sacramenti religionem constabat: verbi gratiâ, quando Ioannes VIII. *Papa Imperatorem* Ludovicum *à juramento, quo se obligaverat, auctoritate Dei & sancti Petri, absolvit; affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat*: sed tale nihil ausa fuerat antiquitas. 4. contra præcedentium omnium mentem Zachariæ factum interpretatus Gregorius VII, *à Zacharia Hildericum depositum* scripsit, ne sine exemplo calcatam Henrici Regis Majestatem fateri cogeretur. 5. Si qua Egolismensi monacho fides, non unus Zacharias, sed *nobiles Romani* (quorum *reges in ipsos imperium* nullum esse ad hanc usque diem dubitavit nemo) de *Hilderico deponendo consilium* dederunt. 6. Vix paucis post Gregorii VII ætatem, deponi à Romana sede Reges posse, (nobilissimis quibusque scriptoribus contra Gregorii interpretationem pro majorum sententia nitentibus) persuasum est.

Annal. Metenses A.D. 872.

Lam-

Lambertus Schafnaburgensis, qui Annales suos ad annum 1077. 1.
perduxit; sub titulo annorum 748. 49 50. *Pippinus decreto Zachariæ Papæ per unctionem S. Bonifacii Archiepiscopi Rex appellatus est, qui anteà major domus vocatus est; & Hildericus Rex tonsoratus in monasterium mittitur*: decretum enim intelligit non ἀρχοντικὸν, sed ἐξουσιαστικὸν, non quo revera nomine *regio* spoliaretur, cujus jampridem *regia* dignitas conciderat; sed quo *Regem* alium penes quem universa potestas erat, dici *melius esse* suaderetur. Marianus Scotus in annum 2.
1083. desinens; ad A. D. 750. *Pippinus missa Romam Legatione, Za-* *Pertinet ad 749.*
chariam Papam interrogat de regibus Francorum, &c. erat ergo sibi decerni quis eorum Rex justè dici debeat, & esse: is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni, & omnium negotiorum molestiam perferat: Tunc Zacharias Papa, ex auctoritate S. Petri Apostoli, mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regiâ utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, & in monasterium missus est: Pippinus verò in civitate Suessionum à S. Bonifacio Archiepiscopo in regem unctus, regni honore sublimatus est. Waltramus Naumbur- 3.
gensium Episcopus, *Apologiâ pro Henrico IV.* anno 1092. scriptâ. *Pippinus cum esset Major domus in regno Francorum, hoc est praefectus palatii, & ad eum spectaret summa regiæ potestatis & officii; electus est primus ex praefectis palatii in Regem, atque ordinatus est per B. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi benedictionem; prius super hoc expetito Zachariæ Papæ judicio; quia consensus, & auctoritas Rom. pontificis necessaria huic videbatur negotio; missus est enim ad eum venerabilis vitæ Burchardus Wirtzburgensis Ecclesiæ Episcopus cum aliis, ad hanc legationem idoneis nunciis, qui ex mandatis principum interrogarent ejus sententiæ oraculum, & acciperent responsum, quomodo possent reformare regnum Francorum in pristinæ dignitatis statum; quod multo jam tempore non haberet regii honoris privilegium: Illum verò qui Rex diceretur nihil amplius habere nisi quoddam vani nominis simulachrum; cum nec opes nec potentia, nec aliqua dispositio regni, apud illum esset; sed apud majorem domus, quicunque palatio praeesset; proinde justum & idoneum sibi videri ut ab Hilderico totius regiæ dignitatis & potentiæ jam ex hæreditaria successione privato; transferretur regium nomen ad Pippinum tunc temporis praefectum palatii*

qui

qui pro nobilitate sua atque virtute dignus fuisset, quatenus ipse, qui domi & militia regni gubernacula fortiter procuraret, cum labore pariter & officio nomen Regis convenienter susciperet. Quorum postulationem cum aquam atque utilem Zacharias Papa judicasset; ad ea quæ postulabant consensit atque ejusdem consensus sententiam posteà Stephanus Papa confirmavit, & Pippinus factus est Rex communi suffragio principum, atque Hildericus ex vano nomine Regis, promeruit tonsuratus, coronam monasticæ
4. *religionis & habitum*: Sigebertus Chronico in annum 1112. desinente ad A. D. 750. *Hildericus Rex Francorum in monachum tonsuratur, Pippinus verò princeps (auctoritate Apostolicâ & Francorum electione) à sancto Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in regem ungitur & con-*
5. *secratur & regnat annis* 18. Chronicon Hildensheimense in annum 1137. desinens. *Anno 759. incarn. Dominica mittit Pippinus legatos Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de regibus Francorum qui ex stirpe regia erant, & reges appellabantur nullamque potestatem in regno habebant*, &c. *Zacharias igitur Papa secundum auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit; melius esse atque utilius sibi videri, ut ille Rex nominaretur, & esset, qui potestatem in regno habebat, quam ille qui falsò Rex appellabatur. Mandavit itaque præfatus pontifex Regi & populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regiâ utebatur, Rex appellaretur, & in sede Regali constitueretur. Quod ita & factum est, per unctionem S. Bonifacii Archiepiscopi, Suessionis civitate. Appellatur Pippinus Rex, & Hildericus qui falsò Rex appellabatur tonsoratus in mona-*
6. *sterium mittitur*. Otto Frising. Chron. lib. 5. cap. 21. A. D. 751.
† *Lege* 749. † *Pippinus*, &c. *ad Zachariam Papam sciscitandi gratia misit, pontifex ergo melius esse ut ille qui curam omnium haberet Rex diceretur, quam*
* *Lege* 750. *qui solum nomen Regis gereret remandavit.* c. 22. Anno 752. * *reversis à Roma nuntiis auctoritate Zacharia Papa aliisque regni principibus in*
7. *Suessiona civitate ad regnum eligitur.* Godefridus Viterbiensis Chro-
* *Imo* 749. nico in annum Domini 1186. desinente. *A. D.* 751. * *Pippinus dictus* Nanus *cum esset Major domus ad Zachariam Papam legatos suos Burchardum scilicet Guerzeburgensem Episcopum, & Pholradum Capellanum suum, gratia sciscitandi transmisit; & quid de regno Francorum ei videretur agendum, quæsivit. Papa itaque melius esse illum Regem qui regni totius curam & potestatem habet, quam illum qui solo nomine Rex*

est

est, remandavit, &c. *Reversi sunt igitur Pippini ab urbe legati, & omnis Gallia consilio Papæ Zachariæ libenter consensit. Anno igitur ab incarn. Domini* † *759. auctoritate Papæ Zachariæ Pippinus à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo aliisque regni principibus in civitate Suessione in regnum eligitur,* &c. *Anno ab incarn. Domini 754. Pippinus per Stephanum Papam à fidelitate Hilderici prædicti Francorum Regis cum omnibus Franciæ principibus est absolutus. Tunc etiam Hilderico tonsurato & monachato, atque in monasterium detruso, Pippinus regalem recepit unctionem,*&c. *ex hoc etiam facto Rom. pontifices mutandi regnum trahunt auctoritatem.* Ex *hoc* revera in alienum sensum à Gregorio VII, detorto *facto*, Godefridi & recentiorum aliorum ætate, Romani pontifices *mutandi regni auctoritatem* ad se *trahere* conati sunt; triplex verò (ipsorummet adversariorum judicio) peccatum admiserit. Godefridus 1. dum *absolutum ab Hilderici fidelitate per Stephanum Papam, Pippinum & Francos* putavit; si enim ob repudiatum Hildericum *absolvendi* fuerunt; solido biennio à Zacharia antequam Stephanus succederet *absoluti sunt.* 2. dum *tonsuratum* post evectum ad pontificatum Stephanum Hildericum biennio serius quam oportuit finxit. 3. dum Francos ob admissum Zachariæ *consilium* reos peregit; si enim *consilio* consensisse malum fuit, *absolutione* eluendum, quanto *consilium* dedisse pejus fuerit? Si rursus *Hilderico fidelitatem* non debuerunt Franci, quid eos *à fidelitate*, quam non debebant, *absolvere* necesse fuit? si debebant (quod ipse *absolvendi* actus insinuare videtur) quis mortalium à Deo optimo maximo ligatos *absolvere* potuit? Siffridus presbyter epitomes in annum 8.
1307. desinentis lib. 1. A.D. 750. *Pippinus pater Caroli unctus est in Regem à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, jubente Papâ Zachariâ.* 9.
Pius II Papa ex Blondo prioris decadis lib. 10. *Sunt qui dicunt Francorum proceres Zachariam Papam consuluisse, ineptumne Regem ultrà tolerarent, an Pippinum regiâ dignitate dignum assumerent; Cumque respondisset pontifex eum qui regia melius obiret munera præferendum, Francos publico totius gentis consilio Pippinum Regem declarasse, Childerico in Clericum tonsurato.* Magnum Chronicon Belgicum p. 33. 10.
Anno Domini 742. anno imperii Constantini primo regnum Francorum obtinuit solo nomine Hildericus annis 9. donec Pippino per

Lege 750.

legatos missos interpellanti Rom. pontificem Zachariam, uter potius deberet esse aut dici Rex, an ille qui magnos pro regni pace sustinet labores, an qui otio deditus solo nomine regio esset contentus; Rom. pontifex respondit melius esse, ut ille qui curam omnium haberet Rex diceretur & esset; quâ responsione Franci animati, mox Hilderico in monasterium retruso Pippinum sibi Regem constituunt, &c. & p. 35. ex Andrea, *Anno* 9.

Anno 749. *Hilderici Regis principatus quoque Pippini anno 9. & anno Domini* 750. *misit Pippinus nuncios (ut diximus) ad Zachariam Papam, interrogans an manere Reges Francorum expediret, cum penè nullius essent potestatis, sed solo nomine regnarent; quibus legatis Rom. pontifex respondit; illum debere vocari Regem & esse, qui remp. gereret. Detonsus ergo Hildericus Rex est, & in monasterium detrusus.* Singulos, qui (calcata Canonis *Alius* auctoritate) vestigia majorum secuti sunt coacervandi nullus finis esset; cum vix quisquam repertus sit apud quem fidem Gregorii sententia inveniret, quam glossator (interpretantis specie) castigare coactus est; Zachariam *deposuisse*, quia *deponentibus consensit* commentus; quantumvis nec Zachariæ qui *deponentibus* non solum *consensit* sed *consilio*, vel (si malis) *sanctione, mandato, auctoritate* data, animos addidit, factum plenè exprimat; nec Gregorianæ hypothesi vel tantillum faveat commentum; Certè si non aliter quam *deponentibus consentiendo, deposuit* Zacharias; nec propriè (quod Romani volunt) *deposuit*; nec plus in Hilderici abdicatione quam quilibet è Clero & populo cum Pippino conjuratis præstitit: nec Gregorio septimo, qui summam sibi destituendorum Regum potestatem primus arrogavit, tanti ausus auctor fuit: nec ejus exemplo niti Gregorius idem potuit; nec utriusque molimen æquiparari debuit; nec frustra Gregorium Papam *immerito hanc notam imposuisse vel Zachariæ vel Stephano religiosis pontificibus Romana Ecclesia, ut ipsi sola auctoritate sua Hildericum à regno deponerent, & absolverent omnes Francigenas à juramento fidelitatis quam illi fecerant*, Waltramus ante annos 500. questus est.

Ambrosii de regibus sententiam ex Apologia David, *&c. vide infrà.*

Pergit Gregorius, *B. Ambrosius licet sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa quæ ab aliis sacerdotibus non adeò gravis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans, ab Ecclesia exclusit.* Ego verò, cui *sacerdotum non adeò gravis* Theodosii *culpa*

(quâ

(quâ *deletam penè* Thessalonicam scribit Paulinus) *videri* potuerit, capere nequeo; nec eorum (si qui fortè adeò desipuerunt) judicium præstare debeo, cum præsertim *ob hoc à sacerdotibus Italiæ redargutum* afferat Rufinus, Gallorumque nostrorum consimilem planè fuisse sententiam (Ambrosio ipsomet referente) habeamus. *Factum est* (inquit) *in urbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod atrocissimum fore dixi, cum toties rogarem, & quod ipse serò revocando grave factum putasti; hoc factum extenuare non poteram. Quando primum auditum est, cum (propter adventum Gallorum) Episcoporum Synodus convenerat; nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit,* &c. unde singula hæc hactenus fortè minus perpensa habemus. 1. Theodosium, cum Thessalonicensium furentium seditione Illyrici præfectus Buterichus sublatus est, Mediolani fuisse. 2. Ambrosium reorum nomine veniam rogasse. 3. Ei *promisisse Imperatorem, se veniam daturum civibus prædictæ civitatis, sed agentibus Comitibus occultè cum Imperatore ignorante sacerdote*, id est Ambrosio, *usque in horam tertiam gladio civitatem esse donatam.* 4. Ambrosium id antequam fieret, *atrocissimum fore* dixisse. 5. Imperatorem *ipsummet revocasse*, sed *serò*, & frustra. 6. *quando primum* Mediolani *auditum est, nullum non ingemuisse, nullum mediocriter accepisse*; ac proinde, cui *non adeò gravis culpa videretur* (contra quam Gregorius VII putavit) fuisse neminem. Sed unum, justi tenacem Ambrosium communione sacra pellendum Theodosium censuisse demus: Quid hoc ad usurpatam primum à Gregorio septimo Reges exauctorandi potestatem, de qua ne cogitavit quidem Ambrosius, qui *denegatâ* (sub publica pœnitentia posito Imperatori) *Ecclesiam ingrediendi copiâ*; abstentum, *Augustissimum Imperatorem* constanter vocavit, ab eo *in se honorificentiam desiderari eundem confundendo* noluit, *verecundiâ quâ potuit, Imperiali arbitrio satisfecit*; *habere gratiam Imperatoris* in votis habuit: *ignosci sibi quod faceret, in quo Deum præferebat* fastigii principalis *humilitatisque* sacerdotalis memor rogavit; ac tandem ut *beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus frueretur tranquillitate perpetuâ*, Censoriam epistolam claudens optavit. His opinor officiis *exregem* excommunicatione factum hominem demereri nequaquam decuisset; non igitur Ambrosii (imò nec Ecclesiæ universæ) opinio-

Ambros. epist. 59. *lib.* 7.

opinione regno exciderat excommunicatus, nec proprias injurias (quoquomodo in mentem venit) ulciscenti Gregorio septimo, Ambrosii (qui alienarum vindex ex officio fuit) favet exemplum; quandoquidem *effusi sanguinis Domini sui* Gratiani reum *Maximum, à communionis consortio segregavit*; nec tamen solio per summum nefas occupato, vel detraxit, vel detrahere conatus est; sed ipse quinquennio post *regnum quod malè arripuerat fœmineo quodam timore deposuit* tyrannus, *ut procuratorem se reip. nomine præfuisse confiteretur.*

Paulinus Ambrosii vita libello.

At (inquies) *Episcopalis* (Ambrosio Auctore) *sublimitas nullis potest comparationibus adæquari; si Regum fulgori compares, & principum diademati; longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares*, &c. Ambrosio nunc à recentiore aliquo (quod stylus incultior, Hieronymiana Scripturæ versio, hominis Senatoris, non *lato clavo*, sed *chlamyde* militari veste, dignoscendos pronunciantis, principesque quoslibet *diademate* insignientis imperitia fateri cogunt) suppositum fœtum abjudicare animus non est; sit (quandoquidem Gregorio VII sic visum est) Ambrosius libelli *de dignitate sacerdotali* parens; quo jure allegata (cujuscunque sint) verba, ad Imperatoris exauctorationem trahat quæro; non enim magis sequitur; *Regum fulgor Episcopali inferior est, Regum colla sacerdotum genibus submittuntur; nihil sacerdotibus excellentius reperitur.* Ergo *Regum* (quà *Reges* sunt) *Majestas à sacerdotum arbitrio pendet; iisque quos principatu indignos judicant, omnem potestatem abrogare possunt*: quam si dixeris *latomus est infrà architectum*; Ergo *Architecto ita ad nutum latomi & conditio & fortuna subjacent, ut (si quando deliquerit) architecto jubente artis instrumenta procul abjicere, latomusque esse desinere teneatur*: *Major* (Gregorii septimi judicio) *potestas exorcista conceditur, cum spiritualis Imperator ad abjiciendos dæmones constituitur*: Ergo *& ad abjiciendos Reges, quibus religiosè non viventibus dæmones dominantur.* Hos fortè Gregorius VII, cui alia nulla ex antiquitate præsidia suppetebant putavit; nunquam tamen Christianus ullus, sive Ambrosii, sive Ambrosianum nomen mentientis, auditor admisesit.

Epist. 2. ad Gallos.

Desinat itaque (Cælestino Papa imò ratione ipsa vetante) *incessere novitas vetustatem; desinat Ecclesiarum* [& rerumpublicarum] *quietem inquietudo* priscis ætatibus inaudita *turbare*; pudeat tandem aliquando

do cœco impetu Magistrum sequi, cui (agente irâ, à perpetua majorum disciplina aberranti) manifestè falsa, summoque Regum quorumcunque culmini perniciosa exciderunt, hæc nimirum *dignitas regia* (quam etiam in Nerone tyrannorum pessimo * *non nisi à Deo* esse ex professo docuit θεόπνευστος Paulus) *à sæcularibus, etiam Deum ignorantibus inventa est*, &c. *Reges & Duces ab iis habuere principium, qui Deum ignorantes, superbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidiis, postremo universis penè sceleribus (mundi principe, diabolo videlicet, agitante) super pares scilicet homines dominari, cœcâ cupiditate, & intolerabili præsumptione affectaverunt*; si enim dignitas Regia *Deum ignorantium* commentum dici meretur, si ab iis, qui *universis penè sceleribus* succubuerunt *habuit* (*diabolo agitante*) *principium*; si eorum qui primi regnaverunt *intolerabilis præsumptio* fuit; *vervecum in patria* qui toleraverunt, aut Reges *Domini unctos* crediderunt, nati sint oportet; nec regium fastigium vel conscendere, vel ferre, tutâ conscientiâ pius ullus aut potuit unquam, aut poterit: *quid non mortalia pectora cogis, ira* (quantumvis *brevis* & justitiæ specie velata) aut furori proxima aut *furor*? Damnatâ regnorum quorumcunque origine, regnandi potestatem cuiquam successionis jure deferri (quod Franci nostri, apud quos annis 1200 & quod excurrit, jus illud valuit, notent velim) probare nequaquam potuit, hæc ad Herimannum Metensem, non anno 1081. (quod luxato epistolarum ordine regesti collector, aut putavit, aut aliis persuasum voluit) sed anni 1076 Mart. 15. sex, ad summum, à primo Henrici anathemate septimanis (quod ex Brunonis in anni 1081. natale Dominicum desinentis historia constat) scribens. *Quos sancta Ecclesia suâ sponte ad regimen vel imperium deliberato consilio advocat, non pro transitoria gloria, sed pro multorum salute humiliter obediant*, &c. *si ille qui carnali patri vel matri maledixerit morte mulctandus est, quid ille qui maledicit spirituali patri vel matri meretur? Non carnali amore illecti studeant filium suum gregi pro quo Christus sanguinem suum fudit præponere, si meliorem illa & utiliorem possunt invenire; ne plus Deo, diligendo filium maximum sanctæ Ecclesiæ inferant detrimentum*. Audis lector, Henricum Gregorio Januarii præcedentis 23. Wormatiæ *maledicere ausum, morte mulctandum*; nec filios

Gregorius VII. lib. 8. epist. 21.

**Rom. 13. 1.*

Epist. eadem.

lios Regum, pro more, sed *meliores* quoscunque populo Christiano *præponendos* nulla successionis habita ratione pronunciari? Optato classico excitati Saxones ac Suevi Forcheim ad 3. Idus Martias anni 1077. præsente *legato qui cuncta de regno utiliter disposita firmaret*, convenerunt; dumque *sua cuique Deus sit dira cupido*, ac *multi suas singulares causas interponunt*, *quas ut* Rex eligendus *se correcturum promitteret, volunt; consensu omnium comprobatum est, & Romani pontificis auctoritate corroboratum, ut Regia potestas nulli per hæreditatem (sicut ante fuerat consuetudo) cederet, sed filius Regis (etiamsi valdè dignus esset) per electionem spontaneam, quàm per successionis lineam Rex provenire; si verò non esset dignus Regis filius, vel (si nollet eum populus) quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus.* Exinde (violata, contrario, nec antehac audito decreto, regni lege) antiquis gentis moribus, imò naturæ ipsiusmet dictamini tanto impetu vis illata est, ut cum (missis, post sublatum anno 1080. Octob. 15. fer. 5. æmulum Rudolfum, legatis) *ut filium suum* Conradum *sibi* Saxones *Regem facerent*, rogasset Henricus: *jocosè magna seria nonnullo schemate ludenti velare solitus* Dux Otto responderit, *sæpè ex bove malo malum vitulum vidi natum, ideoque nec filii nec patris habeo desiderium*, sed paulatim remittente furoris paroxysmo, vel invitis naturæ (quam *licet expellas furcâ tamen usque recurret*) sensus rediit; salutati enim Henrico nati Reges, Conradus anno 1093. Henricus anno 1105. eoque sine prole denato, Agnetis sororis filius Conradus anno 1138, & ejusdem ex ordine nepotes; nec posteà desiere (nisi fortè ter) propinqui ad propinquorum successionem vocari; eventu ipso exitiosa principibus novam Theologiam invehentis Gregorii VII. placita politica, ex eadem cui initio fucum fecerant gente profligante, quod suo tempore ac loco plenius demonstrabimus, ne nunc (revincendis ejus παρορέγμασιν intenti) aliò avocemur.

Lambert. Chron. Bruno. de bello Saxon.

Quod ut *in Romana sede ritè ordinatos B. Petri meritis meliores effici; bonos ad regni solium* evectos, *deteriores fieri* persuadeat, ad *experimenta* provocat; per me licet; præsertim cum Ennodianum apologeticum quod pro *B. Symmachi Papæ decretis* venditat, aperta Paparum qui posteà vixerunt confessio hac ex parte refellat, Hadriani nimi-

nimirum 4. ante annos ferè 500. *miseram pontificum Romanorum conditionem deplorantis*, & Marcelli II. qui paucis ante obitum diebus *mensâ manu percussâ, non videre se, quomodo qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti sua consulere possent*, protestatus est. Sed *audi* (lector) *facinus majoris abolla. Hac* (ait Gregorius VII.) *sicut B. Gregorius in epistola ad Mauritium Imp. directâ commemorat, Constantinus magnus Imp. omnium Regum & Principum ferè totius orbis Dominus evidenter intelligens, in S. Nicena Synodo, post omnes Episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam super eos dare præsumpsit; sed illos etiam Deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit.* Quo magis ista Gregorii VII verba expendo, hoc certius in animum induco alienis eum, in legendo Gregorii magni loco, oculis usum (quod immerito de S. Apostolo B. Hieronymus scripserat) *capere omne quod tetigerit, exemplaque captiva quæ suis in voluminibus non dimicant, sibi ad victoriam*, quam speravit, *servire coëgisse*; ut contra sentientes, vel invitos in sententiam nostram pertrahamus, 1. referenda Gregorii magni verba; 2. sub examen revocanda, efficta (absit invidia verbo) à Ruffino qui Gregorio magno primus imposuit fabula; 3. refellenda denique nobis erunt, quæ Gregorio primo perperam septimus tribuit: *Ecclesiastica quoque historia* (inquit Gregorius primus) *quia cum piæ memoria Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens*, vos Dii estis à vero Deo constituti, Ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut nos judicemus Deos, *&c.* Totum id ex Ruffini lacunis hauserat Gregorius; sic enim ille hist. lib. 1. c. 1. *Cum ex omnibus penè locis Episcopi convenissent, & (ut fieri solet) diversis ex causis inter se quadam jurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis; offerebantur libelli, culpa proferebantur; & magis ad hæc, quam ad id pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns quod per hujusmodi jurgia causa summi negotii frustraretur, diem certum statuit, quâ unusquisque Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur deferret, & cum resedisset, suscepit à singulis libellos, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos:* Deus vos consti-

Thuan. hist. lib. 15. ad A.D. 1555.

Apol. pro libris advers. Iovinianum c. 4.

Greg. lib. 4. epist. 31.

constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium, & vestra jurgia quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen; vos etenim nobis à Deo dati estis Dei, & conveniens non est ut homo judicet Deos; sed ille solus de quo scriptum est, *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* & ideò his omissis illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione, distinguite: *cum hac dixisset, omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri; ne innotesceret ulli hominum simultas sacerdotum.*

Psal. 82. 1.

De narrationis (cujus Socratem & Theodoretum puduit) fide securus Gregorius, eam pro vera habuit; sed multa sunt quæ falsi coarguant; 1. hyperbolicè admodum *ex omnibus penè locis Episcopos* convenisse scripsit Ruffinus, quandoquidem ex toto Imperio vix 317. capita (inter quæ Chorepiscopi 14) comparebant, paucissimi ex Occidente præsules exempli causâ, ex Gallicana Diœcesi unicus Nicasius Diniensis, ex Hispanica unicus Osius Cordubensis, ex Africana Cæcilianus Carthaginensis, &c. cum Joanne Persidis Episcopo convenerunt, ut decuplo plures domi remansisse necesse sit. 2. Etsi nulla inter eos qui Nicææ congregati suborta *jurgia* asserere animus non sit, libellis *frequenter* à litigantibus oblatis *interpellatum* principem fuisse probabile non est: quid enim opus erat inutili libellorum oblatione, eundem in Synodo jus patribus dicturâ præsentem, & cum patribus judicantem tædio afficere? 3. *Certam* injuriâ affectis, *quâ querimonias* promerent, & *libellos offerrent, constitutam diem, exustisque* (quos ne legere dignatus erat) *libellis* diffidentes, *Dei solius judicium exspectare*, jussos fuisse, & iniquè finxit Rufinus; & adversus expressam Eusebii (qui Synodi pars magna fuit) testificationem, impudenter: Si enim *scindebantur studia in contraria*, Synodi membra, eademque pendebat incerta; quid absurdius & iniquius cogitari potuit, quam (omissâ redintegrandæ inter fratres concordiæ curâ) injuriam passorum spes omnes in supremam seculi horam, inani hoc prætextu mutuas litigantium accusationes * χαιρὸν οἰκεῖον ἔχειν τὴν ἡμέραν τῆς μεγάλης κρίσεως, dilatas

Hac omisit Gelas. Cyzic.

* *Sozom. ex Rufino lib. 1. c. 10.*

latas fuisse? cum præsertim disertè Eusebius † monuerit, *vicinorum* accusatores, quantumvis φιλονείκως ἐνισταμένους, ἀνεξικάκως auditos, nullâque interpositâ morâ ad concordiam & pacem revocatos fuisse? 4. Æquè falsò & absurdè Episcopos dissidentes *ab hominibus judicari non posse* protestatum, Rufinus asseruit, Constantinum; quem revera *Episcoporum* in ipso Nicenorum patrum consessu *judicem* egisse constabat. Si enim præsules *ab hominibus judicari* nec posse, nec debere, & credidit, & professus est Imperator: quo fato (adversus conscientiæ propriæ dictamen) quam suprà vires noverat rem aggressus, Eusebium, qui *immiscere se rei ad se non pertinenti culpam esse* non ignorabat, laudatorem nactus est? ipsum utpotè oculatum testem audiamus, ἀνεξικάκως ἐπηκροᾶτο βασιλεὺς τῶν πάντων, σχολῇ τ' εὐτόνῳ τὰς προτάσεις ὑπεδέχετο, ἐν μέρει τ' ἀντιλαμβανόμενος τῶν παρ' ἑκατέρου τάγματος λεγομένων ἠρέμα συνῆγε τοὺς φιλονείκως ἐνισταμένους, πράως τε ποιούμενος τὰς πρὸς ἕκαστον ὁμιλίας, τοὺς μὲν πείθων, τοὺς δὲ καταδυσωπῶν τῷ λόγῳ, τοὺς δὲ εὖ λέγοντας ἐπαινῶν, πάντας τ' εἰς ὁμόνοιαν ἐλαύνων εἰς ὅθ' ὁμογνώμονας καὶ ὁμοδόξους αὐτοὺς ἐπὶ τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἅπασι κατεστήσατο. Dixeris forsan Imperatorem partes suas, dum de fide disceptarent Episcopi, interposuisse, nec Eusebii verba ad causas eorundem personales Rufino memoratas trahenda esse; sed hoc ipso nodum adversus ipsummet Rufinum fortius stringes, ne ipsi quomodocumque exortum errorem seminasse impunè sit. Si enim in causa hæreseos principem cum Episcopis cognitorem esse licuit, quanto magis in quæstionibus morum? 5. Absurdum rursus & ἀσύστατον quod hinc Constantino, inde Episcopis Rufinus, ejusque exemplo Sozomenus & Gelasius Cyzicenus imputarunt; si enim *Episcoporum jurgia nullius hominis judicio subdenda*, sed *divino examini reservanda*, ex Psalmo 81. (quem de *judicibus & principibus* quibuscunque agere, Hieronymus, Arnobius, &c. notant) constabat; tantâne sui juris ignoratione eosdem laborasse credibile est, ut id (quantum quantum fuit) *libellorum* principi nondum lavacro regenerationis tincto oblatorum subscriptione, spontè abdicaverint; nec ante ad sanam mentem redierint, quam eos omnes quid sui officii esset Catechumenus princeps docuerit? si nesciebant, unde novit ἀμύητος? si noverant, qui factum ut

† *Euseb. lib. 3. de vita Const. c. 13.*

ut (nescientium more) susque deque habito & Davidis oraculo, & Episcopali προνομίῳ, ad *humani*, (non cujuscunque, sed *laici*, necdum Christi tesserâ donati) *judicis* tribunal *velut agmine facto* occurrerint? 6. Constantinum, sive præcedentia, sive subsequentia ejus acta spectemus, cum se Clericorum quorumcunque *judicem* (sicubi res exegisse visa est) exhibuerit, quicquid Rufinus comminisci ausus est, protestatum fuisse impossibile prorsus est. Anno ante Nicænam Synodum 8 exeunte, Christi 316, post Synodorum Romæ & Arelate congregatarum, *inter partes Caciliani causam cognovit*. Anno 321. Maji 5. ad Celsum Vicarium scribens, aliud in causa eadem judicium spopondit; *personas* (inquit) *quæ res istiusmodi concitant, faciuntque ut non cum ea quâ oportet veneratione summus Deus colatur, perdam atque discutiam*, &c. *tam super plebe, quam super Clericis his, qui primi sunt, sum diligentissimè quæsiturus, idque judicaturus, quod verissimum & religiosissimum esse manifestum sit*. A. D. 326. de pœna, quam Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicænus commeriti erant, irroganda, sententiam dixit in hæc ad Nicomedienses verba; πρὸ τοῦ περὶ τοὺς ἀχαρίστους τούτους ἔκρινα πρᾶξαι, ἁρπαγέντας γὰρ αὐτοὺς ἐκέλευσα ὡς πορρωτάτω ἐξορισθῆναι. A. D. 328. Eustathium Antiochenum in Thraciam relegavit; eodem ferè tempore Athanasio sequentes minas intentavit; ἐὰν γνῶ ὡς εἰ κεκώλυκάς τινας τῆς ἐκκλησίας μεταποιουμένους, ἢ ἀπεῖρξας τῆς εἰσόδου, ἀποστελῶ παραχρῆμα τὸν καὶ καθαιρήσοντά σε ἐξ ἐμῆς κελεύσεως καὶ τῶν τόπων μεταστήσοντα. Eundem paulò post à Meletianis accusatum absolvit, sic enim de se apologia 2. ipsemet, ὁ μὲν βασιλεὺς ἐν τῇ Ψαμμαθίᾳ ἤκουσεν ἡμῶν, αὐτοὶ δὲ συνήθως καταγνωσθέντες ἐρρίφησαν. A. D. 332. cum homicidii reus peractus esset γράφει [βασιλεὺς] εἰς Ἀντιόχειαν Δαλματίῳ τῷ κήνσωρι ἀκοῦσαι περὶ τῆς τοῦ φόνου δίκης. Compertâque accusati innocentiâ ἔπαυσε τὸ δικαστήριον κήνσωρος. A. D. 335. repetitis accusationibus odiosum factum Tyri se sistere jussit, ἐμοὶ γράφει καὶ ἀνάγκην ἐπιτίθησιν ὥστε καὶ ἄκοντας ἡμᾶς ἐπιστέλλεσθαι. Convocatis ad Tyriam Synodum præsulibus exilium ni parerent minatus est, ἐάν τις τὴν ἡμετέραν κέλευσιν διακρούσασθαι πειρώμενος, μὴ βουληθῇ παραγενέσθαι, ἐντεῦθεν παρ' ἡμῶν ἀποσταλήσεται, ὡς ἐκ βασιλικοῦ προστάγματος αὐτὸν ἐκβαλῶν, ὡς οὐ προσῆκεν ὅρους αὐτοκράτορος ὑπὸ

August. Brevic. coll. 3. diei.

τῆς ἀληθείας ἐξελεγχθεῖσιν ἀντιτείνειν, ab iisdem post damnatum Athanasium actorum rationem exegit *ἀπειγμένως πάντας ὑμᾶς πρὸς τὴν ἐμὴν συνελθεῖν εὐσέβειαν βούλομαι, ἵνα τὴν τῶν πεπραγμένων ὑμῖν ἀκρίβειαν δι' ὑμῶν αὐτῶν παραστήσητε*, paulò post Athanasium eundem adversariorum calumniis obrutum Treviros amandavit; nec ab Athanasiana, aut Eustathiana diversa fuit Romani pontificis conditio. Nam (attestante Romæ à Damaso Papa anno 378. contracto Concilio) *Silvester Papa à sacrilegis accusatus apud* [Gratiani] *parentem Constantinum causam propriam prosecutus est*; annis verò 367. & 378. Imperialis [1] *judicia tranquillitatis probata Damasi innocentia*, cum is [2] *in sua causa Imperialis teneret insigne judicii, vitaque ejus principis clementiâ judicata esset, post sententiam judicium non declinavit*; [3] *sed exempla majorum secutus, petiit, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non crederetur, apud Concilium se imperiale defenderet*: quam iniquè & impiè, si (quod Rufinus primus vigilans somniavit) Episcopi *divino examini reservati, Dei solius exspectare judicium* debuerunt; *non potuerunt ab hominibus judicari*; fuitque *inconveniens ut illos homo judicaret*? Facessat igitur procul, perpetuâ Constantini, totiusque antiquitatis praxi profligatum, quod tanto tempore tam multis imposuit infruniti (si Hieronymum audiamus) hominis delirium: nec ad movendum nobis commenti fastidium leve sit, quod illi ipsi apud quos primos fidem invenit non nisi castigatum admiserunt: [4] Sozomenus qui sacerdotum (Rufini exemplo) lites in diem ultimam distulit, iisque *δικαστὴν* Dominum unum assignavit; nullum Psalmi locum à Constantino laudatum refert; [5] Gelasius geminum *ego dixi Dii vos estis, & filii altissimi omnes*; de quo apud Rufinum nihil: & *Deus stetit in Synagoga Deorum*, quem productiorem citaverat, Rufinus; ubi verò apud eundem legit, *potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi* inductâ voce *nobis*, verbisque sequentibus *& ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari, propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis & Dei dati estis Dii; & conveniens non est* ut homo judicet *Deos*; *sed ille solus de quo scriptum est*, &c. alia quæ sensum diversum

Append. Cod. Theodos. p. p. 88.
Constantinus M. Faustæ maritus.
Constantius Faustinæ maritus.
Constantia posthuma Gratiani uxor prior.
[1] P. 85.
[2] P. 87.
[3] *Ibib. p. 88.*
[4] *Lib. 1. c. 16.*
[5] *Lib. 2. c. 8.*

versum faciant subjicit, hæc nimirum: τοῦ θεοῦ ὑμᾶς προχειρισαμένου ἱερεῖς τε ἄρχοντας, κρίνειν τε, καὶ διακρίνειν τὰ πλήθη, καὶ θεοὺς εἶναι, ἅτε δὴ ἀνθρώπων ἁπάντων ὑπερέχοντας ὁρισαμένου κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐγὼ εἶπα θεοί ἐστε. *postquam nos Deus sacerdotes, & judices, ad judicandas & dijudicandas multitudines promovit, Deosque tanquam cæteris hominibus præstantiores esse decrevit secundum dictum, ego dixi,* &c. Gregorius denique primus, cujus locum Nicolaus I. epistolâ 8. & Gratianus *caus.* XI. q. I. c. 41. exscripserunt; singula hæc resecuit, *potestatem* sacerdotibus *de* principibus *judicandi*, *datam*; *datos* eos principibus *Deos*; eos *ab hominibus non posse iudicari*; eos *Dei solius expectare judicium*; eorum *jurgia quæcunque sunt, ad illud divinum examen*; hoc uno *dignum non esse ut principes Deos*, id est sacerdotes *judicent* contentus; quod nemini ante annum 367. à Niceno Concilio 43. in mentem

Ambros. lib. 2. *epist.* 3. *seu* 13. venerat; quo primum Valentinianus major, *legibus suis sanxit*, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; *hoc est sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare; quin etiam, si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere*, in cæteris enim vi tantum compromissi, juxta leges à Constantino anno 318. Junii 23. & 331. Maji 5. latas à litigantibus *cognoscendi partes* Episcopis *imponi* poterant, ea lege ut *pro sancto haberetur, quicquid ab iis judicatum fuerat*; quod tamen non semper observatum fuit, quandoquidem in causa, quam cum Marcello Episcopo, sub *compositionis arbitro* Ambrosio, habuit; potuit,

Lib. 6. *epist.* 4. *seu* 49. post annum 374. (ipsomet Ambrosio teste) lætus *non acquiescere.*

Sed nec plenam vel Gregorii ævo apud omnes, vel apud Gregorium ipsummet anno 593 à Concilio Niceno 268, à Rufini obitu 183, fidem invenerat: Episcopos *Deos esse*, quos principes *judicare dignum non sit*; siquidem eos Mauritii *manui* (ut *iis dominaretur*)

Lib. 2. *epist.* 61. 4 *epist.* 31. *commissos*, se *indignum pietatis* Mauritii ejusdem *famulum*; *jussionibus* ejus *subjectum*, qui eum *Dominum habuerat, quando is adhuc Dominus omnium non erat; pulverem & vermem coram eo loqui; quæ debebat exsolvisse ei obedientiam præbentem; datam ei super omnes homines potestatem*

Lib. 5. *epist.* 63 credidit; annoque 596 quia *causa secularis judicis intererat, Episcopos ad pietatis* Imperatoriæ *vestigia existimavit esse transmittendos*; si sacerdo-

cerdotes principum comparatione *Deos* putavit, quî factum ut eos principis *manui commissos*, homini *omnium Domino* subditos *Deos* scriberet? si *dignum non fuisse* putavit *principem de sacerdotibus judicare*, qua mente sacerdotes qui judicandi sunt *ad* principis *vestigia transmittendos* existimavit? an ut quod nec se, nec principe *dignum* erat præstarent? Si denique (ut Rufini incogitantia manifestior evadat) se *hominem* professus Constantinus, Episcopos pro *Diis* habuit; quo ausu iis & minas intentavit, & pœnas irrogavit, & mandata dedit, & *humanam* infirmitatem *Divina* majestati prætulit? si non poterant *ab hominibus judicari*, quo fato sæpius *judicavit*, & quod (suo judicio) *fieri non poterat*, nec *conveniebat*, reipsa fecit? si *solius Dei judicium exspectare debuerunt*, cur *apud* eum *propriam causam* judicandus *prosecutus est Silvester Papa*, Gratianique *clementiâ* post annos circiter 30. Damasi *vita judicata est*?

Vides (lector) Rufini commentum, quod indubitata historiarum monumenta penitus evertunt nulla consistere ratione posse, propria Gregorii septimi eo abutentis σφάλματα indicanda restant, ne cui deinceps ruendi occasio sint; I. *Constantinum Regum omnium & principum ferè totius orbis Dominum* fuisse, nec ex Gregorii primi epistola (quod prima fronte videri possit) à septimo petitum est, nec verum; Cum enim sub Constantino & posteris in diœceses 14. provinciasque 119 tandem divisum sit Imperium, Reges nullos clientelares habuit, nisi fortè Anaballianum Constantini propinquum, & Bacurium Ibericum; nec ultra Danubium, Rhenum, Euphratem protensum fuit; extra ejus fines in Occidente; Hibernia, & Britanniæ pars Septentrionalis cum adjacentibus insulis; Germania inter Danubium & Rhenum sita; Sarmatia tota, in Asia, Scythia Asiatica, Persarum regnum, Arabia felix, India ad Sinas usque; in Africa Æthiopia gentesque aliæ barbaræ sitæ, quæ omnia longè maximam veteribus noti orbis partem efficiunt, ut non injuria enumeratis Romani orbis diœcesibus *innumerabiles insulas, provinciasque, quæ vix numerari possint*, superesse scripserit Optatus lib. 2. II. *Post omnes Episcopos in Nicana Synodo ultimus* nec *resedit*, nec eum resedisse dixit Gregorius primus; nam Eusebio oculato teste, aucto- *De vita lib. 3. c. 10.*
re; πάντων ἐξαναςάντων ὅτι συνθήματι ὁ τὴν βασιλέως εἴσοδον ἐδήλυ, αὐτὸς

αὐτὸς λοιπὸν διέβαινε μέσος, &c. ἐπεὶ δὲ παρελθὼν ἐπὶ τὴν πρώτην τῶν ταγμάτων ἀρχὴν μέσος πρῶτος ἔστη, σμικροῦ τινὸς αὐτῷ καθίσματος ὕλης χρυσοῦ πεποιημένου προτεθέντος οὐ πρότερον ἢ τοὺς ἐπισκόπους ἐπινεῦσαι ἐκάθιζε. ταυτὸν δ' ἔπραττον πάντες μετὰ βασιλέα. *Consurgentibus ad signum, quod Regis introitum indicabat, universis; per medios ipse de cætero transiit,&c. simulac verò ad primum ordinum initium prætergressus constitit, posito prius parvo quodam ex auro fabrefacto sedili, priusquam Episcopi innuissent, non consedit. Idem verò post Regem fecerunt universi.* Intravit ergo *ultimus*, sed antequam introïret *signo dato consurrexere omnes*, *per medios*, honorificentiæ causâ stantes *processit*; *sedili parvo*, sed *ex materia pretiosiore*, locoque *honoratissimo posito*, *consedit*, rogantium *nutibus* invitatus *sedit* prior, nec nisi eo jam sedente alii *consederunt.* III. Sequentia universa, *nullam judicii sententiam* Constantinum *super* Episcopos *dare præsumpsisse*; Episcopos eundem *Deos vocasse*; Episcopos *ejusdem judicio subesse non debuisse*; se denique *ad illorum arbitrium pendere judicavisse*, & falsa sunt, quia sæpius *super Episcopos* Cæcilianum nimirum, Eusebium Nicomediensem, & Theognim Nicænum, Eustathium Antiochenum, Athanasium Alexandrinum, & Silvestrum Romanum, *judicii sententiam dedit*; subditos, non *Deos* credidit; eosdem *suo judicio subesse debere* docuit; ut ad *nutum* obedirent, non ut ipse *ad eorum arbitrium penderet*: & à Gregorii magni mente alienissima, qui se *indignum* Mauritii *famulum* ejusdem *jussionibus subditum* professus, ei *obedientiam præbere desideravit*, eamque *præbens*, *exsolvere se quæ debebat* judicavit. Hæc tamen omnia & vera & certa esse statuamus, quis ad Gregorii primi mentem, septimi adversus Henricum III ἐγχείρημα fecisse dixerit? Si ex eo quod sacerdotes *Deos* sive verè sive falsò vocasse Constantinus dicitur, non modo *Regibus* (qua *Reges* sunt) superiores eos esse, sed *Regum* (si demereantur) deponendorum potestate præditos credere necesse sit; Romani pontificis (quod multi nunc perperam autumant) propria nequaquam fuerit, sed omnium communis; quandoquidem Papa nec aliis ullis *magis sacerdos* est; nec (qua *sacerdos*) potestate potior, sed æquo cum minimis collegii ejusdem jure nec ad eum, ex titulo *Deitatis* (si Rufini commenta sectemur) communi, peculiaris in eum vis dimanaverit; sed (Gregorio ipso magno judi-

judice, qui Rufini fabulam Mauritio Augusto *non pro se*, sed *pro cunctis sacerdotibus suggessisse* se protestatus est) ad omnes ex æquo pertinens, ut quemlibet è sacerdotali choro (quod ipsa nunc Roma nequaquam probaverit) pari jure contingat Regum destituendorum potestas, quæ in *unum verum Deum* (*quo solo minores* eos vetus Ecclesiá professa est) cadit. *Vide Tertul. apol.*

Regibus malis qui religiosè non vivunt actibusque suis Deum (ut oportet) non metuunt; Dæmones, hac in parte *dominari, cum se* non regant, *Reges* non præstare: *Diaboli corpus esse*; eo fine *Dominatum affectare, ut intolerabilem superbiam ostentent, animique libidinem expleant*, jure nemo negaverit, sed in *Reges* (etiam pessimos) qui legitimo titulo imperant. si regnandi (quâ indignis modis abutuntur) potestatem sibi vendicent, Augustini à Gregorio VII laudata verba torqueri nequaquam possunt, hæc nimirum: *Cum eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectant, intolerabilis omninò superbia est.* Nec enim *naturaliter paribus*, sed (jure divinitus ordinato, quo superiores cæteris hominibus facti sunt) minoribus, se præferunt; nec *intolerabilis superbia* rei sunt, sed assignati gradus tenaces; nec *dominari affectant*, id est *dominatum* ad se non pertinentem usurpant, sed debitum sibi arrogant, cum collatam semel regnandi potestatem mordicus tuentur, suumque sibi jus sartum tectum servari volunt: *legitimi* (si jus legitimæque potestatis titulum spectes) *Reges*, sed optimâ potestate malè usi, quo nomine Deo, qui potestatis illius verus auctor, eamque liberrimo arbitrio contulit, non hominibus, in quos contulit, pœnas debent, & suo tempore (nisi ex officio agant in melius mutati) dabunt. *De doctrina Christiana lib. 1. c. 23.*

Quærit Septimus, *quis dubitet sacerdotes Christi, Regum & principum omniumque fidelium patres ac magistros censeri*, ut mox *à genere in genus* (quod vitiosissimum est) transitum faciens, inferat *miserabilis insaniæ esse, si filius patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subjugare; & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse ac solvi.* Sed illatio hæc tota inconveniens, & ab omni planè ratione aliena est; cum sensus ipse communis uni eidemque homini in diversis ordinibus constituto, alia atque alia uno eodemque tempore

& officia & nomina convenire doceat; nec absurdum esse, si qui *pater & magister* habetur, alio respectu *filius ac discipulus* audiat; qui enim in familia naturâ *filius* est, & *patri* (natalium jure) *subditus*; in republica naturalis patris, *pater* politicus esse potest Majestatisque jure *Dominus*; hinc Mauritius ad Imperium evectus Pauli *filius* esse, eique *filiale* obsequium exsolvere non destitit, licet Paulus idem, qui patriâ potestate nequaquam exciderat (quà *civis*, non quà *pater*) Mauritium *filium* Romani *orbis caput*, & *patriæ patrem* factum, æquo cum subditis aliis jure, benignum *patrem* ac *Dominum* veneraretur. Qui rursus in schola *discipuli* partes implet, si quando in throno Majestatis consideat, *Magistris* ut aliis omnibus imperat; hinc Augustus Apollodoro Pergameno, Sphæro, Areo & filiis; Dionysio & Nicanore *magistris* usus, *discipulumque* ex animo professus, varia eorum eruditione post principatum repleri non erubuit; nec minus *principem* egit; iisdem, quos *Magistros* colebat, *dominatus*. In Ecclesiæ etiam Christo capiti subdito corpore, qui *singulare membrum* est, & *ovis spiritualis, pastorum* ductum sequens, non *pastor* in *republica* politico corpore (quod *Ecclesiam*, Optato teste, complectitur) *caput* eminet, *pastorem populorum* agit, ipsosque Ecclesiæ sacerdotes, (in spiritualibus, sub Christo summo pastore, *pastores*) in civilibus (ceu totidem reipublicæ *membra*, politicasque *oves*) *pascit*, & *dominio* (quà tales sunt) *subditos* habet. Hinc Augusti Mauritii in Spiritualibus *pater* Gregorius magnus, ejusdem (ut *rerum Domini*, & com-
Lib. 2. *epist.* 62. munis plebis patris) *manui commissos sacerdotes*, imò se *indignum* ejus *famulum*, regali *jussioni subjectum* sponte confessus, nec principale fastigium exhorruit; nec *iniquas obligationes*, quæ Clericos summis potestatibus subjicerent, reputavit; nec exemptos laïcorum quo-
Lib. 4. *epist.* 31. rumcunque dominio sacerdotes protestatus est; sed Mauritio ipsemet *obedientiam præbere desideravit*; eam *præbens, se quâ debuit exsolvere*, credidit; sibi ab Imperatore, suique ordinis hominibus, abundè satisfactum testatus est, si *sacerdotibus ita dominaretur, ut debitam reverentiam impenderet*: incommodè vero ac præter Scripturæ veterumque mentem, *non solum in terra, sed etiam in cœlis ligari posse &*
In Matth. homil. 61. *solvi, à sacerdotibus* principes scribit, cum ex Chrysostomi sententia non προέδρῳ, δέησον τοιοῦτον, sed λελυπημένῳ ἐὰν δεήσῃς dixerit Dominus:

minus: Nec *ligandi solvendique in cœlo* homini cuiquam potestatem tribuerit, quasi quicquid hîc quomodocunque *ligaverit* aut *solverit*, *ligasse* idem aut *solvisse in cœlo* videatur; *remittere* enim *aut donare indulgentiâ suâ servus non potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est*, &c. *nec statim videri potest de divina majestate concessum quod fuerit humanâ pollicitatione promissum*: observandum itaque ex Ambrosio, *remitti peccata per officium sacrumque ministerium sacerdotis*, [1] *non potestatem usurpantis, sed servientis imperio*. 2. ex Hieronymo [2] eos *aliquid sibi de Pharisæorum assumere supercilio qui vel damnant innocentes, vel solvere se noxios arbitrantur, cum apud Deum non sacerdotum sententia, sed reorum vita quæratur*. 3. ex Origenis verbis in Decretum *causa* 24. q. 4. c. 7. relatis, eum *qui non recto judicio foras mittitur, si non antè exierit id est si non egerit, ut mereretur exire, nihil lædi; interdum eum qui foras mittitur, intus esse, & qui foris est, intus retineri videri*. 4. ex Hieronymo denique & Cypriano; sive *soluta*, sive *ligata* ab hominibus *in terra* peccata credantur, non eo sensu *solvi* aut *ligari in cœlo* dici, ut homines ulli *in cœlo* quicquam sive *ligando* sive *solvendo* agere propriè credantur; sed ut ab iis ex officio sive *ligatos* sive *solutos in terra*, à Domino ipsomet *in cœlis ligari* aut *solvi* statuamus: sic enim ille in Matth. c. 18. *potestatem tribuit Apostolis ut sciant qui à talibus condemnantur, humanam sententiam divinâ sententiâ roborari; & quodcunque ligatum fuerit in terra* (ab Ecclesia) *ligari pariter & in cœlo*, à Domino scilicet: hic verò tractatu de lapsis: *Nec quicquam sibi usurpat & vindicat humana sententia, nisi annuat & censura divina*.

Cyprian. de lapsis.

De Abel lib. 2. c. 4.

[1] *In Psal. 38.*

[2] *In Matth. 16.*

In Levit. homil. 24.

Subductis ad unum quæ malè jacta videbantur feralis illius, quam sibi anno 1076 primus in temporalia Regum Gregorius VII arrogavit, potestatis fundamentis, immanem ejus (quanta quanta est) inevitabili casu molem ruere necesse est; cum firmiora ulla vel ex Scriptura, vel ex antiquæ Ecclesiæ decretis, & praxi, quibus ruinam (quamprimum stare cœpit) minantem statuminaret, fulcra habuisse eum verisimile non sit, & potiore ad eandem usurpandam argumento, quam ex decessoris exemplo petito inducti non videantur, quotquot ab annis ferè 570 ad fatalem illam Regibus machinam perfugium fecerunt; & quam tuendam susce-

perunt causam, imprudentes prodant quotquot Gregorii VII (cujus, ex privilegio loci, omni exceptione major auctoritas videri poterat) præsidiis diffisi, melioribus investigandis per annos jam plus minus 60. irrito conamine insudarunt; quandoquidem exactis ferè XI (à Christo nato) seculis, novam (quâ semper anteà caruerant Christiani priores) in Ecclesia exortam potestatem fuisse prorsus improbabile est; cum aliis Christiana resp. dotibus aucta, præstantioribusque promissis quam quæ prioribus Christianismi sæculis floruit, munita non sit. 2. Nullam unquam hominis cujuscunque in Reges Regumque temporalia potestatem agnovere, quotquot ante Gregorii VII ætatem vixerunt Christiani, cum Reges *uni Deo subjectos*, omnique (quoad homines) *pœnarum metu solutos*, constanter à primis Ecclesiæ temporibus, ad undecimum usque sæculum professi sint; nullusque qui in contraria sententia fuerit, notari possit. Hinc circà A. D. 200. Tertullianus [1] *sentiunt* [Impp.] *Deum esse solum in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos, & super omnes homines*: Idem [2] *Imperatorem Deo commendo cui soli subjicio.* Item [3] *Colimus Imperatorem sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit; ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem: Hoc & ipse volet; sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* Osius Cordubensis epistolâ anno 355. ad Constantium Augustum datâ: οὐχ' ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν *nobis fas non est in terra principatum tenere;* quanto minus *Regibus imperare*, ut quandocunque libuerit loco cedant. Basilius magnus anno circiter 370. de Davide in Psalm. 37. ὡσ βασιλεὺς ἐπαιρόμενος, διὰ τὸ μηδενὶ κριτῇ ὑποκεῖσθαι, *velut Rex attollitur, quod nulli judici subjaceat.* Optatus Milevitanus anno plus minus 378 adversus Parmenianum lib. 3. *Meritò Paulus docet orandum esse* pro Regibus *& potestatibus, etiamsi talis esset Imperator qui gentiliter viveret, &c. Cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas; ut se, ut Deum, non hominem æstimaret; non verendo eum qui post Deum ab hominibus timebatur.* Ambrosius eodem ferè tempore in Psal. 40. *David quasi Rex, legibus non tenebatur humanis; Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.*

Apo-

[1] *Apol. c.* 30.
[2] *Cap.* 33.
[3] *Ad Scapulam.*

Apolog. David. c. 10. *nullis David legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum, nec enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperii Majestate.* Hieronymus epistolâ 22. circà annum 383. data *ad Dominum, pœnitens David loquitur,* Tibi soli peccavi, &c. *Rex enim erat, alium non timebat;* quod epistolâ 46. c. 3. repetit. Felix 3. epistolâ ad Zenonem Augustum anno 483. datâ *vice Dei præsides:* Anastasius epist. ad Anastasium Imp. anno 497. scriptâ *Imperatorem (velut Vicarium) Deus præsidere jussit in terris:* Arnobius junior (quem Cassiodorus, Euthymius, Glossa sequuntur) in Psal. 50. *Rex sub nullo alio nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccavit.* Gregorius Turonensis in Concilio Parisiis in Basilica S. Petri Apostoli (quæ nunc S. Genovefæ dicitur) anno 577 congregato, ad Chilpericum Regem. *Si quis de nobis (ô Rex) justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest; si verò tu excesseris, quis te corripiet? loquimur tibi, sed si volueris, audis; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciavit esse justitiam?* Gregorius magnus lib. 2. Ind. 11. id est anno 593. epist. 62. ad Mauritium Augustum. *Ego indignus pietatis vestræ famulus, in hac suggestione neque ut Episcopus neque ut servus, jure reipublicæ, sed jure privato loquor; quia Serenissime Domine ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras,* &c. *potestas Dominorum meorum pietati cœlitus data est super omnes homines,* &c. *respondebit Christus dicens,* &c. *ego sacerdotes meos manui tuæ commisi; & ego quidem jussioni subjectus,* &c. *quæ debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui:* & lib. 4. epist. 31. anno 595. datâ; *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat,* si enim Regi *cœlitus potestas in omnes homines data,* si *sacerdotes, ejus (jure reip.) servi;* si Gregorius ipse *jussioni subjectus famulus, obedientiam, præbendo quæ debuit, exsolvit;* si *manui* Regis à Christo *sacerdotes commissi sunt;* si denique *sacerdotibus* jure *dominari* potest: quid falsius & ex Gregorii sententia absurdius effingi potuit, quam *ad sacerdotum, jure reip. servorum* (quod Gregorius VII voluit) *arbitrium,* ipsis *cœlitus datum* Dominium *pendere,* ut eorum quibus ex officio *dominatur judicio* exauctorandus

Lib. 5. c. 19.

randus ullo in casu *subsit* ? Beda circà annum 730. in Psalm. 50. *Rex si peccat, soli Deo peccat, quià nullus illum pro peccatis suis puniet.* Bruno Herbipolensis anno 1040. denatus, in Psalmi 50 enarratione post Gregorii VII natalem scripta, *Quando Rex delinquit, soli Deo reus est: ille igitur Rex soli Deo peccare se dicit, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet.* Otto Frisingensis epistolâ anno 1157. à Gregorii VII decessu 72. exeunte, ad Fridericum Imp. scriptâ: *Cum nulla inveniatur persona mundialis, quæ mundi legibus non subjaceat, subjacendo coërceatur; soli Reges (utpote constituti supra leges) divino examini reservati; seculi legibus non cohibentur; undè illud*
Psal. 50.6, *est tam Regis quam propheta testimonium*, Tibi soli peccavi, &c.
Hebr. 30. 31. *Cum juxta Apostolum omni mortali* horrendum *sit* incidere in manus Dei viventis, *Regibus tamen qui nullum præter ipsum suprà se habent, quem metuant; eo erit horribilius quo ipsi cæteris possunt peccare liberius.*

3. Ecclesiam tum demum cum Paganismo everso rabidos monstrorum in Dei monarchiam, Trinitatem, incarnationem Dominicam, armatorum conatus fregit; Reges *filios* ac *nutricios* habere, opibus ac pace diffluere cœpit invidiosa in Reges eorumque temporalia potestate (quâ anteà penitus destituebatur) auctam fuisse statuere, æque absurdum est, ac si quo maxime tempore ad propulsanda insana Satanæ mancipiorum molimina potestas illa necessaria videri poterat, eam defuisse; quo illa minus indiguit adfuisse; summumque piorum curatorem Deum, quando maximè fovere eos oportuit neglexisse dicamus. 4. Non minoribus incommodis quocunque se vertat gravabitur, quisquis penes priorum seculorum Ecclesiam potestatem quam primus ex Hildebrando Gregorius exercuit, sed ἀργὸν fuisse dixerit; vel enim sibi ab initio datam scivit Ecclesia, vel nescivit: Nescivisse si finxeris, & in Deum impius, quasi in necessariis defuerit, dona non utenda, in veterno correptorum, (ne quid sibi boni contigerat, nosse possent) sinu fundens; & Ecclesiæ primitivæ injurius, quasi à primis cunabulis, non (ca-
Ioan. 9. tulorum more) ad paucos dies: non (cæci nati instar) ad *annos* plus minus 40; sed ad secula ferè undecim, oculis capta, seipsam suaque ignoraverit; quæ procedente tempore posteris (quos sequior

sequior ætas vitiosiores tulit) sponte patuerint. Si rursus eam, quid sibi in *potestate* vel *temporali*, vel *in temporalia* opis esset scivisse, ejusdem tamen usu (per mille, & quod excurrit, annos) consultò abstinuisse malueris; *insanâ* (velis nolis) *insaniorem* credideris, cum insanum vel ignarum sibi deesse aliquem; scientem prudentem utilium ac licitorum usum (quando maximè opus est) abdicando seipsum prodere excusationem nullam mereatur. 5. Cum partim falsis ac depravatis, partim impertinentibus & in alienum sensum detortis principiis (quod ad oculum demonstrasse nos speramus) tota quam anno primum 1076. Gregorius VII procudit potestatis temporalis assertio nitatur; verumque ex solis veris, necessariis, & immediatis necessariò deducatur; non nisi falsa & vitiosa esse potest tam Gregorii quam sequacium conclusio, *Reges quos Rom. Ecclesia vel inutiles, vel damnosos judicaverit ejusdem decreto abdicare fas esse.* 6. Ad confirmandam Romanæ Ecclesiæ in Regum temporalia potestatem, aptiora quam fuerint Gregorii VII, ad Herimannum Metensem argumenta à nuperis excogitata fuisse, & falsum est, & (si verum demus) ad potestatis illius assertionem inutile, quæ *vitioso* primum *orta principio, non potuit tractu temporis convalescere*, quantumvis novo apparatu circumvestita plures indies admiratores nacta sit. 7. Gregorii VII licet in præmissis (quibus Romanæ Ecclesiæ *in* principum *temporalia potestatem* se demonstraturum speravit) erraverit, veram certamque conclusionem putare à ratione prorsus alienum est; nulla enim alia veram indubitatamque asserentibus elabendi via, quam si (quod pontificiæ Majestatis cultores nunquam admiserint) *ecstasi* * (*ut quod loqueretur nesciret*) correptum, *in morem insanientium fœminarum*; ac † veluti ὑποζύγιον ἄφωνον *hominis* olim *voce* usum *sine mente sonum* *dedisse* somnient.

* *Hieron. præf. in Habac. & Esaiam.*

† 2 *Pet.* 2. 16.

Nutantis Herimanni, qui inter factionis signiferos ab initio (utpote gente Saxo) fuerat, hostilis in Henricum Regem animus, famosâ illâ quam refutavimus Gregorii VII epistolâ confirmatus ad tempus obduruit, sed suo damno; cum enim anno 1078 † *ab Ecclesia sua recessisset fugiens* suffectusque S. Arnulfi Abbas Walo, paulò post abdicasset; anno 1085. *in Synodo* Moguntiæ hebdoma-

† *Apol. pro Henrico l.* 2.

[1]Reconciliatum Henrico Herimannum docet charta trāslationis S. Clementis A.D 1090. Indict. 13. Regnante Domino nostro Jesu Christo, Imperante Henrico III. Cæsare Romanorum nobilissimo data.

[2]De bello Saxon

[3]Apol. pro Henrico lib. 2.

[4]Aliàs Vigbertus.

de 2 post Pascha, *damnatus atque depositus est*; nec amissam (quam Bruno Salmensis occupaverat) sedem nisi ad paucissimos dies [1] placato Henrico recuperavit, anno 1090. Maii 4. denatus. Paucissimis aliis datam Romano Papæ *in temporalia* principum *potestatem*, fidem Gregorius & Herimannus fecerunt: Nam (Brunone ipsomet [2] teste) Sighehardus Aquileiensis *Patriarcha qui Legatus Apostolici, maximus auctor abjurationis extiterat, & novi Regis instituendi; posteà exregi quasi Regi sociatus retrogradus effectus* est: *Udo Treverensis Archiepiscopus omni pietate plenus, nimis mansuetus, Henrico plus quam decebat obsecutus, ejus flammeo furori sua consensionis oleum ministravit. VVerinberus Magdeburgensis ejusdemque nominis Merseburgensis Episcopus, cum possent invito Rege (sicut alii) repatriare, nolebant, quod in illo, licet impio, Deum, à quo est omnis potestas, offendere timebant.* [3] *Benno Misnensis Episcopus* (desertis ob quas damnatus à Synodo Mogontina fuerat, Gregorii VII partibus;) *venit ad sedem Apostolicam pro errore suo petiturus veniam, quam & promeruit accipere; cum Clemens* [4] *Papa pœnitentem benignè susceperit, & confessum pro errore suo honorificè tractaverit*, &c. *Hartuigus Magadaburgensis Episcopus semel ac secundo damnatus, ut facilius promereri posset Episcopatum ab Imperatore, promittebat cunctos principes qui adhuc essent cum eo discordes, in gratiam ejus reducere*, &c. *acceptisque juramentis super promissa fidei firmitate, reddidit ei injustè Episcopatum Imperator absque Synodali conventione.* Herimannus ipse qui Gregorii septimi incitamentis, Saxonumque gentilium ferociâ audentior A.D. 1076. factus videbatur, quinto post anno Christianæ æræ 1081. succenturiato monitore Gebhardo Salisburgensi, seu Juvavensi qui *quid in Ecclesia dissensione tenendum sentiendumque indicaret, ut respondere valeret, his qui contraria sentiebant & loquebantur*, opus habuit. Hildebrandici omnes (si Apologiam pro Henrico audiamus) in conventu apud Gerstungen anno 1085. Januar. 20. *ita sunt confusi, & ita devicti* ab Henricianæ partis præsulibus, *ut non haberent quid respondere possent, manente apud Ecclesiam Dei victoriâ*, &c. *unde factâ dissensione inter ipsos etiam principes adversæ partis, occisus est ibi Thiedericus Comes, habens in conjugio sororem Egberti Marchionis, quem cum alter Thiedericus, suus scilicet cognatus, cœpisset defendere, occisus est & ipse. Et certè*

nisi

nisi fuga eripuisset Udonem Hildinisheimensis Ecclesiæ Episcopum, & fratrem ejus Chunradum Comitem, ipsi pariter occubuissent per manus operantium iniquitatem, qui ambo multa post hæc passi sunt adversa, per provinciales patriæ suæ, scilicet Saxoniæ, quia noluerunt reverti ad partes factionis suæ. Si conjuratos adversus Henrici à Gregorio VII depositi devotum diris caput, pristinæ levitatis Episcopos pudebat, si factionis inter eos duces, *Deum* (Regi obsequium denegando) *offendere timebant*, suaque officia spondebant; si denique ipse pontificius Legatus (abjurato perduellionis crimine) ad principem legitimum *retrogradus* rediit: quis adeò hebes sit, ut se juramenti, Henrico antè anathema præstiti vinculo solutos Regemque à Papa revera *exregem* factum credidisse, *apud* 13 *tantum, aut paulò plures Episcopos Hildebrandi Papæ sancta Dei* fuisse *sacerdotia* in animum inducat? *Ibid.*

Alia principum ipsorum qui primi frontibus adversis in legitimum principem impetum fecerunt, mens nequaquam fuit. A. D. 1080. Octob. 15. feria 5. Rudolfus ex Suevorum Duce ad regnum à Saxonibus aliisque conjuratis evectus (cum infeliciter ad Elstram pugnasset) *vulneratus*,* *in manu dextra, fugit Marcipolim* †, *mortique jam proximus dixit ad familiares suos*, videtis manum dextram meam de vulnere sauciam: Hâc ego juravi domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus; sed jussio Apostolica, pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur nos finis exceperit videtis, quia in manu unde juramenta violavi mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint; ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis; *& hoc dicens cum gravi molestia diem clausit extremum.* Rudolfi partes secutus Bruno *dextram* ei *manum amputatam, & grave vulnus ubi venter descendit ad ilia* inflictum, non negat; sed fortem animum præstitisse refert, *cum* (inquit) *cognovisset quod suus haberet victoriam populus*, Nunc, *ait*, lætus patiar vivus & moriens, quicquid voluerit Dominus, &c. *ut illos, quos de sua morte videbat dolentes, consolaretur, se non in præsenti moriturum fidenter pollicetur; postquam principes concorditer ei omnes spoponderunt, ut si Deus omnipotens illius vitam servare vellet, eo vivo (etiamsi utrâque manu careret) Saxonia nullum alium*

* *Helmold. Chron. Slavor. l.* 1. *c.* 29
† *Mersbourg.*

alium rectorem eligeret; hac fide multum ille lætatus, felici est morte resolutus. Sed hæc, quæ cum Helmoldi narratione pugnare primâ fronte videntur, conciliare facile est, cum initio *de victoria, principumque sponsione* lætari, benè de vita sperare; simulac verò omnis retinendæ vitæ spes abscessit, animo angi, culpam fateri, de pontificum consilio (quod Bruno studio partium abreptus dissimulavit) queri; *indebitum à se honorem usurpatum*, violatamque sacramenti religionem (quod Helmoldus voluit) seriò deplorare potuerit. Herimannus anno 1081. Decemb. 26. Henrico longè posito Rex salutatus, anno 1086. Indict. 8. *regium nomen deposuit Saxonibus à fidelitate Rom.* Ecclesiæ *recedentibus, & Henricum quem multoties abjuraverant* anno 1088. *recipientibus: unde Hermannus ab eis in Lotharingiam secessit*, sive *Henricum Regem fugiens* (quod Burchardus S Galli monachus putavit) sive *tam suis quam alienis despectus* (quod Urspergensis & Krantzius maluerunt) sive *permissione Imperatoris*, quod Nauclerus ex Urspergensi hausit; Conrado Comiti fratri, qui in Hierosolymitano itinere anno 1086. obiit hac in parte dissimilis, quod *indefessus Henrici fautor fuit*, cujus ipse regnum *invasit*; unde evenit, ut anno 1088. depositio Conradi in B. Virginis monasterio *facta* diceretur, *regnante permissu Dei Henrico tyranno, damnato à pia memoria Gregorio pontifice Romano*; tunc enim Conradi liberi Hermanni patrui partibus addicti erant.

Chron. Hildensheim. addit. ad Berthold.

A.D. 1081. Otto Bavariæ *Exdux, à principibus adversæ partis multis pollicitationibus* fractus, *dubitavit* an adversus Henricum Hermanno faveret; *magna parte ejus dubitationi consentiente & penè totam Saxoniam commovente, cumque jam totus esset inclinatus ad Henricianorum partes, vix sententiam mutavit*: Egbertus Marchio *sæpè contra* Regem cognatum *conjuravit, sæpè etiam sese à conjuratorum societate ad Regem convertit; & nunc harum, nunc illarum partium fuit, post prælium quod gestum est in Episcopio VVirtziburgensis Ecclesiæ, ubi idem Egbertus primus erat de principibus Saxoniæ, post hoc verò Imp. Henricus intravit cum exercitu per Thuringiam in Saxoniam, ubi cum non auderent Saxones atque Thuringi offerre ei occasionem pugnandi; tum quidem Egbertus Marchio (utpotè princeps hujus quoque belli) jurejurando promisit Imperatori, si vellet exercitum inde reducere, sese deditionem factu-*

Bruno de bello Saxon.

Apol. pro Henrico lib. 2.

A.D. 1086.

rum

rum esse in loco Herosfeldiæ; factum est ita, & adhuc testis est Herosfeldia, quod ibi Egbertus Marchio supplicem se Imperatori obtulit, quod ei fidem juramento promisit, quod Marcham suam & Comitatus suos ab Imp. recepit, &c. A.D. 1093. *Conradus*, qui *patri suo rebellans, venerat ad Papam Urbanum, & solutus ab excommunicatione in Longobardia regnabat contra patrem*; eundem (Urspergensi teste) *semper Dominum suum, & Cæsarem, vel Imperatorem appellavit*. Si Conradi in Romanæ Ecclesiæ communione positi, regnique Italici invasoris judicio, Henricus pater à Gregorio VII depositus, & Clementis Antipapæ manu coronatus, non modò *Dominus*, sed *Cæsar* & *Imperator* fuit; si eidem *fidem*, Egbertus subjectionem professus, *juramento promisit*: si Hermannum tanto consensu Henrico reconciliati Saxones repudiaverunt, ut *solus in Saxonia* Romanæ *communionis Episcopus VVerinherus* Metseburgensis anno 1093. defunctus *remanserit*; Si Otto in quam partem inclinaret animi dubius diutius pependit; Si Rodolfus à Papa, Saxonibus, & Suevis, coronâ donatus, violati se juramenti (cujus per Gregorium VII nexibus expeditus videri poterat) reum moriens agnovit: Si (quod ex Gebhardi Salisburgensis *in* Gregorii septimi *causa præcipui*, epistolâ ad Herimannum A.D. 1081 datâ constat) Henriciani adversarios, *seductos & seductores, perfidos, imminentium malorum caput & causam esse, sicut incessanter, ita nec inefficaciter docebant*; adjuvante *sacerdotalem doctrinam regali munificentiâ, quæ uno eodemque incitamenti genere & doctores facundos, & auditores dociles reddebat & capaces; tantumque persuadendi studium tanta plurimorum credulitas subsequebatur, ut etiam* Gregorianorum *oves*, eorum *vocem non audirent, sed alienos sequerentur*; cum *in locis, de quibus* Gregorianæ *partis pontifices expulsi* fuerant, *doctrina sibi locum vendicarent, ibique in Ecclesiis non suis, oves ad se non pertinentes, usurpata prædicationis pabulo ad hoc usque informarent, ut pastores* antiquos *non solum despicere, sed etiam persequi dignum arbitrarentur*. Si Gregorio Papâ, Anselmoque Lucensi *expulsis*, (quod scripta ab anonymo hujus vita ex professo docet) *facti* fuerant *Episcopi, & principes penè omnes, non solum inobedientes, verum omninò rebelles sedi Romanæ, & inventa erat sola atque unica, Dux & Marchionissa Mathilda Papa Gregorio obediens*: Si

Dodechin.

Urspergensem secutus lib. 9. p. 233. Sigonius.

Conradus patrem semper Regem ac Dominum suum vocavit.

Si denique *coadunati Episcopi & Marchiones cum aliis multis magno impetu & furore subito terram invaserant ejusdem Comitissa, putantes totam illico sua ditioni subjugare*, si pro ea *pauci* congregabantur; addictique Papæ *per omnem Longobardiam Episcopi inveniebantur rarissimi*: Quis surdis decantatam à Gregorio VII de Romanæ Ecclesiæ *in temporalia* principum, vix Herimanno Metensi aliisque paucissimis auditam fuisse cantilenam neget? Gratam certè populis (si fortè Suevos & Saxones conjuratos excipias) nequaquam fuisse palam est. Cum anno 1077. *causam pro qua* (post reconciliatum Gregorio Henricum) *Italis exposuisset* Episcopus Citicensis legatus, *vehemens in eum ira & indignatio coorta est, fremere omnes, & sævire verbis ac manibus cœperunt*, &c. *Regem secus ac deceat egisse, crimenque gloria sua intulisse nunquam abolendum, quod homini hæretico & probris omnibus infamato Majestatem regiam summiserit, & quem justitiæ patronum legumque Ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, is fœdissimâ subjectione suâ fidem planè Catholicam, auctoritatem Ecclesiæ, dignitatem reip. prodiderit*, &c. *una omnium voluntas, una sententia fuit, ut abdicato patre, qui ultrò regni fascibus indignum se effecisset, filium ejus, (licet impubem adhuc, & regni negotiis immaturum) Regem sibi facerent, & cum eo Romam profecti, Papam alium eligerent*, &c. *vix tandem compresso tumultus incendio, plerique ex principibus castris se per iram subtrahentes injussi in sua rediere; Cæteri dissimulatâ interim iracundiâ redeuntem regem pacificè exceperunt; sed neque consuetam ei reverentiam deferebant*, &c. *nec in civitates eum recipiebant, nec cum faculis & faustis acclamationibus (ut prioribus regibus consueverant) obviam ei procedebant*, &c. *territus Rex insolitâ rerum facie, seròque pœnitens*, &c. *ratus unicum hoc esse præsidium ut initum cum Romano pontifice fœdus abrumperet*, &c. *Udalricum de Cosheim*, &c. *in pristinum gratiæ & familiaritatis suæ gradum revocavit*, &c. *His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuò in eum incalescere cœpêrunt.*

Lambert.

Anno 1073. VVormatia magna pompa à civibus susceptus [Henricus] *qui milites Episcopi, ingressum ejus prohibere tentâtes urbe expulerant.*

Bruno. *Ipso die consecrationis Rudolfi*, anno 1077. Martii 26. *Moguntini in crudelem accensi zelum, & quod magis favebant exregi* [Henrico] *quam Regi* [Rudolfo] *cogitabant illum* curialium *ludum turbare*, &c. *multos ex curialibus acriter vulneraverunt, aliquos occiderunt*, &c. *contraxerunt ergo se curiales & omnis exercitus in majorem Ecclesiam S. Martini,*

&

& ibi conglobati, consiliis, armisque muniti subitò cum magno impetu exierunt, &c. *Rex non habens* (urbanis) *fidem, civitatem dimisit*: hæc Bruno ejus fautor; sed Henrici Apologia * *sanguine multorum hominum initiatum Rudolfum* refert, *quoniam Moguntina plebis multitudo conclamans, & concurrens ad ejusmodi seditionis portentum, repulsa, fugata, atque occisa est; & Ecclesia in qua facta est hac ordinatio, sanguine etiam violata est.* A. D. 1084. *princeps militem copiosum colligens, Italiam ingreditur, ad urbemque usque progressus (Romani populi favore pulso Gregorio) Guibertum ibidem ponens, Imp. & Augusti nomen sortitus est*: quod ex Apologiæ pro Henrico scriptæ libro 2. confirmari potest, in quo legimus; *cum Hildebrand introitum Romana civitatis Regi obstruxisset, & Romanos* ad *repugnandum animasset, qui deinde conversi * ad studium pacis, vel quod bello undique urgerentur: vel quod contrà Patricium suum repugnare impium fore arbitrarentur, legationem miserunt; rogantes ea qua pacis sunt*, &c. *Romanam Ecclesiam elegisse VVigbertum successorem illi fugitivo*. Eodem anno † *Dolis quorundam iniquorum, urbe Augusta nihil cunctantibus hostibus, angusto introitu clavibus aperta*; & paulò post *his qui in urbis præsidio residebant, nemine persequente fuga tantùm sibi sumentibus præsidium*, &c. *Imperator vacuam ab hostibus ingrediens civitatem, cum gaudio & lætitia cleri, à populis susceptus est.* Anno 1087. *Augustam à quibusdam perditis proditam atque promissam, adversarii invadentes civibus repugnantibus frustrati discesserunt.* A. D. 1088. *In Paschali hebdomade, Augustana urbis muros usque ad fundamentum hostes deposuerunt*: & 1093. *Bavari quidam protervitate contumaci Augustam invadentes, civibus pro copia temporis confluentibus, & apud Basilicam B. Mariæ collectis, in ipsa congressione, mente consternati quidam trucidati sunt, quidam vulnerati, quidam fuga turpissimum arripuerunt præsidium.* Anno 1086. *Civitatem VVirziburg ex obsidione hostium Imp. liberare voluit.* Domnizo de vita Matthildis lib. 2. c. 4. ad A. D. 1091. *Pollens Mathildis fidens in civibus illis* [Mantuanis] *Decipitur verbis ipsorum, clam quia Regis Pertractant urbem manibus*, &c. *ante diem Pascha dare.* nec nisi circà Octobris finem A. D. 1114. antiquam Dominam placare dignati sunt. Idem c. 14. quo Bernardo Uberto tituli S. Chrysogoni

* Lib 2.

Otto Frising. lib. 1. *de gestis Frider.* c. 2. Hinc Sigō. l. 9. p. 309. ad A. D. 1084. *Romani Henricum advocant*, &c. *petentibus Romanis VVibertum suffecit.*

‡ Parem Venetorum & Longobardorum animum fuisse docet Sigonius lib. 9. p. 229 ad A. D. 1080. *Tarvisii* (inquit) *cum Vitali Falestro Duce Venetiarũ fœdus renovavit, & filiũ ejus è sacro fonte suscepit*, &c. *monasteriis privilegia multa indulsit*, &c. *Verona 15. Kal. Iulias* *anno imperii sui primo monachis S. Zenonis rescriptum dedit* Henricus.

† Chr. August.

goni presbytero Cardinali & Vallis umbrosę Abbati Paschalis II Legato, à Parmensibus an. 1104 inter ipsa sacra manus injectas refert.

Plures (inquit) *dicebant*, moriatur pseudopropheta;
Clamabant multi, seductor corruat urbis;
Hic, *ajunt*, intus Regis stet non inimicus;
Enses denudant; mulierum vox sonat una,
Si finitis vivum Regem perdetis amicum,
Non vivus vadat (cupitis si vivere) *clamant*, &c.
Clamavit dicens, speciem Zabuli gerit iste,
Tollatur statim, tundatur carcere, flagris;
Injecitque manum super ipsum civis avarus,
Et foris adsportant, heu Missa relinquitur orta.

OttoFrising. lib. 7. c. 11. *dum ipse*[Henricus pater A.D. 1105.] *in quodam castro positus, ac custodiâ mancipatus, audientiam peteret, principes seditionem vulgi timentes, ei apud Inglinheim occurrunt; ibiq; multis modis commonitum, vel (juxta alios) circumventum ac coactum insignia regni resignare, ac filio mittere, 43 regni sui post mortem patris, Imperii verò anno 2. (ad quod tamen potenter magis quam justè à Guiberto captâ urbe sublimatus fuerat) persuadent. Quæ omnia utrum licitè, an secus acta sint, nos non dicernimus.* c. 12. *à Coloniensibus non ut exul, sed ut Rex regio apparatu susceptus est*, &c. *Inde Leodium digressus ab eisque fastigio regali susceptus*, &c. Rursus Chron. August. ad A. D. 1106. *Imperator ut vidit sibi denegatam*, à filio & conventu Moguntino *veniam*, &c. *Coloniam venit, cum paucis, qui secum remanserant*, &c. *deinde venit Leodium, ibique honorificè ab Episcopo & civibus est susceptus, & consolatus*, &c. *post sanctum Pascha iterum Coloniam revertitur; civesque illi cum juramento urbem sibi custodire promiserunt*, &c. *eam obsedit*, [Henricus V] *Colonienses verò ut boni milites stabant imperterriti, fortiter ei resistentes, & strenuissimè (qualiter nunquam visum est anteà) decertantes*; Chron. Hildesheim. *Proceres* Henrici V *Legati dum è suis singuli partibus, in valle Tridentina convenientes, apud ejusdem nominis civitatem id est Tridentum pernoctarent; quidam Adelbertus adolescens partium illarum, quodam insignis Comitatu, summo manè super ipsos (utpotè inermes & peregrinos) cum civibus armatis irruit, spoliat, capit, custodiæ tradit*, &c. *Gebehardum virum probatum, Tridentinæ Ecclesiæ constitutum à Rege Catholico* Henrico V *novum Episcopum, quem nunquam se suscepturos cives ipsi conspiraverant, recipi* Welfo Dux *coëgit*;

Ursperg.

Urſperg. *erat* Henricus pater *humatus ſicut Regem decebat (ſi apud Deum meruiſſet) apud S. Lambertum Leodio honorificè ab Epiſcopo, qui ſemper ſibi fidelis extiterat in omnibus*, &c. exhumatus juſſu filii *in quandam Moſa inſulam eſt poſitus, nullumque divinum officium ulterius ſuper eum eſt factum, niſi Hieroſolymitanus quidam Monachus caſu venit, & ſibi die noctuque uſque dum ibi ſtabat pſalmodiam cantabat*, &c. *poſt hæc placuit Regi, ut patrem ſuum Spiram deferret*, &c. *Cumque* 3. *Non. Septemb. illuc allatus eſſet, ſolito more defunctorum exequiis honorificè à Clero & populo ſuſcipitur, & in Baſilicam S. Mariæ, quam ſummo ſtudio conſtruxerat, portabatur. Idcircò Epiſcopus interdixit illum divinum ibi celebrare officium, donec purgaretur ab hoc facto: & ſic extrà monaſterium fecit corpus ſtatui, in Capella nondum conſecrata: unde factus eſt tumultus, & planctus magnus in populo, quia dilexit locum & populum præ omnibus: poſt hæc multo tempore inhumatum corpus ab incolis ibi frequentabatur*, Chron. Hildesh. in annum 1137. (qui ab Henrici IV dormitione 21 fuit) deſinens. Sic maxima ex parte rebellantibus proceribus, priſca in Reges fides, *ultima per vulgus veſtigia fixit*, ut (quod olim in cauſa diſpari ſeriò deploraverat Hilarius noſter) *ſanctiores aures plebis, quam corda ſacerdotum* fuiſſe videantur. Novam certè *in Regum temporalia* tunc primum à Gregorio VII uſurpatam *poteſtatem*, Italia & Germania (ſi Saxones Suevoſque cum Matthilde & factione conjuratos excipias) univerſa adeò deteſtata eſt, ut extrema omnia (ne afflicti principis cauſam deſtituiſſe crederetur) per annos 29 perpeti, diriſque à perduellibus devotum caput, quo potuit cultu, etiam poſt mortem proſequi nequaquam dubitaverit. Non defuere tamen ex Præſulibus & principibus, apud quos *altâ mente repoſtum*, Petri monitum maneret, *Regem honorificate*: Wetſelinus Moguntinus, Sigwinus Colonienſis, Gilbertus Trevirenſis, Liemarus Bremenſis, Henricus Magdeburgenſis, Venericus Vercellenſis, Ulricus Curienſis, Udo Hildesheimenſis, Walramus Naumburgenſis, Obertus Leodienſis, &c. Hugo Cluniacenſis, quem

Adverſ. Auxent.

1 *Pet.* 2. 17.

De Italis clarum, *tabula* (inquit H. Rubeus lib. 5 p. 315.) *omnes publicæ quas viderim (multas autem vidi, per hos annos ſcriptas) Clementis Papæ tempore confectæ dicuntur, nullâ neque Gregorii, neque Urbani mentione factâ*, &c quod ſequentibus exemplis confirmat, tabula nimirum Wiberti II quem cum priore confudit. *Acta ſunt hæc Ravennæ in plenaria Synodo, in matrice Eccleſia, quæ dicitur Agia Anaſtaſeos, anno Dom. incarn.* 1086. *imperante Henrico* III *Rom. Auguſto, Imperii ejus* 2. *Indict.* 9. 3. *Kal. Mart.* Tabula in gratiam Rudolfi & Stephani, *anno Dom incarn.* 1088 *tempore Domini Clementis Papæ, ſedis ejus anno* 5. *ſicque imperante D. Henrico filio quondam Henrici Imp. anno* 5. *die* 5. *menſis April. Ravennæ.* Tabula Wiberti *Indict.* 6. ut & Imichæ Abbatiſſæ *anno* 15. *Clementis Papæ, & Henrici Imp. die* 2 *menſis Novembris Indict.* 7 *Ravennæ*, id eſt A. D. 1098.

quem Henricus IV spiritualis à baptismo filius, anno 1076. Gregorio VII, & anno 1106. Paschali II filio & principibus sponsorem obtulit. Henricus Limburgensis inferioris Lotharingiæ Dux, *pluresque alii* ex eadem regione optimates; qui *ut audierunt* vim passi Regis *querimoniam, misericordiâ moti, super eum fidele adjutorium promiserunt; volentemque venire Leodium contrà patrem* Henricum, [a] *quintâ feriâ Dominica Cœna* Mart. 22. *à ponte apud Vinsatum repulerunt; militibus patris concurrentibus aliisque ex filii militibus captis, aliis in Mosam demersis, aliis (inter quos etiam Bruno Comes) occisis*, quo factum ut *filius contrà patrem veniens rediret inglorius.*

Chron. Hildesh.

[a] Sigebert. Otto Fris. lib. 7. c. 12. *filius itaque jam Rex factus collecto militiæ patrem subsequens, circa Mosam concedit, ubi ab Henrico Duce Belgarum aliisque patris sui fidelibus, super pontem Mosæ, in loco qui Guegesar dicitur, bello tentatus cedere compellitur.*

Nec ipsis Saxonicæ factionis Ducibus, in Henrici perniciem ab ipso regni exordio conjuratis, Romanam Ecclesiam *Reges* quacunque de causa *deponendi*, subditosque *juramenti* vinculis *solvendi* potestate præditam persuasum fuisse, suprà manifestum fecimus; quid ipsemet de se Gregorius senserit explorare juvat: Cum anno 1076. Febr. 2. fer. 2. *Henrico Regi totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradixisset, omnibus Christianis à vinculo juramenti quod illi fecerant vel facturi erant absolutis, ut nullus ei sicut Regi serviret, interdixisset*: & Septembris sequentis 2. *à regia dignitate* (utpotè quem *justitia regnare prohibebat*) *depositum* Clero populoque Teutonico inculcasset; ne temerè brutum planè fulmen vibrasse videretur, diris devoto, *regium* nomen potestatemque universam denegare tenebatur; ea de causa ad Herimannum Metensem hæc ad verbum scripserat, *qui excommunicato Regi Henrico (si fas est dici Rex) communicare cognoscuntur*; & ad Teutonicos, *Henricus dictus Rex, eodemque ex corde non converso*, alium *ad regni gubernacula inveniri*, à regno (quod jure sibi vendicare legitimè depositus nequaquam potuisset) abdicatum *removeri*, & *abjici* de facto jusserat: non tamen sibi constitit; sed ubique ferè (illum ipsum cui *regnum* abrogaverat *Regem* vocando) suum de eodem ad privatam conditionem redigendo decretum irritum pronunciavit: sic enim *lib.* 3. *epist.* 12. ad Udonem Trevirensem anno 1076. post Mart. 14. datâ, *decuerat* Popponem Tullensem Episcopum *de objectis sibi respondere magis quam*, &c. *Regem sollicitare*, epist. 15. ad Wifredum Mediolanensem militem, *Cum Rege Alamanniæ de componenda pace*, &c. *interpellaverunt*: lib. 4. epist. 1.

Lib. 4. epist. 3.

epist. 1. Julii 25. *ad omnes sibi* in Rom. imperio *fideles; vestra fraternitas minimè ignorat, quanto tempore Ecclesia sancta inauditas pravitates, & diversas iniquitates Regis*, &c. *sustinuit*, &c. *prædictum Regem non erubuerunt omnipotenti Deo præponere*, &c. *à communione Regis se non subtraxerit*, &c. *animam suam & Regis odio habent.* epist. 2. ad Herimannum Metensem Augusti 25. datâ, *ad iram omnipotentis Dei eundem Regem impellere*, &c. *non timuerunt se à communione Regis abstinere. De ipso autem rege omninò contradiximus*, &c. *qui excommunicato Regi communicare præsumunt.* epist. 6. Octob. ad Henricum Leodicensem datâ; *Regi excommunicato scienter communicans*, &c. *si Regi excommunicato non communicaverit*; epist. 7. ad Wifredum Mediolan. Octob. datâ *de conspiratione hæreticorum & Regis*, &c. *nisi ad satisfactionem veniat Rex.* epist. 8. ad Tusciæ Episcopos Novemb. 1. datâ *Rodulfus Senensis Episcopus, sinè nostra licentia Regem excommunicatum adiens*, &c. Quis Gregorium VII sententiæ in Henricum Regem ineunte Februario latæ. oblitum fuisse dixerit? *manebat* illa quidem *altâ mente reposta*; nec defuerat ferenti quæsitus color, falsus tamen; *Gregorium* primum *Reges & Duces, contrà sua dicta venientes, ut dignitate carerent judicasse*; sed cum inauditum priscis Ecclesiæ ætatibus, vixque favitoribus suis credibile à se admissum nefas sentiret; vixdum peracto facinore magnitudo ejus apparuit; ac propemodum displicuit. *Lib. 4. epist. 2. 23.*

Cum dejectum ad pedes & à Teutonicis ferè universis calcatum Henricum vidisset; ab ejus primum legatis *ut se post tam contumax admissum Regio nomine & honore deinceps indignum profiteretur*, velut insultabundus exegit; *at durum nimis hoc iisdem est, vixque & ægrè ab insistentibus ut sententiam temperaret, nec calamum conquassatum judicii austeritate penitus contereret exoratus*, apud Canusium Januarii 25. *in lacrymabili afflictione, nudis pedibus, in laneis vestibus, hyeme præter solitum asperâ, plantis nudis à frigore captis, in cruce se jactantem, Papa sæpissimè*, per triduum, *parce beate pater, clamantem, jejunumque à manè usque ad vesperam perstantem, quarto demum die in conspectum admisit.* An ut *privatum*? Imò ut *Regem*, qualis ab initio fuerat, *Rex* (inquit Gregorius ipsemet epist. ad fœderatos Teutones scriptâ) *humiliatus ad pœnitentiam, absolutionis veniam impetravit*, &c. *Lambert. ad A D. 1077. Bruno. Benno. Domnizo. Lib. 4. epist. 12.*

Regem

Regem adventare certè cognovimus; *Rex* itaque non *privatus* (vel ipsius Papæ judicio) *adventavit*, *veniam rogavit*, *impetravit*; nec per anathema, annexumque depositionis decretum *regio* titulo, aut gradu excidit; quod rursus Henrici ad pacem admittendi acceptum Gregorio Papæ juramentum evincit, in hæc verba Januar. 28. * *prout ipse dignatus est præcipere* conceptum, *Ego Henricus Rex*, &c. si desertus à se suisque, *depositoque omni cultu regio, cum multo fletu auxilium miserabiliter implorans*, adversario ipsi & dictus & creditus *Rex* est; quanto magis & adversario, & confœderatis, adversus injustam vim protestans, minasque intentans, *Rex* fuit?

* *Vita Anselmi Lucensis.*

Ingratissimam Saxonibus Suevisque conjuratis oppressi ac velut calcibus obtriti principis reconciliationem, non ignorabat Papa; sed (ne suas à Romana Ecclesia desertas partes quererentur) animum non mutatum, nihil in sinum recepto pœnitenti, adversus fidem conjuratis datam promissum protestatur: Ac primum se vim à circumstantibus universis morosæ inclementiæ accusantibus passum scribit; *ad oppidum* (inquit) *Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit* [Henricus;] *ibique per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, miserabiliter* (*utpotè discalceatus, & laneis indutus persistens*) *non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit; quam omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacbrymis intercedentes omnes quidem insolitam nostræ mentis duritiem mirarentur, nonnulli verò in nobis non Apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantiâ compunctionis ejus, & tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam, & sinum sanctæ matris Ecclesiæ recepimus, acceptis ab eo securitatibus, quæ inferius scriptæ sunt*; ut se nihil quod Saxonibus ingratum aut damnosum esset, spopondisse fidem faciat; addit, *adbuc totius negotii causa suspensa est, ut & adventus noster & consiliorum vestrorum unanimitas permaximè necessaria esse videantur. Quapropter in ea fide, quam cœpistis, & amore justitiæ omnes permanere studete, scientes non aliter Regi obligatos esse, nisi quod puro sermone (sicut mihi mos est) in his eum de nobis sperare dixerimus, in*

quibus

quibus eum ad salutem & honorem suum, aut cum justitia, aut cum misericordia, sine nostræ & illius animæ periculo adjuvare possimus. Nihil itaque aliud suis præsentiumque omnium, etiam Papæ addictissimorum lachrymis nisi bona verba, sub conditione juratorum hostium judicio standi data, impetravit Henricus pœnitens. *His conditionibus absolutum* refert Lambertus, *ut die & loco, (quemcunque Papa designasset,) evocatis ad generale Concilium Teutonicis principibus præsto esset, & accusationibus quæ intenderentur ipso Papâ (si ita expedire videretur) cognitore causarum assidente; & (ad ejus sententiam) vel retineret regnum, si objecta purgasset; vel æquo animo amitteret, si (probatis criminibus) regio deinceps honore indignus (juxta Ecclesiasticas leges) decerneretur; nullam sive retento sive amisso regno hujus injuriæ vindictam, à quopiam hominum exacturus: usque ad eam autem diem quâ causa ejus legitimè discussa terminaretur, nulla regii cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circà rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suo jure ageret; nihil quod ratum fore oporteat decerneret: postremò præter regalium servitiorum exactionem, quibus necessariò ipse & sui sustentandi essent, nihil regium nihil publicum usurparet; omnes etiam qui ei sub jurejurando fidem dixissent, ab hujus sacramenti vinculo, & conservandæ erga eum fidei debito, apud Deum & apud homines interim liberi expeditique manerent; Rutbertum Babenbergensem Episcopum & Udalricum de Cosheim & cæteros, quorum consiliis se remque publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoveret. Quod si (purgatis quæ objicerentur,) potens confortatusque in regno perstitisset; subditus Romano Pontifici semper, dictoque obtemperans foret; & ad corrigenda quæcunque in regno ejus contrà Ecclesiasticas leges pravâ consuetudine inolevissent, consentiens ei, & pro virili portione cooperator existeret. Ad ultimum, si quid horum prævaricaretur, irritam fore hanc quæ tùnc tantoperè expetita erat anathematis absolutionem; quin imò jam pro convicto confessoque habendum esse, nec ultrà pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum, principesque regni omni deinceps quæstione, cunctâ jurisjurandi religione liberatos, Regem alium in quem communis electio consensisset creaturos esse.* Simile quid initio Regi pœnitenti propositum, & inter Teutonicos conjuratos disseminatum fuisse, dubitare nos communis ab ipsis ad Gregorium Papam,

anno 1078. data epistola non finit; quâ *cum anathematis absolutio per epistolam* pontificis ipsis *innotesceret*, *de sententia Regni qua in* Henricum *processit*, *nihil mutatum esse intellexisse* se protestantur: sed *gratantur* (quod Lambertus asseverat) *Regem accepisse conditiones*, *servaturumque se omnia quam sanctißimis poterat assertionibus promisisse*, probabile minus est: Cum ex ea, quam epistolæ suæ ad Teutonicos subjecit Papa, regii juramenti formulâ Henricum in has tantum conditiones consensisse clarum sit, ut *die à Papa constitutâ* (*si impedimentum non obstaret*) *justitiam secundum judicium*; *aut concordiam secundum consilium ejus faceret*; *eundemque ex sui & eorum quos constringere potuisset parte*, *si ultrà montes seu ad alias partes terrarum ire voluisset*, *ab omni læsione vitæ & membrorum seu captione securum præstaret*; cætera Lamberto memorata, sive ab Henrico sponsoribusque Adelasia socru, Matthilde consobrina, Hugone Cluniacensi susceptore, Eppone Citicensi, Gregorio Vercellensi, Azzone Marchione, &c. juramento confirmata admittere; sive promissa negare placeat, perinde est; cum nullo jure subsistant, nec naturalis æquitas communisque judiciorum lex sinat, ut *pars* sive læsa, sive lædens, *in sua* suorumque *causa sententiam ferat*, *nullam* illatæ in depositione *injuriæ*, *à quopiam homine*, (id est ab eorum in quos regio jure supremam *vindicandi* potestatem habet princeps) vindictam exigat; ante partis eique addictorum judicium, *nihil suo jure agat*; omnes jurejurando quomodocunque obligatos, *à conservanda fidei debito* liberet; ac denique *si quid prævaricabitur*, *pro convicto confessoque habendus*, nullam *ultra pro afferenda innocentia audientiam impetret* reus. Quis enim unquam inter Legislatores Draco [1] adeò in obnoxios sævus fuit, ut eos semet prodere, suoque (ante capitale judicium) jure indefensos cadere cogeret? factum tamen (si qua Lamberto fides) ab eo qui communis Christianorum parens haberi, Petrique, *usque* [2] *septuagies septies peccata* condonare jussi, hæres haberi voluit, nec alia Henricus (quem ante sex annos more majorum, tanto cultu *Dominum* veneratus fuerat, ut initio se non *Episcopum*, sed *in Rom. pontificem electum*, quia nondum *confirmatus & ordinatus* erat inscriberet; *ordinari* verò *se* non *permitteret*; imò *ordinationem*

Sic etiam Anselmi vita, *tertiâ demum die est absolutus*, *verumtamen in regnum non est restitutus*.

[1] *De Dracontis legibus ob sævitiam à Solone refixis*, *vide Plutarchũ in Solone*, *Tatianum adversus gẽtes*, *Clementem Alex. Strom.* 1. *Eusebium Chronico*, *& de præpar. lib.* 10. *Pausan. lib.* 6. *&* 9. *Suidam.* [2] *Matth.* 18, 22.

Vide lib. 1. *epist.* 21. *priores. Lambert.*

tionem suam, sine dubio dilaturum spponderet, *donec sibi voluntatem* ejus, *certus inde veniens nuncius intimaret*,) non aliâ inquam lege Henricus ad pacem admissus est, quam si miserandæ servitutis pactione obligatus, se meritò (ceu vile mancipium) calcatum, triumphatamque in æternum Teutonici regni Majestatem volens nolens fateretur. Sed utcumque se res habuerit nonnulla conditionibus, Henrico pœnitenti propositis, inserta sunt, quæ (ipsiusmet proponentis judicio) indignis eum modis habitum, *nullamque* planè de ejus depositione *latam* anno præcedente *sententiam* fuisse demonstrent; hæc nimirum, *retineret regnum*, *si objecta purgasset*, &c. *nullam sive retento, sive amisso regno, hujus injuria vindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus*, &c. *nihil circà rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem, jure suo ageret*, &c. *præter regalium servitiorum exactionem nihil regium usurparet*, &c. *ad corrigenda quacunque in regno ejus inolevissent*, &c. *Si potens confortatusque in regno perstitisset*, &c. *cujus* enim *regnum* est; qui *regalium servitiorum exactionem* ac *regium* quid *usurpare* jure potest; qui denique *rempublicam administrans, juxta consuetudinem jure suo agit*; *Rex* est non *Exrex*; nec pristino *jure* excidit, qui *amisso regno, injuria vindictam se non exacturum* spondet; *Injuriam* (vel ex ipsius sponsionem exigentis mente) passus; *jure regnum amisisse* quomodocunque *depositus* dici non potest; qui & *absolvendus*, & *absolutus regnum retinet*, imò qui eo uno opus habere censetur, ut *in regno confortatus persistat*; *regno* nunquam caruit, nec eo (sive jus, sive factum spectes) per depositionis decretum vel ad momentum privatus est.

Cum anno 1076. Septemb. 3. Teutones adversus Henricum paucis ante mensibus abstentum conjuratos, ad alium eligendum hortatus, in hæc verba epist. 3. lib. 4. Gregorius VII scripsisset, *si ex corde non fuerit ad Deum conversus; talis ad regni gubernacula (Deo favente) inveniatur, qui ea quæ prædiximus*, &c. *promittat*, &c. *ut vestram electionem (si valdè oportet ut fiat) Apostolicâ auctoritate firmemus*, &c. *negotium, personam & mores ejus, (quantocyus poteslis) nobis indicate, ut sanctâ & utili intentione mereamini (sicut nobis nota causa) Apostolicæ sedis favorem*, &c. *Statutâ die* [Octob. 16.] *juxta condictum, principes Sueviæ & Saxoniæ Triburiam convenerunt, am-* *Lambertus.*

plissimo numero, obstinatis mentibus, ad submovendum à negotiis regni Regem Henricum; & alium, in quem communis electio consensisset, creandum: Aderant unà Legati Apostolicæ sedis Sigebardus patriarcha Aquileinsis, & Altmannus Pataviensis Episcopus, &c. *& laici nonnulli (qui, magnis opibus relictis, ultro se ad privatam tenuemque vitam propter Deum contulerant) missi à Rom. pontifice, ut palam omnibus per* * *Gallias contestarentur justis de causis excommunicatum esse Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem Apostolici consensus & auctoritatis suffragium pollicerentur,* quod paulò post (Octobris nimirum 31) datâ ad Mediolanenses addictos epist. 7. confirmavit, hæc scribens; *ad tantum numerum fideles Rom. Ecclesiæ pervenerunt, ut nisi ad satisfactionem veniat Rex, alium Regem palam dicant eligere; quibus nos favere (servatâ justitiâ) promisimus, promissumque firmum tenebimus.* Hàc verò conciliorum societate adeò *in arctum coactæ fuere Henrici Regis copiæ*, ut vix *fœdâ* (Lamberti verbis utor) *conditione*, (id est extortâ quodammodo à Papa renitente pace) *urgentem ad præsens calamitatem declinaverit*; sed postquam *fremere Italos omnes*, unicamque sibi elabendi viam restare sensit, si (resumptis animis) *initum cum Romano pontifice fœdus abrumperet*: *de immutatione ejus Papa certior factus, misit protinus Bernardum Abbatem de Massilia, & Bernardum Diaconum Cardinalem, ut principibus regni Teutonici, qui 3 Idus Martii* 1077. *Forcheim conventuri erant, occurrerent: eosque suo nomine monerent, ut suis rebus, & regno Francorum, quod diu jam unius hominis puerili levitate vexatum* querebantur, *quâque possent ratione mederentur.* His præsentibus, acceptaque mandata exequentibus, Rodolfus Martii 15. ad regnum evectus est; ac paulò post *media Quadragesima* Mart. 26. apud Moguntiam à Sigefrido Archiepiscopo in Regem unctus: nec frustra notat Bruno *Legatum Apostolici, qui cuncta quæ de regno* Teutones fœderati *utiliter disponerent, Apostolicæ sublimitatis auctoritate firmaret* apud Forcheim *adfuisse*; Saxones fœderati epistolâ ad ipsummet Gregorium, *sarcinam (solâ ejus auctoritate jubente) susceptam*, &c. *alium in eandem dignitatem Apostolicâ auctoritate firmatum*, &c. *in Henricum sententiam protulisse, de Rudolfo* Papæ *jussione statuisse*, &c. *certamen ejusdem jussione susceptum*, &c. *jussione Apostolicâ* Henrico, à Bernhardo Legato *regni gubernacula denuo con-*

* *Abusive* Gallias *non solam Lotharingiã quæ ab initio Gallica est, sed Transrhenanas provincias, quæ nunquã Gallicæ fuerunt vocat Lambertus.*

contradicta, &c. Rudolfum *in regia dignitate Apostolicâ auctoritate confirmatum*, &c. *alteri Regi obedire ex* Papæ *auctoritate jussos* Saxones, &c. *hujus rei testes* esse *apud* eos Papæ *literas*. Marianus ad A. D. 1078. *literis* Gregorii Papæ *insinuatum Henrico propter superbiam, inobedientiam, ac falsitatem, regni dignitatem ablatam, Rodolfo verò Regi pro sua humilitate, obedientia & veritate, auctoritate S. Petri collatam*: Anonymus Floriacensis *Papam Gregorium quendam Rodulfum, genere* * *Saxonem, pro Henrico regnare constituisse*; Sigebertus ad A. D. 1077. ex eoque Matthæus Paris, *Saxones rebellasse, instinctu Hildebrandi Papæ*, &c. *omnes qui prius Hildebrandum abjuraverant perjurium perjurio cumulantes, Imperatorem abjurasse & Rodulfum Ducem* * *Burgundionum super se Regem statuisse, corona ei à Papâ missâ, cui erat inscriptum Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo.* Auctor Apologiæ pro Henrico IV. *Imaginem Dei Hildebrand & Episcopos ejus in Rege Henricho, & odisse, & persecutos esse*, &c. *ideoque assumptis sibi quibusdam scissuris regni, constituisse (contra ordinationem Dei) alium Regem Rudolfum scilicet Ducem Suevorum*, &c.

* Suevus *genere fuit, sed factione* Saxo.

* Burgundionem *legendum videtur; nam Rhinfeld, unde Rodulfus oriundus, Burgundicæ ditionis, cū tota ferè Suevia fuit.*

Otto Frisinghensis lib. 6. cap. 32. ex eoque Godefridus Viterb. *ejus* (Rom. pontificis) *ut dicitur, consilio & auctoritate Rudolfum Alemannorum Ducem à quibusdam principibus Regem creatum*, & lib. 1. de gestis Frederici c. 7. *Romanum Pontificem Gregorium, qui jam principes adversus Imperatorem concitabat, omnibus ut alium crearent latenter & manifestè scripsisse. Igitur Rudolfum Ducem Suevorum ab eis Regem factum, diadema à Rom. Ecclesia accepisse, traditum hujusmodi scripto, Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.* Ordericus lib. 7. *Conradum Comitem* (sic Rudolfum vocat) *à Gregorio in Regem consecratum.* Helmoldus lib. 1. c. 28. *percunctanti Apostolico, quisnam in Alemania dignus esset tanto culmine; designatum Ducem Suevorum Rodulfum; ei Dominum Papam auream transmisisse coronam hoc versu intitulatam*, Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam: *præcepisseque Moguntino, & Coloniensi, cæterisque Episcopis, & principibus, ut adjuvarent partes Rodulfi, & statuerent eum in Regem; quotquot ergo receperunt verbum Domini Papæ, elegisse Rodulfum in Regem*, quem locum Albertus Stadensis exscripsit; Godefridus Viterb. parte 17. *junctam Saxonibus consensisse inclytam Romam, au-*

Sic legit Langius.

ream Rodulfo transmissam inde coronam monet, pluresque alios recentiores consentientes habet; quorum verba ex antiquorum lacunis deprompta chartis illinere supervacuum putavi, cum plus satis ex jam laudatis, aut coætaneis, aut supparibus, & communi Latinorum omnium sententia, non modo conscio aut connivente sed *procurante, & mandante Papâ*, Rudolfum electum fuisse liqueat; nec justam fuisse causam Baronio Card. anonymo, qui Henrici vitam edidit, dicam scribendi, quod ei sequentia exciderint, *fuere tum qui dicerent, ab Apostolico, eum Rudolfum immissum; nec unquam tanta virtutis virum magis avaritia quam consilio cessisse; & hoc in argumentum sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionem Regis, Rudolfus regnum invasit, juxta illud Comici, Qui tacet satis laudat.* Quicquid enim censurâ in eo dignum videtur illud est, quod (Lamberti, Brunonis, aliorumque Gregorio addictissimorum exemplo) aperto ore verum expromere non ausus, nescio quos silentii Papalis accusatores subornavit, qui timidiusculè illum palparent; cum ex ejusdem regesto constare possit, primum de creando novo Rege Româ consilium dimanasse; & Sigehardum Aquileiensem anno 1075, Bernardum Massiliensem sequenti, id in mandatis specialibus habuisse, ut Teutones ad providendum, ne quid res sua detrimenti caperet, hortarentur; communesque eorum deliberationes moderarentur, & decreta firmarent. Quo verò anonymum argumento refellit Baronius? *an tacuerit Gregorius* (inquit) *ipsius epistola docent, quæ sunt inferius recitandæ.* Revera non planè obmutuit, sed (quod Anonymus volebat) non modo *displicere*, sed *irritam videri* Rudolfi electionem, nunquam dixit, (quodque ante dies plus minus 50. Henrico reddita pax exigere videbatur) nec per se nec per alios reclamavit; imò sciens ac prudens, quod palam profari debebat, *tacuit.* Nihilo felicius qui *opera Gregorii* Rudolfum creatum fuisse Regem dicunt, falsitatis redarguit Annalium parens, ex sequenti Gregorii ad sanctos Apostolorum principes apostrophe, *Episcopi & principes, quasi desperati de eo,* [Henrico] *sine meo consilio (vobis Petro & Paulo testibus) elegerunt sibi Rudolfum Ducem in Regem,* & epist. 28. l. 9. in qua anno 1082. coram Deo protestatur, *Rodulfum qui Rex ab ultramontanis ordinatus est, non suo præcepto, sive consilio, regnum tunc suscepisse:*

scepisse: quis enim verba hæc cum scriptorum suprà laudatorum relationibus, conciliari facilè posse non videat? *sine consilio* de Rege Rudolfo nominatim creando, non *sine consilio* de Rege quocunque (Henrici loco) salutando, Teutonum electione peractâ; *sine consilio suo* ad Rudolfi personam singularem determinato, *electum* eundem negare verè potuit Gregorius, verè rursus ex Gregorii *consilio*, Henrico suffectum Rudolfum asseveraverunt historici, quia *consilium* pontificis generale de Rege creando, ad singularem Rudolfi personam à Teutonibus Legatisque Romanis determinatum est: idque ipsum posteà per se Gregorius probavit: non itaque *sine ullo* Romani pontificis *consilio* absolutè, sed *sine* tali *consilio*, quo ipse *δεικτικῶς* designaretur, electus est Rudolfus: nec si quis conciliationem nostram aspernetur, anxiè nobis de Gregorii facto laborandum; quid enim si invidiosum molimen, cujus adhuc eventus anceps pendebat, negare maluit quam odiosius ostentare; præsertim cum hinc Henricianis, inde Saxonibus urgentibus, neutris placeret: nec (si utrisque vellet) posset?

Urspergensis ut legatos excuset, *in eorum nonvoluntariâ annuentium præsentia*, electum Rudolfum, (nescio quo auctore) ait.

Ejus revera protestatio, cujus nunc sensum expressimus, cum Helmoldi & Alberti Stadensis testimoniis componi nequit; sed nos id pensi non habemus ut singula singulorum historicorum dicta *usque ad extremum* (quod ajunt) *jota tueamur*; nobis communem vetustiorum rerum evidentiâ firmatum consensum sequi satis est; cui cum Helmoldus & Albertus obluctari videantur, hac in parte desertendi sunt: Ex Gregorii enim regesto & Gregorii coætaneis Lamberto, Brunone, Sigeberto, Domnizone, constat, Gregorium Henrico *apud Canusium* Longobardorum, Januario mense reconciliatum, *Carpinetæ* Martii 1. 4. & 19. *Bibianella* Martii 21. 23. 25. *Ficaroli* Maji 12. *Carpineta* rursus Maji 31. & Junii 9. & 28. *Florentia* Augusti 11. *Senis* Septemb. 1. *Roma* Septemb. 16. versatum. 2. Henricum excommunicationis vinculis Januarii 28. solutum *Italiam, ut his qui oppressi fuerant calumniasve patiebantur, regio more, justa faceret*, ad Martii Kalendas *peragrasse*; ac ubi (Rudolfi Moguntiæ Martii 15. electi, 26 coronati, rebellione excitatus) de repetenda Germania cogitare compulsus est; quamprimum potuit, * *per Aquileiam*, & Alpes Carnicas (quarum *aditus contrà se munitos*

Lambert.

* *Sigebert.*

† Bruno. *tos* noverat) frustratis perduellium insidiis *Ratisbonam* venisse; † *Augusto* denique *mense* obsidione à Rudolfo cinctam Herbipolim liberasse; ut *Romam* (quam tunc non vidit) *iverit*; *ibi se* Gregorio *permiserit*; de *non discedendo* mandatum acceperit; Cardinales ad consilium *de transferendo regno* permoverit; tantisper dum Rudolfum *designatum*, coronâ donatum, optimatibus commendatum *elegere* Saxones; *apud Romam constiterit* fieri nequaquam potest; sed Papam *de superponendo* alio quovis Rege in genere consilium dedisse, legatos Rudolfo favisse, principibus electuris commendasse, electum à Papa legatorum molimina confirmante, *coronam* accepisse, Henricumque à Wernhero Argentinensi monitum * *adulto jam vere*, festinatis (quantum licuit) itineribus revertisse longè probabilius est.

† Wirsbourg.

* Guilliman. Habsburgic. lib. 5.

Reducem Henricum novo cum suis anathemate Gregorii (si qua Saxonibus id ipsum coram Romana Synodo protestantibus fides) *jussione* perculit Bernardus Legatus, qui anno sequente, propè Methelrikestad, in injuriam passi Regis, cum Sigefrido Moguntino & Adelberto Wormaciensi, armatas manus venit; sed * simulac ei secunda excommunicationis vincula injecit, *sententiam mutante* Papâ, nec solum Henrico *Regis*, (quod Rudolfus usurpaverat) nomen conservante, sed Henrico primas deferente frustrà fuit; hæc enim *adventu* se *Regis* extra communionem positi, imò (si decretum ejus ratum habeamus) *exregis in Italiam*, quo minus *ultra montes proficisceretur impeditum* protestatus, ad Bernardum utrumque Legatum, A. D. 1077. Maji 31. quarto à pace reddita mense mandata dedit; *Utrumque Regem (Henricum videlicet atque Rudolfum) commoneatis, quatenus nobis viam illic securè transeundi aperiant*, &c. *desideramus* &c. *causam inter eos (Deo favente) discutere, & cujus parti magis ad regni gubernacula justitia faveat, demonstrare*, &c. *Si alteruter prædictorum Regũ huic nostræ voluntati ac deliberationi parere, & ad vestra monita locũ dare renuerit*, &c. *usque ad mortem (si oportet) nostrâ vice resistite*: & ad Teutonum optimates. *Legatis nostris Bernardo videlicet S. Rom. Eccl. fideli filio, & Diacono; itemque Bernardo abbati Massiliensis monasterii religioso, præcipimus ut utrumque Regem (Henricum videlicet & Rodulfum) aut per se aut per idoneos nuncios admoneant*, &c. *uterque namque Rex à nobis*, &c. *adjutorium requirit*, &c. Quibus Suevorum Saxonumque

* Hæc dissimulat. Paulus Bernried.

numque cum Rodulfo conjuratorum animos graviter pupugit; *Dominus Apostolicus* (inquit Bruno) *Apostolici vigoris oblitus, (quâ causâ nescimus) multum est à priore sententia mutatus. Nam qui prius Henricum cum omnibus suis adjutoribus, Apostolicâ severitate excommunicaverat, eique regnandi potestatem potenter interdixerat, & omnes qui ei fidelitatem jurassent à juramenti nodis (Apostolicâ auctoritate) absolverat, & electionem novi Regis consensu suo confirmaverat, nunc per literas mandavit, ut Concilio facto, Rex uterque convocatus audiatur, & quem justitia regnare permiserit, altero deposito tutus in regno confirmetur*, &c. *Acceptis his literis Bernardus Cardinalis quod sibi injunctum est exequitur; At nostrates (cum ipsas literas accepissent) à magna spe, quam in Apostolica Petra posuerant exciderunt*, &c. *has igitur literas ei remiserunt, quibus cum ancillæ* * *(præsentis scilicet vitæ timore) perterritum, (quasi voce galli clamantis) excitare, & respectu* † *Christi confortatum, ad pristinæ virtutem constantiæ revocare voluerunt*, &c. Nunc sarcinam illam quam (solâ vestrâ auctoritate jubente) suscepimus, eâdem quoque manum supponente levigari oportuit, *&c.* absolutio juramentorum qualiter cassari possit, nullo modo percipere valemus, *&c.* ex insperato literæ vestræ advenientes, duos in uno regno Reges pronunciant, duobus legationem decernunt: Quam regii nominis pluralitatem, & quodammodo regni divisionem, divisio quoque populi & studia partium subsecuta sunt; quippe cum in epistolis vestris, illius prævaricatoris personam semper præponi cernerent, & ab eo (sicut à potente) exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad discutiendas causas præberet; cujus discussionis qualis modus sit (ut salvâ vestrâ gratiâ dicamus) *mirabile* * *est in oculis nostris*, scilicet ut is, qui jam (Synodali judicio, nullâ conditione interpositâ) depositus est; alio in eandem dignitatem † Apostolicâ auctoritate firmato, nunc tandem ad rationem ponatur, & quod finitum est, denuò incipiatur; & de re indubitabili quæstio moveatur, *&c.* familiares prædicti Henrici, qui, *&c.* unà cum suo capite per Legatum Apostolicum ab Ecclesia sancta separati sunt, ad hanc sedem venientes, benignè suscipiuntur; & non solum impuniti redeunt, sed insuper *gloriâ & honore coronantur*; & ad priorem inobedientiam superbiendo rever-

* *Matth.* 26. 69.
† *Luc.* 22. 61.
Verba epistolæ Saxonum.
* *Marc.* 12. 11.
† *Hinc Rodulfum probante Papa electum manifestum est.*
Psal. 8. 6.

revertentes nostræ miseriæ insultant, *&c. Ad quas literas cum nullum pro velle responsum accepissent; has ei literas iterum miserunt, ut quod*
* Marc. 14. 68. 70. *non primo quasi galli cantu (sicut, * secundum Marcum, nec Petrus est excitatus) saltem cum secundo (quasi gallus) populus Ecclesiæ vocem daret, à torpore dubitationis ad constantiam Petri cum Petro suscitatus exsurgeret*, &c. Inter alia multa hæc quoque sanctitati vestræ nuper indicavimus, qualem sententiam Dominus Bernhardus in Henricum Deo odibilem, suosque participes protulerit; quidque de Rudolfo (vestra jussione) statuerit, fiduciam habentes (si hoc ad notitiam vestram perveniret) omnem causam nostram in hoc procedere, & prosperari, *&c.* certamen quod à vobis initum, vestrâque jussione susceptum est, jam non per vos, nec per vestra decreta componitur; sed gladiorum judicio terminandum, derelinquitur, *&c. Tertiam quoque direxerunt epistolam, quam jusserunt in Synodo Romana recitari, Si Dominus Apostolicus vel universalis Ecclesia interventu ad dignitatis Apostolicæ rigorem posset excitari*, &c. pervenit ad nos in S. Synodo Romana nuper habita quæsitum esse, & dubitari à quibusdam; utrum prædictus vir ille excommunicandus sit, an non. *&c.* Dominus Bernhardus Card. *&c.* cum legationem suam in irritum procedere conspexisset, quamvis certum fuisset prædictum virum pro adjuncto inobedientiæ perjurio, prioris anathematis vinculo innodatum, de quo jam ad tempus conditionaliter absolutus fuit, tamen quod sibi ab Apostolica sede injunctum est, superimposuit. Jussione igitur Apostolicâ regni gubernacula denuò ei contradicendo, à corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, & à liminibus S. Ecclesiæ separavit tam illum quam omnes sibi consentientes, & virum alium in regia dignitate confirmavit Apostolicâ auctoritate, *&c.* in Concilio hujus Ecclesiæ sanctæ (quæ semper ab excommunicatis abstinere docuit) se quasi oratores exhibent [*Henriciani*] ita patienter audiuntur, sicut nostri; nullo discrimine inter læsos & lædentes habito, &c. *Tunc ab ipsa Synodo in Teutonicas partes subjectam misit epistolam*, &c. Judicio sancti Spiritus decrevimus & præcipimus, ut in regno vestro omnium conventus Episcoporum & laïcorum eorum qui timent Deum, & inter vos pacem desiderant, fieret; & coram nostris Legatis decerneretis, si cui (Henrico videlicet

vel Rudolfo, qui de regni gubernaculo inter se decertant) amplius justitia faveret, parsque in justa ratione devicta, & B. Petri auctoritate constricta facilius cederet, & ab interitu animarum & corporum (Deo propitiante) cessaret: justior verò pars amplius de Deo confideret, & adjuta B. Petri auctoritate, & omnium justitiam diligentium consensu, de victoria omninò speraret, & neutram mortem timeret, *&c. contrà quam nostrates hanc, quam supposui, miserunt epistolam*: Accepimus dudum sanctitatis vestræ literas, hoc continentes, quod vos in Synodo Romana decrevistis, quatenus in nostris partibus *conventus* omnium *Episcoporum & laïcorum* Deum timentium *fieret*, ad discutiendum hoc, *cui illorum qui de regni gubernaculo certant, justitia* magis *faveat*. In qua re primum hoc miramur, quod prudentia vestra statuit, quod nullo modo posse fieri constat. Novimus enim hoc memoriæ vestræ non excidisse, quod jam assiduis querimoniis frequentatum est apud vos, quippe quod penè omnes Episcopi, qui sedi Apostolicæ obediunt, de suis Episcopatibus expulsi, à facie persequentium fugiunt, *&c.* Mirandum censemus, quod illius hominis causam, cum illis hominibus discutere jubemur, quos utrosque Legatus S.Rom. Ecclesię vestrâ jussione à liminibus Ecclesiæ sanctæ separavit: Si autem nihil horum obstitisset, quid nostrâ interest, ut jamdudum finitam Synodi Romanę sententiam retractemus, & denuo ad rationem ponamus? quid ad nos, ut *discutiamus* si illi *justitia faveat* ad obtinendum regnum, cui vos regni gubernacula jam ante triennium (Synodo judicante) interdixistis? Nonne magis oportuit ut judicium illud discussio pręcederet, quam nunc tandem subsequatur? Novimus intelligentiam vestram, quod nunquam de re indiscussa Synodus vobis pręsidente judicavit: Quæ ergo necessitas secundæ discussionis? Si autem prædictus ille nondum *discussus* est; sed (sicut vos dicitis) adhuc discutiendus; quæ ratio fuit, ut homini indiscusso Regalis dignitas, ex dignitate Apostolica, sine ullo conditionis additamento, interdiceretur? Si nondum discussus, sed adhuc discutiendus; quare Regi alteri obedire ex vestra auctoritate jussi sumus, priusquam certum fuisset istum non posse regnare? Hujus rei testes sunt apud nos literæ vestræ. Quippe quod Legatus sedis Apostolicæ vestrâ jussione anteriori, illi denuò

Nota vim argumenti ad hominē.

regni gubernacula interdicendo, à liminibus S. Ecclesiæ separavit tam illum, quam omnes sibi consentientes: Alterum verò, qui in locum illius subrogatus est, nostrâ electione, in Regiam dignitatem, Apostolicâ auctoritate confirmavit; omnibusque in regno Teutonico consistentibus, ut sibi obediant ex parte Dei omnipotentis præcepit. Nunquid hæc omnia destruenda sunt, & pro nihilo reputanda? Ut autem de reliquis omnibus taceamus; certè si sola illa absolutio Sacramentorum, quam in Synodo fecistis effectum habitura est, indubitanter constat, quod iste Rex esse non potest. Quomodo enim regnare potest, * cui nullus amodo fidelitatem ex debito servat? quomodo regere populum potest, qui in agendis causis legalibus, neminem ad faciendum justum judicium Sacramentorum obligatione constringere potest? Si autem (quod absit) Apostolica illa indulgentia pro rato habenda non est, quid † erit de illis Episcopis & aliis, qui propter prædictam absolutionem, juramenta Henrico prædicto facta infregerunt? nonne manifestè perjurii convincuntur? Si enim ille justè regnare potest, isti injustè fecerunt, qui promissæ sibi fidelitatis jugum à se projecerunt. Adhuc aliud; Quid de illis Sacramentis erit, quæ posteà Regi Rudolfo facta sunt, cujus ditioni vestrâ auctoritate subjugati sumus? Ecce qualis rerum perturbatio, attendant, & videant omnes qui sanum sapiunt, si factum est hujusmodi, si audita est unquam in Ecclesia confusio similis huic confusioni, &c. *Item post aliquod temporis intervallum, nostrates hanc epistolam Domino Apostolico miserunt*, &c. Quarè saltem justitia, quæ nec inimicis deneganda est, nobis denegatur? Si ergo justum est, quod justum esse multis vestris hortationibus didicimus; scilicet ut illi sententiæ vestræ, quæ in Henricum processit, obediamus; illi qui è contrario eidem sententiæ vestræ superbè repugnarunt, quarè secundum justitiam non constringuntur? quarè pro hac inobedientia nullam Apostolicæ gravitatis censuram sentiunt? quarè illis conceditur quod tam ipsis quam nobis interdictum est? aut quomodo illis licet, quod nobis illicitum factum est? Ecce ipsi sine omni contradictione vestra, illi ad obtentum regni auxilium præbent; cui vos *regni gubernacula contra-*

*Nota rursus adversus Gregorii protestationem.

† Nota rursus.

contradixistis; illi sicut Regi serviunt, quem vos usque adeò à *regia dignitate deposuistis*, ut omnes à vinculo juramenti quod ei fecerunt, vel facient, absolveretis; illi participando communicant, quem Legatus S. Rom. Ecclesiæ denuò sibi regni gubernacula contradicendo à liminibus S. Ecclesiæ separavit, *&c.* Rogamus ergo vos per nomen Domini Iesu, ut sive vos terror * *viri peccatoris* (*cujus gloria stercus, & vermis est*) exorbitare fecit, sive familiarium personarum mellita persuasio delinivit, ut † *redeatis ad cor*, ut *memor sitis* honestatis & timoris Domini; & (si non nobis, propter nos, parcitis) saltem vestræ innocentiæ in tanti sanguinis effusione provideatis: nam si illos amplius in nos grassari permittitis, quos prohibere debetis & potestis; timendum est, ne coram justo judice de perditione nostra excusationem non habeatis: *Sic totus annus ille* 1079. *consumitur, ut ferè nibil memorabile fieret in nostris partibus, nisi quod Apostolici legati frequenter ad utrasque partes venerunt, & nunc nobis, nunc hostibus nostris Apostolicum favorem promittentes, ab utrisque pecuniam quantam poterant* (*more Romano*) *conquirere, secum detulerunt.*

* 1 Maccab 2. 61.

† Esai. 46. 8.

Hactenus oculatus, & publicorum suæ partis monumentorum auctoritate munitus testis, Bruno; ex cujus asseveratione firmissima, singula hæc habemus. 1. Gregorium Papam prioris sententiæ pertæsum, quicquid vel per se anno 1076, vel per legatum Bernardum anno 1077 adversus Henricum molitus erat, eodem anno 1077. & sequentibus destinato consilio subvertisse, in quasdam naufragii certi symplegadas delatum, quarum inevitabili collisione attritus ex prioribus posteriora, ex posterioribus priora, (vel ingratiis) acta damnare cogeretur. 2. Eundem (Saxonum, quos in Henrici perniciem armaverat, judicio) *Apostolici vigoris & Dominici timoris oblitum*, alterum *Petrum*, Magistri abnegatorem; Saxonum fœderatorum Alastorem; *effusi* ab Henricianis *sanguinis* reum, partium adversantium (emungendæ spe *pecunia*) illusorem factum. 3. Saxones adversus ipsum palam protestatos, post monitiones geminas, insolubilibus ad hominem argumentis confirmatas, tertiam contestationem in Synodo Romana recitari jussisse; quasi Papam * *Ecclesia denunciarent*, & ad Synodi *majus* (quod nudius tertius nati Ro-

* Matth. 18. 17.

manæ Majeſtatis patroni nunquam probaverint) *tribunal* vocarent. 4. nihil à Saxonibus toto biennio impetratum, cum eorum aculeos omnes, affectatâ diſſimulatione retunderet, Bernardi Legati Cenſuras nullas habere; quam juſſu ſuo inflictas fateri mallet; Henricum Rudolfo, quem coronâ donaverat, conſtanter præferret; eidemque addictiſſimos obviis quotidiè ulnis exciperet.

Brunonem pro Saxonibus eorumque Rege Rudolfo, non adverſus Henricum ſolum, ſed adverſus Gregorium ipſummet (ſolido antequam vivis excederet biennio) cauſam agentem audivimus: quid nunc pro ejus (quam A. D. 1138. † *oſtendendam* ſuſcepit) innocentia præſtiterit Paulus Bernriedenſis, attendamus; electum April. 21. feria 2. contrà morem; 23 ſeq. (novem antequam ordinaretur menſibus) mandata ad Deſiderium Caſſinenſium Abbatem dediſſe; * ſcriptisque Maji 6. ad Godefridum Gibboſum literis Henrico Regi, cujus *conſenſum* expectabat, minas intentaſſe; ac poſtquam ſe anno 1076. à conventu Wormacienſi depoſitum reſcivit, Henricum * *excommunicari, non ſolum uſque ad dignam ſatisfactionem, ſed ab omni honore regni, abſque ſpe recuperationis debere deſtitui*, idemque *divinarum & humanarum legum teſtari auctoritatem*, ad ſuarum partium Teutones ſcripſiſſe refert; additidem p. 203. poſt excommunicationem, *regni principes* Henricum *conveniſſe cum Legatis*; & eundem, *ut eorum conſilio acquieſceret, & reſipiſceret, ſatis fideliter rogaſſe; alioquin ſe non ulterius communicare vel obedire* proteſtatos, p. 204. roganti Henrico *ut ad ſe Romam venire permitteret; votis ejus* Papam *non annuiſſe*; p. 205. *quantas colluctationes cum nunciis Regis habuerit* ſcripſiſſe, p. 208. *quæſtione regni dilatâ, ſolutum ab Apoſtolico* Henricum A. D. 1077. *diſceſſiſſe*. p. 216. *communionem non regnum recuperaviſſe*. p. 208. Papam *ſecum reputaviſſe omnes* Henrico *juratos, ſe ab ejus dominio liberos reddidiſſe, & ob hac nullatenus eum (ſicut nec alium) in Regem, principibus, (utpotè liberis hominibus) ſuperponi debere abſque eorum electione*. p. 260. principes *in Suevia, apud Ulmam conventu facto, deliberaſſe, ut ſuæ ſaluti in legitimi principis electione providerent*; ibidemq; *generalius colloquium ad Forcheim 4. Idus Martias ad novi regis electionem condixiſſe, ad id auxilium* Papæ *ſibi venire (miſſâ legatione) poſtulaſſe*; Papam *ad id colloquium legatos direxiſſe*,

† Pag. 72.
* P. 33. 34. 38.
* Pap. 97.

direxisse, qui principes *rogarent, ut dispositionem regni usque in adventum suum differrent, si hoc sine periculo fieri posse sperarent; noluisse* verò *eis hoc ex definito præcipere, ne sibi imputari posset, si quod periculum status regni ex illa dilatione incurrisset, post* Bernardorum *legatorum discessionem Manegoldum* [Veringhæ] *Comitem advenisse, cujus relatione de novo Rege constituendo certiorem factum* Papam, *alium legatum Gregorium Rom. Eccl. Diaconum, ad principes regni destinavisse, qui eos Apostolicâ auctoritate, adventum ejus præstolari compelleret; eo tamen primitus explorato; si Rex (qui adhuc in Longobardia morabatur) conventus securitatem facere vellet, ut D. Papæ transitum ad Teutonicas partes, pro ipsius causa determinanda concederet*, &c. Id *si Rex nollet concedere, præcepisse* Papam, *ut Legatus ad se rediret, nec principes cum aliqua dilatione, à providenda regni necessitate suspenderet*; Martii 1. *pro judicio securitatem exegisse, cujus denegatio eum non posse restitui, ex divino judicio denotaret*; Regem *securitatem facere contempsisse: Legatos*, (quos Guitmundus * comitabatur) *unà tantum die, priusquam Manegoldus* appelleret, *Forcheim advenisse*. p. 214. eosdem conventui principum dixisse Gregorium Papam, *ut novi Regis electio (si hoc sine periculo fieri posse perpenderet) in adventum* suum *differretur petere*. p. 215, principibus causantibus *periculosissimum & irreconciliabile schisma futurum, nisi in eodem conventu Rex eligeretur; legatos satis compendiosè respondisse, sibi optimum videri, si Regis constitutionem in adventum* Papæ *sine periculo differre possent; cæterùm provisionem regni in principum arbitrio sitam esse: acceptâ à Legatis licentiâ, apud Moguntinum* principes *convenisse*, Martii 25. Rudolfum elegisse p. 216. *cum se per Apostolici banni transgressionem damnandos* reputassent, *si aliquam deinceps subjectionem* Henrico *Regi exhiberent*, Rudolfum *omne hereditarium jus in regno repudiasse, & vel filio suo se hoc adoptaturum fore penitus denegasse; justissimè in arbitrio principum esse decrevisse, ut post mortem ejus liberi, non magis filium ejus, quam alium eligerent; nisi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum invenissent; Moguntinum & Magdeburgensem cum Suffraganeis, legatis præsentibus, & regni principibus* eundem *consecrasse* p. 218. *liberos homines* Henricum *eo pacto sibi proposuisse in Regem, ut electores suos justè judicare, & regali providentiâ gubernare satageret*, idque *pactum illum postea*

* *Ex Monacho Crucis S. Leofredi apud Ebuvoices, Episcopus Aversanus & Rom. Eccl. Cardinalis.*

posteà prævaricari & contemnere non cessasse pag. 221. Anno 1078. Mart. 3. *cum uterque Rex ab Apostolica sede adjutorium requireret, in generali Synodo* à Papa decretum *legatos mittendos, qui convocatis Clericalis & laïcalis ordinis viris, cui parti justitia magis faveret, ad plenum addiscere valerent.* Martii 9. decreti sui contemptoribus *ut non solum in anima, sed etiam in corpore, & in omnibus rebus suis, vindictam omnipotentis Dei sentiant, & in omni congressione belli, nullas vires, nullumque in vita sua triumphum obtineant; sed duplici contritione prostrati semper vilescant, & confundantur*, Papam imprecatum fuisse; *portitorem ab eodem directum, ut una cum venerabili fratre Trevirensium Archiepiscopo* (Udone) *qui Henrico favebat; & altero, qui utilis & religiosus ad hoc esset opus, Episcopus ex parte Rudolfi locum & tempus prædicti conventus statueret; præceptum* Udoni *ex auctoritate B. Petri, ut cui justitia favebat, omninò faveret; & hoc idem facere Clericos & laïcos quos posset ex parte Papæ commoneret;* * Novemb. 19. *Synodo partium* Legatos qui in conventum consentirent interfuisse pag. 229. Anno 1079. mense Februarii cum *Legati* Rudolfi *adversus Henricum proclamassent, quamplures Concilii in eum debere gladium Apostolicum evaginari decrevisse*, sed Papam distulisse Altmannoque Pataviensi, seu Laureacensi ut *utrique parti communem, & ab omni suspicionis nævo (quantum in se erat) cum divina gratia adjutorio, exhiberet immunem; ut justitiæ semper, & nullo modo partibus faveret*, scripsisse: Legatos utriusque pactas conditiones juramento confirmasse pag. 232. Gregorium constituti violatores, *non solum in Spiritu, verum etiam in corpore, & in omni prosperitate hujus vitæ innodasse*; iisdemque *victoriam in armis* (prout ad A. D. 1080. Januarii 27. notavit Bruno) *abstulisse.*

*Pag. 229.

Passau.

Hæc in summa rerum à Gregorio VII. A. D. 1076. ad 1080. in Henrici causa gestarum ipsis Pauli verbis expressa defensio; in qua nonnulla imprudens excidere sibi passus est, quæ ex jurato in Henrici (ante annos 25 mortui) memoriam odio, in clarissimis eum excutiisse evincant: quid enim absurdius, quam Henrico puero

* non-

* nondum decenni, quicquid in Cadaloï Antipapæ promotione criminis fuit objicere? *Cadaloüm* (certè) *datâ per manum suam investiturâ, in Papam erigere non formidavit*: sed cur *formidasset*, omni ex parte insons, utpotè alieno judicio obsequens, necdum suo uti gnarus? Id etiam ad Henrici famam purgandam facit, quod p. 81. refert Hugonem Card. antequam de Gregorio Papa quicquam conventus Wormatiensis decerneret, *Episcoporum & Archiepiscoporum personas repræsentantem, advenisse; projectisque in medium epistolis, sub nomine Cardd. Senatusque ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam regiam, ubi etiam continebantur, postulatio novi pontificis, & abjectio legitimi*, in causa fuisse cur Gregorius deponeretur; sive enim falsum sive verum dixerit culpâ caruit, imposturam passus non faciens Henricus; dum quod Synodus (suo judicio) justè statuerat, exequendum putavit. 3. Notatu dignum quod p. 79. *Saxones* (antequam Gregoriano anathemati Henricus subjaceret) *unanimiter conspiravisse* asseverat, ut *pro Rege illum amplius non haberent*; hinc enim liquere potest, Gregorium perduellium audaciâ fretum, inclinatum ac ruinam minantem principem, eventus securum impulisse. Sed sciens prudens silentio præteriit, quam justa fuerit Henrici in Papam indignatio, quem *in* suum *caput insurgere ausum*, palam questus, disertis verbis * *mandasse* exprobrat, *quod aut* ipse *moreretur*, *aut* principi *animam regnumque tolleret*; ut enim sceleratorum omnium (quotquot ab orbe condito fuere) Henricum caput fuisse demus, nunquam ex officio fecerit Gregorius, in ejus perniciem conjurans, & (contrà Domini exemplum) † *peccatoris* non *vitam*, sed *mortem volens*.

Nec si Bernriedensem, semotis fucis, *folium* nobis *recitare Sibylla*, statuamus, ipse nobis Gregorii (pro cōcepta spe) *innocentiã ostenderit*. Nam 1. si (excommunicantis ipsius judicio) post *regni gubernaculorũ contradictionẽ*, *Rex* dici, *regaliumq; servitiorũ* (quod ex professo notavit Lam-

* Par Domnizonis insania lib. 1. c. 18 *Nicolaum Papam contempsit mens sua prava, Sprevit Alexandrum Papam verè venerandum. Tollere Romanum cui tentat pontificatum, Quendam Parmensem Cadalum Papam jubet esse*: ac impudentissimè conficta hæc omnia, luce meridianâ clarius est, natus enim Henricus anno 1051. Novembris 11. & patri anno 1056. Octob. 5. denato suffectus, sub matris tutela ad A. D. 1062. (quo paulò post Pascha, Annonis Coloniensis & Egberti patruelis factione *puer simplex, & nihil minus quam insidias suspicans* subductus est) vixit, nec quicquam vel de se vel de aliis per se statuit; at anno 1059 Januar 3. Henrici 8 ineunte Stephano sive IX, sive X, successit Nicolaus II, eoque A. D. 1061. Julii 7. denato, Octobris sequentis 1 Alexander II, (solido antequam à materno sinu avelleretur Henricus *puer* semestri) anno demum 1062. Octob. 28. caden e Cadaloo, Alexandri confirmata electio, tunc autem nondum annos 11 excesserat Henricus.

* Epist. Henrici ad Hildebrandum à Brunone descripta.

† Ez:ch. 18. 23, 33 11.

Lambertus) *exactionem* sibi vindicare jure potuit; nulla (vel exauctorante ipso fatente) sive jus sive factum spectes, fuit exauctoratio, quâ positâ, prærogativâ *regali* nequaquam excidit. 2. Si (quod asseveranter scripsit Gregorius) *regnare eum ulterius justitia nequaquam passa est*; imò *si eum non solum usque ad dignam satisfactionem, sed ab omni honore regni, absque recuperationis spe, debere destitui, divinarum & humanarum legum auctoritas testata est*; violatæ *divinæ humanæque legis* reus fuit Gregorius; qui Ecclesiæ corpore abscissum, & *regno absque recuperandi spe destitutum*, communione ac pace donavit, & *regnare* de facto, jusque sibi *regni* contrà interdictum arrogare non modo permisit, sed talem cui in tanto molimine *justitia favere* posset pronunciare non dubitavit: ἀσύστατα enim sunt ex æquo, 1. justè dejecto justitiam favere posse. 2. *justitiâ prohibente* aliquem *regnare non posse*, eâdemque exigente *absque recuperationis spe*, *omni honore regni destitui*, quod primum de Henrico scripsit Gregorius, & *justitiâ favente* eundem *regnare*; quod quinto post mense idem de eodem possibile credidit, quocunque se verteret secum pugnans, nec *justitia* semper *favore* carere, qui Romanæ sedis *favore* destituantur; nec *regiâ dignitate cadere*, quoscunque eadem *exreges* pronunciavit, adversus suas ipsiusmet hypotheses confessus. 3. Si annuente Gregorio, imò (quod Lambertus scripsit) legem ferente, *regalium servitiorum exactio* Henrico reservata est, (cum *exregem regalia exigere* nefas semper fuerit) *regni quæstionem* à Gregorio Henricum ad pacem admittente *dilatam*, Henricumque *communionem, non regnum recuperavisse* (quod totidem verbis suis Gregorius inculcavit & aliis persuasit) ex necessitate falsum est. 4. Si *liberati ab* Henrici *dominio fuerunt*, quotquot *ipsi jurati fuerant*, idemque revera *Exrex* factus est; *superponi ei Rex alius* non potuit, (quod tamen αὐτολεξεὶ Gregorius scripsit) si verò potuit, nec *Exrex* Henricus fuit, nec *ab ejus dominio liberati* (quantumvis eos *liberos* pronunciaverit Gregorius ipsemet) subditi; quandoquidem nec *exregi*, sed vero *Regi* summæ potestatis compoti, *Regem alium superponi* datur; nec *non enti superponi* quicquam, aut *Regem alium* (ubi *Rex* nemo est) *superponi* nullo modo possibile est. Vnde fit ut Rudolfus, post reconciliatum Henricum, ad regnum vocatus, licet Gregorio probatus fuerit, (ipsiusmet judicio) non legitimus sed *superpostititius*

Rex

Rex dici debuerit. 5. Si post factam apud Canusium reconciliationem, Gregorii fidem opemque ad annum usque 1080. implorare non destitit; nec *pertinax* dici aut haberi, nec *pertinaciæ* (quæ in eo nulla fuit) pœnas ullas dare debuit Henricus. 6. Si post negatam ab eodem indicti *conventus securitatem contemptumque* (quod Saxones volebant) *pactum*, Legatos in Germaniam mittendos censuit Gregorius, per quos, *cui magis justitia faveret*, id est an Henrici causa melior esset quam electi, Legatis præsentibus ac probantibus, à fœderatis Rudolfi addiscere posset, nec Rudolfum jure electum, nec Saxones jure egisse, nec injuriâ *denegatam* ab Henrico *conventus securitatem*; nec ex ea *denegatione* Henricum *non posse restitui, ex divino judicio denotari* Gregorio (quicquid in contrarium protestari videatur) constitit: Cui enim unquam in mentem venit, ut jam comperta *addisceret*? hinc etiam pronunciatum in Henricum anathema, jure nullum fuisse necesse est, cum (ipsius Gregorii Saxonumque hoc ipsum incommodo gravantium judicio) *necdum discussus damnatus*, nec ex præscripta ab ipsa naturæ luce judiciorum forma *judicatus*, sed *judicii specie* oppressus fuerit. 7. Si Vdo Trevirensis (ut ut Henrico palam *favens*) eumque (quasi nunquam *dilata regni quæstio* fuerit) debito Regibus cultu prosequens, *venerabilis* Papæ *frater*, & acceptus fuit; si (Papâ ipso mandante) Henrico (quamprimum *ei justitiam favere* manifestum fuerit) *favere*, *Clericosque ac laicos ex* Papæ *parte*, *ut id* ipsum facerent *hortari* jussus est idem; imò si Altmannum Pataviensem, Rudolfinæ causæ propugnatorem acerrimum, *utrique se parti communem exhibere, ab omni suspicionis nævo immunem* se præstare, *justitiæ non partibus favere* voluit Gregorius; sive ex Synodi sententia (quod Bruno, Domnizo, & Paulus Bernriedensis asseverant) sive præter Synodi decretum (quod à Bennone & anonymo Floriacensi scriptum) Henrico primum *regni potestas omnis contradicta fuerit*; pro eo adversus Rudolfum, à Romana sede *Regem* agnitum, stare crimen (ipsomet Papâ fatente) nequaquam fuit; ut nec pro Rudolfo adversus Henricum, *ab omni honore regni absque recuperationis spe destitutum*, novoque à Legatis anathemate perculsum militare *bonum factum*; cum Rudolfo *favens*, *parti*, non *justitiæ favere* potuerit. 8. Si post vibratum à Gregorio VII, in Henrici caput anathematis fulmen, conjurati Teutones,

ipſique Rom. Eccleſiæ Legati, Henricum eundem ut *Regem convenerunt*, *ſatis fideliter ut reſipiſceret rogarunt*, ſe *niſi reſipiſceret* (quod hactenus fecerant, & facere non obſtante Rom. pontificis interdicto parati videbantur) *non ulterius communicare vel obedire proteſtati ſunt*: ſi denique (quod Lambertus ad annum 1076 notavit) annuis induciis datis, *ſe* (poſt Papæ judicium) *legibus cum judicio illo* damnato *agere velle* proteſtati, *rem integram Rom. pontificis cognitione* (quaſi nihil vel *cognoviſſet*, vel pronunciaſſet) *reſervarunt*, nec deciſam Papæ *judicio*, ſed adhuc incertam (poſt *judicium*) ejuſdem cauſam pendere; nec ipſum judicio illo *exregem* factum; nec ſe *judicio* eodem (niſi liberet) teneri; ſed idipſum nullo ſe loco habere profeſſi ſunt; quod certiſſimo indicio eſſe poteſt, nec Papæ, nec Teutonibus Henrico infenſiſſimis, poteſtate ſuâ abuſum *Regem*, ſacerdotali quâcunque ſententiâ *exregem* poſſe fieri, perſuaſum fuiſſe.

Quod *abſentem*, *indefenſum*, *inauditum* Henricum anno 1076. Febr. 2. damnavit Gregorius, non urgeo, quandoquidem *inauditum*, *abſentemque* Gregorium Januarii proximè præcedentis 23. pontificali cathedrâ dejecerat Wormacienſis conventus; utrinque (velut ex compacto) neglectâ judiciorum formâ; quodque ante mille annos ſæpius obtingere Flaccus monuerat, *Iliacos intrà muros & extrà* peccatum fuerat. Sed alia nonnulla obſervanda ſuperſunt; 1. Papam qui Teutonibus conjuratis A. D. 1076. *eligendi* (Henrici loco) *Regis*, *conſilium* dederat; poſt eidem redditam Januario ſequente communionem, novi *Regis* electionem non quidem vetuiſſe, ſed (ſi res moram pateretur, nec urgeret neceſſitas) eoûſque differendam cenſuiſſe, quo relictâ Italiâ, *ad Teutonicas partes ipſe tranſire* potuiſſet; aliud exigentibus fœderatis, qui Ulmæ primum (menſe Februario qui Henrici reconciliationem proximè ſecutus eſt) & apud Forcheim (Martii 12.) convenerant, per legatos conſenſiſſe; iiſdemque præſentibus & confirmantibus electum Martii 15, & coronatum 26. Rudolfum fuiſſe: unde manifeſtum fit, quo ſenſu anno 1080. *ſine ſuo conſilio electum* Papa proteſtatus fuerit; nihil enim de eo nominatim decreverat, imò electionem omnem differri petierat; ut ut electum à Legatis probatum, ipſe mox *Regem* ſalutaverit, & *coronâ* donaverit: Sed hæc jam ſuprà attigimus. 2. A Rudolfo

dolfo primum (ex Gregorii Papæ sententia) *omne hæreditarium jus* regno repudiatum fuisse, ne quis ullos à Gregorio V, ante annos ferè 80. denato, electores institutos fuisse suspicetur. 3. Post *superpositum* Henrico Rudolfum, renovatumque à Bernardo legato anathema, Gregorium medium se (neutrum vel abdicando vel absolutè acceptando) interposuisse. 4. Partes compromisso facto, ejus arbitrio causam permisisse. 5. Compromissi violatoribus *prospera* omnia, ipsamque *in armis victoriam*, (quantum in ipso fuit) *abstulisse*. A. D. 1080. ineunte, Rudolfi (per legatos Henricum *regnum, contrà interdictum invasisse*, adversarios malè mulctasse querentis) clamoribus irritatus Gregorius, Martii mensis Nonis, iterato anathemate Henricum * subacturus, hæc ad Apostolos ait, *solam communionem reddidi, non tamen in regno à quo eum in Rom. Synodo deposueram instauravi; nec fidelitatem hominum, qui sibi juraverant, vel erant juraturi, à qua omnes absolvi in eadem Synodo, ut sibi servaretur præcepi, &c. Henricus cœpit me precari, ut illum contrà Rudolfum adjuvarem, cui respondi me libenter facere, auditâ utriusque partis ratione; ut scirem cui justitia magis faveret. Ille autem putans suis viribus eum posse devincere, meam contempsit responsionem: postquam autem persensit se non posse (sicut speravit) agere; duo Episcopi* * (*Virdunensis videlicet, & Osnabrugensis) de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo, ex parte Henrici, me (ut ei justitiam facerem) rogaverunt; quod & nuncii Rudolfi fieri laudaverunt. Tandem,* &c. *statui in eadem Synodo, in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic pax statueretur, aut cui plus justitia faveret, cognosceretur. Ego enim,* &c. *usque hodiè nullam partem disposui adjuvare, nisi eam cui plus justitia faveret; & quia putabam quod injustior pars colloquium nollet fieri,* &c. *excommunicavi, & anathemate alligavi omnes personas,* &c. *hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non fieret. Prædictus autem Henricus,* &c. *colloquium impediendo excommunicationem incurrit,* &c. *Qua propter,* &c. *prædictum Henricum,* &c. *anathematis vinculo alligo, & iterum regnum Teutonicorum & Italiæ,* &c. *interdicens ei, omnem dignitatem & potestatem regiam illi tollo; & ut nullus ei Christianus, sicut Regi obediat interdico; omnesque qui ei juraverunt, vel jurabunt de regni dominatione, à juramenti promissione absolvo; ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione*

* *Paulus Bernried. p.* 133.

* *Theodericus & Bernardus.*

 belli,

belli, nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat; ut autem Rudolfus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram fidelitatem ex vestra parte dono, largior & concedo, omnibusque sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, veram benedictionem in hac vita, & in futura, vestrâ fretus fiduciâ largior, &c.

Iterati illius anathematis horrendo exemplo, Gregoriique (qui illud pronunciavit) invidiosâ auctoritate nituntur, quotquot hodie cujuscunque generis ac nominis, sive *directam* sive *indirectam in temporalia Regum omnium*, Rom. sedi *potestatem* assignant; eos verò (ne prædominantis affectus *amabilis insania* deinceps *ludat*) in sequentes observationes defæcatæ mentis aciem defigere obsecro, quæ ipso jure nullum Gregorii in Henricum Regem decretum fuisse, luce meridianâ clarius evincent. 1. Cum in hanc usque diem, qua Henrici caput postremo anathemate contudit, id est ad Martii Nonas, *nullam* sive Henrici, sive Rudolfi *partem adjuvare, disposuisse se* profiteatur, *cui plus justitia faveret* adeò incertus, ut hoc solum fine, quo *id cognosceretur, ultramontanorum colloquium* indiceret; nec *convictum*, nec *contumacem*, nec quem *regno indignum sciret*, imò nec *cujus causam ad plenum nosset*, Henricum fuisse (ipsomet Gregorio fatente) necesse est: Henricum verò nihil non, redimendæ paci idoneum, intentatum reliquisse, nullos Gregorio pro se sponsores non obtulisse; ex hujus ad Rudolfum, adversam partem, post Januarii 27. datâ (quam Bruno libello *de bello Saxonico* inseruit) epistolâ invictè demonstratur. *Deferuntur* (inquit) *mihi jam sæpius legationes Henrici, tum per proprios nuncios, tum per cognatos, & aliarum terrarum principes, & affines, modo omnem obedientiam promittendo, modo per varia ingenia sollicitando, id à me summo conamine cupientes efficere, quo me ad votum suum suis partibus valeant inclinare.* nec dubium quin inter omnes Henricianæ fidei assertores, eminuerit Philippus noster, quem *omnium in quibus sperabat fidelissimum, primum, ac præcipuum inter omnes, se excepisse*, Henricus ad extremas A. D. 1106. incitas redactus, professus est; *cui conqueri, & deplorare omnes calamitates suas, & miserias necessarium duceret*: nihil tamen vel omnimodæ *obedientiæ permissio*, vel *principũ*, quà *cognatorum* & *affinium*, quà *exterorum* interventio, Ecclesiasticæ pacis cupidissimo Henrico profuit, quominus

Epist. Henrici ad Philippum initio ab Ottone Frisingensi laudata.

vix

vix exacto mense, tantam experiretur impactarum à Rudolfi & confœderatorum nunciis, in suum caput criminationum vim, ut *audita tantum parte alterâ, absens, indefensus, inauditus*, imò *ne vocatus* quidem *damnaretur*. Ubi * *mansueti & humilis corde* Domini, omni exceptione majus exemplum? ubi Petri † *Regem honorificantis* sacrosancta auctoritas? ubi divini humanique (cujus ne infideles ipsos oblivio capiat) juris cara memoria? ubi denique Gregorii ipsiusmet grata suo merito bonis omnibus protestatio, * *Quod hinc inde & Romana gravitas, & Apostolica mansuetudo, me per mediam justitiæ viam incedere cogit, omnibus quibus possum modis, hoc oportet intendere, quomodo veram à falsa justitiam, perfectam à ficta obedientiam, judicio S. Spiritus valeam discernere, & rato ordine ad finem usque perducere?* Horum omnium oblitus, semet in seipso invenisse non videtur, adversus Henricum incitatus Gregorius; quem Romanæ Synodi † exemplo protestari decuerat. *Nec in absentem valemus ferre sententiam, nec in contumacis locum deputare, qui se judicibus occurrisse proclamat.*

* *Matth. 11. 29.*
† *1 Pet. 2. 17.*
* *Apud Brunonem ex epist. ad Rudolfum*
† *Relat. ad Theodoricum A. D. 501.*

2. Compugnant invicem præcipua Gregoriani decreti membra; nec (si seorsim singula statuantur) ullo jure subsistent. Nam 1. si (quod Lambertus asseverat) Henrico (post redditam communionem) *regalia* per Gregorium *servitia exigere* licuit; qui fieri potest ut *in regno instauratus* non fuerit? an *Exregi*, regio omni jure ac potestate destituto, *regalia* in prædam cedere debuerunt, ut ea *exigeret exigendi* jure penitus spoliatus? *servitia* haberet *servis* ac *subditis* carens? 2. Si ad privatam sortem per depositionis decretum redactus est, unde Gregorio decreti illius conditori in mentem venit, ut nondum *in regno instauratum*, imo ne *communioni* redditum, succisis proprii decreti nervis, *regio* nomine dignaretur, se * *cum nunciis Regis colluctationes habuisse* fassus; ab eodemque reconciliando, tanquam *Rege*, *securitates* accipere non dubitaret, quas nec offerre nec præstare *omni potestate regni dignitateque* † exutus poterat? Annon absurditatem omnem superat, ut is ex *potestate* agere dicatur, cui *potestas* omnis ablata est, *potensque* dicatur, qui jure *nihil potest*? 3. Si recuperatâ communione, *instauratus in regno* Henricus non est; sed suo loco intactum *regni interdictum* mansit; quid eidem

* *Apud Paulum Bernried. p. 205.*
† *Ennod. apol. non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus.*

regnum

regnum (quasi desinente priore *interdicto* cum *communione* instauratum fuerit) *iterum interdicere* necesse fuit? 4. Quæ *regia dignitas, & potestas* iterato illo *interdicto*, ei *tolli* potuit, cui (si quæ Gregorius ipsemet scripsit vera sint) *regia nulla* ab anno 1076. *dignitas ac potestas* reliqua erat? an ullo modo *tolli* potest, quod jam non est; aut ei *tolli*, qui nihil habet? 5. Si priore *interdicto* verè * *Christiani omnes à vinculo juramenti, quod Henrico fecerant, vel facturi erant absoluti sunt*; si justè *ut nullus ei, sicut Regi, serviret, interdictum est*: Si † *omnes ei jurati (interdicti vi) ab ejus dominio liberi redditi sunt*; si ' *per banni Apostolici transgreßionem damnandi, qui aliquam subjectionem ei deinceps exhiberent*; si (quod fœderati Teutones Gregorio Papæ fluctuare viso * objecerunt) Henrico à prioris interdicti momento, *nullus (ex debito) fidem servavit*; si denique Henricus *in causis legalibus agendis, neminem ad faciendum justum judicium Sacramentorum obligatione constringere potuit*; quid inconvenientius fuit, quam à principe *abdicato* (quod Gregorius *abdicans* fecit) ut † *quos posset*, ad *securitatem dandam constringeret*, exigere? an aliquos *constringere* potuit, qui neminem? aut reipsa *soluti à juramenti vinculis*, & *ab omni obedientia* præstanda liberi Henrici subditi fuerunt; ac proinde *constringi* ab eo (quod tamen Gregorius *securitates* accipiens speravit) nullo modo *potuerunt*? quis enim quod *non potest*, opere ipso compleat? aut *soluti* non sunt; ac proinde, vano irritoque conatu, *liberos*, qui nec erant, nec esse poterant, pronunciavit; utrumvis statuamus, sibi contrarius.

* *Paulus Bernried. p.* 93.
† *Pag.* 209.
' *Pag.* 216.
* *Apud Brunonem.*
† *Paulus Bernried. p.* 207.

Cum post annum Domini 1075. *liberatos* primum *Sacramenti religione subditos*, avitumque principi *interdictum regnum* audimus; Athanasii magni * exemplo quærere quis possit: τίς ἤκουσε τοιαῦτα πώποτε, ἢ τίς ὁ διδάξας ἢ μαθών, &c. ταῦτα πόθεν ἐξῆλθε, ποῖος ᾅδης ἠρεύξατο, τίς δὲ ἤκουσεν ἐν ἐκκλησίᾳ, ἢ ὅλως παρὰ χριστιανῶν. *nova* enim fuit *& inaudita præsumptio, ad injuriam & contumeliam* potestatis *elata, qualem* (ut Gregorii ipsiusmet, † cui primo placuit, verbis utar) *patres nec viderunt, nec audierunt unquam, nec Scripturarum series aliquando à Paganis, vel hæreticis docet emersam; cujus mali etsi aliquod unquam (post fundatam & propagatam fidem) Christi præceßisset exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu dolendum foret,* &

* *Ad Epictetum.*
† *Lib.* 3. *Epist.* 9.

& gemendum; quis enim ex Petri (qui de Nerone, non modo infideli, sed inter infideles principatu indignissimo monstro scripsit *Regem honorificate, subditi estote Dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis,*) æternum venerando præscripto, egisse sibi persuadeat, qui Henrico Christi fidem professo, cui *justitiam favere* posse in confesso erat; atque (ut criminosum fuisse demus) *omnem obedientiam promittenti*, paternum *regnum interdicens, regiam omnem dignitatem ac potestatem* pro virili abstulit? hæc certè se mutuo tollunt *Rex* (etiam inter infideles perditissimus) *honorandus est*, & *Dominus* agnoscendus: & *Regi* Christiano, sed quem juvenilis lascivia corrupit, *regni gubernacula contradicenda sunt*, & *ut nullus ei, sicut Regi, obediat interdicendum*. Illud Petri, hoc Gregorii VII dogma, eo minus probandum, quod post redditam Henrico (coram conjuratorum hostium conventu, causam dicere parato, quemque regni privatione puniendum Gregorio nondum constabat) Ecclesiasticam pacem, ab eo velut jam addicto pœnas (liberatis Sacramenti religione subditis) reposcere, ratio nulla patiebatur; ut enim principem *solo Deo minorem*, non modo *minorum* (quos Deus ipsemet, debitæque fidelitatis professio subdiderat) sed *juratorum* (qui Gregorium caput agnoscebant) *hostium* judicio subjacere (quod ab omni ratione abhorret) necesse fuerit; eum remissa ante judicium fidelibus suis Sacramenti religione, plenam *regii* sui juris jacturam facere, seipsumque inermem, nudum, ac propulsandæ injuriæ deinceps imparem, hostili factioni spontè prodere, conculcandumque prostituere, absurdum admodum, (ne insanum dicam) fuisset; cum ipsa humanitatis lex judiciorumque publicorum sive in republica, sive in Ecclesia, inviolabilis forma, ut *ut integrum* (ne seipsum deserere coactus, ab inimicis oppressus videretur) *restitutus*, causam ageret, ante omnia exegerit.

1 Pet. 2. 17. 18.

Tertull. apol.

Factum in Thuringia anno 1080. 6. *Idus Februarii prœlium*, in causa fuisse videtur, cur Henricum indictum *colloquium impediendo excommunicationem incurrisse*, Martii sequentis septimo causatus fuerit Gregorius, sed sive provocatus à perduellibus, sive provocans, promissorumque immemor Thuringos invadendo, adversarios ab omni conventus spe depulerit Henricus idem; ad reddendam

Apol. pro Henrico lib. 2.

facti rationem à Gregorio, cujus se arbitrio permiserat, prius vocari debuit, quam iterato anathemate absens, & indefensus feriretur. Noluit tamen Rudolfi in acie fusi sorte, legatorumque ab eo & fœderatis missorum clamoribus excitatus, vel ad momentum consueto juris ordini obsecundare; sed palam in partem transitu facto, *regnum* (quod ab uno *Excelsi* in illud *dominantis, & cuicunque voluerit*
Dan. 4. 19. *illud dantis* arbitrio pendere monet Daniel) Rudolfo *donavit, omnibus sibi fideliter adhærentibus* * *absolutionem omnium peccatorum; veram benedictionem in hac vita & in futura* largitur. Ne tamen eum, *sanctorum Apostolorum fiduciam* jactantem, conscientiâ planè titubante, novi Regis patrocinium suscepisse nesciremus; illâ ipsâ epistolâ quâ ejus nomen Henrici nomini primum præposuit, fœderatosque Teutones ad obfirmandum adversus Henricum animum, *fidelis adjutorii* & *absolutionis* pollicitatione invitavit maximam Germanorum partem Henrici auspiciis militasse; solos *Saxones* Rudolfum secutos, eundem Teutonum omnium *regem* dici nequaquam potuisse, tituli ipsius inscriptione insinuavit qui talis est; *Rudolfo Regi, omnibusque secum in Regno Saxonum commanentibus*, variato nimirum stylo, quo Januarii præcedentis 27. *omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, in Teutonico, & Saxonico regno commanentibus, omnibusque principibus*, &c. scripserat: Si abdicati *omnique regni potestate* dejecti Henrici, *jus universum* ad Rudolfum *transferat*: cur uno *Saxonum*, quibus de facto *omnium* (ex Gregorii sententia) *Dominus* factus, imperabat, *regno* dominium ejus conclusit? hærebat hac in parte anxia, nec facto suo fidens Gregorii mens, quæ Rudolfi *regnum* non quale ex usurpata potestate volebat, sed quale res ipsa præstabat, delineare cogebatur; nec mirum, si universis ferè decreti adversus Henricum conditi partibus, sese mutuò perpetuâ contradictione (prout suprà docuimus) collidentibus, *potestatis* quam sibi *in temporalia* principum arrogabat primus, naturam atque usum sibi rudi adhuc monarcharum artifici, incomperta esse, volens nolens testatum fecerit. Vix autem profusæ illius largitatis ratio apparet; quâ Rudolfi, *cui an justitia plus faveret* Januario exeunte ambigebat, spes omnes explevit; thesaurum inæstimabilem, *peccatorum* scilicet *omnium absolutionem veramque in hac & futura vita benedictionem* in ejus sinum

* Apud Brunonem.

finum effundens: Ut enim Henricum momento turpissimum, regnoque indignissimum factum, merito suo abdicatum fuisse concedamus, quæ nova fuerant Rudolfi (de cujus causa par dubium fuerat) κατορθώματα, ut pontificiæ *benedictionis* (excluso æmulo advocatis è Cœlo testibus Apostolis) hæres ex asse scriberetur? Annon utriusque, Henrici scilicet & Rudolfi, causa ex æquo mala esse potuit; aut Rudolfi in regni controversia potior, licet in pietatis negotio deploratissima fuerit? An universis illis, quibus in re sæculi, regno nimirum aut principatu terreno *justitiam favere* certum est: *peccatorum omnium absolutionem, verasque hujus & futuræ vitæ benedictiones* (quas non hominis sed *Dei* unius ἀμεταμέλητα χαρίσματα citatus à Gregorio testis * Paulus vocat) largiri par est? Hinc quantum affectibus Gregorius commotior indulserit, facilè conjicere est. * Rom. 11. 29.

Restabat ut hinc Henrici fulminatum caput, & *duplici contritione contritum, nullas in omni belli congressu* (pro Gregorii imprecantis voto) *vires, nullam in vita sua victoriam obtineret*; Inde Rudolfus perpetuis triumphis auctus, ad longos annos, *sublimis per ora virûm volitaret*. At spes ejus Gregoriique fautoris omnes hac in parte eventus frustratus est; nec ego sanè ex sola hujusmodi Catastrophe, totius causæ judicium fieri velim; *careat successibus opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat.* Sed divina judicia *quo res cunque cadant*, submissâ mente adorare juvat. Quarto à renovato Henrici anathemate mense, *septimo Kal. Iulii feria 5. apud Brixiam Noricam 30 Episcoporum conventu optimatûmque, non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu Regis Henrici congregata*, Gregorio VII deposito, Vuigbertus Ravennas suffectus est; qui ad anni 1101. Septembrem, pontificalibus infulis redimitus, Gregorio VII, Victori VIII, Urbano II superstes, annos solidos 22. cum trimestri ferè exacto sedit. Tunc ab Henrico ad Gregorium binas epistolas scriptas Baronius Card. putavit; quarum hæc initia sunt. *Hanc talem pro confusione tua, & cum hactenus ex te ea quæ patris sunt exspectarem*: sed cum coætaneus, Bruno, qui utramque libello suo *de bello Saxonico* inseruit, & ætate proximus Paulus Bernriedensis refellunt, datasque anno 1076. Januar. 23. ex conventu Wormaciensi palam docent; infirma Vrsperg. Brixen. A.D.1180 §.22. A.D.1076 §.8.

firma etiam sunt quæ adversus datam ab Henrico eodem ad Annonem Goloniensem epistolam protulit: Cum enim unum illum Wormaciensem conventum qui A. D. 1076. die ab Annonis dormitione 51. congregatus est, in animo haberet, Legatosque Romanos qui Henricum ad Synodum Romæ occurrere juberent, Goslariæ ipsum Decemb. 25. post Annonis obitum die 22. convenisse sciret; effictas à sciolo aliquo quæ Annonem Wormaciam in Pentecosten vocarent, literas suspicatus est. At ex Lamberto ipso (cujus auctoritate potissimum fretus videbatur) constat, Henricum A. D. 1075. belli Saxonici apparatibus intentum April. 5. *Pascha*, Maji 24. *Pentecosten VVormaciæ cum paucis celebrasse*; Juniique sequentis 8. *in Bredingen cum tanta multitudine venisse*, ut *quicquid in regno Episcoporum erat*, ibidem *convenerit*. *Episcopum* verò *Coloniensem* Annonem *causatum impium fore, si calamitatis, qua oppressura esset fratrem suum Magdaburgensem Episcopum, & consobrinum suum Halberstatensem Episcopum, spectator adesset, vacationem impetrasse*. Facilè igitur potuit *VVormatiam* ab Henrico *in Pentecoste* (quam Sigebergæ *celebravit*) vocari; Paulò post *in Bredingen* cum reliquis in bellum Saxonicum *enitentibus* Episcopis *convenit*, *vacationem impetraturus*; ac tandem *S. Michaëlis & Ecclesiæ dedicationis solemnia*, in Sigeberg *egit*. Unde Coloniam equo reversus, *novem plus minus hebdomadibus podagra miserabiliter cruciatus*, decessit Decemb. 4. fer. 6. Neque *nihil de Gregorio* Henrico (*qui totus in expeditione Saxonica erat*) *cogitandi otii fuisse* necesse est; quandoquidem præcipuum Saxonum Conjuratorum incentorem & suspicabatur Henricus, & suo malo expertus est; nec valet argumentum: *literis se suis* Gregorio *obsequentem exhibuit* idem; ergo *de eo questus non est*. Unica enim ejus extat ad Gregorium anno 1073. vel fortè 74. Octob. mense data epistola, quam summa paulò post animorum alienatio subsecuta est. Nec postremò urget argumentum; *Gregorii* Papæ *erga Henricum frequentata sunt officia*: Ergo *quæ de Henrici legatis Romæ malè habitis narrat epistola, falsa sunt*: duas enim Gregorii ad Henricum anno 1074. Decembri mense datas; duas * anno 1075. Julii 20. scriptas, quintam 1076. Januarii 13. missam habemus, ex quibus firmam nullam pacem inter altioris

Auctor vitæ lib. 3. c. 1. &c.

Inter Gregorianas lib. 1. 29. & 30.

Lib. 2. epist. 30. 31.
**Lib. 3. ep. 3. 7. 10.*

altioris ſpiritus viros unquam coaluiſſe, facilèque eveniſſe ut Legati ab Henrico Romam miſſi à Gregorio (qui minas necdum ordinatus ſpiraverat) durius exciperentur, liquidò apparet. Sed hæc obiter.

Vix ſeptem menſibus à Gregorio *donatum* cum *benedictione regnum* tenere potuit Rudolfus, *juramentum* à ſe violatum, *honoremque indebitum uſurpatum* (ſi qua Helmoldo fides) dum animam ageret confeſſus. Hermannus Salmenſis anno 1081. in Natali Domini Rudolfo ſuffectus, non modò abdicare anno 1086. coactus eſt; ſed anno 1088. *ſaxo de turri jacto* oppreſſus eſt. Egbertus Miſnenſium & Thuringorum Marchio, qui regnum anno 1090. invaſerat, eodem *in molendino* ab Henrici fidelibus confoſſus eſt. Romæ toto ferè *quadriennio*, ab anno 1081. inchoando, *ſuburbana* ab Henrici exercitu *devaſtata ſunt*; anno 1083. capta *civitate Leoniana*, quam nunc *S. Petri Burgum* vocant, Martii 22. feriâ 6. in S. Petri Baſilica Wigbertus Clemens III dictus, *inthronizatus* eſt. Synodus à Gregorio Novembris 20. congregata, *ne Henricum ſpecialiter anathematizaret, exbravit*. Anno 1084. Mart. 25. ſeu *feriâ* 5. *ante Palmas*, deditionem facientibus Romanis, Lateranenſi Palatio ab Henricianis occupato, Henricus ipſe à Wigberto imperator coronatus eſt. Gregorius verò (qui deditâ Henricianis iiſdem Româ in *Hadrianeo*, ſeu *S. Angeli arce* delituerat) Maji 1. *dum Romani extinguendo* à Roberto Guiſcardo, quem advocaverat *urbi injecto igni toti incumberent*, ſe ſubduxit, Caſinum primum, deinde Salernum petens; ubi anno ſequenti Maji [1] 25. feria 1. diem ultimum obiit (ſi Bennonem & Sigebertum audiamus) pœnitens. Sic enim hic ex illo mutuatus. *Dominus* [2] *Apoſtolicus* Hildebrandus (*qui & Gregorius nunc*) in [3] extremis *poſitus* ad ſe vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris; [4] & confeſſus eſt Deo *&* S. Petro & toti Eccleſiæ, ſe valdè peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat, *& ſuadente Diabolo, contrà humanum genus odium & iram concitaſſe; Poſteà verò ſententiam quæ in orbe terrarum effuſa eſt, pro augmento Chriſtianitatis cœpiſſe dicebat. Tunc demum* [5] miſit *prædictum* confeſſorem ad Imperatorem & ad totam Eccleſiam, ut

Il Borgo.

[1] *Tribus circiter ſeptimanis poſt Synodum Moguntiæ ſecundâ hebdomade poſt Paſcha coactã.*

[2] *Bennonis verba diverſo charactere expreſſimus.*

[3] Benno *in extremis ſuis.* [4] Benno, *confeſſus eſt omnipotenti Deo.* [5] Benno, *atque hunc confeſſ.*

† Idem optavit illi veniam. ut optaret illi *indulgentiam* † *quia finem vitæ aspiciebat,& tam citò induebat se Angelicâ veste; & dimisit, ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & laïcis; & jussit suos abire domo Deoderici & amicos Imperatoris ascendere.* Hoc exitu ærumnosam vitam clausisse (Ottonis Frisingensis, qui Paulum Bernriedensem secutus est, & anonymi vitæ Anselmi Lucensis scriptoris testimonio fretus) non modò negat, sed in hæc verba animam efflasse asseverat Baronius

* Psal. 45. 8. Card. *Dilexi * justitiam,& odio habui iniquitatem,idcircò morior in exilio.* nec eâ protestatione usum inficiari velim; cum facilè eveniat ut qui suo judicio *iniqua* ferre nequeunt; (fallente *Diabolo*, suâque naturâ optimis affectibus, quavis occasione datâ abutente) in facto errent, erratique (quamprimum innotescit) seria pœnitentia ducantur; hunc animi motum in Gregorio malim, quam sibimet applaudentis (quod Baronius putavit) καύχημα. Nec fortè ex indignatione (quâ summâ in Gregorium vivum exarsit Benno) manaverit, quod diutinæ adversus Henricum contentionis (cujus pars præcipua fuerat) ipsum morientem puduisse dicitur. Id

Lib. 3. c. 64. enim ne fide indignum videatur Leonis Ostiensis sequentia suadent: *ante tertium sui obitus diem rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui fortè tunc aderant cum Desiderio, quid de Romana sedis post obitum suum ordinatione juberet, hortatus est, ut si quo pacto possent ipsum Desiderium pontificem facerent. Is enim præter id quod Romanæ tunc Ecclesiæ presbyter Cardinalis esset, & prudentiâ summâ, & religione præcipua, & singulari principum benevolentia, amicitiaque pollebat,* &c. *Principes* intelligebat Robertum Guiscardum, qui fato Julio sequente functus, Rogerium fratrem, Boëmundum & Rogerium filios; Jordanum Capuanum, Gisulfum Salernitanum, Ranulfum Aversanum, Matthildem Comitissam, ac præ aliis omnibus Henricum, quem post iteratum anathema *Regem* more solito nuncuparat, hæc anno 1081. libri 9. epist. 11. ad Desiderium Cassinensem (posteà Victorem III dictum) scribens; *si pravæ voluntati ac nequitiæ Regis vellem favere*, &c. *servitium nos ab hoc Rege*

Hancipsam epistolam citare videtur Rubeus hist. Raven l. 5. p. 309.

Nostri nimirum, carissime, nisi nos studium justitiæ & honoris S. Rom. Eccl. teneret,& si pravæ Regis suorumq; voluntati servire voluissem, neminem prædecessorum nostrorum ab antecessoribus Regibus & Archiepiscopis, tam amplum & devotũ obsequium sicut ab hoc Rege & Archiepiscopo obtinere potuisse.

Rege habere, &c. præfatus Rex placitum cum Roberto Duce habeat, videlicet ut filius Regis filiam ipsius Ducis accipiat, & Rex Duci Marchiam tribuat; quem rursus *ne specialiter anathematizaret* à Romana Synodo anno 1083. *exorari se* passus erat, quem *pené omnes* Rom. Ecclesiæ *fideles*, à Papa (teste ipsomet) *in gratiam recipi crebris adhortationibus* postulaverant; *cui jampridem plura facere parato, omnes ferè Italicos favere*, libri 8. epist. 3. ad Altmannum Pataviensem, & Willelmum Hirsaugiæ Abbatem anno 1081. datâ confessus erat; cui rursus anno 1088. Desiderium Cassinensem, * paulò post successorem futurum, *debitæ fidelitatis obsequium in epistola fronte scripsisse*, eum *Imperatorem* agnovisse; *ab eo præceptum aureâ bullâ munitum de monasterii possessione accepisse*, cum eo Robertum Ducem *pactum* filiæ desponsatione & Marchiæ in beneficium traditione sanciendum; anno 1081. *habere* disposuisse; imò *fœdus* anno 1083. de facto *composuisse* ad eum *Capuanum principem, ac Northmannos omnes* profectionem *instituisse* noverat. Quid (amabo) incommodi nos manebit, si eâdem (quâ Desiderium Henrico acceptum præ aliis omnibus successorem designavit) mente, turbarum præteritarum tædio, impendentiumque cladium metu, antequam animam ageret Henrico optanti ac fesso quietem pacemque Gregorium obtulisse, cum Sigeberto, aliisque quos fontes habuit, prioribus, statuamus?

* *Leo Ostiens. lib. 3. c. 49.*

Sigeberti sententiæ non repugnant designati à Gregorio successoris facta; nam primum fidem dare recusantibus Iordano Capuano, & Ranulfo Aversano, nullam ei *vim inferendam*, Romam toto anno 1085. proficisci renuit, eodem anno 1086. Paschatis (quod Aprilis 5. celebratum est) tempore vocatus; cum Maji 30. in ipsa *pentecostes vigilia* appulisset, postridiè electus consentire noluisset, quem vellet nominare jussus; Ottonem (qui posteà Urbanus II dictus est) eligendum proposuit; ejusdemque electionem quodam ex Cardinalibus *contrà Canones esse* asserente, *nunquam se consensurum* affirmavit; *perductus tandem invitus ac renitens, ad Christi Martyris Luciæ Ecclesiam, Victorque* nuncupatus, simulac Româ egressus, Ardeam primum, ac exinde Tarracinam venit *pontificatus insignia dimisit*; & *Cassinum reversus* est; unde nec Iordani Ca-

At paulò post eundem successorem habuit.

puani,

puani, nec Romanorum precibus toto illo anno avelli potuit; imò nec nisi anni 1087. *Dominica in Ramis*, Mart. 21. Cincii Consulis, Jordani principis, Rogerii Ducis, totiusque Concilii Capuani precibus fractus *electionem præteritam confirmavit* Maji 9. feria 1. Romæ ad paucos dies inthronizatus, siquidem sedem adversus Wigbertum ultrà Septembris 16. non tenuit; pontificatus hærede Ottone (qui Urbani II nomen sumpsit) relicto, nihilque toto administrationis tempore adversus Henricum nominatim * molitus est, quem *Imperatoris* (si Leonis † testimonium recipiamus) titulo dignatus proprias injurias unius æmuli anathemate ultus est: quanquam aliud ex Bertholdi verbis eum *literis suis ad regni* Teutonici *principes, judicium antecessoris sui piæ memoriæ Gregorii Papæ, super Henricum & fautores ejus apertissimè confirmasse* scribentis, sequi videatur; sed fortè se Gregorianum nomen, actaque grata memoria recolere, cum in genere professus fuisset, Bertholdus Henrico infestissimus, eum velut obtorto collo in partes traxit, sibi suisque blanditus.

Non est etiam quod nos in Bennonis & Sigeberti narratione *duodenarius Cardinalium* Gregorio morienti assidentium numerus offendat, quandoquidem fieri potest, ut *duodecim* præcisè nec plures ei adhæserint, reliquis à Wigberti parte stantibus, vel Romana Ecclesia propemodum desolata, ac miserum in modum dissipato Clero ad duodenarium numerum devenerint, qui *Cardinalitio* titulo tum gaudebant. Sed quid *domus* illa, sive *Deoderici*, sive *Theoderici* de qua *suos in extremis positus Gregorius abire jussit? Cum* (inquit Walramus Naumburgensis apologiæ pro Henrico IV, libro 2. ad annum 1083.) *misereretur Christus ovibus suis, quibus noluit Hildebrand misereri; relictis eis fugit in Trajanum, quæ scilicet munitio hactenus inexpugnabilis, dicta est vulgo domus Theodorici*, sive à Theodorico Gotthorum Rege anno 526. Augusti 30. denato, sive à recentiore quopiam alio; videtur tamen non *Trajanum*, sed *Hadrianeum* legendum, ex Deusdedit Cardinali, qui de Gregorii adversus Henricum certaminibus scripsit, *militari Northmannorum*

* *Paschalis Papa in Concilio Romæ A.D. 1102. congregato (Urspergensi qui interérat Baron Card. & in Sigonio qui Urspergengensem lib. 9. p. 257. exscripsit testibus) hanc adversus Henricum sententiam protulit.* à Beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde à sanctissimo viro Urbano prædecessore nostro, postremò à nobis in proximo conventu nostro judicio totius Ecclesiæ perpetuo anathemate obligatus est; *Paschalem Papam imitatus Dodechinus A. D. 1105. à Gregorio, Urbano, & Paschali, Victore omisso Henricum excommunicatum refert.* † *Lib.* 3. *c.* 71.

* *Fortè* Trajanum, *quia Hadrianus à Trajano adoptatus, &* Trajanus *dictus est.*

norum manu Ducis Roberti, qui in auxilium Domini Papæ, in Hadriano *degentis concitè adfuit turpissimè fugatus, abscessit*, Henricus. Idipsum confirmat Bertholdus ad A.D. 1084. de Roberto loquens, *acceptis obsidibus à Romanis, & in castello S. Angeli (quod domini Theoderici dicunt) reservatis ipse ad recuperandam terram S. Petri reversurus in brevi, plurima castella & civitates Domino Papa recuperavit*, & Leo Ostiensis lib. 3. c. 52. *in arcem S. Angeli se contulerat* Papa, &c. *Dux ad arcem S. Angeli continuò properans atque inde pontificem abstrahens* Robertus. In *Hadriani* igitur *mole* sub Vitige munitione facta, atque (ob turris altitudinem) ab Adone *inter nubes*, à Glabro *inter cælos*, posteà *Crescentii turri*, ac sub Henrico IV. *Theodorici domo, S. Angeli arce & castello* dicta receptum habuit Henrici armis cinctus Gregorius; cujus (dum subito Roberti impetu abductus est) *suis* custodiam Salernum petens reliquit; nec tamen præsidiariis deditionem imperantis suprema voluntas impleta est, si (prout Leo Ostiensis lib. 3. c. 67. refert) anno 1087. à Gregorii dormitione tertio, *castrum sancti Angeli, B. Petri Basilicam, urbem Ostiensem; ac Portuensem, urbem trans Tiberim totam, Romanorumque maximam partem sub ditione sua habebat* Victor III, quod non evenisset si (ex Gregorii vivere desinentis mandato, *abeuntes amici Imperatoris ascendissent* præsidiarii: sed impletam tandem *lib. 7. c. 6.* Otto Frisingensis docet, *Urbanum* A.D. 1096. *à Concilio Claremontensi regressum, auxilio eorum, quos ad Hierosolymitanum iter accenderat, Gibertum ab urbe (excepto castro Crescentii) ejecisse* scribens.

Quam parum de usurpata à se primum *in temporalia* Regum *potestate*, certus, ad mortem usque nutans,& pugnantia loquens Gregorius fuerit, quodque de ejus in Henricum IV iterato molimine Anonymi Floriacensis, Guiberti Abbatis, Sugerii, aliorumque ætate proximorum, aut coætaneorum judicium fuerit vidimus; alios testes audiamus, qui seculi quisque sui communem sententiam aperiant. Auctorem *vitæ Henrici* anonymum, Bennonem Cardinalem, Walramum Naumburgensem *apologia pro Henrico* scriptorem, quibus Henrici causam agere, Gregorioque *divinæ imaginis & potestatis quæ à Deo est, quaque Reges regnant & imperant, odium & persecutionem* impingere propositum fuit, missos facio.

Sigebertus (ex eoque Matthæus Paris) ad A. D. 1077. *Saxones rebellant instinctu Papæ; ipse Papa occurrens Imperatori in Longobardia sub falsâ eum pace absolvit* A. D. 1080. *Hildebrandus Papa quasi divinitus revelatum sibi prædixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum; & verum quidem prædixit, sed fefellit eum de falso Rege conjectura, secundum suum velle super Henrico Rege interpretata, Rex enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congressu, falsus Rex Rudolphus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur*: ejusdem ad A. D. 1085. verba jam retulimus. Conradus Abbas Urspergensis ad A. D. 1080. *Hugonem* * *& alios sibimet rebelles debellat* Henricus. 1093. *Conradus patri rebellasse insinuatur*; 1098. *VVelso Bajoariorum Dux filios suos & ipsos rebellare tentantes, gratiæ Imperatoris reconciliavit*: 1105. *rebellionem contrà patrem parat* Henricus V.

* *Dasburgensem Alsatiæ Comitem Apolog pro Henrico lib.2.*

Chronicon S. Udalrici Augustensis, in annum 1104. desinens, ad annum 1075. *Romæ Legati Regis à fautoribus Papæ malè tractantur*; 1077. *Rege in Italia morante Rudolfus Dux de Reinfelde, Rex constituitur in Forchaim in loco infausto, in Pontii Pilati prædio, in medio quadragesimæ, à maledictis potius maledicitur quam consecratur, Chrismate in eodem die (contrà Ecclesiastica constituta) consecrato; in eodem die ad damnationis suæ cumulum in loco Moguntiæ plurimi occiduntur*, &c. 1079. *Saxones perfidi Regem Henricum & legatos cum dolo fallentes, cum juramento pactionem fecerunt & ita bellum dirimitur*, &c. 1080. *Rex Hainricus expeditionem in Saxoniam faciens, contrà gentem durissimam & perfidam 7. Kal. Febr. quos fugat, sternit, & devastat. Interim autem Rege & Duce Friderico absente, adversarii Rhetiam invadentes prædas ac incendia exercent, ad perpetuum etiam exitium suum, Augustensis Ecclesiæ 3. Idus Iunii suburbana vastant & concremant, Ecclesiam etiam Apostolorum S. Petri incendunt, Altmanno etiam Episcopo Pataviensi consentiente, exemplumque Domini non imitante*, &c. *Rudolfus auctor seditionis sine damno exercitus occiditur*. 1081. *Rex Hainricus Italiam proficiscens, honorificè suscipitur, toto æstivo tempore illic moratur, rebelles domuit; Ecclesiis injustè subtracta restituit*. 1083. *Rex Romam ingressus, cum omni humilitate limina Apostolorum petens, VVicpertum Antipapam in sede Apostolica locavit*. 1084. *Imperator*

perator Metensem civitatem aggrediens, Episcopum & cives urbis ejusdem, sibi rebelles, pactione subjugavit, &c. 1085. *Imperator Saxoniam cum exercitu multo ingreditur, pridem rebelles cum pactione suscepit, Hermannum Ducem regia negotia usurpantem, & Episcopos illi consentientes, & ab illo constitutos de provincia expulit,* &c. 1087. *Abbas quidam de Monte Casino Desiderius, opinione sanctitatis famosissimus, ab Imperatoris adversariis seductus, cum Normannis, quos cum pecunia corruperat, clandestinâ calliditate pro arripienda Apostolica dignitate Romam ingreditur; sed Romani, qui ex parte Imperatoris erant, adventus ejus causam cognoscentes, ipsum vix evadentem ex urbe fugarunt, Monachosq; & alios sequaces ejus multis contumeliis affecerunt; ipse verò in immoderata perdurans ambitione multa dando, & plura pollicendo, collectâ gravi multitudine absente VVicperto, in ipsa sacratissima vigilia Pentecostes, ex insidiis occulto aditu Romam invasit, S. Petri domum expugnavit, irrupit, statimque violentiâ quâdam se inthronizari fecit, & consecrari. Sed miser ille, atque maledictus (dum Missarum solennia celebraret) inter ipsa Sacramenta nondum perfecta, fœtore turpissimo effusis intestinis, labitur, atque extrà Ecclesiam semivivus deportatur, post breve autem vitam in quodam castro finivit, gravi languore affectus, neque à Romanis detentus, nec in proprio monasterio receptus,* &c. *Hostes asperitatem belli formidantes, pro Imperatoris honore, principumque ejus consilio se pactionem facturos in loco & tempore statuto juramentis affirmant, si à cædibus ac devastatione quiesceret,* &c. *hostes verò ad pristinam revoluti contumaciam, spretis juramentis, pactum irritum faciunt, depulso Herimanno Egipertum regnare disponunt,* &c. 1088. *Hermannus pseudorex, regiâ dignitate privatus, urbem quandam clam cupiens irrumpere, saxo desuper misso capite (quo temerarius coronam imposuerat) percussus opprimitur.* 1090. *In Saxonia Clericus quidam (ut putabatur) defunctus, raptus ad inferos, post triduum reversus sententiam quam de tormentis Gregorii* VII *Papæ, regulorumque Rudolfi & Herimanni multorumque prætulerat mortis suæ presagio, aliarumque rerum indiciis affirmabat,* &c. *Imperator in Italiam cum exercitu proficiscitur, à terra illius principibus benignè suscipitur,* &c. *toto æstivo tempore Mantuam rebellem obsedit.* 1093. *Ex odiis & invidia † fomite conflata, usque adeò convaluit discordia, ut quidam perversæ seditionis auctores cum Mediolanensibus (juxta Euangelica scandalorum præsagia) filium*

† Fortè *comite vel invidia fomite*, leg.

† Videtur leg. *in patrem insurgere.* * *Matth.* 18. 7.

Imperatoris Conradum regnare, & † in patrem malo instinctu suggererent, non veriti divinam sententiam. * Necesse est enim ut veniant scandala, væ autem illi per quem veniunt, *&c.* 1100. *Conradus Imperatoris filius in Italia regia usurpans negotia moritur.* 1103. *Imperator Moguntiæ in Epiphania Domini regnum per quadriennium, cum juramento pacificari constituit, Saxones sibi rebelles reconciliavit, cunctis gratiam suam impertivit.* 1104. *Hainricus Imperatoris filius à quibusdam instigantibus seductus secessit à patre, & sic successerunt mala.* Albertus Aquensis hist. Hierosl. lib. 1. c. 7. *anno Dominicæ incarn.* 1095. *Ind.* 4. *Henrico* 4. *Rege, ac* 3. *Imperatore Rom. Augusto, anno regni ejus* 43, *Imperii verò* 13.

Chronicon Hildensheimense in annum 1137. desinens A. D. 1080. *Indict.* 2. *Apud Brixinam Noricam* 30. *Episcoporum magnaque partis optimatum regni conventus contrà Hildibrandum habetur*, &c. 1082. *Ind.* 4. *Herimannus regnum invadit, & à Sigefrido Moguntino ordinatur.* 1083. *Ind.* 5. *Roma capta est ab Henrico Rege, & Hildebrandus Papa expulsus, & pestilentia magna facta est: Herimannus qui regnum invaserat Orientalem Franciam hostiliter ingreditur.* 1086. *Ind.* 8. *Herimannus regium nomen deponit, & ipse mox perit.* 1091. *Ind.* 13. *Mahthilt de Longobardia Henrico Regi rebellat.* 1097. *Ind.* 4. *Conradus patri suo Heinrico rebellat: & ob hanc injuriam juniori filio suo regnum injungit.* 1098. *Ind.* 5. *Conradus Comes de Hohemburg Regi rebellat, & idcircò expulsus est.* 1099. *Ind.* 6. *filius Imperatoris Henricus levatur Aquisgrani, Conrado Rege cum inimicis patris sui in Italia consistente & consentiente.*

* *Iisdē verbis usus Chronici Richersperg ensis scriptor, Magnū Chron Belgicum, T. Langius. Chron. Citic. Godefridus part.* 17.

Otto Frisingensis Episcopus Chron. lib. 6. c. 35. *Rudolfus Alemannorum Dux à quibusdam principibus Rex creatur; quo non multo post in publico bello occiso, atque Hermanno Lotharingiæ principe sibi substituto; & ipse non multo post à fidelibus Regis occiditur.* * *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam eorum ante hunc à Romano pontifice excommunicatum*, &c. c. 36. *Quanta autem mala, quot bella, bellorumque discrimina inde; id est Regem orbis, non tanquam orbis Dominum verita est; sed tanquam de limo per humanam conditionem fictilem factum, gladio anathematis ferire decernit* Ecclesia, &c. *quanta autem mala, quot bella, bellorumque discrimina, inde subsecuta sint; quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod*

quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tadet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum quam corporum pericula, hujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelicitatem sufficeret comprobandam unde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Ægypti tenebris comparatur, &c. lib. 7. c. 1. *Defuncto Salerni B. memoriæ summo pontifice Gregorio, Ecclesiaque in summo discrimine posita, eo quod Gibertus authoritate Imperatoris Romanam sedem & urbem occupasset, Abbatem Cassinensem Cardinalem Desiderium, qui & Victor, invitum pauci de Romanis, ad culmen sacerdotii summi trahunt, corruptisq; pecunia Leoninæ urbis custodibus ob metum schismatis nocte consecrandum in Ecclesiam B. Petri inducunt, ubi profluvio ventris correptus, moxq; urbe egressus, rebus humanis in brevi excessit.* c. 8. *Anno dehinc iterum sequente Natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius ejus rebellionem contrà patrem in Noricis partibus, consilio Theobaldi Marchionis & Berengarii Comitis sub specie religionis, eo quod pater ejus à Romanis pontificibus excõmunicatus esset, molitur,* &c. c. 9. *Videres lachrymabiles ac miserabiles apparatus; cerneres mundum contemptum sui (luce clarius) effectibus suis prodentẽ; quod videlicet, (contrà legem naturæ) filius in patrẽ assurgeret; contrà normam justitiæ miles Regem, servus Dominum impugnare paret,* &c. *circa hæc tempora, dum regnũ Romanorum non solum civiliter, sed & parricidialiter (libidine dominãdi) dividitur,* &c. De gestis Friderici l. 1. c. 1. *Cum Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, imperium gravissimè scissum fuisset; parteque maxima optimatum principi suo rebellante, tota penè regni latitudo ferro, flamma fœdaretur, Gregorius* VII *qui tunc urbis Romæ pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eo vehementius indignationis motum suscepit imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in principem Romanorum promulgatam cognoverat; eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania apud Bajoaria civitatem Brixinorum in ipso Pyrenæo haud procul a valle Tridentina sitam, coadunatis Episcopis princeps Curiam magnã celebravit, ubi omnibus advenientibus injurias sibi à Rom. Ecclesia irrogatas affectuosè conqueritur, quod videlicet ipso inconsulto qui tanquam Rex & Patricius, primus in electione sua urbis*

Vide magnum Chron. Belg.

Abusivè Pyrenæum Alpes vocat. Rufini exemplo qui quoscunque montes Alpes nuncupavit.

bis Episcopi esse deberet, Romani sibi pontificem præfecissent; cum à patre suo Imperatore plures ibidem, quasi sine electione, inthronizati fuerint, &c. c. 2. *Post hæc princeps militem copiosum colligens Italiam ingreditur, ad urbemque usque progressus, Romani populi favore, pulso Gregorio Guibertum ibidem ponens, Imperatoris & Augusti nomen sortitur; venerabilis autem sacerdos persecutionem fugiens, ad tutiora montana Tusciæ in terram Comitissæ Matthildis, quæ Imperatoris consanguinea fuit, se contulit, ibique per aliquot dies manens sententiamque anathematis renovans epistolis, quæ multis in locis habentur, principes regni adversus Imperatorem suum concitavit*, &c.

Imò ad Robertum Guiscardum se contulit, ab eodem periculo ereptus.

† Helmoldus Ecclesiæ Busoviensis presbyter, *Chronici Slavorum* lib. I. c. 28. Henrico Regi Romanæ Ecclesiæ reconciliato, à Saxonibus & Suevis jussu Papæ suffectum Rudolfum refert: ac mox addit. *Cæteri principum civitatesque quæ sunt circà Rhenum non receperunt eum, omnesque Francorum populi; eo quod jurassent Henrico, & juramenta temerare noluissent.* c. 29. Henrico * Wernerus Strateburgensis Episcopus, qui Rudolfum electum nunciaverat *respondit*; Noveris certè omne hoc conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ manasse; imò si captionem evadere voles, de urbe tibi clanculo exeundum est; *Egressus ergo noctu Rex exiit Italiam*, &c. *hoc dicens*, ne fortè deducti simus in precipitium æternæ damnationis *cum gravi molestia diem clausit extremum* Rudolfus. c. 30. *Tunc Henricus prosperis elatus successibus, grande Episcoporum collegit Concilium, ibique Gregorium Papam, velut regni traditorem, & Ecclesiasticæ pacis perturbatorem, damnari fecit,* &c. *Saxones postquam de cade vires recuperaverunt, statuerunt sibi Regem Hermannum quendam cognomento* Clufloch; *& instauraverunt prælium adversus Henricum Cæsarem, cumque Saxonum novus princeps secundò potitus victoriâ, castrum quoddam victor ingrederetur, contigit miro Dei judicio ut porta * cardinibus avulsa Regem cum aliis quamplurimis attriverit, conatusque † Saxonum etiam tunc frustratus concidit; nec adjecerunt ultra novum Regem * creare, nec arma ferre adversus Henricum Cæsarem; videntes ei regnum conservari divinâ voluntate, approbante, sive permittente.* at hic erratum triplex;

† Helmoldū κατὰ πόδας sequitur Albertus Stadensis.

** Helmoldus Henrico (dum Romæ degeret) Rudolfi electionem innotuisse; nec urbe*, sine Apostolicæ sedis licentia abire *constituisse, finxit.*

** Alii omnes jactu lapidis oppressum scribunt.*

† Nihil tunc ipsi cum Saxonibus (qui eum A. D. 1086. spreverant) rei fuit. ** Imò Egbertum, Conradum & Henricum adversus patrem armarunt.*

plex; nam quarto ante Rudolfi Octob. 15. fer. 5. cæsi obitum, adeoque *persperos successus*, mense, Julii scilicet præcedentis 25. fer. 5. coiit quæ Gregorium damnavit Synodus 2. Hermannus *saxo percussus*; non *portæ ruinâ* obtritus, periit à Saxonibus desertus. 3. Egbertus Marchio exauctorato Hermanno *regnum* invasit, & ad annum 1090 tenuit, nec ante annum 1103. Saxones bellare desierunt. Quæ c. 32. habet, maxima ex parte efficta videntur, nam cum anno 1089. quo ab Egberto Marchione ad Glicho castrum Decemb. 24. Henricus IV fusus est, Wecilo Moguntinus mortalitatem explevisset, afflictis Regis (cujus partes foverat) rebus, ab adversa factione Ruthardus *ex Abbate S. Petri Erfordiensis*, Moguntinæ Ecclesiæ præfectus est; nec ei unquam benè cum Henrico seniore convenit; 2. Non *Ingelheimii constitit*, quo tempore abdicare coactus primum est; nec ipsi regia ornamenta à Moguntino, Coloniensi, & Wormaciensi vi ablata sunt; nec ipse adversus vim tum primum protestatus est, sed cum Binga à filio *in Bekelenheim castellum* Decemb. x. fer. 7. deductus Gebhardo Spirensi *custodiendus* traditus, & Vigberti à filio minis consternatus, de se actum putaret; custodem Spirensem Decemb. 27. Moguntiam misit, qui filio *regalia omnia*, suo nomine offerret, idque unum exigeret *ut sibi prædia ad usus necessaria impenderentur. Condicto* igitur *ad Ingelenheim conventui* Decemb. 31. *præsentatus, regnum rursus filio tradidit, omnium pedibus provolutus, præcipuè legati, banni absolutionem precatus est*, nec tamen impetravit: Moguntiam reversus filius, Werinherum Comitem Hamerstein & Wolcmarum ad patrem misit, qui Ingelhemio *regalia afferrent*; ii verò ea Januar. 5. detulerunt; secedente Coloniam, non *Limburg* (quod rursus nescio unde c. 33. hausit Helmoldus) patre; qui Coloniam Henrici Ducis *Octingentis loricatis* stipatus non accessit, sed *paucis*; imò nec *Colonia* Limburgum petiit, sed *Leodium*; ubi tutissimum perfugium invenit; *Henricumque Ducem & alios plures optimates convocavit*, ii verò Mart. 22. feria 5. *in Cœna Domini* pro eo adversus persequentem filium strenuè pugnarunt, nec *instaurato posteà prælio* (quod Helmoldus putavit) *conclusus, comprehensus est*; sed vivendi finem, Augusti sequentis primo, Leodiensibus carissimus, ac planè liber fecit. Sequentia etiam somniasse videtur Helmoldus. 1. Henricum

Chron. Hildesheim. Dodechin. Henrici epist. ad Philippum regem.

Colo-

Colonia à filio obsessum, Leodium petere coactum fuisse, quandoquidem 4. post discessum patris mense, Coloniæ ab Henrico juniore, admota obsidio; *per tres septimanas*, ad Julii circiter 20. *duravit*. 2. ab Henrico seniore exercitum Martii 22. filio occurrere parantem Davidis * de Absalone verbis *rogatum* fuisse. 3. pauperculum eum captum, Danielis † verbis *adoriri* ausum, Davidis * de Semei verba pro responso tulisse. 4. Spirensem Episcopum ab eo *promotum*, cum eidem *præbendam* assignare noluisset, eum ad deplorandam Jobi † verbis sortem suam compulisse; quandoquidem anno 1105. Novemb. 1. ab Henrico juniore ex *Abbate Hirsovvecensi in Episcopum Spirensem sublimatus* est Gebehardus, nec ante Henrico Seniori *dilectissimus* nec fortè notus. Quicquid sit, *fuit* (ex Helmoldi sententia) *Henricus Ecclesiis admodum bonus, bis videlicet quas sibi fideles persensit. Porrò Romanum Antistitem Gregorium & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit; Impulit eum ad hoc (ut multi dicunt) gravis necessitas; quis enim vel minimam honoris sui jacturam æquanimiter ferat? Legimus autem quia multi peccaverunt, quibus tamen subventum est pœnitentia remedio.* Certè David *peccans & pœnitens, Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum jacens, orans, ac pœnitens, gratis pessundatus est, nec invenit tempore gratia, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputaverint de his qui scierint, vel ausi fuerint, unum hoc scire licet, quia Romana Ecclesia adhuc hodiè luit factum illud.*

* 2 *Sam.* 18. 5.
† *Ex Susanna hist. Daniel* 13.52.
* 2 *Sam.* 16.10.11.
† *Iob.* 19.21.
Chron. Hildesheim.

Chron. Laurishamense in annum 1169 desinens; *Per id temporis domestica discordia, & inexorabile odium inter Henricum* IV *Imperatorem patrem, filiumque ejus Henricum* V, *conjuratione principum efferbuit*, &c. *Henrico eximperatore postquam ab eo filius, regnique principes descivérunt non diu superstite ac Spira tumulato, cum filius ejus Henricus regni, quod prius invaserat, gubernacula suscepisset; fratres Laurishamenses gravem justamque in præsentia ejus querimoniam deposuerunt*, &c.

Godefridus Viterbiensis Henrici VI Capellanus Chronici in annum 1186 desinentis parte 17. *Mortibus addici Regem faciunt inimici, filius ejus ei tollere regna sitit*, &c. *Efficit ingratus præsul, procerumque senatus patris ad interitum quod habet diademata natus*, &c. *pellitur ergo pater nimia procerum feritate, Nec penitus natus patria caruit pietate, Leodii genitor pauper inopsque latet.* Wil-

Willelmus Tyri Archiepiscopus Historiæ *belli sacri* in annum 1182. desinentis lib. 1. c. 13. *per annos aliquot Henricus Teutonicorum & idem Rom. Imperator à D. Gregorio Papa* VII *hujus Vrbani prædecessore, passus fuerat quæstiones*, &c. *semel, secundò, tertiò Imperatorem commonuit*, &c. *factum nimis indignè ferens Imp.* &c. *de viribus Imp. præsumens.* cap. 14. *Imperatoris indignationem fugiens*, &c. *Anno ab incarn. Dom.* 1095. *Ind.* 4. *regnante D. Henrico* IV, *Teutonicorum Rege, & eodem Rom. Imperatore, anno regni ejus* 43. *Imperii verò ejus* 12. lib. 8. c. 24. *Capta est prædicta civitas Hierusalem anno ab incarn. Domini* 1099. &c. *Romanorum verò imperium administrante D. Henrico* IV; lib. 9. c. 7. *passus est vir insignis Godefridus*, &c. *in Curia Domini Imp. quæstionem*, &c. *Imperatorem adeunt principes.* cap. 8. *à Domino Imp. Henrico defecerat Saxonum populus*, &c. *hâc injuriâ* [Rudolfi] *permotus Imperator*, &c. *ex condicto & D. Imperatoris mandato*, &c. *convocatis ad se principibus Imperator*, &c. *Dux cum Aquila præcedens Imperatorem versus aciem, cui praerat pseudorex Rudolfus contendens, illuc aciem cui praerat Imperator direxit, ad quam perveniens confractâ ac dissolutâ acie Regis, præsente Imp. & de principibus aliquot vexillum quod gestabat, Regi per vitalia pectoris immersit*, &c. *Saxones D. Imperatori se dediderunt*, &c.

Dodechinus Abbas S. Dysibodi Appendice ad Mariani Scoti Chronicon, in annum 1200. desinente. A. D. 1087, *Henricus Rex defuncto Hermanno Rege, jam pacificè Saxoniam ingreditur*, &c. *anno* 1089. *Henricus Rex memor injuriæ quam sibi Eggebertus Marchio anno præterito fecerat, hoc congregato exercitu quamplurimo Glico castrum*, &c. *obsidebat, in cujus exercitu Magnus Dux cum multis aliis nobilibus aderat*, &c. *Burchardus Losanna Episcopus interfectus est, qui lanceam regalem ferebat.* &c. *de exercitu Regis multi sunt occisi*, &c. *Eggebertus autem victor existens persecutus Regem.* 1090. *Valtramus Megdeburg.* (lege *Naumburgensis*) *cum esset favens, præcipuè Henrico Regi.* Anno. 1093. *Conradus filius Henrici Imp. patri suo hac de causa rebellavit: Henricus Rex Adelhaidem* * *Reginam, quam duxerat uxorem, odio cœpit habere*, &c. *Papa*, &c. *denuò Henricum Regem excommunicavit*, &c. *Conradus patri suo rebellans, venit ad Papam Vrbanum, & solutus ab excommunicatione, in Longobardia regnavit contrà patrem.* anno 1099.

* *Alii Praxedem vocant.*

Imperator Pascha Ratisbona celebravit. Anno 1105. *Henricus filius Henrici Imperatoris, invaso regno, cœpit regnare vivente patre.* Anno 1106. *Imperator ante nativitatem Domini à filio capitur,*&c. *In tantum crevit hoc malum* dissensionis inter sacerdotium & regnum, *ut Apostolica censura pro nihilo haberetur, & ipsa excommunicatio jam facta, ignoraretur. Enimverò ut de illo omnia loquar erat valdè misericors. Aliqui nimirum (dum sederet ad requisita natura) eum perforare volentes capti sunt, & ante eum ducti, qui convicti & confessi, abire jussi sunt impuniti. Multi etiam principes, qui ei mala multa fecerant, atque magnum contemptum ingesserant, mox ut ei se prostraverunt, omnia eis condonavit. Et quamvis esset valdè compatiens, & misericors in eleëmosynis pauperum, obstinatâ tamen mente in excommunicatione permansit, qua omnia bonitatis ejus opera obnubilavit.*

Burchardus Monachus *de casibus monasterii S. Galli* in annum 1210 desinens; capite 7. *pro eo* Vodalrico *Luitoldus monachus hujus loci à Rudolfo Rege (si fas est ipsum Regem nominari) Abbas constituitur; qui à monachis honorem Henrici Imp. defendentibus, turpiter pastorali baculo infrà chorum fracto suscipitur; & vix apud illos sub nomine Abbatis per aliquantulum tempus habitus, paulò post penitus expellitur; quem Abbas Augensis Eckardus de Nellemburg cum pseudorege Rudolfo firmiter stans, in sua recepit; & sibi honorem multis modis (etsi incassum) defendere laboravit. Rex verò Henricus, mox ut Ducem Ruodolf de Rinfelden suum*
April. 16. 1077. *regnum sibi usurpasse audivit, Pascha Verona moratus, per Carinthiam Domino Marquardo, & filio suo Luitoldo Duce, sibi ducatum præbentibus, ad Teutonicas partes rediit; Rodulfum Regem in castro Sigmaringen obsessum turpiter fugavit,* &c. *contrà Vodalricum Abbas Augensis zelo sui Domini Rodulfi fugati,* &c. *inimicitias & ipsa arma contrà regulam movit,* &c. *divulgatâ in Teutonicis partibus ejus Augensis Abbatis morte, Abbas S. Galli ejus Abbatiam à Rege Henrico suscepit,* &c. *Idem Marchio* [Bertoldus] *postmodum in odium Henrici Regis, omnem Brisaugiam rapinâ & incendio vastavit,* &c. *Chyburg ejusdem ditissimi Comitis Hartmanni Regis Henrici infestissimi hostis,* &c. *destruxit* Voldaricus, &c. *Rege igitur Rudolfo in Saxonia occiso & Merispurg sepulto, Hermannus de Luzilunburg ab Alamannis Rex constituitur, Henrico Rege propter quadam negotia Romæ posito,* &c. *Inter hac etiam mala Gebehardus frater Marchionis*

*chionis Bertholdi S. Aurelii monachus, Duce VVelfone suadente, à quodam * Ostiensi Episcopo, ut putabant, & quasi Romanæ sedis Legato, Ottone Episcopo adhuc vivente, Constantiensis Episcopus effectus est,* &c. *Luitoldus aliqua sui juris (ut sibi visum est) scilicet Ducatum Carinthiæ concessione regiâ obtinuit,* &c. *Imperator Henricus cum Mantuæ Pascha perageret, quendam ex fratribus S. Galli in Constantiensem Episcopum licet eandem sedem Gebehardus ex donatione Hermanni superpostitii Regis prius usurpasset, quam ut designatum Episcopum nomine Arnoldum, Patriarcha Vodalricus Aquilegiensis & Abbas etiam hujus loci auctoritate regiâ eidem sedi introducere voluisset,* &c. *Arnoldus presbyterali ordinatione perceptâ, Episcopalibus verò rebus quibusdam sibi præpedientibus, à Papa Clemente rogatu sui Metropolitani Ravennæ post aliqua interstitia temporum Episcopus ordinatur.*

*Ottone qui Victori III. successit & Vrbanus II dictus est.

A.D.1098.

Chronica Australis in annum 1327. desinens: ad annum 1088. *Tertium bellum Henrici Regis cum Saxonibus juxta villam quæ dicitur Dutloch feria 5. quinto Kal. Febr.* 1081. *Bellum quod pugnaverunt fideles Hainrici Regis contrà perfidos Suevos, juxtà Danubium apud villam quæ dicitur Hochstain feria quarta, 3. Id. Aug.* 1106. *Hainricus* IV *Imp. obiit.*

Lamberti Schaffnaburgensis continuator in annum 1352. desinens; anno 1078. *secundum bellum juxta Medelrichstat commissum est à Rudolfo, qui regnum invaserat contrà Henricum Regem, ubi idem Rex Heinricus fugam iniit.* 1078. *S. Severi monasterium cum multitudine populi quæ illic intus fuit, incensum fuit ab exercitu Regis Henrici,* &c. 1081. *Henricus Rex Romam obsedit,* &c. *Henricus Rex natus est, ille qui patrem suum de regno expulit.* 1082. *Hermannus regnum invadit.* 1083. *Roma capta est ab Henrico Rege, & pestilentia gravis facta est.* 1084. *Henricus Rex de Italia revertitur.* 1086. *Hermannus regium nomen deponit, & ipse mox periit.* 1089. *Sextum bellum committitur juxta Glichin castellum in Thuringia inter Heinricum Imperatorem & Eckibertum Marchionem,* &c. 1098. *Ruthardus Archiepiscopus Mogunt. pro pecunia quam Iudæi interfecti reliquerant, gratiam Regis perdidit; & in Thuringiam secessit, ibique usque ad obitum prædicti Regis rebellis mansit; occasionem habens quod communicare excommunicato Imperatori nollet.* 1099. *Imperator Pascha Ratispona celebrat.* 1103. *Heinricus filius Heinrici Imperatoris regnum obtinuit.* 1106. *Henricus Imp. senior apud Leodium obiit.*

Alias Clicho.

Augusti 1. an. 54. menses 8. dies 20. natus.

Compilatio Chronologica in annum 1474. desinens, an. 1076. *tempore hujus Gregorii Papæ fuit bellum in VVelstzolt, inter hunc Henricum Imp. & Saxones, ubi multus sanguis effusus est.* A. D. 1090. *victus est Imperator, Victor Papa* 168. *ordinatur, sedit menses* 4. *iste in schismate schismaticus fuit*, &c. *sub hoc* * *Papa* [Gelasio] *Heinricus Imp. obiit, & sepultus est in Spira, cui successit filius ejus Heinricus* V.

* Malè *sub Gelasio* 2. defunctum Henricum fingit.

Alios adjiciendi nullus esset finis, qui præcedentium exemplo Henricum (ut ut anathemate gemino, adnexoque depositionis decreto, à Gregorio Papa perculsum) *Regem* & *Imperatorem*, conjuratorum Saxonum Suevorumque *Dominum*; Rudolfum & Hermannum æmulos, *regni invasores, rebelles, seditionis auctores, pseudoreges, Reges superpositios, Regulos* sive Basiliscos quos *reges nominare nefas sit, maledictos potius quam consecratos*; Saxones aliosque fœderatos *seditiosos, rebelles, perfidos*, & dixerint & crediderint; *cui* enim *non dictus Hylas*? Si Gregorius stricto in Henricum excommunicationis gladio tremendus, aliique juratissimi Henricianæ memoriæ hostes, Guillelmus Bibliothecarius, Leo Ostiensis, Domnizo, Bruno, Bertholdus, Paulus Bernriedensis, ei (suâ sententiâ) *exregi, regium* titulum non denegarunt; quanto minus reliqui, qui nec factioni nomen dederant, nec odio succubuerant? Chartarum in Ecclesiarum gratiam (toto interdicti Henrico regni tempore) à Germanis, Italis, Lotharingis, Burgundionibus, scriptarum eadem quæ historiarum ratio; maxima enim ex parte Henriciani sive *regni*, sive *imperii* annis, eâdem ferè quâ sequens ex Bibliotheca Cluniacensi deprompta, consignatæ sunt: *Acta sunt hæc apud Basiliam anno Dominicæ Incarnationis* 1105. *Indict.* 13. *feria* 2. *Paschalis hebdomada, luna* 22. *regnante Romanorum Imperatore Henrico* IV, *& filio ejus Rege Henrico* V. *anno autem ordinationis Burchardi Episcopi Basiliensis qui hanc chartam dedit* 33. *anno verò ordinationis Hugonis Abbatis Cluniacensis cui data est* 57. Tanta verò principiò inauditi universis retrò ætatibus in *regium* culmen moliminis, & novitas, & indignitas apparuit; ut nonnullos de Gregorii VII, Victoris III, Ottonis Ostiensis Legati, &c. & pontificio & salute dubitare coëgerit: moderatiores à principibus (quorum summa dignitas inopinatâ injuriâ violata videbatur) demerendis

dis solitoque cultu ac officiis (vidente ac ferente Româ) prosequendis nunquam destitisse certum est. Hinc Udo Trevirensis quem anno 1079 Henrici, (cui palam *favebat*) adversus Rudolfi criminationes defensor, ab ipso Gregorio delegatus. Hugo Cluniacensis ab Henrico ex baptismo filio Gregorio anno 1077. Henrico filio & conjuratis cum eo principibus, anno 1106. fidejussor oblatus: ut & *cognati, affinesque aliarum etiam terrarum principes*, quos (ex Gregorii ipsiusmet epistola) pro Henrico fidem obstringere paratos fuisse constat. Ipsa certè Romana sedes, quam ad veteres Gregorii VII spiritus quocunque eventu resumendos, pessimè de sacerdotio & republica meriti, disputatores totos jam 60. annos certatim provocaverunt; ipsa (inquam) Romana sedes detersa præcedentium turbinum caligine, in communem Christiani orbis sententiam hoc ipso concessisse videtur, quod ab annis 372. Rudolfo Suevo, Hermanno Salmensi, Egberto Thuringo, adversus Henricum IV olim excitatis, nullum inter legitimos Teutonum & Francorum orientalium Reges, locum reliquit: Hermanni enim & Egberti obscura adeò memoria mansit, ut vix eorum (velut naufragio haustorum) nudis nominibus ad literatorum notitiam enatare datum sit; Rudolfi (quem iteratæ clades, ac præsertim postrema, nobilitarunt) *regiam* dignitatem ab anno 1273. totius orbis consensus expunxit; quandoquidem Rudolfus Habspurgius, universæ familiæ Austriacæ stirps, *Romanorum Rex* sui nominis *primus*; Rudolfus alius ex ejusdem posteris, cujus anno 1612 funus elatum, ubique inter suos & exteros; imò Romæ (inter eos ad quos Gregorii VII devenit hæreditas) *secundus* semper audiit.

Quod in timore Domini perpendant velim, qui quotidiè magno Christianæ reipublicæ scandalo, susque deque habitis de *summa Regum potestate* instrumenti sacri oraculis, consputâ totius Ecclesiæ veteris traditione, patrumque ac Conciliorum antiquorum auctoritate; dissimulatis sententiæ, quæ ex somniorum patria post annum 1075. primum prodiit pudendâ novitate, ineluctabilibus incommodis, funestis Occidente toto per sæcula aliquot fructibus, appositam à Gregorio septimo (tumidis irarum in Henrici

caput conceptarum fluctibus, agitato) cramben recoquere, animumque malè affectum indignissimâ seculi nostri luce pervicaciâ, adversus propria experimenta obfirmare, cumque *insanientis sapientia consultis*, hesterna commenta hodiernis incrustando, errare malunt, quam apertæ veritati sincerâ mente obsequi, totoque conatu primorum Christianorum vestigia relegere, qui *quæ Cæsaris* erant *Cæsari*, *quæ Dei Deo* reddidere;nec advertere dignantur quanto cum regnorum populorumque periculo, Gregorii septimi, propria sua placita hac in parte sæpius evertentis, à majorum (quorum testimoniis palam abutitur) traditione procul abscedentis, à Theologia & politica alienissima statuentis, de suæ sedis *in temporalia* Regum *summamque* eorum *dignitatem* potestate doctrinam, Christianorum auribus propinent, quæ Hermanno Metensi adversus legitimum principem, sed juvenili lasciviâ corruptum, anno 1076 conjurato, *Reges à sceleratis Diabolo agitante principium habuisse*; *morte mulctandos omnes* quos *spiritualibus patribus maledixisse contigerit*; à *Regibus*, filiis suis (nisi omnium *optimi* sint) summum in populos Christianos, * qui *ad gregem, pro quo Christus sanguinem suum fudit*, pertinent; dominium deferri nequaquam debere ad tempus persuasit. Si enim hæc *ex cathedra Petri* universis & singulis Christi fidelibus ex æquo credenda pronunciasse dicatur: Actum de sceptro Francico, quod jam per annos 1200, & quod excurrit, naturali *successionis* ordine, à patribus in filios, aut (si filii desint) in sanguine proximos, semper in unaquaque Regum familia translatum est; actum de *Regum* quorumcunque, quos sacerdotibus quomodocunque *maledixisse*, eoque merito *mactandos*, factiosi, ac maleferiati (quales cum summo horrore proximè elapsum sæculum *vidit & ingemuit*) subditi deliraverint. Actum denique de *Regia* divinitus (Petro & Paulo testibus) *ordinata* dignitate, quam Gregorius VII (nescio quomodo horresco referens) *scelestorum inventum*, non sine insigni Dei hominumque contumelia, scribere ausus est. Sed *Deus meliora piis*.

Matth 22. 21.

Greg. 7 *lib.* 8. *epist.* 21. *edit. Colon. A.D.* 1618. *p.* 363. *f.* & 365. *a.b.*

* *Act.* 20. 28.

1 *Pet.* 2. 13. &c. *Rom.* 13. 1.

Hugo

Hugo Grotius de Imperio summarum potestatum circa sacra.

SEcundum antiquam consuetudinem Imperatores & Reges non tantum jus suum in urbibus, quas habitant, & quarum Ecclesias frequentant, puta, Constantinopoli, Parisiis, Londini, sed per omnia, si ita ex usu videatur, Imperii sui loca exercent: ut Imperator Constantinopolitanus Romæ, Mediolani; Rex Francorum Rothomagi, Pictavii, Tusculi, Reati; Rex Angliæ Cantabrigiæ, Eboraci, & ita deinceps. Deinde Magistratus suffragiis potest vinci, summa Potestas non potest. Itaque Calixtus Pontifex Romanus eo ipso tempore, quo Henricus Imperator coactus de jure investiturarum cesserat, permisit Imperatori adesse electioni, & suborto dissidio saniori parti consensum atque auxilium præstare. Quo ipso Imperator de summo Imperio devolutus, & in Magistratuum ordinem redactus est. Certè, ut electionem permittat aliis, jus illud liberæ approbationis à se abdicare tutò non potest is, qui summo Imperio fungitur. Etiam, post peractam electionem, jus removendi certam personam à certi loci ministerio, etsi penes alios esse quoque possit, nunquam non esse penes summam Potestatem debet. Sic ejecit Salomo Abjatharem, ne esset DEI Sacerdos. Episcopos Romanos non semel Imperatoriâ Potestate depositos ipse Bellarminus confitetur. Cujus rei facilis est probatio: Nam si summa Potestas jus habet aliquem urbe aut provinciâ interdicendi, necessariò etiam jus habet interdicendi ministerio hujus urbis aut provinciæ. Hoc enim illi inest: ac cujus totum est in Potestate, ejus in Potestate pars non esse non potest. Neque dumtaxat hoc poterit summa Potestas per modum pœnæ, sed & per modum cautionis, puta si quis Pastor à plebe rapiatur in materiam tumultus, quod forte etiam sine crimine ipsius accidere poterit. nisi enim hoc posset summa Potestas, Respublica ad tuendam securitatem suam sibi non esset αὐτάρκης. Errant autem, qui putant necessariò ejusdem esse eligere &

Malmesb. lib. 5. de gest. Angl. Vsperg in Chronico.

& removere. Nam summa Potestas non solum interdicere potest publicis actibus, sed & privatis, ad quos ipsas personas non eligit, puta negotiatione, conductione; ut supra, cum de jurisdictione ageremus, ostensum est. idemque ostendunt exempla: nam octo aut plures Romanos Episcopos constat ab Imperatoribus depositos, modò cum Synodo, modò absque Synodo, quorum aliquammulti à Clero populoque Romano electi fuerant. Nullus autem Imperatorem unquam removit ante Gregorium VII. Pontifex.

Promisi A. C. 1102. pag. 327. epistolam Ecclesiæ Leodiensis, quâ respondet tanquam filia matri ad epistolam Paschalis II, Roberto Comiti Flandriæ scriptam, hactenus dilatam, ne sua prolixitate filum historiæ turbaret: quæ interim etiam validissimè confirmat reliquorum allegatorum historicorum fidem.

Omnibus bonæ voluntatis hominibus Leodiensis Ecclesia, veritatem fidei & Catholicam unanimitatem inconcussè tenens.

Esaia 21. STupendo & gemendo exclamo cum Esaia, qui onus deserti maris exaggerans exclamat: sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, & de terra horribili visio dura nuntiata est mihi. Qui incredulus est infideliter agit, & qui depopulator est, vastat. Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid sit desertum mare, nunc intelligat videndo: quod per desertum mare significetur non solum Babylonia, sed etiam mundus & Ecclesia. Quamvis enim ut mare undis, sic mundus & Ecclesia affluunt populo: tamen jure vocantur desertum mare, quia mundus videtur esse desertus à sapientium Principum gubernaculo; Ecclesia gemit se desertam à sano Præsulum consilio. Quæ enim major olim confusio fuit in Babylonia, *Gen. 11.* quam hodie est in ecclesia? In Babylone confusæ sunt linguæ gen- *cap. 5.* tium, in ecclesia dividuntur linguæ & mentes credentium. Petrus ait in epistola sua: salutaris ecclesia quæ est in Babylone collecta. Hactenus interpretatur adeo voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tunc temporis Roma confusa erat idololatriâ & omni spurcitiâ. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico spiritu dicens ecclesiam in Babylone collectam, præ-

prævidit confusionem dissentionis, quâ hodie scinditur ecclesia: nam quamvis ecclesia sit in Babylone mundi, tamen debet esse collecta per fraternam unanimitatem. Qui sint turbines ab Africo, discimus patiendo magis quam legendo. De terra horribili, Romana scilicet ecclesia, visio dura nunciata est mihi: inde turbo ut tempestas venit ab Africo. Romanus enim præsul, pater omnium ecclesiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandriensium comiti, quale exemplum tale est: Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Roberto Flandriensium comiti, salutem & benedictionem Apostolicam. *sed eas vide descriptas anno Christi* 1102, *ubi hæc promittuntur*, super his litteris, cujus lumbi non repleantur dolore? super his me obstupefecerunt tenebræ: nec tantum pro horrore periculi, quantum pro horrenda novitate rei, quæ tam lacrymabiles literæ potuerunt scribi, à matre contra filias suas quamvis peccantes. In judicio Salomonis expressa est magnitudo *Reg.* 3. maternæ pietatis, quam judicante Salomone, ut infans pro quo contendebatur, gladio divideretur maluit mater filium suum sub aliena muliere videre, quam gladio judicis dividi. Dicit Esaias: *cap.* 22. Babylon dilecta mea, versa est mihi in miraculum: At ego dico, Roma dilecta mea mater versa est mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile imo tam miserabile? Vidit olim David angelum Domini stantem extento gladio super Hierusalem: nos filiæ Romanæ ecclesiæ, ecce videmus Romanum Præsulem, qui est angelus Domini extento gladio super ecclesiam. David orabat ne populus occideretur, angelus noster porrigens Roberto gladium orat ut occidamur. Unde iste gladius angelo nostro? jubente Jesu discipulis, ut venditâ tunicâ emant sibi gladium, dicunt discipuli: Domine ecce duo gladii hic. Et Jesus: satis est. Ut ex patrum dictis colligimus est, unus gladius spiritus, quod est verbum Dei, de quo Jesus ait: non veni pacem mittere sed gladium. *Matth.* 10. Et Propheta: maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Hunc gladium distringit Jesus magis contra carnales affectus quam cortra mundi assultus. Est & alter gladius spiritualis, *Hierem.* 48. quo mortificatis vitiis carnis emitur corona martyrii. Cum ergo duos tantum gladios à Domino Apostoli habeant, unde

2 Reg. 24. *Luca* 22.

iste tertius Apostolico gladius, quem in nos porrigit Roberto armigero suo? forte recurrit Apostolicus ad Ezechielem prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram sive

cap. 21. sinistram cedendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechieli prophetæ: Ut duplicetur gladius, ut triplicetur gladius interfectorum. Puto, non dabit propheta Apostolico gladium. Propheta namque duos Euangelii gladios ostendens, per duos unius gladii usus, gladium Apostolico dandum duplicat, dicens: Gladius gladius exacutus & limatus est. Exacutus ut cædat victimas, limatus ut splen-

lib. 3. c. 9. in Ezech. deat. Exacutus est, quia (ut ait Hieronymus) qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet gladium interfectionis, ut occidat pessimos, minister Domini est. Limatus est, ut sincerè prædicetur verbum Domini. Triplicato gladio armat propheta interfectores,

Rom. 13. quia, ut ait Paulus, non sine caussa judex gladium portat: hic est gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obstupescere facit. Quem enim non faciat corde tabescere cum Apostolicus ad vivificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum?

2 Reg. 24. O utinam placatus nunc dicat Deus etiam angelo percutienti: sufficit nunc, contine manum tuam. Nihil dico in Christum Domini, sed vicem nostram doleo. sed nisi Christus Domini veniens ad caulas ovium, intrasset in speluncam purgare ventrem, non præci-

1 Reg. 24. disset David oram chlamydis ejus. Si quis est David inveniens hunc Christum Domini dormientem, omnesque milites ejus dormientes, non mittat manum in Christum Domini, sed tantum tollat hastam, & scyphum aquæ, qui est ad caput ejus dormientis. Hanc hastam, quam contra nos erexit, ostendo cunctis: hunc

1 Reg. 26. scyphum aquæ, qui est ad caput ejus dormientis porrigo cunctis ad gustandum, ut sapiant omnes quam insipida sit auctoritas legis ejus, quâ distrinxit gladios laicorum in cervices clericorum. Si liceret dicere, (salvâ Apostolicæ dignitatis reverentiâ) ipse nobis videtur dormivisse. Dormierunt cum eo omnes consiliarii ejus, quando conduxit sibi vastatorem ecclesiarum Dei.

1 Tim. 3. Præcepit Paulus, ut verbum Episcopi sit sanum & irreprehensibi-

Tit. 1. le: nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum Episcoporum Episcopi, sed quia Apostolicus non debet deviare ab Apostolo,

quæ-

quærimus humiliter per singula, utrum hæc Apostolici verba sint per omnia gravitate Apostolicæ auctoritatis sana & irreprehensibilia. Ecce ut Pater dilecto filio salutem mittit, & Apostolicam benedictionem promittit: sed & multis videtur, non ea illi opera indicit, quibus salutem & benedictionem à Deo promereri possit. Benedicit Deum, qui in eo efficaciam suæ virtutis operatur, qui ecclesiam Dei debellat ac depopulatur, ac per hæc Cœlestis Hierusalem aditum ei pollicetur. num rectâ viâ dilectum filium dirigat, ipse pater nobiscum videat. Ut utamur verbis Augustini summatim collectis, Deus qui dixit: Ego Deus faciens pacem & creans malum: sicut cætera suaviter disponit, ita hoc etiam disponit, ut locum pacis per bonos faciat, malum vero belli per malos creet, Utens enim Deus animis hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, ut digna dignis omnia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis unquam populum Dei, quis unquam ecclesiam Dei impunè persecutus est? Quoties peccabant filii Israël, suscitabat Deus hostes, qui contererent peccantes, Castigabat Deus quos amabat, & damnabat illos qui vitio suo tales erant, ut per eos mala malis inferret. Dicit Deus per prophetam: Vocabo ab aquilone servum meum Nabuchodonosor, qui faciat omnem voluntatem meam. quam voluntatem? nisi ut peccantes disperdat? hunc servum suum Deus pro merito servitutis in bovem convertit. Peccanti David ait Deus: Ecce ego inducam malum super te de domo tua. Hoc malum executus Absalon, fugato patre suo invasit Hierusalem. Nunquid per hęc meruit cœlestem Hierusalem? Per Esaiam dicit Deus: Væ Assur, virga & baculus furoris mei ipse, in manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei; mandabo illi ut auferat prædam & diripiat spolia. Et reliqua. Cur Deus intentat væ Assur, qui mala quæ fecit eo mandante fecit? Væ mundo ab scandalis dicit Deus. Necesse est ut veniant scandala, væ tamen illi, per quem scandalum venit. Hoc Hieronymus sic exponit: Cum necesse sit quidem ut veniant scandala, væ tamen homini, per quem necesse est, ut in mundo fiat, facit suo vitio, ut per se fiat. Quid multis opus? ecce opera justæ militiæ, quibus pater filium, papa

Esaia 45.
Dan. 4.
1 *Reg.* 12.
2 *Reg.* 16. 17.
Esaia 10.
Matth. 18.
lib. comment. 3.

cœlestis regis militem imbuit, per quę possit contendere ad cœlestem Hjerusalem, impugnando scilicet Ecclesiam Dei. Gratias, inquit, prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum nostrum in Cameracensi parochia executus es, Qualis & quanta sit vastitas & contritio Cameracensis ecclesię, quis recolit sine dolore? Ego quidem filia Romanæ ecclesiæ condolebam Camaracensibus pro affectu germanitatis; nunc vero audiens hæc mala inferri præcepto Apostolicæ auctoritatis, jam amplius doleo, quia timeo matri meæ, ne in eam redundet illud quod Deus dicit per Esaiam; Væ qui condunt leges iniquas & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent caussę humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent, &c. Tantam ecclesiæ desolationem, tantam pauperum & viduarum oppressionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem, & quod his gravius est, promiscuam bonorum & malorum occisionem, hæc & peiora his pręcepto Apostolici facta esse quis crederet, nisi ipse suo se ore prodidisset? Taceo Camaracensem Episcopatum in duos esse divisum judicio Romanæ ecclesiæ: taceo, Walcherum, qui Apostolici consensu & auctoritate probatus & prior ordinatus fuit, subito exordinatum & excommunicatum & alium ei subordinatum. Hæc justa sint, nec ne, in Dei pendet sententia, non invehimur in Christum Domini, ad quem pertinet sollicitudo omnium ecclesiarum; sed quia Apostolicus hæc mala sibi asscribit, & ecclesiæ vastatori per gratiarum actionem applaudit, super his mirandum magis an dolendum nescio. Cui hoc magis sit periculosum, jubenti an obedienti: cui hoc magis sit damnosum, facienti, an patienti, quid homo discernet? Nos attoniti hâc novitate rerum, quærimus unde nobis sit hoc novum exemplum, ut prędicator pacis suo ore & alterius manu inferat ecclesiæ bellum? Contra barbarorum & inimicorum Dei assultus, concedunt Canones etiam Clericis arma ad defensionem urbis & ecclesiæ. Bella vero indici ecclesiæ per auctoritatem canonum nusquam scripturarum legimus. Quæro quod nescio, dico quod scio. Pacem Jesus, Pacem Apostoli, pacem Apostolici viri prædicant, peccantes arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. Inobedientes jubet Paulus durè increpari.

Marginal notes: cap. 10. (beside "dundet illud quod Deus dicit per Esaiam"); 2 Tim. 4. (beside "stolici viri prædicant"); Tit. 1. (beside "omni patientia & doctrina")

pari. Quomodo durè increpentur dicit Jesus: si peccaverit in te frater tuus, corripe illum solum solus primo, secundo cum duobus *Matth.* 18. aut tribus testibus, tertio cum ecclesia: si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Hinc ait Augùstinus: Illud qnod ait Jesus, si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicamus; gravius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subjiceretur, nam ibi quoque Iesus subjunxit: Amen dico vobis, quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœlo: ut intelligeretur, quod gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus: hic sententia veritatis exposita est ab Augustino, quis divinæ vindictæ humanam vindictam superponat. Qui illum persequitur, quem Deus percussit, & super dolorem vulnerum Dei addit, videat quid imprecetur illi Deus, qui iniquitates & dolores nostros in persona Dominici hominis portavit. Appone *Psalm* 68. iniquitatem super iniquitatem illorum, & reliqua. Si quis pro Apostolico dicit, meritò depopulandam ecclesiam, cui incumbat excommunicatus episcopus: audiat exemplum in quo causa causis & persona personæ respondet. Tempore primi Gregorii papæ, *lib.* 7. *regist.* defuncto Salonitanæ urbis episcopo, cum decrevisset Gregorius, *c.* 119. ut pro eo episcopus ordinaretur Honoratus, Maximus quidam auxilio militaris manus invadens episcopatum Salonitanum & ab episcopis consecratus à Gregorio excommunicatus est, & tamen missas celebrare præsumebat. Hanc Gregorius non aliis quam sacerdotalibus armis debellans, non subordinavit ei Honoratum, non immisit ecclesiæ vastatorem, sed tamdiu peccantem arguit, donec septimo excommunicationis ejus anno, tandem ad veniam petendam attraheret, eumque resipiscentem non exordinavit, non reordinavit, sed ei in gratiam suam recepto, quod deerat, dato Archiepiscopali pallio supplevit. Cum ergo caussæ Salonitanæ sit similis caussa Cameracensis, cur censura Romanæ ecclesiæ in simili caussa, nititur dissimili sententia? Martinus Turonensis posset Apostolico sufficere ad exemplum, ut desistat ab oppressione innocentum. Priscillianum enim à Damaso Papa pro hæresi damnatium, Maximus Imperator accusante Itachio episcopo occidit, & ut omnes sequaces ejus ubique occiderentur e-

dixit. Martinus ergo aliique Episcopi Itachium communione ecclesiæ privaverunt, criminantes eum, quod ejus accusatione qualiscunque homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, ut Itachio communicaret, & Martinus agebat cum Maximo, ut sequaces Priscilliani non occiderentur, ne etiam catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus nullo modo impetrasset, nisi ad tempus Itachio communicasset, sic quodammodo anathema factus pro fratribus suis, retraxit ab eorum cervicibus gladium Imperatoris. Qui damnavit accusatorem Itachium pro morte hæretici, si adhuc viveret non laudaret & istum, cujus præcepto tot occiduntur pro caussa Cameracensium. Qui etiam cum periculo animæ suæ liberavit hæreticos à morte, quam graviter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, caussis caussas opponimus. At Cameracenses afflicti malis, clamant ad Paschalem sicut filii Israël afflicti malis clamabant ad Mosen: videat Deus & judicet, quomo-
Exod. 5. do fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium, ut occideret nos. Idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Justum est enim ut qui seipsos à Catholica Ecclesia segregarunt, per Catholicos ab ecclesię beneficiis segregentur. Hic vero me invasit angustia quasi parturientis. Unde exclamare cogor, quia omnes parturientis dolores meus dolor vincit. filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi & in virile robur provexi. Ipsa me beatificabam, quod eis in regis curia, & in Dei ecclesia florentibus, nihil deesse credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem, vel ad animæ spectaret valorem: sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea, sancta Romana ecclesia vult infligere eis notam excommunicationis, & insuper erexit super eos gladium occisionis, super his ego quidem materno dolore torqueor, ipsi ætatem habent, loquantur pro se. Idipsum (inquit) de Leodiensibus excommunicatis pseu-
Prov. 20. doclericis præcipimus. statera dolosa non est bona, ait sapientia. Quis confert caussam nostram caussæ Cameracensium, ut & nos potiamur, quo potiuntur Cameracenses? Nos quidem Cameracensibus compatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenses quia caussæ caussam, personę personam supposuerunt, gladium bici-

pitem

pitem sibi supposuerunt, nos vero Leodienses quare excommunicati dicimur? quare gladius nobis superponitur, quid dignum morte aut excommunicatione fecimus contra canonicam regulam ecclesiæ? In uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus. *Psalm.* 67.
nos unius moris Deus in domo sua habitare fecit. Obsecrat nos *1 Cor.* 1.
per nomen Domini Paulus, ut non sint in nobis schismata. Quando significatum est Romanæ ecclesiæ, quod contentiones fuerint inter nos? Idipsum in Christo sapimus, idipsum dicimus. Non dicimus *Ephes.* 6.
ego sum Pauli, ego autem Cephæ. nunquid pro hac unanimitate excommunicati dicimur? Ut præcepit Paulus, obedimus & sub- *Coloss.* 3.
jacemus præpositis nostris, quia vigilant pro animabus nostris, *Tit.* 2.
nobis legem Dei tenentibus objiciunt, quod transgrediamur eo- *Heb.* 3.
rum *novas traditiones.* At illis dicit Deus: Quare vos transgredi- *Matth.* 15.
mini mandatum Dei propter *traditiones vestras*? Jubet Deus ut *Luc.* 20.
quæ sunt Cæsaris, reddamus Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus pedibus eunt. Petrus inquit, Deum timete, Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timo- *1 Pet.* 2.
re Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimio- *Rom.* 13.
ribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Coloss.* 3.
Qui hic omni animæ præcipit, quem à subjectione terrenæ potestatis excepit? Quia ergo regem honoramus, quia dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate cordis servimus, ideo excommunicati dicimur? sed Simoniaci sumus. Simoniacos, quantum ad nos, vitamus: & quos vitare nequivimus, pro loco & tempore toleramus, certi quod ipse Iesus facto flagello de resticulis peccato- *Ioan.* 2.
rum, cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effudit æs. Vitamus, inquam, Simoniacos, nec minus vitamus illos, qui notam avaritiæ honesto nomine prætexentes, quod gratis se jactant dare vendunt, sub charitatis nomine, & sicut Montanistæ sub nomine oblationum artificiosius accipiunt munera. Oh dolendo miramur, cur excommunicati dicamur, quando, à quo, & quare excommunicati simus: non ab episcopo nostro, non ab archiepiscopo, cui episcopus noster suffragatur, nos excommunicatos esse scimus. Sed nec à papa Romano, nos excommunicatos esse

cre-

Ioan. 7. credimus, quia ſcimus eum non ignorare quid ait Nicodemus: Lex
Gen 18. noſtra non judicat quemquam, niſi audierit ab ipſo prius. Nec Sodomitas damnaſſet Deus, niſi deſcendiſſet ad ipſos videre, utrum clamorem, qui venerat ad eum, opere complеſſent. Qui nihil à nobis audivit, quem non Epiſcopus, non archiepiſcopus aliquando contra nos interpellavit, quis crederet quod nos excommunicaverit? Per ſcalam ad cœlos uſque pertingentem, videt Iacob aſcen-
Gen. 28. verit? Per ſcalam ad cœlos uſque pertingentem, videt Iacob aſcen-
Ioan. 1. dentes & deſcendentes angelos. Et Ieſus ait diſcipulis: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis, non filios hominis, id eſt Adæ, in ſua exprimit perſona. In aperto eccleſiæ cœlo & boni & mali intrant. Vos præſules eccleſiæ, qui eſtis angeli Dei, gradatim ad nos aſcendere debetis, gradatim & nos ad vos aſcendere debemus. Quot gradibus ad vos aſcendimus, tot ad nos aſcendere debetis. Eſt primus gradus nobis ad Epiſcopum, ſecundus ad archiepiſcopum, per quos aſcendere debemus ad gradum tertium, id eſt ad Papam Romanum. ſuper filium hominis deſcenditis, cum humilibus compatiendo condeſcenditis. ſuper filium hominis aſcenditis cum verbo & exemplo humiles ad cœlum extollitis. Credo dicetis, nos ideo haberi excommunicatos, quia favemus epiſcopo noſtro, faventi partibus Domini ſui Imperatoris. In hac re ſunt initia dolorum, pro hac re erubeſcunt cauſſæ malorum, quia ſatanas ſolutus
Apoc. 20. rum, pro hac re erubeſcunt cauſſæ malorum, quia ſatanas ſolutus terram perambulans, jam diviſit regnum & ſacerdotium. Quia ergo diabolus venit ad nos habens iram magnam, patrem noſtrum qui eſt
Matth. 6. in cœlis oramus pro hoc ſpecialiter, ne nos inducat in tentationem hanc, ſed liberet nos à malo hujus tentationis. Nobis dormientibus
Matth. 13. ſeminavit inimicus zizania in agro eccleſiæ, Expectamus donec an-
Marc. 4. geli meſſores Dei alligent zizaniorum faſciculos ad comburendum, num ideo dicimur excommunicati? O quot manipulos tritici eradicavit, qui ante tempus zizania à tritico diſcernere feſtinat. Quis jure reprehendet quod epiſcopus partibus domini ſui favet, cui promiſſam cum juramento fidelitatem debet? Perjurium nemo dubitat eſſe grande peccatum. Deus jurat & non pœnitet eum, quia ſapientia cuſtodit præcepta juramenti Dei, ſed nos quos juraſſe ſæpe pœnitet, jurare prohibemur, ſi jurat homo, jubet Deus, ut reddat Domino

jura-

qui regnum & sacerdotium scindentes, novello schismate, & novellis (ut quibusdam placet) traditionibus, illos, qui ei perjurant, se à culpa perjurii absolvere promittunt, non attendentes quid Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui perjuravit Domino suo regi Nabuchodonosor. qui solvit inquit, pactum, nunquid effugiet? Hoc Hieronymus sic exponit: Ex hoc etiam discimus inter hostes servandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim melior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, quam tu, qui per occasionem divinæ majestatis, hosti tuo, invicem amici, molitus es insidias. Quid laboramus in colligendis exemplis vitandi perjurii? Tertium Decalogi mandatum de corde & ore Dei prolatum, ejusque digito scriptum hoc est: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini sui frustra. Cum prima tria Decalogi mandata ad cultum Dei pertineant, diligenter inspicientibus videtur, quod in hoc tertio Decalogi mandato cætera mandata pendeant: quia cum fit, quod fieri Deus præcipit, vel non fit, quod Deus fieri prohibet, ideo utique fit vel non fit, ut nomen præcipientis vel prohibentis Dei non assumatur in vanum. Quis magis sumit nomen Dei in vanum, quam ille, qui violat hoc, quod per nomen Dei jurat? Deus jubet ne per cœlum, ne per terram, ne per caput meum jurem, ne forte perjurem. si culpa est perjurare per creaturam Dei, quam gravius peccat, qui per creatorem Deum peierat? hinc omnes perpenditis, quod sit reus capitis, qui non reddit Cæsari quæ sunt Cæsaris, secundum decretum Dei, vel qui regem inhonorat, contra decretum Apostoli, sed peierando assumit nomen Dei in vanum, per quod juravit regi fidelitatem. Ecce, quare excommunicati dicimur, sed quare pseudoclerici vocamur, qui canonicè viventes, operibus meremur, ut clerici vocemur? Non est, non est, inquam, de sorte Dei, qui vult nos excludere à sorte Dei. Non tales, ô mater ecclesia, nutrivisti, ut merito vocemur pseudo-clerici. Quia enim nos voluntati nostræ non dimisisti, non confundemus te matrem nostram; mirum est de Domino Paschasio,

cap. 17.
lib. 5. *in Ezech.*
Exod. 20.
Matth. 5.
Luc. 20.
Ephes. 6.
Coloss. 3.
Tit. 2.
1 *Pet.* 2.
Exod. 20.

Paschasio, (*Paschali*) quomodo sic convicia venalia invenit, bona mercatione videtur ea accepisse, quæ tantâ in nos profundit facilitate. Modo enim nos excommunicatos nominat, modo pseudoclericos ex motu animi vocat. Eructavit cor David regis verbum bonum, evomuit cor Domini Paschasii vile convicium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus Apostolus docet; non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Paulus apostolus ad Galatas delinquentes ait: filioli, quos iterum parturio in domino. Hos igitur attendat Dominus Paschasius pios admonitores, non impios conviciatores: maledictum excommunicationis Dominus Paschalis nobis improperat, sed illud ante omnia timemus quod Spiritus sanctus per os Psalmistę dicit: maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis. Maledictum excommunicationis quod ex novella traditione Hildebrandus, fortè Urbanus. Odardus & iste tertius indiscretè protulerunt, omnino abjicimus, & priores sanctos patres usque nunc veneramur & tenemus, qui dictante Spiritu sancto nec animi motu, in majoribus & minoribus potestatibus graviter delinquentibus, quædam dissimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt. Dominus noster communicat regi, & Imperatori suo, cui ex regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incepit, & sub hac consuetudine migraverunt à seculo sancti & reverentes episcopi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei. sed quid dicit Ambrosius super Lucam? si Christus, inquit, non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu si non vis esse noxius Cæsari, noli habere, quæ mundi sunt, sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari, si vis igitur nihil debere terreno regi, dimitte omnia, & sequere Christum. Item Augustinus super Joannem: Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges & dixit: Regem reveremini, nolite dicere; quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni? per jura regum possidentur possessiones: per Imperatores & reges seculi, Deus jura humana distribuit generi humano. Igitur ex verbis istorum & aliorum sanctorum Patrum consulant sibi episcopi regibus & Imperatoribus obnoxii, ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est eorum bene-

Psal. 44. *ep.* 1. *c.* 5. *Gal.* 4. *Psalm* 118. *Luc.* 20. *Lib.* 9. *in Lucam.* *tract.* 6. *circa finem.*

beneficiis eos interficiant? si quis denique respectu Sancti spiritus, Vetus & Novum Testamentum gestaque revolverit, patenter inveniet, quod aut minimè aut difficile possunt reges & Imperatores excommunicare, secundum etymologiam nominis illorum, & juxta determinationem excommunicationis, & adhuc sub judice lis est. Admoneri quidem possunt, increpari, argui à timoratis & discretis viris. Quia quos Christus in terris rex regum vice suâ constituit, damnandos & salvandos suo judicio reliquit. Eccè, quare excommunicati vocamur, eo quod sanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, & pro posse imitamur, Episcopum, archiepiscopum nostrum provincialem, & comprovincialem synodum ex antiqua traditione tenemus, & quidquid ibi de scripturis sanctis definitum fuerit, Romam non refertur, usque ad graviora negotia, de quibus non invenitur in sanctis scripturis auctoritas. Illos vero legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut temporibus Zosimi, Cœlestini, Bonifacii concilia Africana probaverunt. Etenim ut *Matth. 7.* à fructibus eorum cognoscamus eos, non morum correctio, non vitę emendatio, sed inde hominum cædes, & ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ circumferimur, ecce unde excommunicati dicimur. *Eph. 4.* Verum Dominus Paschasius (Paschalis) cur pseudoclericos nos vocat? Pseudoapostoli adulterabant verbum Dei, quos damnat Paulus in epistolis suis: *2 Cor. 4.* nos non adulteramus, sed fidem catholicam per Dei gratiam tenemus, fidei Catholicæ opera in Deo exsequimur; Regulam canonicam ex patrum traditione habemus & reveremur, secundum illam vivimus, dijudicamur, satisfacimus, absolvimur. Conciliis regum aut Imperatorum, aut in isto aut in illo non intersumus, quia nostræ superiores potestates tale negotium habent inter manus, quod ex vestigiis antecessorum prudenter tractabunt. Cur ergo Dominus Paschasius (Paschalis) vult, ut exsolvamus quod non rapuimus, ut pseudoclerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus? Potius deposito spiritu præsumptionis, cum suis consiliariis sollerter recolligat, quomodo à beato Silvestro usque ad Hildebrandum sedem Romanam Papæ obtinuerint, & quot & quanta inau-

dita ex ambitione illius ſedis perpetrata ſunt, & quomodo per reges & Imperatores definita ſunt, & pſeudopapæ damnati & abdicati ſunt. & ibi plus valuit virtus imperialis, quam excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paſchaſii. Dominus in euangelio dicit; ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: & Paulus Apoſtolus in faciem Petro principi Apoſtolorum reſtitit. Ergo remoto ambitionis Romanæ typho, cur de gravibus & manifeſtis non reprehendantur & corrigantur Romani Epiſcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pſeudo eſt, ſive epiſcopus ſive clericus. Nos vero per miſericordiam Dei juxta regulam obedientes, & corrigibiles ſumus, & ſchiſma & Simoniam & excommunicationem, per omnia dictante ratione & Spiritu ſancto, vitare volumus. Ex verbis B. Auguſtini, reges & Imperatores ex legibus promulgatis, nihil ab hæreticis in hoc mundo poſſideri voluerunt. Igitur cum non ſimus hæretici, & hoc ſit jus regum & Imperatorum, quare dominus Paſchaſius ſolo contentus ſpirituali gladio, immittit Robertum armigerum ſuum, ad devaſtandos fundos & villas eccleſiarum? Quæ, etſi devaſtanda eſſent, edicto regum & Imperatorum devaſtari deberent, qui non ſine cauſſa gladium portant. Ecce ſolutus eſt Satanas, habens iram magnam, quem exterreat valida manus Dei. Quod excommunicati dicimur, non gravius juſto feras: quia (ut credimus) nos ab excommunicatione excipiet ſaltem ipſa Romanorum auctoritas, Hildebrandus papa, qui auctor eſt hujus novelli ſchiſmatis, & primus levavit ſacerdotalem lanceam contra diadema regni: primo indiſcretè Henrico faventes excommunicavit, ſed reprehendens ſe intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant neceſſariâ & debitâ ſubjectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum, & hoc pro decreto ſcripſit.

Ioan. 18. *Gal.* 2. *Apoc.* 12.

Nec in parte tantum, ſed ubicunque poteris, Henricum hæreticorum caput & ejus fautores perſequaris. Nullum, profecto, Deo gratius ſacrificium offerre poteris, quam ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui à principibus

Dei

Dei sancti Apostolis eorumque vicariis, de ecclesiæ domo Sancti spiritus judicio expulsus est.

Cum Alaricus rex Gothorum iret ad capiendam Romam, monitus à quodam servo Dei, ut ab his malis cessaret: non volens, inquit, vado Romam. Vir enim quidam me quotidie torquens urget, ut eam ad destruendam Romam. Hoc exemplo urget Apostolicus armigerum suum, ut totum depopuletur regnum, quod non potest fieri sine cęde & sanguine, & ecclesiarum Dei depopulatione. Alaricus quidem in hoc mitior fuit, qui captâ Româ ecclesiis Dei pepercit, & à cæde hominum abstinuit, nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apostolico, ut non solum in Cameracenses & nos Leodienses, sed totus feratur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modo cum Esaia: quam pulcri super montes pedes prædicantis & annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem? Eum, qui debet esse prædicator pacis, zelus Dei adeo comedit, ut etiam in amicos pacis distringat gladium belli. Qualem enim zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui rex interpretatur, talem zelum habet modo vicarius Petri in amputanda auricula regis hæretici, in quem omnimodis invehitur, dum enim hęreticorum caput, Dei rebellem, regni invasorem, Simoniaci idoli adoratorem, ab Apostolis & apostolicis excommunicatum vocat, quasi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animę ejus infligit, ut si infirmus in fide esset, desperare posset: sed qui in feriendo Petrum imitatur, etiam in recondendo gladio Petro imitetur. Qui enim sanavit auriculam Malchi, potest etiam sanare auriculam regis hæretici. Si talis est (quod absit) & pro nobis dolemus, & ipsi domino nostro condolemus. Nihil modo pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc dicimus, quod etiamsi talis esset, tamen eum principari nobis pateremur; quia ut talis nobis principetur peccando meremur. Ecce concedimus vobis inviti, eum talem esse, qualem dicitis; nec talis à nobis repellendus esset armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis. Contra Pharaonem, cujus cor contra Deum induravit, Moses ranam, muscam, locustam, gradinemque induxerat: has tamen plagas non nisi orando, extensis in cœlum manibus avertere potuit. Et Paulus: Obsecro, inquit,

cap. 52.
Matth. 26.
Marci 14.
Lucæ 22.
Ioan. 18.
Exod. 8. 9.

primo omnium fieri orationes pro regibus, & pro omnibus qui in
1 Tim. 2. c. 1. sublimitate sunt constituti. Reges illius temporis, pro quibus orari obsecrabat Paulus, non catholici, non Christiani erant. Baruch quoque ex ore Hieremię scribit Judæis à rege Babylonis captivitatis; Orate pro vita Nabuchodonosor Regis & Baltasar filii ejus, ut sint dies ipsorum sicut dies cœli super terram, & det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis & Balthasar filii ejus, ut serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.
1 Tim. 2. Cur pro malis regibus orari debeat Paulus dicit, scilicet ut tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum imitari Apostolum: esset propheticum, imitari prophetam: sed peccatis nostris merentibus, Apostolicus, qui etiam modo orare deberet pro rege quamvis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus, agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus. Cum ita sibi consonent Apostolica & prophetica verba, quęro humiliter ego filia à matre sancta Romana ecclesia, unde hæc auctoritas Apostolico, ut pręter spiritualem gladium exerat in subjectos (*aut liberos*) alterum occisionis gladium? non ago pro Rege, sed pro ecclesiarum,
Paral. 22. & 28. matre, cujus parti timemus nos ejus filię: si enim David non meruit ędificare templum Dei, quia vir sanguinis erat: summus Pontifex si vel stilla sanguinis ejus vestem tetigerit, quomodo in sancta sanctorum introibit cum sanguine Christi, quem offerat pro sua & pro populi ignorantia? O utinam non tantum cum Pilato lavet ma-
Mat. 27. nus suas, dicens: Mundus ego sum à sanguine innocentum; sed
Ioan. 13. etiam cum Petro dicat: Domine lava non tantum pedes meos, sed
Marc. 15. & manus & caput. Judęi non excusaverunt manus suas à sanguine Christi, quem ipsi horâ tertià linguis suis, horâ sextâ manibus Romanorum crucifixerunt. Apostolicus vero se excusans dicit cum
Actor. 20. Paulo: mundus ego sum à sanguine omnium vestrum. Quis Pontificum Romanorum suis unquam decretis authorizavit, ut debeat
lib. 7. regist. c. 1. Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis papa, quid omnes ante se papæ super hoc senserint, & quid omnes post se sentire debeant, ostendit, scribens Sabiniano diacono: Unum est quod humiliter suggeras serenissimis Dominis nostris:

noſtris: quia ſi ego ſervus eorum in mortem vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem nec duces nec comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet: ſed quia Deum timeo, in mortem cujuſlibet hominis me miſcere formido. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur ſolo gladio ſpirituali, uſque ad ultimum Gregorium, id eſt, Hildebrandum, qui primus ſe, & ſuo exemplo alios pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli. Quis poſſit Regem arguere? Melius nobis intellexit Heliu, qui in libro Job de Deo ait: Qui vocat duces impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod Gregorius exponens: nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur, accuſet: quia nimirum ſui fuit meriti perverſi rectoris ſubjacere ditioni. Culpam ergo proprii magis accuſet operis, quam injuſtitiam gubernantis. ſcriptum namque eſt: dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præeſſe diſpicimus, quorum ſuper nos regimina ex Domini furore ſuſcepimus. ſic ergo ſecundum merita ſubditorum, tribuuntur perſonæ regentium, ut ſæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur, ſicut Saul, qui cor cum dignitate mutavit. hic ergo pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, ut ſæpè pro mali gregis, etiam vera boni rectoris vita delinquat. Certum vero eſt, quod ita ſibi invicem & rectorum & plebium merita connectantur, ut ſępe ex culpa rectorum, deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex merito plebium mutetur vita rectorum. Sed quia rectorés habent eundem Deum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè judicare vitam regentium. Hæc Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo judicium ſuum tollatis, nec attendatis quod dicit Amos propheta: Væ deſiderantibus diem Domini. Diem domini deſiderat, qui injuſtè, vel importunè vel intempeſtivè de ſubjectis judicat, vel voto cordis judicium Dei pręoptat. non dicimus Imperatorem noſtrum eſſe hypocritam, ſed vos qui eum habetis pro hypocrita: miramur, quod non attendatis, quâ cauſſâ Deus regnare fecerit hypocritam, ſi enim ceſſarit cauſſa peccati, ceſſabit & „ pœna peccati: Quid de eo dicimus, quod Henricum ab Apo- „ ſtolicis viris excommunicatum Sancti ſpiritus judicio dicit? nimis

Iob. 34. — *Moral. lib.* 25. *c.* 10. — *Oſee* 13. — 1 *Reg.* 13. — *cap.* 5. — *Iob.* 34.

mis illum deteſtatur, quem nec regis nec Imperatoris nomine dignatur. Quis poterit diſcernere cauſſam regni à cauſſa ſacerdotii? niſi pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, copulet regnum & ſacerdotium uno angulari lapide concordiæ, vacillabit ſtructura eccleſię ſuper fidei fundamentum. Ut poteſtatem regni probat vel improbat cauſſa modusque regendi, ſic poteſtatem ſacerdotii probat vel improbat cauſſa modusque ligandi & ſervandi. Nam Clemens ſcribit dixiſſe Petrum: ligabis quod oportet ligari, & ſolves quid expedit ſolvi.

Philip. 4.

Epiſt. ad Iacob.

Qui præeſt cæteris, oportet facere vicem medici, non beſtiali furore commoveri. Qui ergo debet agere vicem medici, audiat etiam conſilium ſapientiæ. Omnis, inquit, potentatus poteſtatis brevis eſt vita. Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus. ſic & rex hodie & cras morietur. Cum ab omnibus indicatur prælata virtus diſcretionis, quare Apoſtolici ſuccedentes ſibi invicem quaſi hæreditario bello excommunicandi indiſcretè in regem inſurgunt, cui pro regali dignitate etiam ipſi ſubjici jubentur? Qui excommunicatur Spiritus ſancti judicio, utique repellendus eſt à Dei domo. Quotieſcunque autem aliquis excommunicatur, aut ex cauſſæ, aut ex perſonæ præjudicio, quis dicat hunc excommunicatum eſſe Spiritus ſancti judicio? Dicitis cum Gregorio: quoquomodo liget paſtor, timeat grex vinculum Paſtoris. Dicimus & nos cum Gregorio: ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privat, qui ſubjectos pro ſuo velle, & non pro eorum merito ligat & ſolvit. Dicitis: Quoquo excommunicatur, ſi morte prevenitur, damnatur. Hic nobis ſuccurrit Romanę eccleſię auctoritas. Gregorius enim ſcripto & facto auctorizavit, quod poteſt Romanus preſul abſolvere excommunicatum injuſtè ab aliquo. Si hoc poteſt Romanus præſul, quis neget Deum etiam poſſe abſolvere, ſi Romanus præſul injuſtè excommunicaverit? nemo enim poteſt lædi ab alio, niſi prius lędatur à ſemetipſo.

Homil. 26.

eâdem homiliâ.

Nullum profecto, inquit, gratius Deo ſacrificium offerre poteris. Qualiter hoc ſacrificio nihil gratius ſit Deo, quæro à te ô mater mea Romana eccleſia. Deo enim non placet ſacrificium niſi ſit mundum & immaculatum. Ideo enim lex in paſcha offerebat Deo agnum

Exod. 12.

agnum immaculatum, ut etiam offerentes essent immaculati. Quomodo ergo tam gratum est Deo hoc bellandi sacrificium, quod non potest fieri sine macula culparum. Dicit enim Malachias: si offeras *cap.* 1.
Deo pecus claudum, cęcum, languidum, nonne malum est? Apostolicus qui hoc belli sacrificium indicit Roberto filio suo, vellet, puto, redire ad zelum Phinees, vellet facere quod fecit Moses, ut ma- *Num.* 25.
nus levitatum consecret in sanguine fratrum suorum. Perierunt filii *Exod* 32.
Aaron, offerentes ignem alienum. Utinam non pereat hic, qui e- *Levit.* 10.
tiam modo offert Deo ignem alienum, & non illum ignem quem venit Jesus mittere in terram, & vult ut ardeat. Quomodo, inquam, *Luc.* 12.
Deo est gratum sacrificium, quod non videtur esse mundum & immaculatum. Sacrificium de rapinis pauperum, erit illi gratum, qui odit rapinam in holocaustum? nec sacrificio de lacrymis viduarum & pupillorum delectabitur Deus, ut ait Jesus filius Syrach. Non de- *Eccles.* 35.
spiciet Deus gemitum viduæ & pupillæ: nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt usque ad cœlum? Et Dominus exauditor non delectabitur in illis: sacrificium de oppressionibus ecclesiarum quomodo gratè accipiet ille, qui dixit: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & tre- *Esaias* 66.
mentem sermones meos? Hâc calamitate Apostolici belli quot sunt oppressi, de quibus Deus dicit: qui tangit vos, tangit pupillam *Zach.* 2.
oculi mei? Sacrificium humano sanguine inquinatum, miror, si placebit illi, qui dixit: de manu cunctarum bestiarum & de manu ho- *Gen.* 9.
minis, sanguinem hominis requiram. Quod per modos sacrificandi Jesus in Euangelio tribus penè verbis concludit: Omnis sacrificans *Marc.* 9.
igne salietur, & omnis victima sale salietur. Quam planè hoc est conclusum quis gratè Deo sacrificet, & quod sit gratum Deo sacrificium. si sacrificans igne Spiritus sancti salietur, victima quoq; sacrificantis sale sapientiæ salietur. Et penetrans Jesus altius ad intentiones cordis, addit: Bonum est sal, quod sal insulsum fuerit, in quo condictis illud? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos. Tenorem hujus Euangelici capituli, quis meliùs exponit, quam rei & præsentis temporis consequentia? non possumus habere pacem inter nos, nisi habeamus salem in nobis, sed salem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos.

Hoc, inquit, tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieruſalem pervenias. Hactenus Euangelicis, Apoſtolicis & Propheticis teſtimoniis innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: hic verò quid dicam neſcio; quo me vertam, non video. Si enim utriuſque legis totam bibliothecam, ſi omnes totius bibliothecę veteres expoſitores revolvam, exemplum hujus Apoſtolici præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum ſacris canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod juſtè nec ne, ipſe vel alii fecerint, nullâ auctoritate diſcimus. Hoc ſolum diſcimus, quia non poteſt aliquis aliquem indiſcretè ſolvere vel ligare. Ad hoc nobis occurrit ex Euangelio

Ioan. 14. exemplum. Jeſus Chriſtus totum hominem ſine peccato agens, reſuſcitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt. Rurſum fremuit in ſemetipſo, juſſit tolli lapidem mortuo ſuperpoſitum, elevatis oculis oravit, voce magnâ clamavit: Lazare veni foras. Quo prodeunte ligatis manibus ac pedibus inſtitis & ſudario facie ligatâ dixit Jeſus diſcipulis, ſolverent eum. Ecce in Lazaro peccatorem, in Ieſu prædicatorem video. Quot affectus oſtendit Jeſus in Lazaro ſuſcitando, tot affectus oſtendit prædicator in peccatore ſuſcitando. Si peccator vel pro peccatore prædicator, turbaverit ſemetipſum pœnitendo, ſi lacrymatus fuerit, ſi clamaverit, veni foras, confitendo peccata, ſi tulerit lapidem de duro corde peccantis, tandem ad juſſum Dei ſolvat inſtitas excommunicationis, tollat etiam à facie ejus laborioſum pœnitentię ſudarium & ſic liberum ſinat abire.

Homil. 26. Hinc Gregorius ait: mortificat non morientem, qui juſtum damnat: nititur vivificare non victurum, qui reum ſupplicio ſolvere conatur. Vera eſt abſolutio præſidentis, cum ſequitur arbitrium æterni Judicis. ſic diſcipuli Lazarum jam viventem ſolvunt, quem Ieſus ſuſcitaverat mortuum. ſi enim mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent quam virtutem. Hæc Gregorius. Hunc morem diſcretè ligandi & ſolvendi hactenus tenebas, & nobis tenendum manda-

mandabas, ô sancta mater, Romana ecclesia. Unde ergo hæc nova auctoritas, per quam reis sine confessione & pœnitentia offertur præteritorum peccatorum impunitas,& futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ per hoc patefecisti hominibus! Te, ô mater, liberet Deus ab omni malo. Sit Jesus tibi ostium, sit ostiarius. nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit, Te, inquam tuumque Præsulem liberet Deus, & ab his, *prophetis* qui (ut ait Micheas Propheta) seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, &, si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum. *Hactenus Ecclesia Leodiensis.* cap. 3.

Recordare Domine, quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum.

Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.

Cecidit corona capitis nostri; va nobis qui peccavimus.

Propterea mastum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.

Propter montem Sion, quia disperiit: vulpes anbulaverunt in eo.

Tu autem Domine in aternum permanebis, solium tuum in generatione ad generationem.

Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinquis nos in longitudine dierum?

Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies nostros sicut à PRINCIPIO. Verba sunt Prophetæ Hieremiæ in fine Lamentationum.

Si lubet, benigne lector, brevi summario, quasi quâdam ἀνακεφαλαίωσει, conspicere omnem contentionem in Ecclesia exortam de Imperio summarum potestatum circa sacra, seu præeminentia inter Imperatorem & Pontificem Romanum in Ecclesia, habes eam apud Joannem Serres, Historicum Gallum, paucis verbis comprehensam in Philippo primo, Henrici quarti coætaneo, ad quem, nomine Regis Celtarum, illam querimoniarum refertam scripsit epistolam Henricus Imperator, quam dedimus sub finem partis secundæ pag. 372.

Pendant que ceste toile commençoit à s'ourdir, l'Italie n'estoit pas mieux, estant toute pleine d'horrible combustion; & sur vn suject tant deplo-

deplorable, que le mal vient des lieux, d'où le bien de toute la Chrestienté deuoit venir.

De toute ancienneté les Papes estoient subjects & iusticiables des Empereurs, qui auoient authorité de les creer, & deposer ceux, qui estoient indignes de leurs charges, d'aßigner Synodes; & in somme d'authoriser ce qui est pour l'ordre exterieur de l'Eglise. Le Pape au contraire affermoit, Que toute ceste autorité estoit sienne, comme estant Euesque vniuersel, ayant pouuoir de lier & deslier, iuger de tous, & de tout, comme souuerain Iuge de l'Eglise, sans qu'il puisse estre iugé de personne, & ainsi ordonner souuerainement de toutes affaires tant Ecclesiastiques, que Politiques, comme Monarque en l'Eglise, non seulement armé du pouuoir d'excommunication pour damner les rebelles, & reuestu de l'autorité de remettre les pechés: mais ayant außi le glaiue temporel, auec vne authorité souueraine par dessus les Empereurs, Rois & Princes de la terre, pour les instituer & destituer, & mettre leurs Seigneuries en interdit.

Doresnauant on rencontrera à tous les regnes quelque exemple memorable de ceste authorité souueraine. Ce regne en donne vn fort illustre.

Suiuie d'estranges confusions.

Apres la mort de Conrad Empereur, surnommé Salique, Henry troisiesme du nom ayant conduict l'Empire assez heureusement, le laisse à son fils Henry quatriesme, encore bien ieune; & par ainsi les Papes, durant ceste foiblesse de l'Empire, eurent moyen de s'establir: & ainsi mesnageant ceste occasion Gregoire septiesme, appellé Hildebrand, interdit à l'Empereur toute authorité sur l'ordre Ecclesiastique, & defendit sur peine d'excommunication, de n'auoir recours à luy pour la collation des benefices, ny pour aucune chose qui dependist de l'Eglise.

Henry s'esueille à vn grand coup, & remonstre à Gregoire, que ce sien decret estoit contraire aux anciens, & à l'vsage de l'Eglise Catholique. A son refus, luy declare vouloir garder les droicts de l'Empire, & s'en plaint au Clergé de Rome, en notable assemblée. Gregoire en conuoque vn autre, en laquelle il excommunie Henry & tous les adherans, & enuoye par tout sa Bulle, par laquelle il le declare proscrit & degradé de l'Empire, & en sa place fit eslire Rodolphe Duc de Suaube, Empereur.

Ainsi deux parties se forment en Italie, & Alemagne, l'vn pour l'Empereur, & l'autre pour le Pape. De ces peuples bandez, voila deux armées toutes prestes pour espandre le sang des Chrestiens. Neuf batailles

données pour la dispute de ces preeminences. En fin Raoul nouuel Empereur est prins: & tué par Godefroy de Buillon, qui suiuoit le party de l'Empereur Henry IIII. Qui apres c'est exploict fait assembler vn grand Concile à Bresse: auquel Gregoire septiesme est excommunié, & Clemens Euesque de de Rauenne designé son successeur, conduict à Rome à main forte, prinse apres vn long siege, & le nouueau Pape consacré solemnellement, & Henry quatriesme Empereur remis en son entier par sentence de Clement, Mais ce ne fut pas tout. En la place de Gregoire septiesme, ceux qui fasoient contrequarre à l'Empereur, eslisent Pape Urbain II. ainsi le party renforcé, la confusion se desborda plus fort, opposant vn Empereur à l'autre, Herman de Luxembourg à Henry, & en suite Egbert Marquis de Saxe. Lesquels ayans esté prins & tuez par Henry: l'vn apres l'autre, à mesure que le Pape les desbandoit contre luy: Urbain trouue d'autres expediens contre Henri, car il suscite contre luy Conrad son propre fils de sa premiere femme, pour forcer toutes loix naturelles: & comme Henry eust reprimé les menees de ce sien premier fils, de Pape Paschal, qui succedant à Urbain deuxiesme, succede au mesme artifice du tout monstreux practique son autre fils Henry, que le pere auoit designé Empereur, se fiant en luy comme à son enfant aymé par dessus les autres. Ainsi ce fils enchanté de ce mauuais conseil, eut moyen de se saisir de son pere, & premierement luy osta l'Empire, puis la vie. Et le Pape adiousta à ceste mort vne nouuelle flaistrissure: c'est que par lettres fulminatoires il fit deterrer le corps de Henry. C'estoient les fruicts de ces furieuses disputes des preeminences, non seulement ignorees de l'ancienne Eglise, non pratiquees par les Apostres, mais defenduës nommement par la bouche sacree du Fils de Dieu.

Les Papes l'vn apres l'autre assaillis de ces espines, auoient recours à nostre Philippes: & de mesme l'Empereur Henry quatriesme prisonnier entre les mains de son fils: mais la reuerence de ses amis communs, luy faisoit garder les gages, & estre simple spectateur de ces deplorables confusions.

Et neantmoins parmy ces desordres, beaucoup d'ordres furent establis par les Papes, à sçauoir celuy des Chanoines reguliers, à la differences des seculiers, Chartreux, Templiers, Benedictins, Carmes.

Ainsi Philippes tesmoin des maux d'autruy, regna paisiblement durant vn siecle plain de confusion, & en l'Eglise, & en l'Estat.

Pellitur è terris pietas, & vi geritur res,

Christus dicit, *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris*: S. Petrus, *Regem honorate*: Gregorius Imperatorem legitimum & Catholicum condemnat, proterit & conculcat, regno terrestri & cœlesti privat. Christus venit ut peccatores servaret: Paschalis, ut ejusdem Imperatoris morigeros subditos, Leodiensem Ecclesiam manu militari perderet. Nolo hic facere longas comparationes, & odiosas & ineptas Pontificum cum Christo aut Apostolis vitas παραλλήλας, nam nil quæro, præterquam priscam & simplicem veritatem: sed interim vides, benigne lector, quantum roboret historiam nostram de Gregorio VII, ex multis fide dignis historicis collectam, totius ferè orbis consensus, à D. Blondello productus, testis omni exceptione major: Item illa Leodiensis Ecclesiæ responsio ad Papæ Paschalis crudelem & verè hostilem epistolam ad Comitem Flandriæ scriptam, quæ omnia non levem indicant in Ecclesia Christiana mutationem, ne dicam perversitatem, tam in capite quam in membris, (*imò nec tam populus quam Sacerdos*) tam doctrina quam in moribus; ut si unquam hoc tempore visa fuerit *Ecclesia Dei, sicut Luna deficere*; attamen, ut optimè loquitur S. Ambrosius, *obumbrari quidem potest Ecclesia, deficere non potest.* Videat lector, utrum cum hoc tempore congruere etiam videatur locus ille S. Augustini, epist. 80. *Quando Sol obscurabitur*, inquit, *& Luna non dabit lumen suum, & stella cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, sicut ab aliis duobus Euangelistis hic locus commemoratus est, Ecclesia non apparebit impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus, & remoto timore, tanquam arridentis mundi felicitate dicentibus: Pax & securitas. Tunc stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, quoniam multi, qui gratiâ fulgere videbantur, persequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmissimi turbabuntur, Idem autem secundum Matthæum & Marcum post tribulationem dierum illorum dicitur hoc futurum, non quia transactâ totâ illâ persecutione accident ista, sed quia præcedit tribulatio, ut sequatur quorundam defectio: & quia per omnes dies illos ita fiet, propter ea post tribulationem dierum illorum, sed tamen in iisdem diebus fiet. Quod ergo dictum est secundum Lucam, & in terris pressura gentium: gentes voluit intelligere non pertinentes ad semen Abraha, in quo benedicentur omnes gentes, sed gentes*

quæ ad finistram stabunt, quando congregabuntur ante judicem vivorum & mortuorum omnes gentes. Vtraque pars enim erit in omnibus gentibus, una quæ premat & una quæ prematur: una quæ dicat, pax & securitas, altera in qua Sol obscuretur, & non det Luna lumen suum, & de qua cadent stellæ, & in qua virtutes cœlorum moveantur; & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate, quia major potestas & majestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tantâ persecutione vincantur: sive in corpore suo, in quo sedet ad dexteram patris, in quo etiam mortuus est & resurrexit & ascendit in cœlum. Vide locum Augustini, & pręterea quàm accuratè hanc hujus temporis in Ecclesia calamitatem & vitę pravitatem describat in libris de consideratione ad Eugenium & in nostra historia partis secundæ pag. 365. S.Bernardus, Paschali coævus: ubi Papæ Eugenio dissuadet studium Philosophiæ, ne eo exercitio offenderet Clerum Romanum, inassuetum istis sanctis occupationibus, & honestis exercitationibus, *quia prædecessores tui*, inquit lib. I. *non ita consueverunt, & ob id eris molestus quamplurimis, quasi qui à Patrum vestigiis subitò deviaveris. Nam id videberis agere in sugillationem illorum, sed & notabere vulgi proverbio: quia hoc facit quod nullus, mirantur omnes, veluti qui cupias admirationi fore: nec potes eorum omnia simul & subitò vel errata corrigere, vel excessus redigere in modum, Et. Alius inolevit mos, dies alii sunt, & alii hominum mores & tempora miraculosa non instant jam, sed exstant. fraus & violentia invaluēre super terram: calumniatores multi, defensor rarus, ubique potentiores pauperiores opprimunt, &c. Plena est ambitiosis Ecclesia, non est quod jam exhorreas in studiis & molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca Latronum in spoliis viatorum*, &c. *Et ex moribus apparet animus*, ut loquitur S. Augustinus epist. 80. prædicta.

Hæc corruptio non simul & semel, sed paulatim in Ecclesia Dei accrevit, & ante seculum nonum non semel apparuit: seculo verò nono eam omninò invasit, obruit, vastavit, quod ea de caussa, ut seculi noni initio diximus, illustrissimus Baronius non malè appellavit *ferreum, plumbeum, obscurum: ferreum* propter omnium ferè hominum & ipsorum etiam Pontificum Romanorum perversitatem, *plumbeum* propter totius ferè Europæ inscitiam, stoliditatem, & stuporem, *obscu-*

obscurum, propter defectum illustrium scriptorum, vel, ut alibi Baronius, quia multi indignum judicarunt, tam multa, & tam magna mala scriptis mandare. Ita ut illud Poëtæ Venusini hic locum habeat:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ne dicas, inquit S. Hieronymus, *priora tempora meliora fuêre quam nunc sunt: virtutes faciunt dies bonos, vitia malos.* Placet ergo, lector, ut inquiramus meliora Ecclesiæ tempora, &, more Poëtarum, quatuor à metallis desumpta statuamus Ecclesiæ secula? Verè *aureum* fuit illud, à Christi & Apostolorum temporibus ad Imperium propemodum Constantini Magni, quo simplex illa Christi fides cum charitate erga proximum, & vitæ innocentia viguit & cum miraculis floruit: quo per Dei singularem gratiam, homines sancti cujusvis ætatis & sexus, flagrantes amore Christi, opprobria, & ignominias honoribus, paupertatem divitiis, exilia, metalla, ergastula, aulis principum, crudelissimas mortes suavissimæ vitæ antepofuerunt: quo omnes Episcopi Romani aut martyres aut Confessores mortui sunt. *Argenteum* seculum statui potest, illud ab Imperio Constantini ad seculum, à Christo nato, septimum, post tempora Imperatoris Mauritii & Gregorii primi Pontificis Maximi: quod quidem fuit *aureo* illo seculo illustrius & splendidius per Christianos & magnos Imperatores & viros, in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali, eminentes, sed vigor ille amoris erga Christum & proximum, paulatim in Ecclesia Dei per divitias & delicias elanguit. *Postquam ad Christianos Principes venit Ecclesia*, inquit S. Hieronymus in vita Malchi, *potentiâ quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Primo & aureo illo seculo *omnis ferè sacro martyrum cruore orbis infectus est*, ut loquitur Sulpicius Severus; *quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multòque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus.* *Stanneum* seu potius *plumbeum* seculum, uti nonum vocat Baronius, initium sumpsit post tempora Mauritii Imperat.

&

& Gregorii Magni, ut diximus, quo post plurimas populorum barbarorum in Ecclesiam Orientalem & Occidentalem irruptiones, Avares, Scythæ, Bulgari, Saraceni Orientalem; Gothi, Alani, Vandali, Longobardi Occidentalem per continua bella opprimerent Ecclesiam: quo spissa inscitia & summa barbaries omnem Asiam & ipsam Græciam, omnem Europam & ipsam Romam occuparet: quo post introductum per Generale Concilium imaginum cultum mater Irene filium Imperatorem viginti annos natum privavit Imperio, visu, vitâ. *Sed quam invisum fuerit Deo hoc execrandum parricidium*, inquit Petavius, *septendecim dierum horrenda caligo testata est, qua mortem illius est consecuta.* Cum, Deo ad indignationem provocato, Saraceni ex Africa instructâ classe venientes, improviso agmine suburbia Romæ trans Tiberim posita deprædati sunt, & ipsas Basilicas S. S. Petri & Pauli, auro, argento, gemmisque locupletes spoliarent, ut vix præter muros & tecta quicquam remanserit: Cum Ecclesiam Romanam regerent turpissima, quamvis nobilissima, scorta, & ipsam sedem occupassent earum fœdissimi mœchi. Quare jure inquit Bellarminus, lib. de Ecclesiast. script. *Vide infelix seculum, in quo nulli scriptores illustres, nulla Concilia, & Pontifices parum solliciti de republica. His temporibus*, inquit idem ibidem, *quibus Pontifices Romani à pietate veterum degeneraverunt, Principes seculi sanctitate florebant:* qui nisi reliquias Ecclesiæ Dei conservassent, & errores, quos poterant, correxissent, actum de ea fuisset, cum in ea imperarent Simonia, peccatum Sodomiticum, & deplorandum Ecclesiæ schisma, ferreum seculum hoc voco *cum multiplicatâ iniquitate, refrixit multorum charitas*, Matth. 24. 12. cum vi & armis per horrenda, cruenta & impia bella jus eligendi Papam, investituras Episcoporum & Abbatum, & ipsum imperium per fraudes Imperatoribus eriperent Pontifices: unde factiones Gibellinorum & Guelphorum, & diuturna & sævissima in Ecclesia & Imperio bella, quæ videre potest lector apud alios infinitos historicos. Interim non tantum multa mala in doctrinam & mores Ecclesiæ irrepere non desinunt, (vidimus in nostra historia doctrinam Hildebrandi antea inauditam, & qualis *non fuit ab initio*, vidimus turpes apud S. Bernardum & alios scriptores Ecclesiasticos mores.) *sed etiam in rituales libros, in ipsum, inquam, Romanæ Ecclesiæ officium & libros Missales multa falsa, absurda, ridicula irrepsisse quis hodie*

Casaub. exerc.14.c.11. *die dubitat?* inquit Casaubonus: *fatetur hoc etiam Pererius Iesuita verbis disertis in præfatione lib. 16. commentariorum in Danielem: sed multò luculentius & expreßius idipsum ingenuè agnoscit Lindanus Episcopus, de optimo genere interpretandi scripturas lib. 3. cap. 3. affirmare non dubitans, in libros Rituales Romanæ Ecclesiæ* non solum è Nicodemi Euangelio apocrypha esse inserta, verum etiam secretas preces, atque adeò, proh dolor, *ait*, ipsum missæ canonem turpissimis mendis esse conspurcatum. *Taceo veteres querelas de mendaciis & fabulis in divino servitio receptis, Petri Cluniacensis, Alliacensis Cardinalis, Comitis Mirandulani, Raphaëlis Volaterrani & ipsius Espencai, Doctoris Sorbonici; qui illas querelas refert in suis ad Pauli Ephesinam epistolam commentariis.* Nemo quod sciam, accuratius in rubricas missales &c. commentatus dicitur, quam Barthol. Gavantus in Thesauro sacrorum rituum, in quibus *origo cujusque ritus, caussa historica & mystica ex majorum ingenio* adduntur; qui inter cætera, *quo ordine aucta sit eadem Missa ab initio nascentis Ecclesiæ ad hodiernum usque diem, ordine temporum servato,* his verbis indicat: *Initio Ecclesiæ Missa constabat consecratione tantum, & Oratione Dominicâ.* Gregor. lib. 7. epist. 63. *Consecrationis autem verba sunt*: Hoc est enim corpus meum. *Additum est à S. Petro,* Enim. ex S. Thoma 3. p. quæst. 78. art. 2. ad 5. *Notat* Biel lect. 38. *non vacare mysterio, quod sint quinque verba hujus consecrationis,* &c. vide Gavantum, qui etiam addit, *crescente Christiana religionis cultu, adjecta esse alia, quæ visa sunt decentius convenire, quandoque alia dempta, alia mutata in melius.* part. 1. tit. 8. *Ab Apostolis & successoribus Apostolorum addita est Epistola & Euangelium.* Liturgia S. Petri. Can. 10. Apost. Dionys. de Hierarch. Eccles. c. 3. Clem. l. 2. const. c. 57. *Et tamen apud Iustinum Martyrem Apol. 2. Prophetarum & Apostolorum scripta prælegunt ur.* Walefrid. *Tum principium Canonis à Clemente fuit additum, qui dici jußit,* Dominus vobiscum. Ex rubrica propria in ordine missæ.

Communicantes *à Lino vel Siricio*, ut ait Radulphus & Nicolaus de Blove.

Qui pridie, *usque ad verba consecrationis,* Unde & memores, *&c. aquam item cum vino adhiberi jußit Alexander.* Walafr. cap. 22. & microl. c. 12. *sed Apostolorum est periodus, ex* Alcuino, *usque ad,* Unde

de & memores; *cum habeantur apud* Clementem lib. 8. c. 17. & in Liturgia sancti Petri.

Sanctus, sanctus, sanctus, *à Sixto, sed ante erat in Liturgiis, & meminit* Clemens l. 8. c. 16.

Hymnus Angelicus à Telesphoro; item & Tractus. Alii autem aliter, ut videre est apud Gavantum locis ibidem citatis.

Orate fratres, *ante Soterum, alii Leoni id tribuunt*, Ex Radulpho prop. 23.

Confessio ante missam à Pontiano, alii à Damaso, Liturgia Jacobi à confessione incipit. Azor. l. 10. c. 36. q. 1.

Damaso tribuit Radulph. propos. 23. *Pontiano* Berno de Offic. miss. c. 25.

Symbolum post Euangelium à S. Marco, sed quod hodie legitur, Damasus decrevit legi, qui & Gloria Patri *in Missa addidit. symbolum autem quod recitamus in missa, non est Apostolorum, quod initio Ecclesia cantabatur in Missa*, ex Dion. Areopag. c. 3. de Eccles. Hierar. & habetur in Liturgia S. Petri; *neque est Nicanum, quod deinde recitari jussit, in Missa S. Marcus, qui S. Sylvestro successit*, ex Bernone c. 25. de Offic. miss. *quod tamen negat Baronius an.* 325. & probat ex Ruffino in Symbolum: *sed est Constantinopolitanum, cum additione* filioque procedit, *facta in Concilio Tolet. sub Leone I.* ex Baron. an. 447. *seu in Concilio Romano à Damaso, ut probat.* Steph. Durantus l. 2. c. 24. & optimè. *Quod symbolum idem Damasus dici decrevit*, ex Rupert. 2. c. 21. *& quasi esset aptius modulis sonorum*, inquit Strabo cap. 22.

Pax Domini sit semper, &c. *ab Innocentio I. Pacis annunciatio indicatur* Dionys. c. 3. Eccl. Hierarch. & à S. Clemente l. 8. c. 18. *Ambrosio tribuit* Hugo Vict. de Offic. Eccles. l. 2. c. 11. *Innocentio I.* Gemma lib. 1. c. 9.

Introitus missæ ex psalmis à Cœlestino: item Tractus & Graduale. Vide Gavantum.

Præfationes, Hanc igitur oblationem &c. *in Canone* sanctum sacrificium &c. Ite missa est, Benedicamus Domino, *a Leone primo. Originem habent ab Ecclesia primordiis* Ex Clement. lib. 8. Const. lib. 8. Const. c. 16. *Dionysium auctorem facit* Honorius in Gemma l. 1. c. 89. *& Leonem Papam*, ibidem. *Præfationis communis auctorem*

Gelasium dicit Alcuinus de celebratione missæ, *aut cantari jussit*, ut Gemma ait, *aut fortè limavit; qua tamen habetur in Liturgia S. Petri Græca.*

Ite Missa est, &c. *à Leone institutum fuisse scribit* Radulphus propos. ult. quod tamen habetur in liturgia S. Petri *& expressius* in Const. Apost. l. 8. c. 23. sed Clemens utitur iis verbis, Ite in pace. *A Christo hunc ritum deducit* Waldensis Tom. 3. tit. 4. c. 44. n. 7. *qui in fine cœnæ dixit*: surgite eamus hinc. Vide plura apud Gavantum. *Canonem ordinasse dicitur, Gradualia & præfationes addidisse Gelasius.* vide Gavantum.

Kyrie eleison, *orationes, Alleluia, Offertorium, Communio, in Canone,* Diesque nostros in tua pace disponas &c. Præceptis salutaribus, Libera nos, &c. & tota Missa melius ordinata fuit à Gregorio I. qui mortuus est an. C. 604.

Agnus Dei *à Sergio. Dicitur* in Liturgia S. Petri *eandemque in Missa post defunctorum memoriam precationem haurit* Durand. l. 2. c. 53. ex Concil. Nicæno. *fortasse statuit Sergius, quem omnes faciunt auctorem,* &c.

Sequentia à Nicolao. Primum earum auctorem ferunt fuisse Abbatem Nogerum seu Notherum sancti Calvi, & Nicolaum Papam eas approbasse. Radulph. propos. 23. *eas etiam fuisse in usu Rom. tradit.* Walaf. Strabo cap. 22. *Verum S. S. Ambrosio & Augustino adscriptas fuisse aliquas sequentias scribit* Durandus lib. 2. c. 22.

Alii sancti Patres addidere alia, inquit Gavantus, *approbata deinde à summis Pontificibus, ut par est credere, hoc ordine temporum.*

Benedictus qui venit in nomine Domini, *a sancto Ignatio, si credimus* Remigio Antesiodorensi in expositione Missæ.

Domine non sum dignus &c. *tempore Originis*, homil. 5. in diversis.

Finis hymni Angelici, ab Hilario Pictaviensi. Apostolis eum tribuit Clemens lib. 7. Const. c. 48. *Telesphoro* Innoc. III. l. 2, c. 2. *Symmacho* Berno c. 25. de Offic. Missæ. *Hilario* Alcuinus cap. de celebrat. Missæ, &c. *Benedictio populi in fine, ætate S. Hieronymi.*

Litur-

Liturgia Petri, & Clem. conſt. l. 8. c. 23. Hieron. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum.

Quod ore ſumpſimus Domino, &c. *ante Ordinem Romanum. habet* Ordo Rom. & Microb. c. 19.

Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi &c. Placeat, &c. *Hac oratio pro pace non eſt apud antiquos,* Durandus eam obiter indicat c. 53. *ſed habetur* in miſſali M. S. in Vaticano.

Reliqua tandem Pii V. auctoritate ſunt communita. Græcorum autem miſſa fuit longior quam Latina. hæc ipſa tempore S. Auguſtini longior erat quam hodie; vel quia in introitu totum Pſalterium diceretur; vel quia Epiſtolæ & Euangelii lectio eſſet longior; vel quia in feſtis cantarentur ſingula. Certum eſt quod propter querimoniam populorum brevior eſt facta, ut colligit Baronius anno 418 ex eodem Auguſtino ſerm. 251. de Tempore. *Brevior eſt etiam Romana Miſſa quam Ambroſiana, quia Mediolanenſes priſcis Græcorum veſtigiis firmius inhæſerunt. quod notat* Lindanus ad Liturgiam S. Petri. Gavantus comment. in Rub. Miſſalis parte 2. tit. xv.

Non video, dolenter hoc dico, quare in re tam ſeria tam incertos & dubiæ fidei auctores producat Gavantus: Liturgia S. Petri apocrypha & ſuppoſititia eſt. Canonum Apoſtolicorum decimus nec reliqui, nil tale continet. & illi Canones omnes ſunt incerti, & quia variant numero, alios aliis ſeculis factos antiquitatis periti vident, & cum iis Gabriel Albaſpinus: Grotio collecti videntur in fine ſeculi ſecundi. Vide Bellarm. lib. de ſcript. Eccleſ. Riveti ſacrum Criticum, Pſeudepigrapha Dallæi: ex quibus evidenter patebit eſſe eos ſubleſtæ fidei: ut etiam ſunt libri de Hierarchia Eccleſ. Dionyſii Areopag. qui doctioribus ſunt quarti ſeculi & incerti ſcriptoris. Vide quæ de iis à nobis dicta primæ partis pag. 109. & 110. Ejuſdem valoris ſunt Conſtitutiones Clementis, de quibus vide prædictos ſcriptores. Miſſa Clementis eſt incerta, ſed Liturgia Juſtini integra ſupereſt, & eſt ea, de qua egimus partis 1. pag. 200. 201. & 202. Walafridus Strabo, Radulphus &c. ſunt mediæ antiquitatis ſcriptores, ut & Alcuinus præceptor Caroli Magni,

Magni, de quo locuti sumus partis secundæ pag. 34. & 35. Audiamus judicium D. Blondelli de libris hujus Alcuini sæpe citati per Gavantum, quorum titulus est de Officiis divinis: *Le titre du livre des Offices divins est manifestement faux, en ce qu'il attribuë a Alcuin une piece compilée plus de 236 ans apres sa mort, par un aucteur indigne de son nom & de sa reputation. André du Chesne, Geographe de Roy tresdocte & laborieux l'a recognu en la derniere edition des œuvres d'Alcuin, où il dict, qu'il n'est point destitué de coniectures, que le dernier livre* (ſc. celui des offices) *n'a jamais esté escrit par lui. Car l'auteur d'icelui, quel qu'il soit, declare qu'il estoit habitant de la Gaule, surnommeé* Braccata, *& l'exemplaire escrit en vieille lettre, a l'aide duquel il a restitué douze chapitres entiers; attribuë la question des festes des Saints, attachée a la suitte du chap.* 18. *a Elperich moine, qui* (selon Tritheme) *a fleuri l'an.* 1040, *& en fin en ce mesme œuvre l'institution de la feste de tous les Saints au* 1. *Novemb. est mentionée, au quel jour toutefois l'on apprend facilement, de Sigebert & d'autres, qu'elle a commencé a estre celebrée en la Gaule & Germanie long temps depuis la mort d'Alcuin, a sçavoir l'an* 875. *A ces remarques i'adioute,* 1. *que ni Sigebert, ni Honoré d'Austun, ni Vincent de Beauvois, ni Tritheme, ni Baleus, ni Possevin ne comptent les livres des Offices divins entre les œuvres d'Alcuin:* 2. *qu'en plusieurs endroits l'autheur copie Amalarius disciple d'Alcuin, & d'autres encores posterieurs.* 3. *Qu'il descouvre per ci per la diverses ignorances, qui ne pourroyent estre imputées a Alcuin, sans une espece de crime: comme quand au chap.* 13, *il derive* impudicus à podice, *quand a chap.* 36. *il veut que* pontifex *soit dit* à pontibus faciendis; *quand au* 9. *il tient que* Pascha *est un nom Grec, qui signifie* transitus *en Latin, & an* 36. *que* Sacerdos *est un mot Grec, dont la signification Latine est* sacrum dans. similia multa inepta apud Blondellum videre licet. *& toutes ces raisons*, inquit, *me persuadent, qu'asseurement Alcuin n'est point l'autheur de livre qui porte aujourduy son nom.* Hactenus Blondellus. Liturgia Jacobi tam incerta quam Petri. nec ulla Liturgiarum antiquarum quod sciam est Canonica seu non interpolata, præterquam illa Justini Martyris, de qua paulò ante locuti sumus. Symbolum Apostolorum non cantabatur in Missa in initio Ecclesiæ, quia longè serius fuit cognitum. *Vide Vossium de tribus Symbolis.* Concilium Constantinopolitanum cele-

Vita Alcuini cap. 17.

celebratum est an. C. 381. & in eo factum ejusdem nominis Symbolum, sed quo tempore additum fuerit, illud *filioque* incertum est, sed longè serius, quam opinatur illustrissimus Baronius, & fortè seculo nono, ut diximus partis secundæ pag. 122. id accessisse verisimile est. Plerique reliqui qui à Gavanto allegantur sunt mediæ ætatis, aut eâ posteriores: & consideratione dignum est, ritus sequentibus seculis institutos, non debere tanquam ritus Apostolicos aut primitivæ Ecclesiæ æstimari. Quare suo tempore conquestus est S. Augustinus, *graviorem factam esse ex multitudine ceremoniarum conditionem Christianorum, quam fuerat olim sub ceremoniis Iudaicis.* Epist. 118 ad Januarium & serm. 251. de temp. Mortuus est S. Augustinus an. C. 430. S. Gregorius an. C. 604. qui multa denuò Officio divino addidit, quæ utrum pro lege inviolabili Ecclesiæ obtrudere voluerit, aut etiam observare teneatur Ecclesia Catholica, ignoro, non tamen opinor. Videamus prǽterea quæ paulatim irrepserint mutationes aut novitates in venerabile Eucharistiǽ Sacramentum; Vetus Ecclesia celebrabat cœnam Dominicam sub utraque specie; hodiè Romana sub una: tum cum pane, hodie cum minutiis nummariis, quas mille annis antè Ecclesia ignoravit. Christus & vetus Ecclesia verba consecrationis dixit clarâ voce, hodie tacitè admurmurantur. Christus accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, undè Eucharistia etiam vocatur in Actis *fractio panis*, & Paulus 1 Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus est communio corporis Christi*: jam ibidem non frangitur, sed integer ori communicantis imponitur. Olim distribuebatur fidelibus corpus Christi, ut etiamnum fit in Liturgia Græca, Syra, Armena, Æthiopica; jam in privatis missis solus manducat sacerdos. Christus panem illum cœlestem in manum communicantis præbebat, jam à Sacerdotes ori ingeritur. Diaconi à sacerdote consecrata distribuunt apud Justinum: hodie id fit à Sacerdote. Vetus Ecclesia Eucharistiam etiam deferebat ad absentes & infirmos, quorum viaticum esse dicebatur: sed non eâ circumgestationis pompâ, quâ hodie. nihil dico de festo isti Sacramento noviter dedicato, nihil de vocabulo transsubstantiationis in veteri Ecclesia incognito &c. Iam videamus quid in simili casu dicat illustre illud primitivæ Ecclesiæ decus S. Cyprianus epist. 83.

ad

ad Cæcilianum, cum in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando omisso vino solâ aquâ quidam usi essent. ubi inter cætera sic loquitur vir sanctus: *Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitimâ sanctificatione celebrari, nisi oblatio, & sacrificium nostrum respondeat passioni.* Et: *Quod si & à Domino præcipitur & ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur & traditur, ut quotiescunque biberimus in commemorationem Domini, hoc faciamus quod fecit & Dominus, invenimus à nobis non observari, quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miscentes, à Divino magisterio non recedamus. Ab Evangelicis autem præceptis recedendum non esse, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulos quoque observare & facere debere constantius alibi docet Apostolus, Gal. 1. Cum ergo neque ipse Apostolus, neque Angelus de cœlo annunciare possit aliter ac docere, præterquam quod Christus semel docuit, & Apostoli annunciaverunt; miror satis unde hoc usurpatum sit, ut contra Euangelicam & Apostolicam disciplinam*, &c. Et: *Omnis religionis & veritatis disciplina subvertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur, fideliter reservetur.* Et: *non hoc idem facere quod fecit Dominus, quid aliud est, quam sermonem ejus abjicere, & disciplinam Dominicam contemnere: nec terrena sed spiritalia furta committere, dum quis de Euangelica veritate furatur. Ne ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi, & præcepta ejus observare debemus; quia & ipse in alio loco mittens Apostolos dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra Ite ergo & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris & filii & spiritus sancti, docentes eos observare omnia, quæcunque præcepi vobis. Quare si in lumine Christi ambulare volumus, à præceptis & monitis ejus non recedamus. Agentes gratias, ut dum instruit in futurum quid facere debeamus, de præterito ignoscet, quod simpliciter erravimus. Et quia secundus ejus adventus jam appropinquat, magis ac magis benigna ejus & larga dignatio corda nostra luce veritatis illuminet. Religioni igitur nostra congruit & timori, & ipsi loco atque officio sacerdotii nostri, frater carissime, in Dominico calice miscendo & offerendo, custodire traditionis Dominicæ veritatem; & quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente corrigere, ut cum in charitate sua & majestate cœlesti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere*

cere quod fecit. Omnium unicus & Dominus & magiſter eſt Chriſtus,& aliis omnibus jure præferendus, cujus hæc ſunt verba Iohan. 15. 14. *Vos amici mei eſtis*, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. *nam quod ille ſolus debeat audiri,* ait ibidem ſanctus Cyprianus, *Pater etiam de cœlo conteſtatur dicens: Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacitum eſt,ipſum audite.* Non Moſen aut Eliam,aut alium quempiam hominem, nam nullus eſſet finis. *Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere,quid aliquis ante nos faciendum putaverit,ſed quid, qui ante omnes eſt,Chriſtus prior fecerit:neque enim hominũ conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem* &c. inquit idem ibidem. *Homines ſumus*, inquit S. Auguſtinus, *unde aliquid aliter ſapere, quam res habet, humana tentatio eſt. nimis autem amando ſententiam ſuam vel invidendo melioribus, uſque ad præcidenda communionis, vel condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium pervenire, Diabolica præſumptio eſt: in nullo autem aliter ſapere, quam res ſe habet, Angelica perfectio eſt.* lib. de bapt. contra Donat. cap. 5. Quare idem alibi cum pia inquit humilitate: *Negare non poſſum nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt juſto judicio & nullâ temeritate culpari.* idem lib. retractat. & ſic paſſim.

Si in his aliquot ſeculorũ turbidiſſimis & triſtiſſimis calamitatibus, tot mutationes & novitates, tot errores & fabulę in ipſum divinum Eccleſiæ ſervitium & ſanctum ſacræ cœnæ ſacramentum irruperunt, quid de *Legendis* factum exiſtimabimus? De ſanctiſſima Virgine Matre Domini omnia extra Euangelium ſunt incerta. *Les Chronologiſtes,* inquit Godavius l.1. hiſtor. Eccleſiaſt. p.192, *qui diſputent de l'âge où elle eſt morte, ſont treſeloignez dans leur calcul; & une opinion eſt preſque außi probable que l'autre. L'Egliſe celebre la feſte de ſon aſſumption & ſa creance commune eſt,qu'elle fut eſlevée en corps & en ame dans le ciel. le petit traicté, qui porte le titre de l'aſſumption de la vierge, qu'on a inſeré parmy les Oevres de S. Hieroſme, n'eſt non plus de lui, ni de Sophronius, que ne ſont de Saint Auguſtin les Homelies ſur ceſte feſte,qui portent ſon nom. Ie ſçay qu'on allegue ordinairement un paſſage de S. Denys Areopagite,qui eſt un livre des Noms Divins,ou on pretend que cet Autheur dit, qu'il ſe trouva a la mort de la Vierge avec Saint Pierre, Saint Paul, & Saint Iaques. Iuvenal Eveſque de Ieruſalem, & Saint Iean Damaſcene, & pluſieurs autres Grecs apres eux, l'entendent ainſi: les autres l'expliquent du Sepulcre de noſtre Seigneur, qui avoit receu le*

Niceph. l.2. c. 3. & 23. l. 4. c. 14.

liv. de noms divins c. 3.

Damaſcen. de dormit. Dei par.

le Dieu de la vie. Le changement d'une seule lettre dans les deux mots Grecs, a pu faire ceste equivoque fort aysement. Sancta Thecla, prima martyr, S. Pauli discipula, Iconii urbe Lycaoniæ ab eo ad Christum conversa, quem constanti & immotâ fide profitebatur, in martyrio superavit ignem, serpentes, Leones, Ursos, Tauros, Seleuciæ urbe Isauriæ, ubi ejus sepulcrum multis miraculis dicitur fuisse celebre. Hujus Theclæ mentio fit apud Tertullianum *lib. de baptismo*, Zenonem Episcopum Veronensem, *sermone de timore*, Epiphanium *hæres.* 78. Nazianzenum *in oratione de S. Cypriano martyre*, Ambros. *lib. 2. de Virginibus*, Augustinum *lib. 30. contra Faustum cap. 1. & in lib. de sancta Virginitate cap.* 44. Sed cum Joan. Damascenus, juxta opinionem Vossii, *plus satis credulus, oratione de iis qui in fide migraverunt*, narret animam Falconillæ precibus Beatæ Theclæ ab inferorum suppliciis liberatam, etsi in gentili errore & idololatria obiisset, *dixerit aliquis*, inquit idem Vossius, *illud de Falconilla anima didicisse è Basilio Seleuciensi Episcopo, qui annis penè trecentis antecessit; quippe qui interfuerit Synodo quarta œcumenica, eique subscripserit. Equidem non ignoro idem legi in vita Theclæ sub Basilii Seleuciensis nomine edita à doctissimo viro Petro Pantino, qui & narrationem de liberata Fasconilla anima defendit in notis suis. Sed persuadere mihi non possum, vitæ ejus auctorem adeò esse antiquum. Sanè si tanto ante Damascenum tempore aliquis magnæ auctoritatis monumentis suis tale quid consignasset, puto non altum adeò silentium esset hac de re apud scriptores omnes qui inter Basilium & Damascenum vixissent. Verum dicat aliquis Photium disertim testari in bibliotheca sua cod.* CLXVIII. *à Basilio Seleuciæ Episcopo, primæ martyris præclare gesta, certamina atque victorias esse perscriptas. Dicit hoc quidem Photius, sed ait ea scripsisse* μέτροις*, sive carmine. Illa verò, quæ primus edidit Pantinus, solutâ oratione scripta sunt: ut planè alia sint. Et credo, aliquis cum legisset Basilium Seleuciensem de Thecla scripsisse, fucum facere voluit lectori, præfigendo tanti viri nomen: quasi idem & prosâ & carmine eandem rem tractasset: quomodo nempe Tertullianus contra Marcionem fecit, ut alios mittam. Cujusmodi speciosè dicerentur, nisi quæ libris istis traduntur, parum ejusavi & eruditionis viro digna viderentur. neque stylus convenit, qui sanè alius*

alius est in orationibus hujus Basilii: quod neque Pantinus negare audet; nam tantùm ait ſtylum à Photio deſcriptum, quique in homiliis ſub ejuſdem nomine editis comparet, non valde repugnare: *quomodo qui loquitur, minimè inficias it ſtylum aliquantum adverſari. Hæc eò fuſius ſum perſecutus, quia & illi duo libri de Thecla pertinent ad præſens argumentum, cum hiſtoriam promittant primæ illius martyris etiam celebratæ Tertulliano, Cypriano, Nazianzeno, Nyſſeno, Ambroſio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Severo Sulpitio & tot veterum aliis.* Voſſius de hiſtoric. Græc. lib. 2. cap. 24.

Tres dicuntur fuiſſe ſanctæ Catharinæ: poſtrema fuit Suevica, filia Sanctæ Brigittæ: altera eſt Senenſis, quæ mortua eſt an. C. 1380. & inter ſanctas relata à Pio ſecundo ſive Ænea Sylvio an. C. 1461. Tertia Catharina eſt nobilis Alexandrina & vetuſtiſſima, quæ vixiſſe narratur tempore Diocletiani Imperatoris, & in Ægypto martyrio affecta, an. C. 307. & tantæ fuiſſe eruditionis, ut cum eſſet octodecim annorum, omnes doctos ſuperaret. Cum autem eſſet Chriſtiana, & ejus amore captus Maximinus Imperator, quinquaginta illi oppoſuit Philoſophos, qui cum ea de negotio religionis diſputarent, ſed illi quinquaginta Philoſophi per Catharinam victi, converſi ſunt ad fidem Chriſtianam. Catharina in carcere detenta undecim diebus ſine cibo vixit, ſingulis diebus per Angelum nutrita: quam cum Fauſtina Maximini ſeu Maxentii uxor conſpicere deſideraret, & ipſa, & cum illa Præfectus militum Porphyrius & ducenti cum eo milites Chriſto nomem dederunt, & martyres mortui. Poſtea à Maximino, aliis à Maxentio ſupplicio affecta, rotæ eſt impoſita, ſed ecce Angelus deſcendit de cœlo, & rotam confregit, quare decollata eſt, & loco ſanguinis profluxit lac: & corpus ejus ab Angelis delatum eſt in montem Sinai, ibidem per trecentos annos cuſtodiendum. Hic mirari quis jure poſſet, tam illuſtrem hiſtoriam à ſcriptore diligentiſſimo, Euſebio Cæſarienſi in Palæſtina, quæ Ægypto eſt vicina, Epiſcopo, non fuiſſe deſcriptam, qui tamen vixit tempore, Diocletiani, Maximini, & Maxentii, & lib. 8. cap. 9. 10. & 13. Martyres Ægyptios diſertim deſcribit, & cap. 9. dicit ſe in Ægypto conſtitutum, vidiſſe ibidem complures martyres diverſa ſupplicia perpeſſos, ita etiam, ut lictor gladium hebetaret,

 labo-

laborandoque deficeret &c. Baronius illam martyrem fuisse Catharinam opinatur, quę describitur ab Eusebio l. 8. c. 17. esse Alexandrina, genere, opibus & eruditione insignis, & exilio damnata: sed nulla ibi mentio Catharinæ, nec similis historiæ; nec apud Athanasium, nec Basilium, nec Nazianzenum. At mentio fit Catharinæ, inquiunt, in Breviario Eusebii, ubi narratur Maximinus flagrans cujusdem nobilis Virginis amore; cum eâ potiri non posset, eam in exilium misisse, sed illa ab aliis dicta est Dorothea, & Catharina est decollata: & dicitur filia regis Costi, cum eo tempore reges non haberet Ægyptus, sed esset sub potestate Romanorum. Et, quæso, unde liquet Catharinam intercedente Sanctâ Virgine matre, nupsisse per annulum Christo? unde sciunt eam tandem sepultam ab angelis in monte Sinai? nil tale apud Eusebium narratur. Depingitur autem hæc Catharina Cęsarem pedibus conculcans; quare multi existimant eam non esse veram, sed symbolicam. Nempe in Ægypto Virginem fuisse depictam, quę conculcaret Cęsarem; ubi per virginem intelligebant Ecclesiam Alexandrinam, per Cęsarem tyrannum. Ut etiam diximus de S. Georgio partis primę pag. 460. *Scio*, inquit de hac historia Godavius *multa in Actis hujus martyris inveniri falsa, quæ totam hanc historiam apud plurimos reddiderunt dubiam, quare nolui plura referre, quam quæ ex auctoritate Ecclesiæ leguntur in Officio hujus S. Catharinæ in ejusdem die festo.*

Unum addam ex eodem Godavio: *Denys Areopagite qui estoit Evesque de Athenes, ayant appris l'heureux retour de S. Iean à Ephese, l'alla visiter, & apres avoir iouy quelque temps de sa saincte conversation, il vint a Rome, d'ou le Pape Clement, selon la creance des derniers siecles, l'envoya dans les Gaules, avec Regulus, Rustique & Eleuthere, & plusieurs autres. Regulus fut par luy ordonné Evesque d'Arles a la place de Trophime & de ce Siege transferé a Senlis. Apres il vint a Paris, ou il annonça l'Evangile avec un grand succez. La persecution estant esmeue contres les Chrestiens, il y fut envelopé des primiers, & eux pour compagnons de sa couronne, Rustique & Eleuthere, comme il les avoit eus pour compagnons de ses travaux. Cette, opinion n'est pas receüe egalement des tous. Car plusieurs hommes sçavans en l'histoire Ecclesiastique estiment*

que

que l'on confond Denis l'Areopagite, avec Denis le Parisien. Les vieux Martyrologes de Paris faisoient memoire de l'un le troisiesme jour de l'Octobre, & de l'autre le neufiesme, auquel maintenant la feste de l'Areopagite est celebrée. Gregoire de Tours, dont l'authorité doit estre tresconsiderée, pour les Epoques de la fondation de nos Eglises, met la mission de Denis le Parisien dans la priemiere année de l'Empire de Decius, Gratus estant Consul avec luy. D'autres mettent sa venuë dans les Gaules sous les Empereurs Diocletien & Maximien, & cette opinion a eu cours jusques a CharleMagne. En fin, Hilduin Abbé de celebre monastere, qui porte le nom de ce Saint, est celui, a ce que pretendent les sçavans Critiques, qui le premier, plusieurs siecles apres, a confondu ces deux Denis. Comme ce nom sembloit d'honorer d'avantage l'Eglise de Paris, il ne faut pas s'estonner, si la noveauté a esté receuë, par des personnes interessées a son introduction, & a sa defense. Depuis peu cette question a esté doctement agitée de part & d'autre par des escrivains Catholiques de grande erudition, & les lecteurs, que ie ne veux point preoccuper, peuvent consulter les livres, qui ont esté faits. Comme ie ne dois point favoriser les veilles erreurs, que ni le temps, ni le prætexte de la pieté, ne peuvent jamais rendre veritables: aussi ne dois ie pas prononcer affirmativement, sur des opinions contestées. Vide præterea ambiguam de hoc Dionysio historiam; utrum ejus corpus Parisiis situm sit; utrum Ratisponæ; secundum sententiam Leonis IX. secundæ partis pag. 179. Item incertitudinem scriptorum Dionysii Areopagitæ de Hierarchia Ecclesiastica &c. primæ partis pag. 109.

Quare etiam, meo quidem judicio, debuissent viri illi eruditi, quorum nomina Legenda præ se ferunt, aut illas fabulas tollere, aut saltem incertitudinem historiæ indicare: quod non infeliciter conatur Antonius Godavius, Episcopus Grassensis, vir eximius. Videamus, ergo, si placet, ejusdem etiam accuratum de scriptoribus & scriptis Ecclesiasticis judicium, ex præfatione ejusdem in Ecclesiasticam suam historiam.

Tous les Chrestiens *sont obligez a deux choses par l'Evangile, a croire & a faire. La doctrine est l'objet de leur Foy, & les actes de la Reli-*

gion, celuy de leur pratique. La premiere pour marque essentielle de sa verité a l'Antiquité, comme l'erreur a la Nouueauté pour son caractere. Saint Paul exhorte tous les Fideles a ne prester pas l'oreille a vn Ange du Ciel mesme, s'il leur apporte quelque nouuelle doctrine; & Saint Iude, a combattre pour la foy, qu'ils ont vne fois receuë. Tertulien dit, que c'est la seule chose immobile & incapable de reformation; que rien ne peut prescrire contre la Verité, ni l'espace des temps, ni la defense des personnes, ni les priuileges des Regions: que l'Antiquité est la marque de la Verité; & la Nouueauté celle du mensonge; & que rien ne vient de l'institution du Seigneur, & n'est veritable, qui n'ait esté enseigné au commencement; comme ce qui a esté introduit depuis, est faux & estranger. Tous les Saints Peres disent la mesme chose, & posent la mesme regle. Ceux qui se sont separez d'Eglise, ont si bien reconnu la force immuable de ce principe, qu'ils ont tous tâché en publiant des erreurs nouuelles, de faire croire qu'elles estoient des veritez anciennes; sçachant bien que la conuiction de la nouueauté, estoit la condemnation de leurs impostures & de leurs blasphemes. Les Reformateurs qui ont fait ce Schisme deplorable, lequel depuis cent ans separe les membres de IESVS-CHRIST, d'vne façon si funeste, n'ont point eu de voile plus specieux pour couurir leurs nouuelles opinions, que celuy de la conformité pretenduë de leur creance, & de leur discipline, auec la plus pure Antiquité de l'Eglise Chrestienne. C'est ce que les Centuriateurs de Magdabourg ont tâché d'establir par cet ouurage d'vn tres-grand labeur, qu'ils publierent au commencement de la diuision, & qui meriteroit beaucoup de loüange, si la preoccupation de la cause ne s'y opposoit point a la bonne foy. Il est donc necessaire que les Catholiques soient instruits de la Verité en ce point, afin qu'ils sçachent ce qui est ancien, & ce qui est nouueau, pour retenir l'vn comme orthodoxe, & rejetter l'autre comme erronée. Cela se peut aprendre en deux manieres, ou par les Liures qui en traittent dogmatiquement, soit sans contestation, soit en forme de controuerse; ou par l'Histoire, qui raconte la continuation de la creance de l'Eglise, la maniere d'expliquer les dogmes dans chaque Siecle, & la façon du culte diuin. La premiere voye n'est bonne que pour peu de personnes, qui ont l'esprit, le temps; & les autres secours necessaires pour estudier les choses a fond, & scientifiquement. Mais il n'est pas iuste que les autres Fideles demeurent,

Aux Gal. ch. 2.

Liure du voile des Vierges, & au Liu. des prescriptions

priuez d'vne instruction si necessaire ; & ils ne la peuuent trouuer que par la seconde voye, que nous venons de marquer. Elle est plus courte, plus seure, & plus facile, ne demandant ni vn esprit fort releué, ni vne conception viue, ni vn raisonnement puissant, comme sont des Traitez dogmatiques. Leurs Autheurs ont aussi besoin de la science des faits, & sans elle ils ne peuuent euiter de tomber en des erreurs de consequence. Nous en voyons la preuue en beaucoup d'Escriuains modernes, & principalement dans plusieurs Scholastiques, lesquels pour n'auoir pas sceu l'Histoire de la Doctrine, ont fait des fautes, qui donnent lieu aux Aduersaires de les accuser, ou d'ignorance, ou de mauuaise foy. Car estant remplis des choses presentes, & ne distinguant pas le fond des dogmes, qui a tousiours esté semblable, & les changemens arriuez, ou en leur explication, ou en leur determination ; ils ont voulu accommoder aux regles de l'Escole moderne, ce qui en est tres esloigné, quand on le considere dans l'ordre des temps. Et : *l'Histoire Ecclesiastique est absolument necessaire aux Escriuains qui traitent de la doctrine, pour ne point faire de faux pas, & pour empescher que la bonne cause ne se perde entre les mains des Aduocats par leur faute.* Et : *I'ay eu de la douleur de voir, que des Personnages tres-habiles ayant pris soin d'escrire l'Histoire de France, & des plus grandes Maisons du Royaume, aucun ne s'est auisé de trauailler a celle du Royaume vniuersel des Chrestiens, qui comprend des euenemens si admirables, des veritez si importantes, & des exemples si necessaires. Il est vray que le Peuple, en sa place, à la Vie des Saints, où quelque hommes doctes ont trauaillé ; mais ie prends la liberté de dire, que la pluspart ne sont pas encore assez bien purgées des fautes, qui s'estoient coulées dans nos vieilles Legendes ; durant la barbarie des Siecles passez, & que d'ordinaire le style n'a guere d'attraits pour engager les personnes delicates a les lire. C'est dequoy i'entens tous les iours que beaucoup se plaignent, & c'est sans doute ce qui leur fait lire plus volontiers les Romans, où les mensonges sont dits d'vne façon agreable. Mais dans l'Histoire Ecclesiastique, sur tous des trois premiers Siecles, qui ont esté les plus purs ; nous n'auons point de guides qui soient asseurez, ou qui nous disent tout ce que nous aurions besoin de sçauoir. Les Euangelistes, pour commencer par les Autheurs Sacrez, ne nous racontent que peu de choses des actions du Fils de Dieu, encore est-ce sans ordre exact des temps, ny des lieux. Ils ne font aucune mention de la Vie de*

la Vierge, ny durant que son Fils estoit au Monde, ny apres sa mort. Saint Luc ne parle que de Saint Pierre, & de Saint Paul. Du premier, c'est briefuement, & sans nous marquer d'autres actions que celles, qu'il fit dans la Palestine, en quelques Villes. Car pour son Siege d'Antioche, pour son arriuée a Rome, & pour le temps & le lieu de sa mort, il n'en dit pas vn seul mot. C'est toutefois ce qui nous importoit extremement de sçauoir, & s'il l'auoit escrit, nous aurions terminé vne grande controuerse auec nos Adversaires. Pour Saint Paul, combien d'actions en obmet-il dans son recit? Il le finit à son arriuée a Rome, & la commune opinion est qu'il a vescu huit ans apres ce voyage, durant lesquels il a pû faire plus d'vne fois le tour de la Terre. Apres cét Historien, nous n'en auons point de Classiques avant Eusebe, Socrate, Theodoret, Sozomene, Euagrius, qui ont vescu dans le quatriesme & cinquiesme Siecle. Car ie ne compte pas plusieurs narrations apocriphes, qui ont paru auparauant dans le Monde, & qui estoient des fruits de l'impieté ou de l'ignorance des premiers Heretiques. Les Chrestiens auoient eu vn grand soin de recueillir les Actes des Martyrs. Les Papes auoient estably des Notaires pour les ramasser, & s'ils estoient venus iusqu'à nos temps, nous aurions vn thresor incomparable. Mais la persecution qui fut excitée contre les Liures Ecclesiastiques, priva les Fideles de ce bien, & les Actes qui nous restent, sont presque ou tous faux, ou meslez de fables pueriles, & d'anacronismes insuportables; ceux qui les ont substituez à la place des legitimes, n'ayant pas eu assez de connoissance de l'Antiquité, qu'ils vouloient contrefaire. Eusebe sauua quelque chose de ce naufrage, & nous sommes tres-obligez a son soin. Il faut toutefois confesser, qu'il ne nous a donné que quelques goute d'eau, a la place d'vn Ocean; que souuent il nous trompe, apres s'estre trompé le premier; & que quelquefois aussi il est trompeur, soit dans sa Chronique, soit dans son Histoire, soit dans les Liures de la Vie de Constantin. On ne peut en quelques endroits l'excuser de partialité pour les Ariens, de flaterie pour Constantin, & de vanité pour soy-mesme. Outre cela, il a peu de suite, & il distingue assez mal les temps où les choses sont arriuées. I'adjouste qu'il il y a vn tres grand nombre de fautes dans nos exemplaires, qui ostent beaucoup de beautez a cét Autheur. Mais apres tout, son Histoire est digne d'vne tres-grande loüange, & sans luy, nous serions dans vne deplorable ignorance des affaires de l'Eglise. Il nous a conserué cette belle Epistre de

nos

nos Martyrs de Lyon, & de Vienne, qui est si glorieuse pour l'Eglise des Gaules. Les autres Historiens dont i'ay parlé, Socrate (qu'on accuse d'estre Nouatien) Theodoret, Sozomene, & Euagrius, ont escrit beaucoup de choses sur la foy les vns des autres, & souuent le premier fait faillir les derniers. Ils ont leurs passions, ils broüillent les temps, & coupent leur narration par des Chapitres, qui sont comme des membres disloquez, lesquels ne forment point de Corps parfait, & agreable. Nicephore apres eux en a voulu composer vn qui eut plus de proportion; mais il a tant meslé de choses fausses & douteuses parmy les veritables; qu'il est presque suspect par tout, & qu'on ne peut le suiure qu'en tremblant. Metaphraste a ramassé les Vies des Saints, mais ç'a-esté sans discernement des Actes qu'il allegue; & il est le Peré de tout ce que nos Legendes ont d'incertain & de suposé. Surius qui l'a suiui n'a pas eu aussi toute la lumiere necessaire pour faire la distinction qu'il faloit, afin de nous donner les choses en leur pureté. Plusieurs Autheurs Modernes ont escrit l'Histoire des Eglises particulieres, & de ceux qui les ont fondées. Les vns ont inuenté les Fables, dont ils l'ont remplie. Les autres les ont mises de bonne foy, apres de mauuais garants, & ont crû qu'il y auoit de la pieté à entretenir la fausse creance des Peuples, soit pour certains lieux de Deuotion, soit par quelques Saints, ausquels la superstition & l'ignorance ont donné telle antiquité, & attribué tels Ouurages, & tels Miracles qu'il leur a pleu. Le Cardinal Baronius a escrit l'Histoire complete de douze Siecles, qui est vn Ouurage d'vn labeur immense, d'vne recherche tres-curieuse, & d'vne profonde erudition. Toutefois les Critiques non seulement entre nos Aduersaires, qui sont iustement suspects, mais quelques-vns entre les Orthodoxes mesme, l'accusent de ne reconnoistre pas la fausseté des pieces dont il se sert; de se tromper souuent dans les choses de l'Antiquité Romaine, & dans la Chronologie; d'auoir confondu l'Epoque Dionysienne auec la vraye année de la Naissance de IESVS CHRIST, ce qui l'a fait errer jusqu'à Diocletien; de faire des disgressions trop longues, & sur tout de tesmoigner trop d'attachement aux interests des Souuerains Pontifes; de porter leur authorité au delà des bornes legitimes; de l'apuyer sur toutes sortes de preuues, sans faire distinction des choses contestées d'auec les plus constantes, & de raualer trop les Puissances temporelles establies de Dieu. Ie fais vn raport de ce que disent les autres, quand ie parle de la sorte, &

non pas vn iugement de ce laborieux Ouurage, qui m'a si vtilement serui. Bzouius & Monsieur de Sponde, Euesque de Pamiers l'ont continué. Le premier a plutost fait les Annales de son Ordre, que celles de l'Eglise. Le second n'a pas si bien reüssi en sa suite, qu'en son Abregé, lequel est tres-excellent, aussi bien que celuy qu'il a fait de l'Histoire de Tornyel, depuis le commencement du Monde iusqu'a Nostre Seigneur. Vn Prestre de l'Oratoire de Rome nous a desia donné deux Tomes de sa continuation, où il a fort bien reüssi. Voila les sources principales où il faut puiser, si on veut faire vne Histoire qui soit exacte. Outre ces Autheurs, les Historiens profanes qui ont escrit la Vie des Empereurs, sont encore necessaires : & chacun sçait combien ils sont secs, confus, & souuent contraires les vns aux autres. I'entens les Autheurs de l'Histoire appellée Auguste. Il est encore besoin de consulter les Anciens Peres, qui par occasion ont touché les choses arriuées en leur temps, ou dans lesquelles ils ont esté meslez, pour les affaires de l'Eglise; sur tout dans le quatriesme Siecle, & dans les grandes Heresies d'Arius, de Pelage, de Nestorius, & d'Eutiches. Et: L'ignorance, la fausse pieté & les interests particuliers se sont glissez dans nostre Siecle, en beaucoup de choses qu'on croit apartenir a la Religion. Dans la pluspart des Chrestiens, la Deuotion est ce culte que Sainte Epiphane apelle d'un mot tres-heureusement composé de trois autres, culte superflu, & volontaire. (ἐθελοπερισσοτρησκεία) Il faut auoir vne merueilleuse retenuë en choquant ce qui a esté mal estabi, ce qui ne se doit destruire que peu a peu, & par vne instruction adroite, plutost que par vn renuersement public, qui cause du bruit & du scandale. Ceux qui ont de la lumiere, ou de la docilité, sont aisez à contenter, & ils ayment a lire les choses dans l'exacte sincerité, parce qu'ils ne veulent ny tromper, ny estre trompez. Mais ils sont en fort petit nombre. Le plus grand est celuy des ignorans, & des foibles, qui ayment mieux les vieilles Fables ausquelles ils sont accoustumez, que les Veritez les plus claires qui leur paroissent nouuelles. Ils ne font point de distinction des faits qui sont suiets a contestation, & des points de creance, qui sont inalterables, & hors de dispute. Il leur semble que qui choque ceux-là, est mal persuadé de ceux-cy, & qu'vn Autheur cesse d'estre bon Catholique, quand il doute des certaines Traditions populaires, qui n'ont aucun fondement. De là mesme bien souuent, ils prennent suiet de douter des Veritez de la Foy, parce qu'ils entendent reuoquer en doute

ou,

ou l'arrivée quelques Saints en leur Pays; ou la fondation de l'Eglise de leur Diocese, par ceux qu'ils en ont tousiours crû les premiers Euesques, ou quelques Reliques de leurs Patrons. Quoy que ce raisonnement soit faux & ridicule, toutefois la Charité oblige d'auoir esgard a leur foiblesse. Ce sont ces infirmes, auec lesquels il faut estre infirme, ou pour le moins auec lesquels il ne faut pas faire monstre de toute sa force. Au contraire il y a des Lecteurs trop esclairez, qu'il est impossible de satisfaire. Car comme ils penetrent souuent iusqu'au fond des choses auec plus de curiosité, de ialousie, & de vanité d'esprit, que d'amour de la Verité, & de desir de profiter aux autres; ils sont si exacts, ou plutost si scrupuleux, qu'ils veulent qu'en matiere de faits on demonstre tout, comme s'il s'agissoit d'vn problesme de Geometrie. La preoccupation contre les choses qu'ils estiment fausses, les rend incapables de tout ce qui peut seruir a leur iustification. Comme quelquefois les Autheurs qui les defendent, employent de mauuaises preuues, ils ne peuuent croire qu'il y en ayt de bonnes; ny que celuy qui leur a paru vne fois ou mal informé, ou suspect de mauuaise foy, puisse iamais estre exact & fidele. Les petites chicanes de la Chronologie sur vn Consulat, sur l'année d'vn Empereur, sur vn iour pour vn autre, sur le nom d'vn homme, ou d'vne femme, sont pour eux de grands Mysteres. &c.

---

* Cum pag. 356. partis secundæ novam acceperit regiminis formam Ecclesia, operæ pretium judicavi paucis inter addenda referre, quibus præcipuè temporibus regiminis mutationes in Ecclesia contigerint. Ante tempora Mosis, plerique reges etiam fuerunt sacerdotes, sub Mose facta est à Deo divisio, & Mosi imperium, Aaroni Ministerium, seu functio sacra est commissa. Quid à Regibus Davide & Salomone in sacris actum sit, videre licet in libris Regum, sed hi dicuntur fuisse prophetæ Dei. At Ezechias etiam amovit excelsa, fregit statuas, excidit Lucum, ipsum etiam æneum serpentem à Mose factum, quod ei adoleretur, comminuit: Et Josias comburi jussit idolum consecratum, abolevit idolorum sacerdotes, lucum incendit, excelsa & altaria idololatrica destruxit. Sed, *non est tui officii, Ozia*, dicebat sacerdos Azarias, *ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum filiorum Aaronis, qui consecrati sunt ad bujusmodi* *2 Chron. 26. 18.*

ministerium. Regum ergò est sacra regere, sacerdotum sacris fungi. Quid in secundo templo egerint in sacris Zorobabel, Esdras, Nehemias, duces seu principes Populi Hebræi, videre est apud Esdram & Nehemiam. Zorobabeli debetur altaris & templi structura: Esdræ legum instauratio, & disciplinæ reformatio: Nehemiæ & murorum ejusdem ædificatio: sed nihil magni ab iisdem actum apparet ibidem, sine consilio seniorum seu senatorum, quemadmodum plerumque omnes boni reges & magistratus facere solent. Sic Nehemias dum ducis officio fungitur, populum & populi principes convocat, muros Hierosolymitanos ædificat, custodes eorum constituit & dedicationem celebrat, uxores alienigenas pellit, Tobiæ supellectilem è Gazophylacio tollit &c. Hoc regimen, cum principe Aristocraticum, paulatim collapsum est ad Democraticum, & inde ut fieri solet, ad tyrannidem, per summos sacerdotes, duces, Reges de tribu Levi. Sic temporibus Machabaicis in plerisque eorum actis, non tantum Ethnarchæ, & seniorum sed & populi nomen reperitur, tam in sacris, ut cum encænia instituunt, quam profanis, puta fœderibus &c. *Constituit,* habet historia, *Iudas & fratres ejus & omnis Ecclesia Israel.*

In Ecclesia Christiana statim post ascensionem Servatoris in cœlum, regimen fuit penes Apostolos: qui cum Act. 1. sorte elegissent in numerum Apostolorum Matthiam discipulum loco Judæ, cap. 6. ex Apostolorum consilio eliguntur septem Diaconi per multitudinem sive plebem: cap. 14. 23. *cum suffragiis,* inquit B. Lucas, *creassent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precatique esset cum jejuniis, commendarunt eos Domino.* Χειροτονήσαντες, habet textus. Quid autem sit χειροτονία, vide hujus historiæ parte primâ pag. 375. & alibi: cap. verò 15. scribunt ad Ecclesias Syriæ & Ciliciæ Apostoli, presbyteri & fratres. Constabat Ecclesia ex Apostolis, Presbyteris, Diaconis & fratribus seu plebe aut multitudine Laicorum. Presbyteri tempore Apostolorum etiam dicebantur Episcopi, id est inspectores & pastores, ad pascendam Dei Ecclesiam pabulo verbi divini; quos S. Petrus vocat συμπρεσβυτέρους, id est, conseniores. Postea autem ex presbyterio primus seu præcipuus aliquis electus, dicebatur Episcopus, προεστώς, qui à presbyteris solâ ordinatione

natione differebat. Diaconi ex discipulis electi ministrabant mensæ sacræ, tempore communionis, ut docet Justinus Martyr Apologiâ pro Christianis ad Imperatorem Antoninum Pium, & mensæ communi, sive pauperibus in victu & amictu. His accrescente Christianorum numero additi Subdiaconi, Acolyti &c. & loco plebis, ejusdem seniores seu natu majores, iique laici, sed non annui nec biennales. Hæc regiminis in Ecclesia forma observata est tribus ferè seculis sub Imperatoribus paganis, Christianorum hostibus, & crudelibus persecutoribus. Tertio verò seculo, seu potius quarto, imperante Constantino, primo Imperatore Christiano, plebis seu seniorum auctoritas paulatim decrevit, quorum loco successerunt ipsi Imperatores aut eorum delegati, qui in eligendis aut confirmandis Episcopis, convocandis & dirigendis conciliis, dirimendis & conciliandis Episcoporum inter se contentionibus fuêre primi: quod abundè docet ipsa nostra historia, & unusquisque videre potest, si Codices Theodosii, & Justiniani, si Novellas, si Capitulare Caroli Magni, non dicam diligenter legerit, sed tantum inspexerit. Constantinus Imperator adhuc Catechumenus probantibus & laudantibus Episcopis, de sacris leges tulit, Synodos convocavit, in synodo & post Synodum judicavit, inter Catholicos & Donatistas judex sedit nondum baptizatus. Vide *Eusebium lib. de vita Constantini, & nostram historiam parte prima pag. 396. & seq.* Theodosius nescio Damaso convocat Concilium Constantinopolitanum primum pro divinitate Spiritus sancti, ubi condemnatur Macedonius, & omnia ad nutum Imperatoris diriguntur: Gregorius Nazianzenus & Nectarius eliguntur Episcopi; Canones Concilii ex petitione Patrum ab Imperatore confirmantur, & Episcopo Constantinopolitano secundus ab Episcopo Romano dignitatis locus tribuitur, &c. Notetur autem annos tum fermè sexaginta abiisse, postquam habita erat illa Augustissima Synodus Nicæna, de persona filii: ortâ verò jam novâ quæstione connexâ quidem Nicænæ definitioni, sed tamen aliis verbis conceptâ, & in qua errare possent etiam qui Nicænam formulam sequi se faterentur, nempe an ὁ λόγος haberet ἀρχὴν ὑπάρξεως: convocat sectarum di-

versarum præcipuos Constantinopolim Theodosius, & mandat ut unusquisque fidei suæ conficeret confessionem: offerunt eas Imperatori non Arriani tantum & Macedoniani, sed & Eunomiani, tantum ab Arrianis differentes, ut Arrianos non minus quam Catholicos rebaptizarent. Legit confessiones singulas, de singulis judicat. Nec tantum Catholicos ab errantibus separat, sed ipsos quoque errantes inter se discernit, Novatianos cæteris tolerabiliores judicans. Et majus est exemplum in caussa Donatistarum: Constantinus ipse an. C. 314 Proconsuli Africę, Donatistarum caussam cognoscendam mandavit, neque eo nomine ab antiquis patribus reprehenditur. Est & aliud simile exemplum de Donatistis cum Catholicis conciliandis, ubi Marcellinus Tribunus & Notarius vice Imperatoris an. C. 411. judicavit. Ita enim habet mandatum Honorii & Theodosii: *Cui quidem disceptationi principe loco te judicem volumus residere.* Ipse Marcellinus modestè & prudenter admodum: *Licet supra meritum meum hoc cognoscam judicium, ut inter eos videar judicare; à quibus me potius decuerat judicari: tamen quia certum est hanc caussam spectante Deo & Angelis testibus agitandam, quæ sub fidei cœlestis examine, vel probata præmium adferat, vel læsa judicium: ut tandem præsentium disceptationibus Episcoporum manifesta veritas elucescat, Imperialis primitus sanctio recitetur.* Versatum videmus in hoc judicio fidei examen, ita enim postea in Edicto sequitur, *negotium istud de veritatis ac religionis agnitione suscipi.* Et cum Catholici alia quędam Donatistis objicerent, interfatur Marcellinus, *Libellus datus à vobis evidenter ostendit schismatis ac hæreseos crimen objectum, quod probare vos convenit.* Istæ autem quæstiones in judicio probatæ sunt: *Quæ sit Ecclesia Catholica, quæ vera ejus nota, quæ justa secedendi caussa, & an rebaptizandi sint hæretici.* Cum verò magna cum cura disputatæ excussæque fuissent, tandemque, ut in sententia est Marcellini, *declarata veritati detecta falsitas,* jussa est colla submittere. Erat autem hæc cognitio non à Donatistis, sed à Catholicis postulata. Vide *Breviculum collationis Augustini: & ipsam collationem Carthaginensem apud Binium, nostram verò historiam parte primâ pag.* 537. Quot & quas condiderit de rebus sacris leges Justinianus, quodnam edictum, quo complexus est fidei confessionem,
&

& hęresium pręcipuarum refutationem, *à nullo patrum Episcoporumve editam aut pleniorem aut luculentiorem*, ut ait Contius, & plura alia, videre unusquisque potest in *ejusdem novellis & ad eas apud Conradum Ritterbusium IC. & in nostra historia pag. 673. partis primæ.* Quid à Carolo Magno, Ludovico Pio, quid ab Ottonibus & Henricis Imperatoribus circa sacra actum sit, *vide parte secundâ nostræ historiæ.* In Ecclesia Romana & Occidentali hæc ita continuata ferè sunt ad undecimum propè seculum, aut tempora potius Gregorii septimi, cum contra antiquam consuetudinem, citra plebis & Cleri in electione consensum & Imperatorum confirmationem, à solis Cardinalibus, ut vidimus, Pontifices Romani cœperunt creari. Ita ut jam summum in Ecclesia sit Imperium penes Papam & Senatum Cardinalium, subalternum in provinciis seu diœcesibus penes Episcopos & presbyteros: quamvis hodiè quidam Ordines, suffulti auctoritate Pontificis Romani, Episcoporum jussa in quibusdam non morentur.

Quæ regiminis mutatio in Ecclesia magnas & multas dedit turbas, imò crudelia atque impia inter Catholicos excitavit bella. *Neque unquam credo*, inquit Cassander, *controversia apud nos ea de re exstitisset, nisi Pontifices Romani hac auctoritate ad dominationis quandam speciem* (suaviter hoc dicit vir mitis) *abusi fuissent, eamque extra fines à Christo & Ecclesia præscriptos, ambitionis & cupiditatis causâ extulissent. Verum hic abusus Pontificiæ potestatis, quam adulatores initio ultra modum auxerunt, de ipsa Pontificis potestate, quam universali totius Ecclesiæ consensu obtinuerat, malè sentiendi; imò ab ea prorsus deficiendi, occasionem dedit: quam putarem recuperari posse, si eam ad limites à Christo & veteri Ecclesia præscriptos revocaret, atque juxta Christi Euangelium & majorum traditionem, ad Ecclesiæ tantum ædificationem uteretur.* Cassander *consultationis articulo de summo Pontifice.*

Aliæ à Papa superiori seculo separatæ in Europa Ecclesiæ non uno reguntur modo. Regna Angliæ, Daniæ, Sueciæ, suos hactenus habuerunt Episcopos, seu superintendentes, & Rex, qui est regni, & consequenter Ecclesiæ, quæ est in regno, caput, cum Episcopis suis Ecclesias gubernat. Politię Anglicanę hæc ad Regem Jacobum sunt verba: *Ecclesiastica jurisdictio planè regia est: Corona & dignitatis vestræ regiæ*

regiæ prima, præcipua, & indivisibilis pars: Ecclesiastica leges regia leges sunt, neque alibi oriuntur, neque aliunde sustentantur aut fulciuntur: penes Ecclesiasticos judices per Archiepiscopos & Episcopos, derivata à regia potestate jurisdictio Ecclesiastica consistit. Tibi Deus commisit imperium: quæ sunt Ecclesiæ concredidisti aliis: hi intra Ecclesiam Episcopi, tu (uti de se ipso Constantinus Britannicus & Britanniæ decus) extra Ecclesiam à Deo constitutus Episcopus, sacrorum præsulibus favere, præsidio & ope munire praeesse & prodesse Ecclesiæ, omniaque præstare teneris, per quæ sanctissima Christi Ecclesia pacis otiique tranquillitate perfruatur. Sic loquitur Episcopus Vintoniensis: *Synodi non diversam à Principe, vel illo majorem jurisdictionem habent; sed in omnibus ei subjecta sunt, & jure divino atque humano sic ordinatæ, ut ad veritatis atque pietatis amplificationem principi præbeant consilium, ubi & quando eos congregari jusserit, alioqui nullam ex se in regno, ubi Christianus rerum potitur, decreti potestatem habet; nec jus audiendi componendique controversias in Ecclesia, nolente aut non permittente Principe, sibi vindicare possunt.* Hoc docet Episcopus Eliensis argumentis ab Hebræorum regum regimine ex Veteri Testamento petitis, his verbis: *Enimverò & de aliis sæpe & præcipuè de ea (quod populus adoleret in celsis) corruptela per reges non sublata, toties, tam clarâ voce, de regibus queruntur sacræ literæ, ut locus nullus negationi relictus sit. Non negat ergò regi Tortus id ex officio incumbere, ut etiam qui in doctrina sunt, abusus & corruptelas tollat, sed post Ecclesiæ declarationem. Nos verò citra declarationem omnem, ubi repurgatæ sunt corruptelæ per reges docemus. Tortus verò aliquot loca apponere debuit ubi illa Ecclesiæ declaratio præcesserit, quæ nisi præcessit, regum nullum tum erat (ut videtur) officium, sed regi in promptu erat excusatio: non sustuli; nam Ecclesia non declaravit. Ecclesia proinde culpanda, non Rex, qui nihil movere debet, nec excelsa diruere, nisi postquam ita faciendum declaravit Ecclesia; atqui id Regi semper, Ecclesiæ nunquam vitio datum legimus, quod excelsa steterint: Regi ergò, sive declaret hoc, sive non declaret, etiam ante Ecclesiæ declarationem, id ex officio munus incumbit, isque eo neglecto, Deo rationem redditurus est. Tota igitur mentio declarationis Ecclesiæ, præterquam quod fictitia est, hic etiam est intempestiva.* Imò, quod plus est, quicunque in Anglia Ecclesiæ ministerio fungi desiderant, solenni juramento profiteri debent, se agnosce-

agnoſcere, Regem non tantum ſummum habere imperium in cauſis civilibus,ſed etiam Eccleſiaſticis: quod mihi ſcire contigit ex autographo, ni fallor, epiſtolæ Hadriani Saraviæ, Profeſſoris Lugdunenſis, quondam ſcriptæ Cantuariâ ex Anglia ad quendam apud Hollandos Eccleſiaſten. Et cum dederim ſimile ferè juramentum *pag.partis ſecundæ* 279, quo ſe obligare ſolent Epiſcopi Romano Pontifici, dabo etiam id,quod apud Anglos eſt in uſu, teſte Saraviâ. Litterarum hæc ſunt verba:

Docto pioque mihique multum dilecto fratri ac Domino N.N.

S. P. P.

Mihi plurimum in Domino dilecte frater, tuus ad meas manus de ſummi imperii in rebus Eccleſiaſticis authoritate tractatus pervenit; unde tantam percepi lætitiam, quantum triſtitiæ de altercationibus Leydanis. Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publico ſcripto à tam pernicioſo errore veſtros homines deterrere auſus es. Vereor enim ne plus mali Eccleſiis Chriſti ſit allaturus,quam illi cogitent qui obſtinatè eum defendunt. Propter hanc controverſiam miſerorum Papiſtarum hic in Angliâ divexantur conſcientiæ. Diſcrimen tantum eſt in ſubjecto ſummi imperii,quod hic in uno reſidet Monarcha, apud vos eſt in multitudine vel optimatum, vel populi. Quæ res auget difficultatem. Quia veſtri Ordines de religione non ſunt ejuſdem ſententiæ, veſtrorum miniſtrorum nonnulli, ſi non omnes, pro veris Chriſtianis, quibus tuto fidere poſſint,illos,in rebus Eccleſiaſticis admittere non audent judices. Hæc ſpecioſa videtur oratio. Sed non vident ſe eâdem ratione probaturos illos penes quos eſt ſummum imperium, poteſtatem nullam habere judicandi de tela & laniſicio,de textoribus & fullonibus,de re navali & aliis artificiis,quorum non tenent ſcientiam. Ignorare videtur Magiſtratus quæ non intelligit diſcere tamen poteſt à peritis, quæ textorum ſunt, à textoribus, quæ fabrorum à fabris, & nautarũ à nautis,ad quos cauſa quæ controvertitur non pertinet. Quare poteſtas in rebus Eccleſiaſticis ad ſummum imperium

æque pertinet, etiamsi penes quos illud est sint infideles aut mali Christiani, sicut ad fideles & pios. Personarum in hac re non est spectanda fides & religio, sed data divinitus potestas. Si justa in negotio Ecclesiastico imperaverit infidelis magistratus, parendum est, cum fideli, si jubeat iniqua, non sit obediendum. Quos alieno subesse imperio Deus voluit, si pii sunt, præcepti tantum & potestatis à Deo institutæ habebunt rationem. Nos vero, & quotquot Ecclesiæ ministerio hic in Angliâ fungimur, solemni juramento profitemur, nos agnoscere regem summum habere imperium non tantum in causis civilibus, sed etiam Ecclesiasticis. Sacramentum ego hic subjicio, ut videas quam in summum imperium vestri homines sint iniqui. Forma juramenti hæc est. Ego N. palam testor, & ex conscientia mea declaro, quod majestas Regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suæ majestatis dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus sive ecclesiasticis rebus aut causis, quam in temporalibus, & quod nullus extraneus princeps, persona, status, aut potentatus habet aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel autoritatem Ecclesiasticam, sive spiritualem, intra hoc regnum: & proinde renuncio & penitus rejicio omnes extraneas jurisdictiones, potestates, superioritates, & authoritates; & promitto me deinceps fidem & veram obedientiam regiæ majestati, ejusque hæredibus & legitimis successoribus præstiturum, & pro virili mea adjuturum, ac propugnaturum omnes jurisdictiones, privilegia, præeminentias, & authoritates regiæ majestati, hæredibus suis ac successoribus concessas, vel debitas, sive imperiali hujus regni coronæ unitas & annexas. Ita me Deus amet, & per hujus libri contenta. Hæc sacramenti forma aut similis aliqua esset optanda in usu esse apud vos, ad omnem suspicionem tollendam de ministris & Ecclesiarum vestrarum pastoribus, quos cum istic essem memini non detulisse magistratibus, quantum debebant, quando illorum potestatem in causis ecclesiasticis nullam agnoscunt. Quæ de hac re disputata sunt à probatissimis Theologis, miror vestros homines aut non legisse, aut lecta contemnere. Non enim alio loco habendi sunt quam seditiosorum, qui summi imperii summam autori-

toritatem in caufis etiam ecclefiafticis non agnofcunt, & fuę ariftocratiæ tribuunt illam autoritatem in rebus ecclefiafticis, quam Papa tribuit fuę monarchię. Sed judicii incogitantiam iftorum hominum fpecta. Oppreffi tyrannide Papę Romani ad magiftratus civilis, qualis qualis erat, autoritatem & defenfionem provocavimus, & audiri in caufa merè Ecclefiaftica poftulavimus; & tunc nihil non poteftatis civili magiftratui tribuebamus, quifquis ille effet: Hujus rei teftis eft epiftola ad Hifpaniarum regem & Ordines Belgicarum Provinciarum, quæ olim præfixa fuit fidei confeffioni Ecclefiarum; & tecum reputa cujus religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus in fidei negotio. Ego tunc temporis minifter eram Ecclefiæ Gallicanę Antverpię, & exemplaria illius confeffionis Principi Auriaco & Comiti Egmondano offerenda curavi. Frater uxoris meæ erat Comiti Ludovico à cubiculis, qui me ad Dominum fuum adduxit, ut illi innotefcerem, & exemplaria recens editæ confeffionis darem, ulterius Principibus diftribuenda. Congregavi primus tunc temporis Ecclefiam Bruxellis, auxilio Domini de Tolofa, fratris Domini fanctę Aldegundę, ex aulicis & paucis quibufdam civibus Gallici fermonis. In altercationibus Leydanis *illam fidei confeffionem & catechifmum allegari & urgeri video, ac fi ipfum effet Dei verbum. Homines imprudentes confeffionem Auguftanam audacter defpiciunt, & qui modeftiores haberi volunt, in illa effe aliquid quod mutatum vellent, defiderant: in fua verò confeffione, ac fi fidei canon effet, nihil mutari patiuntur.* Ego me illius confeffionis in primis unum fuiffe ex autoribus profiteor, ficut & *Hermannus Modetus*, nefcio an plures fint fuperftites. Illa primo fuit confcripta *Gallico fermone* à Chrifti fervo & martyrę *Guidone de Bres*. Sed antequam ederetur, miniftris verbi Dei, quos potuit nancifci, illam communicavit: & emendandum, fi quid difpliceret, addendum, detrahendum propofuit; ut unum opus cenferi non debeat. *Sed nemo illorum qui manum appofuerant, unquam cogitarunt fidei canonem edere, verum ex Canonicis fcriptis fidem fuam probare.* Nihil tamen meo judicio in illa eft quod reprehendam aut mutatum velim. Quod fi fint aliqui, *quibus non omnia probantur, audiendos cenfeo, & ex verbo Dei docendos, fi quid reprehendunt fecundum Dei verbum*; nemo temerè inter impios cenfendus eft, qui doceri paratus eft. Articulo-

 rum

rum non idem omnium est pondus: *esse possunt nonnulli, à quibus si dissentiant sunt ferendi, non ab Ecclesia idcirco alienandi. Idem censeo de Catechismis vestris, quos ipse aliquando tam in Gallicis quam Teutonicis Ecclesiis docui.* Ab illis tamen dissentio in expositione descensus Christi ad inferos. Postquam à vestris *ejectus huc sum reversus mutavi sententiam*, melius hic in Anglia edoctus concionibus & scriptis tum Doctissimi viri Reverendi Episcopi Vintoniensis, tum aliorum doctorum hominum, qui nulla in parte aut Calvino aut Bezæ cedunt. De qua re ad Ecclesias, quæ Reformatæ dicuntur, duos conscripsi libros, qui nondum viderunt lucem: sunt hic plures de hoc argumento hinc inde scripti libri sermone Anglico. Tibi per vestrum tabellarium brevi mittam descriptum exemplar. Interea jubeo te salvere & pro veritate fortiter stare. Cantuariâ die XIII. Aprilis stylo Angliæ 1612.

Tui amantiss. HADRIANUS SARAVIA.

Mitto tibi hic exemplar epistolæ, quam cum Leydæ habitabam scripsi D. Helmichio *& oportunè, cum schedas alias evolverem, se mihi obtulit, non enim nunc primum vestri hanc movent camarinam, vetus est error, qui ex otio natus est, ut primum pax dari cœpit Ecclesiis.*

OBservande in Christo frater: reversus Middelburgo domum 16 die Aprilis stilo novo inveni dilectionis tuæ literas 25. Martii stilo veteri datas, quibus studium tuum & animum erga pacem & concordiam intellexi: de quo nunquam dubitavi. Scio enim omnem te movisse lapidem ad tollendum quod natum est in vestra urbe schisma. Sed ejus non quæritur causa & autor, sed finis, & quomodo suspicionem, quam de vobis & ordine Ecclesiastico concepit magistratus, amovere possitis; jure an injuria nec hoc quæritur. Suspectam censuram nostrarum Ecclesiarum passim esse video Magistratibus, tanquam sub illa tyrannis aliqua lateat, quæ tandem successu temporis aucta viribus Magistratus auctoritatem sibi subjiceret. Quam sit humanum ingenium imperii illegitimi impatiens notum est; odit enim omnes qui potestatem aliquam sibi vindicare volunt. Hæc opinio nisi tollitur, frustra laboramus. Fratrum nostrorum in Scotia recens exemplum nos commovere & commonere debet, ut prudenter nos in hac re geramus: Erant enim illic per totum regnum Ecclesiæ constitutæ eâ formâ regiminis quæ hic est: sed eam edicto, publico rex abrogavit, & aliam suâ autoritate constituit: nec video

nos

nos aliquid melius posse sperare. Quantum prudentia tua magistratui Christiano autoritatis in rebus Ecclesiasticis tribuat nescio. Vereor ne aliqua in re magistratui negatum sit, quod concedendum oportuit. Ut dubitem facit hujus Ecclesiæ exemplum, & aliarum, quarum audivi & legi sententiam. Temerè tamen nihil judico, tantum ajo me id vereri. Sed ut quid ego sentiam, & quid sequendum ac tenendum ab omnibus tutò judicem paucis exponam. Non minus in Ecclesiasticis rebus autoritatis magistratus Christianos habere arbitror, quam olim habuere reges & duces populi Dei, quorum mandatis Sacerdotes & Levitas in iis quæ sui muneris erant parere Deus voluit, quam diu intra divinæ legis cancellos se continuerunt. Moses dux populi Dei, & Josua cæterique judices mandata dederunt Sacerdotibus & Levitis. David templi structuram & ordinem quem tenerent Sacerdotes & Levitæ in ejus ministerio constituit. Nihil opus est plura commemorem, cum copiosissimè hanc quæstionem disputatam habeamus à nostris Theologis, quos vestros homines legisse non dubito. Nisi quod magistratui debetur dederimus, ipse plus quam debet ad se rapiet. Si Anglicam aut Scoticam linguam intelligeres, ego ad te mitterem regis Scotorum apologiam, in qua rationem reddit abrogatæ aut verius mutatæ Ecclesiasticæ politiæ, quam ministri constituerant, & aliam ipse præscripserit. Vester magistratus vobis contrarios ministros quibus vestros conatus frangant semper opponent. Quid peccatum sit in hac re à Scotis, nihil attinet scribere: ne idem vobis usu veniat tempore prospiciendum, & videndum quantum & quatenus dissentientes etiam in nonnullis doctrinæ capitibus sint tolerandi. Deinde quæ sit magistratus civilis authoritas & politia Ecclesiastica. An possit leges præscribere politicas ministris & pastoribus Ecclesiarum in rebus Ecclesiasticis, quibus parere debeant, &c.

Quam mihi in hac re consentiam videre potes. Hermannus Modetus jam erat in alia sentenita, & ad eum si scripsissem, laterem lavissem. Mihi insignis facta est injuria, sed Deo sit gratia, nihil mihi illa nocuit, si quid mali inde secutum est, ipsi autores detrimentum accepêre; fui enim pacis & magistratuum authoritatis semper studiosissimus, si quis minister verbi Dei alius. Iterum vale frater omni studio & amore colende.

Idem HADRIANUS qui supra.

 Quod

Quod autem genus regiminis hodie in Ecclesia Anglicana institui velit Protector, docere nos velle videtur tractatus Ludovici Molinæi, seu paranesis ad ędificatores imperii &c.

Cujus generis, regimen Ecclesiasticum habeat Germania, quamvis divisa, videre licet apud varios: sed inter alios apud Theodorum Reynkinck Hassię Procancellarium; tractatu de regimine seculari & Ecclesiastico in Imperio: qui lib. 3. classis 1. cap. 1. sic loquitur: Ex præcędentibus, corollarii loco, inquit, illa quæstio facilè decidi potest. Quod de jure divino clerus exemptus non sit à potestate seculari. Et ita post Innocent. *in c.* 2. de *Majorit. & obed.* Alciatus *c. cum non ab homine col.* 2. *de judic.* Carol. Molin. *in additionibus ad consil. Alex.* 8. *lib.* 1. & alios allegatos à se determinat, & multis eleganter suo more firmat Didac. Covarruv. IC. Hispanus, Episcopus Sigobiensis *pp. quæstione cap.* 31. *num.* 2. *vers. Contraria opinio.* Aug. Morla *in Empor. jur. part.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 12. *num.* 3. Marsil. Patavin. *in defensor. pac. part.* 2. *cap.* 4. *&* 5. ubi id latissimè ostendit, & Christi, Apostolorum, aliorumque orthodoxorum exemplis comprobat. Osasc. Cacheran. *decis. Pedemont.* 30. *num.* 5. *& seqq. usque ad fin.* Et quoad temporalia, hanc veram esse sententiam, post Marcard. *de gener. statut. interpr. conclus.* 1. *num.* 73. *& seqq.* firmat Christinæ. *decis.* 203. *num.* 5. 6. *& seq.* Farinac. *Tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.* 2. Joseph. de Sese *in tractat. de Inbibit. c.* 8. *num.* 11. *& seqq.* Secus vero esse quoad verè spiritualia, ut puta, Ordines, gradus, Sacramenta, indeque Clericos & Ecclesiasticas personas esse, de districtu Dominorum temporalium, quorum est territorium. Post Joan. Andr. *in c. fin. in princ. de offic. delegat. in* 6. Caspar. Anton. Thesaur. 2. *quæstion. forens.* 2. *num.* 3. Alberic. Gentil. Advocat. Hispan. *lib.* 1. *c.* 5. *lit. m.* ubi dicit: Ecclesiam esse de territorio Laici Magistratus. Et ita etiam Theologi & Politici Augustanæ Confessionis unanimiter statuunt. vide D. Gerhard. *in loc. de magistrat. polit.* Frider. Balduin. *de casib. conscient. lib.* 4. *cap.* 12. *casu* 13. *&* 14. Eamque sententiam integro tractatu tuetur Henning. Arnis. *de subject. & exempt. clericorum, præsertim cap.* 3. Bruning. *de Homag. conclus.* 306. *& aliquot seqq.* Et quod nulla sit Euangelii & Novi Testamenti lex, quę Clericos à jurisdictione Principum

cipum secularium exemerit scribit Covarruv. *alleg. loc.* ubi etiam testatur quod in Ecclesia primitiva Clerici & eorum res jurisdictioni Regum & Imperatorum subfuerint, idque constare ex multis Imperatorum etiam Christianorum legibus, de personis ipsis, rebus Ecclesiasticis & disciplina latis, quæ continentur *sub titulo C. de SS. Eccles. de Episc. & Cleric. de Episcop. aud. &c.* ibi denique ad contraria argumenta respondet, quę hic unà cum hujus & aliorum responsionibus referre nimis prolixum foret; sufficiat lectorem remisisse ad allegatos modo auctores. Idem Reynkinck ejusdem lib. classe 2. cap. 1. Hactenus potissimum egimus, *inquit*, de potestate circa Ecclesiastica, quæ Principibus jure regio competit; brevibus etiam de ipsa potestate Ecclesiastica agemus. Potestas Ecclesiastica describi potest, quod sit potestas spiritualis ordinata à Deo, functiones sacerdotii sive presbyterii perficiens, ad spirituale hominis bonum. [*Confer Iohan. Azor. institut. moral. lib. 10. cap. 1. part. 1.* Brevius D. Vultejus, potestas, inquit, ecclesiastica est, curam habens sacrorum & religionis, sine ullo imperio aut jurisdictione, *lib. 1. jurisprud. Rom. cap. 11. num. 5.* Audiamus simile de Ecclesiastica potestate judicium apud Rittershusium in Novellas commentantem part. 1. cap. 7. part. 47. Hic notandum est, *inquit*, quamvis interpretes crebro in ore habeant, *jurisdictionem Episcopalem*, & hanc tribuant Episcopis: tamen jure Justinianeo hanc potius vocari *Audientiam* quam *jurisdictionem*; ut ipso vocabulo à jurisdictione distincto, admonerentur Episcopi non habere se dominatum quendam in clerum; quo & S. Petrus ipsis interdicit; atque ut intelligerent, quantùm inter suum & magistratus politici officium interesset. Si enim idem valeret *audientia* Episcopalis, quod jurisdictio, verbi gratia, prætoris aliorumve magistratuum, quorsum jussisset diversa nomina uni eidemque rei imponere? quomodo loquitur in simili Imperator *in l. 7. si idem. C. de Codicill.* Neque vero Episcopi vel forum habent legibus, vel apparitores, vel jus exequendi sententias à se dictas: quarum executio ad magistratum pertinet secularem. Videatur hac de re Cujac. *in parat. C. ad tit.* ubi & ad hoc allegat Novellam Valentiniani. modestiæ autem causâ veteres videntur vocabulum *audientia usurpasse* non *jurisdictionis*, ut hanc magistratui politico inte-

integram relinquerent, memores scilicet dicti Christi: Principes gentium dominantur, non autem vos sic. Ac vocantur εὐεργέται. *d. Luc.* 22 *v.* 25. Audiamus breviter & similiter ea de re loquentem jurisconsultissimum Ant. Matthæum, Academię Trajectensis jam brevi Professorem dignissimum, dissertatione de judiciis secundâ, nempe de jurisdictione. Dividitur etiam, *inquit*, ab aliquibus jurisdictio in civilem & Ecclesiasticam; quarum illa sit judicis secularis, hæc Episcopi in clericos & monachos; vel etiam in laicos, si qui ultrò Episcopum judicem optaverint, *l.* 8. *de Episc. aud. l.* 25. *C. de episc. & cler.* Hanc divisionem probare non possum; episcopi enim jurisdictionem non habent: quia nec forum, nec apparitionem, nec executionem, *d. l.* 8. *C. de episc. aud. Nov. Valent. de episc. jud. Cujacius parat. C. eod.* Nec ferendi pontifices, dum Cæsarum liberalitate non contenti, in alias quoque causas invalêre, perinde ac si merè spirituales aut mixtæ jurisdictionis essent: quales sunt causæ matrimoniorum, adulterii, usurarum, jurisjurandi, decimarum, personarum miserabilium, & si quæ similes. *Lancil.* 3. *Instit.* 1. §. *Laicus. Gail.* 1. *observ.* 37. & 38. *Covarruv. parte* 2. *de matrim. cap.* 8. §. 12. *num.* 1. *&* 10. *Costal. ad rubric. D. de sponsal. Reynk. de regim. seculari & eccles. lib.* 3. *classe* 1. *cap.* 10. *Marn. Ius de ordine judic. part.* 4. *dist.* 11. Vide etiam Joachimum Stephani de Jurisdictione lib. 4. cap. 2. Ex hisce præcedentibus intelleximus formam regiminis apud reformatos & Euangelicos, in Germania & Anglia nimirum, imperium circa sacra esse penes reges & Principes; consilium verò & sacrorum functionem penes Ecclesiasticos, *Memoratu non indignum est*, inquit Grotius, *de imp. sum. pot. cap.* 11. *sub finem*, *Geneva*, (*quæ urbs si non prima* πάντων τῶν συνεδρίων, *certè præcipuos ejus defensores edidit*) *totum jus eligendi Seniores illos* (Laicos seu politicos) *esse penes Senatum urbis, parvus qui dicitur, auditis duntaxat Pastorum consiliis. Neque tantum eligi eos à Senatoribus, sed ex solis Senatoribus, binos nempe ex eodem parvo Senatu, & denos, tum ex Senatu sexaginta virûm, tum ex alio Senatu ducentorum. Electio hunc in modum facta, ducentis examinanda subjicitur; & electi Seniores, quamquam Iurisdictionem non habeant, Sacramentum tamen Reipublicæ dicunt. Cœcus sit oportet*, sic pergit Grotius, *qui non videat, quæ incommoda Genevenses*

ses metuerint, cum tam sollicitam eligendi rationem inierunt. In Palatinatu, (inquit idem Grotius ibidem cap. 10. parag. 27.) *cura pastorales etiam conferuntur arbitrio Senatus, qui mandato & nomine Electoris Ecclesiis præsidet.* Exemplo *Synedrii Iudaici rectè defenditur Senatus Ecclesiasticus, qui mandato Electoris Palatini res Ecclesiæ cum imperio regit, partimque ex pastoribus, partim ex piis magistratibus constat.* Idem cap. 11. §. 18. *In ditione Basiliensi Ecclesiarum extra urbem in pastore eligendo potestas nulla: quem magistratus urbis ad pascendum illas mittit, etiamsi docentem nunquam audierint, reverenter accipiunt. Laudatur Senatus Genevensis*, inquit Ludovicus Molinæus, cap. 4. *qui in prima reformatione, teste Calvino in epistolis sibi primas, non in munere pastorali, sed in legislatione & jurisdictione Ecclesiastica, tum in electione pastorum semper reservavit, tum etiam in recipiendis appellationibus à pastorum decretis, idque in primis cavendo, ne pastores in presbyterio excederent numerum delegatorum à senatu, tum sexaginta virorum, tum ducentorum. Par Helvetico magistratui cura fuit, ne de imperio suo circa sacra quicquam decederet, eique præstantissimi Theologi, Zuinglius, Musculus, Bullingerus, & Gualterus, Tiguri, Berna & Basilea, semper suasores & impulsores fuerunt, ne imperium suum circa sacra abjicerent, ac excommunicationem vel sui fori & judicii reputarent, vel ab Ecclesia eliminarent; in primis Zuinglius de vera & falsa religione invehitur in illos, qui constituunt duplicem magistratum, sacerdotalem & Laicalem, ut ipse vocat.* Hæc per diversa exempla probantur & confirmantur ab eodem L. Molinæo suæ paræneseos cap. 15.

Apud Belgas confœderatos pastores à Senatu Ecclesiastico seu consistorio, id est, pastoribus, presbyteris (laicis) *& diaconis eliguntur: electi à magistratu & classe Ecclesiastica, id est ministris vicinarum Ecclesiarum, quæ in pagis sunt, approbantur, eorumque nomen deinde publicè in Ecclesia proponitur, ut accedat tacitus populi consensus, quo subsecuto electi ab alio pastore in facie Ecclesiæ manuum impositione in sacro ministerio sacris initiantur. In Presbyterorum Laicorum & Diaconorum vocatione ita se res habet, ut Senatus Ecclesiasticus duplicem numerum quibusvis Ecclesiæ membris masculis proponat, ex quo deinde à pastoribus, presbyteris, diaconis aliisque Ecclesiæ membris presbyteri & diaconi eliguntur, qui deinde etiam in facie Ecclesiæ,*

sed absque manuum impositione, in officiis confirmatum. Cui autem, magistratui politico an presbyterio jure divino jus vocandi atque eligendi competat, vide apud Utenbogardum & VValaeum, van 't ampt der Overicheydt / *& Grotium de imperio summarum potestatum circa sacra, cap.* 10. Simon à Groenevvegen in Cod. lib. 1. tit. 3. l. 42. Omnem. *Hic senatus nullâ seculari potestate praditus est, & res non nisi merè ecclesiasticas tractat, ejusque pracipuus usus in Ecclesia regimine, censuris & excommunicatione. Controversia, qua ibi sopiri non possunt, dein examinantur in classe, à quâ appellatur ad synodum, qua singulis annis ex decreto & auctoritate Ordinum congregatur.* Idem Cod. l. 1. tit. 4.

Videamus, si placet, quid de hac summarum potestatum circa sacra auctoritate profiteantur Ecclesiarum Euangelicarum confessiones, quas videre licet in Harmonia confessionum. Helvetica, quæ est ibi ordine prima, *Equidem docemus*, inquit, *religionis curam inprimis pertinere ad magistratum sanctum.* Hæc habet Anglicana: *Regia majestas in hoc Angliæ regno ac cæteris ejus dominiis summam habet potestatem, ad quam omnium statuum hujus regni, sive illi Ecclesiastici sint, sive civiles, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, & nulli externæ jurisdictioni est subjecta, nec esse debet.* Hæc Scoticana: *Insuper Regum, Principum, Magistratuum esse potissimum, & inprimis religionis purgationem, affirmamus. Adeò ut non tantum propter politiam, sed etiam propter conservationem veræ religionis, & ut idololatria & superstitio quævis supprimatur, à Deo sint ordinati: ut in Davide, Iosaphato, Iosia, Ezechia & aliis summis laudibus propter singularem zelum ornatis est videre.* Hæc Augustana: *Christiani necessariò debent obedire præsentibus magistratibus ac legibus, nisi cum jubent peccare.* Hæc Bohemica: *Verbo Dei præcipitur, ut omnes sublimioribus potestatibus per omnia subdantur, in his tamen, quæ Deo ejusque verbo non adversantur.* Hæc Belgica: *Cuncti homines, cujuscunque sint dignitatis, conditionis vel status, legitimis magistratibus subjici debent, & eis in omnibus obsequi, & obedire, quæ verbo Dei non repugnant.* Hæc Basiliensis: *Quilibet magistratus Christianus omnes vires eo dirigit, ut apud sua fidei commissos nomen Dei sanctificetur, regnum ipsius propagetur, ipsiusque voluntati cum seriâ exstirpatione scelerum vivatur; hoc officium gentili magistratui injunctum fuit, quantò magis Christiano magistratui commendatum esse debet, ut ve-*

to Dei vicario. Sic patres primitivæ Ecclesiæ, Justinus, Athenagoras, Tertullianus & alii, suas scripserunt apologias pro Christianis ad Imperatores paganos: Sic quondam in libellis supplicibus locuti sunt Hispaniarum regi reformatę Belgii Ecclesiæ: *Tuum est*, inquiunt, *Iudicare. Tuum, erroribus, quamtumvis adultis opponere: Tuum, quamquam à veritate adhuc alienus: Tuum; quamvis veritati infestus es: Ius hoc tibi Deus dedit, & si jure tuo utaris, potest te Deus magis magisque aptum huic officio reddere.* Sic Johannes Calvinus præfatione in institutiones ad Franciscum Galliarum regem: *Quare non iniquè postulo, Rex potentissime*, inquit, *ut integram caussa istius cognitionem suscipias, quæ perturbatè hactenus nulloque juris ordine, & impotenti æstu magis quam legitimâ gravitate tractata est.* Et paulò post: *Tuum autem est, serenissime Rex, nec aures, nec animum à tam justo patrocinio avertere, præsertim ubi de re tanta agitur; nempe quomodo Dei gloriæ sua constet in terris incolumitas, quomodo suam dignitatem Dei veritas retineat, quomodo regnum Christo sartum tectumque inter nos maneat. Digna res auribus tuis, digna tuâ cognitione, digna tuo tribunali*, &c. Et ibidem lib. 4. cap. 20. de politica administratione: *Magistratuum functionem non modo sibi probari acceptamque esse testatus est Dominus: sed honorificentissimis insuper elogiis ejus dignitatem prosequutus mirificè nobis commendavit. Vt pauca commemorem: Quod Dii nuncupantur quicunque magistratum gerunt, ne in ea appellatione leve inesse momentum quis putet; eâ enim significatur, mandatum à Deo habere, divinâ auctoritate præditos esse, ac omnino Dei personam sustinere, cujus vices quodammodo agunt.* Sic Petrus Martyr in cap. 8. Samuelis: *Quod ad Ecclesiasticam potestatem attinet, satis est civilis magistratus. Is enim, ut ait Aristoteles in Politicis, curare debet ut omnes officium faciant, ut Iurisconsulti, Medici, Pharmacopolæ, Rustici; inter quos possumus annumerare Ministros & Concionatores. Quid hic opus est multiplicare capita?*

Sic de magistratuum imperio in Ecclesiam Casaubonus, ut jam olim editis scriptis testatus est, ita sentit: Ευταξίαν καὶ πολιτείαν *Ecclesiæ ab ipsis regi, ac legibus gubernari debere: de fidei articulis Ecclesiæ ejusque pastoribus* κρίσιν *deberi, summis magistratibus* ἐπίκρισιν: *neque negari potest, habere hanc sententiam aliquid veri: nam ut pro se quisque debet apud conscientiam suam de dogmatum veritate statuere & judicare antequam cre-*

dat, ita in commune Ecclesia de communi fide ac doctrina debet statuere & judicare: quæ autem fides & doctrina publicè defendenda ac propugnanda sit, hoc est propriè magistratus judicium, quâ magistratus est, ut ego qui-
Ioan. 5. 39. *dem censeo.* Omnibus dictum est, *Scrutamini scripturas.* & laudabantur Beroënses, quod erant auditâ Pauli & Silæ prędicatione, ἀνα-
Act. 17. 11. κρίνοντες τὰς γραφὰς, an res ita se haberet. Non est autem ἀνακρίνειν, cui non adsit τὸ κρίνειν: ideòque Syrus interpres sensum rectè expressit: *Dijudicantes ex Scriptura.* Grotius.

Quæ pag. 361. promisimus, damus scripta Irenica, quorum multa pridem jam à Joan. Duræo Scoto-Britanno publici juris facta sunt. Tradidimus ea Typographo integra & sine aliquo fuco, qualia ab amicis accepimus: de iis judicabit, affectibus partium remotis, æquus Lector.

Cum in Fœderatis Belgicæ Provinciis exorta esset tristis & servida illa inter Pastores & Theologos de prædestinatione, gratia & libero arbitrio, controversia, ad eam, ne effervesceret in schisma, sopiendam & divino consilio & verbis Sacræ scripturæ extinguendam, Ordines Provinciæ Trajectinæ has promulgarunt constitutiones Ecclesiasticas, an. C. 1612. hoc autem eorum est decretum constitutionibus Ecclesiasticis præfixum, Belgicâ linguâ editum, & in linguam Latinam conversum.

Decretum Ordinum Provinciæ Trajectinæ.

1612. Ordines Provinciæ Trajectinæ considerantes Christiani magistratus munus à Deo sibi impositum esse, ut subditorum suorum quietem & tranquillitatem in omni pietate & honestate procurarent: & cum interim quotidie videant inquietum & Satanicum spiritum omnia moliri, quibus bonorum incolarum in hac provincia piam quietem turbare, Ecclesiam Dei novis factionibus & sectis dividere, atque eo conatu Christianę & reformatæ religioni omni modo officere posset &c. Et contra illas machinationes non posse convenientius remedium adhiberi, quam per bonas leges & constitutiones Ecclesiasticas ex divino Domini nostri verbo desumptas, &c. Ut etiam in provincia Trajectina, quod ad prosperitatem & propagationem Christianæ reformatæ religionis, & ad promoven-

vendam veram pietatem pertinet, diligentius accuretur, quam hactenus propter difficilia & diuturna bella, aliaque plura impedimenta fieri potuit: Petimus & ſimul imperamus reverendis, piis & dilectis Eccleſiarum noſtrarum miniſtris, Synodi delegatis, ut ea, quę in Synodo hujus provinciæ & circa annum 1606, nobis præſentibus, pro tempore definita ſunt, repetant & recognoſcant, quæ deficiunt ſuppleant, augeant, minuant, corrigant, & idoneam conſtitutionum Eccleſiaſticarum formam concipiant: pręcipuè intenti regulę & normę verbi divini Domini noſtri, comprehenſi in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, & pręterea in rebus adiaphoris ſeu indifferentibus, attendentes ad naturam, indolem, & conditionem incolarum hujus provinciæ & ſtatum præſentis temporis, ut omnia fiant ſecundum verbi Dei doctrinam, ad ædificationem, non ad deſtructionem. Et cum intelligamus quaſdam inter vicinarum provinciarum Eccleſiæ miniſtros controverſias eſſe obortas, de certis quibuſdam dogmatibus, quæ etiam in ſubditis noſtris pullulaſcere, & in contentiones abire videntur, cum cura & in timore Domini etiam inquirant, nimirum, quomodo quam convenientiſſimè & pacatiſſimè iis ſecundum Dei verbum obviam ire poſſimus; idque ſine fractione vinculi Unionis, quam cum vicinis & confœderatis in omnibus, & in primis in religione conſervare volumus, & cum cuſtodia præcipui in reformatione noſtra fundamenti, quod in rejectione mandatorum hominum, & receptione verbi Dei ſcripti, tanquam unica regula noſtræ fidei, conſiſtit: & impedire, ne per prædictas quæſtiones quies noſtrorum incolarum, reformatę religioni addictorum turbetur, ſed conſervetur, & in omni pietate conveniens Dei & magiſtratuum obedientia in populo promoveatur: quę omnia ſcripto comprehenſa, in forma conſilii nobis quamprimum tradant, ut in conventu Ordinum viſa & examinata dirigi poſſint, quemadmodum ad honorem Dei, ædificationem Eccleſię, & provinciæ noſtræ ſalutem maximè expedire judicabimus. Datum Trajecti 28. Nov. 1610. Paulò poſt decretū hæc ſequebantur verba: Conſideratis igitur per reverendos, pios & dilectos noſtros Eccleſiarum miniſtros, in timore Domini omnibus iis, quæ hic requiruntur, ab iiſdem nobis traditum eſt aliquod ſcriptum, quod per

nos attentè examinatum & ponderatum, postremò, præsentibus nostris delegatis cum omnibus pastoribus sive Ecclesiarum ministris nostræ provinciæ in eum finem convocatis & synodaliter congregatis communicatum; tandem in nomine Domini & cum unanimi omnium Pastorum consensu, declaravimus, imperavimus, & statuimus: declaramus, imperamus & statuimus, observandos in urbe, civitatibus & regionibus Provinciæ Trajectinæ, quoad ministerium & disciplinam Christianæ Ecclesiæ cum annexis, omnes sequentes articulos. Atque hæc omnia pro tempore, donec cum consilio & communicatione, ut supra, aliter faciundum judicabimus, idque sine præjudicio vicinarum Ecclesiarum.

Prædictarum constitutionum Ecclesiasticarum articulo de officio ministrorum verbi divini §. III. hæc habentur:

Pastores sedulò curabunt jacere fidei fundamenta verbis & modo loquendi in sacra scriptura usitatis; *servantes formam sanorũ sermonum, quos ab Apostolis didicerunt*: Verbum Dei loquentes, *non verbis, quæ docet sapientia humana, sed quæ docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes*: sibi caventes *à verborum pugnis, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium*: rejicientes subtiles speculationes, inutiles & ineptas disputationes, *stultas & ineruditas quæstiones, scientes eas parere pugnas & nullam ædificationem Dei, quæ est per fidem*: semper cogitantes, *præcepti finem esse charitatem ex puro corde & conscientiâ bonâ, & fide non simulatâ*.

2 Tim. 1. 13.
2 Cor. 2. 13.
2 Tim. 2. 14.
2 Tim. 2. 23.
1 Tim. 1. 3.

IV.

[1] Et cum hodie multæ intricatæ quæstiones in diversis quorundam Sacræ scripturæ locorum explicationibus de æterna Dei prædestinatione & annexis, occurrant, curandum ne doctores & pastores hujus provinciæ ea de caussa in contentiones labantur, ex quibus aliqua dissensio in Ecclesiis excitari possit. Quare cum consilio ut supra, bonum æquumque judicatum est, ut præcipuè in hac
Rom. 12. 3. quæstione agatur secundum admonitionem Apostoli, ubi vult *nos sapere* seu sentire *ad mediocritatem & non ulterius quam oportet*. Quarè hæc materia seu doctrina, (occasione id requirente) ita tractanda est, ne cuipiam caussa suppeditetur, jure meritoque cogitandi in nostris Ecclesiis doceri, Deum aliquem ad reprobationem seu damna-

damnationem creasse, aut hominem ad peccata cogere, aut aliquem ad salutem invitare, cui absolutè eam negare decrevisset, aut aliquid facere, quod aliquam injustitiæ speciem præ se ferret: nam hoc evidenter contra Dei pugnaret honorem, & tenderet ad calumniam nostræ reformationis, & ad incuriam unius, & ad desperationem alterius. Præterea etiam diligenter prospiciendum est, ne principium medium & finis humanæ salutis naturalibus hominis viribus, sed solum gratuitę & immeritæ gratiæ Dei in Christo ascribamus, ut semper & ubique tanquam firma & immobilis regula conservetur & teneatur, quemadmodum inquit Propheta, *perditionem nostram* *Hosea* 13.5. *esse ex nobis & salutem nostram esse ex Deo.*

V.

Et quamvis verbi divini Doctoribus liberum sit, de his & similibus controversiis in scholis, & alibi in privatis conventibus amicè conferre, & veritatem in omnibus juxta verbum Dei pacificè investigare, quomodo forsan in quibusdam circumstantiis dissensio opinionum occurrere posset, quemadmodum omni tempore inter piè doctos hac in parte aliqua diversitas seu dissonantia fuisse videtur, interim nolumus ut ejusmodi disputationes in suggestum deferantur, aut si quis non sublimius in hac materia doceat, aut sentiat, quam, quod Deus ab ęterno juxta suum beneplacitum, in Christo Domino nostro fundatum, ad sempiternam salutem elegerit & ordinaverit omnes & unumquemque eorum, qui per ejus immeritam gratiam in eundem Dominum nostrum Jesum Christum crederent, & in eadem fide ad finem usque perseverarent: Et contra ad reprobationem seu damnationem ordinaverit seu rejecerit omnes & unumquemque eorum, qui ejus gratiam contemnerent, seipsos eâdem indignos redderent, non crederent & in eadem infidelitate perseverarent, ut idcirco vel minimum molestetur, vel ut sublimius crederet, inquietetur. Quare consultum judicamus, ne hęc materia coram populo sublimius urgeatur: Æstimantes ejusmodi doctrinam verbo divino conformem, ad salutem sufficientem, & ad fugandam desperationem & promovendam pietatem aptam & ædificantem.

Hæc

Hæc Ordines Provinciæ Trajectinæ, ut impedirent, quod prævidebant & metuebant in Ecclesia schisma: Quod cum etiam in sua Provincia timerent Ordines Hollandiæ & West-frisię hoc promulgarunt decretum pro pace Ecclesiarum:

QUANDO multum dissidii ac contentionis per harum regionum Ecclesias subortum est, ex diversis interpretationibus locorum sacræ scripturæ, in quibus de æternâ Dei Prædestinatione & quæ huic cohęrent, agitur; provecto eousque calore certaminis, ut sint qui malè audiant, velut directè aut per obliquum docentes alii quidem, Homines aliquos à Deo immortali ad damnationem creatos: Quibusdam hominibus à Deo peccandi necessitatem imponi: Tum verò, à Deo quosdam ad salutem invitari, quibus omninò salutem non dare decreverit: alii verò, Naturales hominum vires aut facta salutem ipsorum posse operari: quę spectant utrimque ad Dei ignominiam, ad infamandam Christianam Reformationem, & nostræ pię sententię adversantur: quibus obviam iri, visum est nobis ad divini honoris & gloriæ propagationem, ad incolumitatem Reip. & Ecclesiarum, ad tranquillitatem, concordiam, bonamque frugem civium perquam necessarium: Idcircò rebus diu multumque perpensis, religiosèque, & circumspectè examinatis singulis quę in colloquio duodecim Pastorum Anno cIↄ Iↄ cxI. nostro in conventu ore primùm peracta, mox etiam cum ipsorum consiliis perscripta, nobisque tradita fuere: usi ea auctoritate, quę nobis, ut summis legitimis potestatibus juxta sanctum Dei verbum, eorumque Regum, Principum, ac Civitatum quę Reformationem Religionis amplexę sunt, exempla, competit, imperavimus atque etiamnum imperamus, ut in memoratis modò interpretationibus diligenter quisque attendat ad Sancti Paulli Apostoli monitum, docentis, nequis suprà modum sapiat ultrà quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei: &, id quod passim tradunt sacræ litteræ, Salutem quidem nostram ex Deo solo esse; at nos nobis ipsis perniciem accersere: Ac proinde in explicandis sacris literis, quoties ita feret occasio, pastores insigant populo, singulorumque sub nostro imperio habitantium animis, Principium, progressum, ac finem

humanæ

humanæ ſalutis atque ipſam adeò fidem non nativis hominum viribus aut factis, ſed ſoli nec promeritæ Dei in Jeſu Chriſto Servatore noſtro gratiæ accepta ferri debere: Nullos à Deo omnipotente homines ad damnationem creatos: Nullis a Deo peccandi neceſſitatem imponi: Neque à Deo ad ſalutem invitari quenquam, cui ſalutem omnino non dare decreverit. Quanquam verò in Academiis, eruditorumque hominum & verbi divini interpretum conventibus ſolent (uti nos quoque permittimus) de ſenſu eorum ſacræ ſcripturæ locorum, in quibus de Prędeſtinatione & quę cohærent, agitur, colloquia inſtitui, unde accidere poteſt, ut diverſi diverſa ſentiant; quod & olim & noſtro hoc ſæculo viris doctis piiſque evenit: nolumus tamen eas diſputationes profundiores quæ contrà ſententiam juſſionemque noſtram extrema illa atque abſurda, quæ imputari quibuſdam ante diximus, poſt ſe trahunt, publicè aut è ſuggeſtu aut alias apud populum proponi. Qui verò in locorum ante dictorum explicatione ſupra nec docent nec ſentiunt, quam à Deo omnipotente ab ęterno ad ſalutem perpetuam electos pro benevolo affectu voluntatis ipſius fundato in Jeſu Chriſto Redemtore ac Servatore noſtro eos qui per impromeritam gratiam & Spiritus Sancti operationem in Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum credunt, & in fide per ſimilem impromeritam gratiam ad finem uſque perſeverant: contrà verò ad damnationem rejectos eos qui in Jeſum Chriſtum non credunt, & in incredulitate ad finem perſeverant; hos nolumus eo nomine moleſtiam pati, aut urgeri, ut ſupra doceant aut ſentiant; quum eam ipſam docendi formam judicemus ad ſalutem ſufficere, & ad Chriſtianam inſtructionem eſſe idoneam. Imperamus prætereà omnibus Paſtoribus, ut in cæteris Chriſtianæ doctrinæ capitibus ea utantur explicatione, quæ conſentiat cum verbo Divino, cumque his quæ per Eccleſias Reformatas paſſim recepta, & quæ his convenienter in Reformatis harum regionum Eccleſiis, quas nos hactenus ſuſtentavimus, defendimus, educavimus, nunc etiam ſuſtentamus, defendimus & educamus, tradita fuere. Utque ſe porrò ad Chriſtianam charitatem, concordiam, ac bona exempla componant, juxta priora decreta, quo ulteriora diſſidia evitentur. Quoniam ita faciundum ex re publicâ & Eccleſiæ, &

ex usu ac tranquillitate populi censemus. Mense Januario Anni cIↃ IↃ C XIV.

Quam hoc decretum placuerit Regi Angliæ Jacobo & doctissimis ejusdem regni præsulibus, indicat his litteris absolutissimæ eruditionis & defœcatissimi judicii Casaubonus, epistola 800 ad Hugonem Grotium:

DE edicto Illustriss. Ordinum, quod nuper misisti, egi accuratè cum Rege sereniss. cum D. Archiepiscopo, cum multis aliis præstantis doctrinæ præsulibus. Et Rex & omnes qui legerunt consilium vehementer & probarunt & laudarunt. Interest enim, religionis Christianæ, & ad Protestantium existimationem vel maximè pertinet, curiosis hominibus fibulam imponi, ut desinant tandem ὑπερφρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, pacem ecclesiarum turbare & suâ illaudabili πολυπραγμοσύνῃ infamiam ἀταξίας & νεωτερισμίας apud veritatis hostes reformationem profitentibus inurere. summâ igitur laude illustriss. Ordinum prudentia digna est, quæ hujus sui Edicti publicatione & curiosas hominum mentes, Deo cæptis favente, in officio continebit, & sui imperii Ecclesiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus Jesus, ille unicus Ecclesiæ auctor ac conservator, ut quem boni sperant fructum ex hoc saluberrimo consilio illustriss. Ordines percipiant, & nos pro stabilita inter vestras ecclesias tranquillitate, occasionem gratulandi brevi habeamus. Neque vero consilium duntaxat Rex ὁ εὐσεβέστατος & alii viri gravissimi probavêre, sed & formulam quoque ipsam jussu Ordinum conceptam. Apparet enim id esse actum, ut à duobus scopulis in hac doctrina æquè periculosis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum, populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur, quæ salutis nostræ proram & puppim, principium, inquam, & progressum & πλέωσιν, uni Deo asscribens, contemtum tamen bonorum operum non inducat. Vale vir clarissime, & me ama. Londini 13 Kal. Junii cIↃ IↃ C XIV.

Remedia ad conciliandam in religione pacem hæc habet idem Casaubonus in epistola ad Perronium: Verissimè scriptum est in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων (id est, eorum quæ simpliciter neces-

necessaria sunt) Rex arbitratur rerum absolutè necessariarum ad salutem non magnum esse numerum. Quare existimat ejus majestas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quam si diligenter separentur necessaria à non necessariis; & ut de necessariis conveniat, omnis opera insumatur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expressè verbum Dei præcipit credenda faciendave, vel ex verbo Dei necessariâ consequentiâ vetus Ecclesia elicuit, &c. Et in exercit. Baroniana 16. Veruntamen inter contenta divinis oraculis discrimen hoc potest observari, quod non sunt omnia ad salutem ex æquo necessaria. Illa sunt simpliciter necessaria, in quibus dogma aliquod continetur, puta, de uno Deo, de tribus personis S. S. Trinitatis, de redemptione humani generis per Christi sanguinem, de sacramentis aut similibus aliis. Exempla virtutum aut historicæ narrationes, remissiore, ut sic dicam, necessitate sunt necessariæ. Quæ pertinent ad prius genus, ea videmus ab omnibus Euangelistis aut plerisque omnibus esse posita, &c. Et exercit. 13. cap. 27. Successit in locum unius Templi Ecclesia Catholica, toto orbe diffusa, in qua salus proponitur omnibus mortalibus, nullo personarum neque locorum discrimine. Unum Templum unius Ecclesiæ fuit typus. Extra Templum non erat fœdus, extra Ecclesiam non est salus. Sed hujus Ecclesiæ forma, illud, inquam, quod dat ipsi esse, & vivere, non est profectò certorum hominum in una quadam urbe successio, verùm doctrinæ, quam docuit Christus initio, quam postea Apostoli ejus docuerunt, perpetua successio & inconcussa, saltem in fidei fundamento, conservatio. Hæc verissima est & certissima Ecclesiæ Dei nota. Idem exercit. 15. Hic articu- *Matth. 16. 16.*
lus fidei, quem Petrus suâ confessione complexus est, omnium fidei articulorum & totius doctrinę Christianæ primus est: imò principium fidei, & universę religionis Christianæ fundamentum. Idem de eodem Matth. loco sentit Maldonatus. Idem Casaubonus in prolegomenis hæc habet: Unius & ejusdem religionis Christianæ duplex & multum diversa est Theologia: in maximi quidam momenti capitibus doctrinæ, arcano providentiæ divinæ beneficio, consentiens, in aliis diffidens, & in mutuam perniciem conjurata. Et exercit. 16. cap. 43. Hodie alia mens est multorum Theo-

logorum, qui officio suo nunquam satis fideliter se defunctos putant, nisi gravissima quæque arcana sapientiæ Dei, cuivis ex ima populi fece exposuerint, nihil quicquam reveriti τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων. Hinc illæ nonnullis in locis de prædestinatione, de æterno Dei ad damnationem decreto, & similibus mysteriis etiam inter rudes literarum & sedentes in pergulis suis artifices agitari solitæ quæstiones. Scripsit idem Casaubonus anno 1612. insignem nomine Regis Jacobi ad Cardinalem Perronium epistolam de quæstionibus fidei conciliandis.

Anno 1615 Anno 1615. scriptum præclarum & pacificum misit ad Gallos & Batavos etiam Londino Petrus Molinæus, ad pacandas apud Belgas confœderatos in Ecclesia turbas: quod videre licet apud D. Blondellum in tractatu Irenico, cui titulus, Actes authentiques.

Escrit de Monsieur du Moulin envoyé de Londres par luy mesmes au Synode Provincial de l'Isle de France, qui s'en a remercié par lettres escrites d'Ay en Champaigne, l'an 1615. en May.

Ouvertures pour travailler à l'union des Eglises Chrestiennes, qui ont secoué le joug de la Papauté, & appaiser les differents qui sont desja nés, ou qui pourront naistre à l'advenir.

Cela presupposé, s'ensuit que quiconque se rend si difficile qu'il ne peut souffrir en ses freres aucune diversité de tradition; ne fait ny l'œuvre de Dieu, ny chose qui luy puisse estre agreable.

1. *Faut poser pour fondement, que travailler a l'union & accord des Eglises est un travail utile, sainct & necessaire, & quant à la possibilité, que nul accord ne se peut faire sans l'aide, assistance, & conduite des Princes souverains dont les Pays se sont retirés de la subjection du Pape, outre cela, le plus clair-voiant & le plus affectionné, est celuy qui y peut le plus contribuer.*

2. *Cela posé, j'estimerois qu'il faudroit choisir un lieu de seur & commode accés, où se trouvassent deux Theologiens envoyés par sa Majesté; deux par les Eglises de France; deux par celles du Pays-Bas; deux des Cantons de Suisse; un ou deux de chaque Prince d'Alemagne de nostre Confession.*

3. Le

3. Le lieu, que je penserois estre le plus commode, est la Zelande, qui est comme aux portes d'Angleterre, & de facile abord de tous costés.

4. Là je ne voudrois point qu'on disputast de la Religion, car depuis que les esprits sont eschauffés, ils ne se rendent jamais, & chacun s'en retournant dict qu'il a vaincu; mais je voudrois que sur la table fust mise la confeßion des Eglises de France, d'Angleterre, d'Escosse, des Pais-Bas, du Palatinat, de Suisse, &c. que de ces confeßions on taschat en dresser une commune, en laquelle on dißimulast plusieurs choses, sans la connoissance desquelles on peut estre sauvé, comme est la question de Piscator touchant la justification, & plusieurs opinions subtiles proposées par Arminius sur le franc Arbitre, la Predistination & perseverance des Saints; estant certain, que tous les erreurs en la Religion sont venus, ou de vouloir trop sçavoir, ou de vouloir trop avoir, c'est à dire, ou de curiosité, ou d'avarice, ou d'ambition; le dernier mal a corrumpu l'Eglise Romaine; Mais Sathan tasche a corrompre les nostres par le premier. Que si nous pouvons nous commander à nous mesmes d'ignorer plusieurs choses, & nous conter des necessaires a salut; & sur les matieres non necessaires, supporter ceux qui ont un autre sentiment, nous aurions en cest accord faict, une grande partie du chemin.

Notes jusques où la tolerance de l'Autheur s'estendoit, & où celle de tous les Reformés se devoit estendre. Notés le conseil de l'Autheur & en jugés par ses evenemens.

5. Apres ceste confeßion dressée, faudroit que non seulement les Deputés la signassent, mais außi les Princes & nostre Synode National, & que ce reglement fust estably, que desormais, si en Angleterre, ou en France, ou en Alemagne, ou és Pays-Bas, ou en Suisse, quelque controverse venoit a se mouvoir, rien ne pourra estre conclu, ne decidé, moins encores innové, sans le consentement des Provinces entrées en cest accord.

6. J'estime que jusque là il y aura peu de difficulté, ce traité se faisant entre des Eglises Reformées, qui desja sont d'accord en la foy; estans seulement differentes en quelques Ceremonies, & Police Ecclesiastique; ou, si sur les matieres de la foy quelques uns ont des opinions particulieres, cela n'est encores passé en loy, ny reiglement publiq.

7. *Sur lesquelles Ceremonies & Police, faudra faire declaration mutuelle adjoustée à ladicte confeßion, par laquelle lesdicts Deputés, au nom de ceux qui les envoyeront, declareront que les Eglises ne se condamnent point les unes les autres, pour ceste difference, laquelle n'empesche point que nous n'accordions en la foy & vraje doctrine, & nous entr'embraßions comme vrais fideles, & membres d'un mesme corps.*

Notés derechef le devoir de la mutuele tolerance.

8. *Seroit bon que, pour gage de concorde, apres ceste conference, la Saincte Cene se celebrast, en laquelle les Pasteurs d'Angleterre, France, &c. communicassent ensemble, & que l'action commençast par un jusne non seulement des Deputés, mais außi de l'Eglise où l'assemblée sera convoquée, pour imploret l'aßistance de Dieu, sur un si grand & si important dessein.*

9. *Que les Deputés seront choisis d'humeur propre à cela, c'est à dire, paisibles, graves & craignants Dieu, prudents & non contentieux; qu'ils viennent garnis de pouvoir & lettres qui les authorisent amplement, & que par ces mesmes lettres, ceux qui les envoieront, promettent de recevoir avec respect tout ce qui sera conclu en l'assemblée, & par tous moyens honestes & justes s'emploier à le faire observer; & que pendant que ceste action durera, soit par toutes les Provinces entrantes en c'est accord, sera publié un jusne general, pour attirer la benediction de Dieu, & par mesme moyen toucher les cœurs de peuples de respect & reverence.*

Notés les qualités necessaires en ceux qui doivent traitter de la paix Chrestienne.

10. *Ie voudrais außi que pendant la tenuë de la dicte assemblée, il y eut des personnes allantes & venantes vers le Roy de la Grande Bretagne, afin que rien ne se fist sans son advis & authorité, &, que la conference achevée, tout le corps de l'assemblée passast en Angleterre pour faire la reverence à sa Majesté, & la remercier, & recevoir ses sages conseils sur les moyens de l'execution.*

11. *Sera necessaire que la compagnie, avant que se separer, aßigne un jour pour se rassembler au mesme lieu dans un an, pour faire le rapport de ce, qui ne se sera peu executer en leurs Provinces, & les empeschemens qui s'y seront rencontres; car je tiens impoßible de pourvoir à tout en une assemblée, & y pourra avoir telles Provinces qui improuveront quelque chose de ce qui aura esté convenu, ou qui fourniront quelque meilleur expedient.*

12. *Le temps qui se passera entre ces deux assemblées ou Synodes sera emploié*

emploié par sa Maiesté d'Angleterre, & par les Princes de nostre Confession, a faire qu'en la seconde assemblée se trouvent des Pasteurs & Docteurs Lutheriens envoiés par les Princes des Eglises Lutherienes, pour travailler à l'accord entre eux & nous; si cela se peut obtenir, les moyens d'accord pourront estre tels.

13. *Les points, sur lesquels les Eglises Lutherienes discordent avec nous, sont de deux sortes; il y en a sur lesquels il est plus aisé de s'accorder: telles sont les ceremonies des Eglises Lutherienes, lesquelles peuvent estre excusées & tolerées, pource que ce sont choses qui concernent plus la bienseance que la necessité, b telles aussi sont quelques opinions sur le poinct de la Predestination, sur laquelle j'estime qu'on peut aisement dresser un article de la confession commune, que tous approuveront sans difficulté, pourveu qu'on evite la curiosité, ce que je croy avoir esté faict par la confession d'Ausbourg, laquelle en parle sobrement, & decline expres ceste question; il y a aussi quelque different sur la necessité du Baptesme, lequel on peut en bons sens affermer estre necessaire a salut; c'est a dire, qu'il est necessaire de celebrer le Baptesme en l'Eglise Chrestienne & necessaire a chaque particulier de ne le mespriser point, sans enfoncer davantage la question de la necessité.* *Notés ce que l'Autheur estimoit digne de tolerance.* *b Notes derechef.*

14. *Il y a en second lieu le point de la Cene, où il y aura plus de peine; la difficulté est double, car elle consiste en partie en l'ubiquité du corps de Iesus Christ; en partie en la Communion ou reception du corps du Christ au Sacrement.* *Ou la supposition de l'ubiquite.*

15. *Sur le premier point on pourra convenir de ces choses; 1. Que Iesus Christ a prins au ventre de la Vierge un vray corps humain semblable aux nostres en toutes choses horsmis le peché. 2. Que son corps a une vraie chair; & qu'il a sa quantité & ses dimensions. 3. Que son corps estant au ventre de la Vierge, en la croix ou au sepulchre, n'estoit point ailleurs. 4. Que le fils eternel de Dieu est present par tout. 5. Que son corps est monté au Ciel. 6. Qu'il est assis a la dextre de Dieu. 7. Que le Pere luy a donné toute puissance au Ciel & en la terre. 8. Que la glorification luy a osté l'infirmité, mais n'a pas aboly sa nature humaine. 9. Qu'il viendra au dernier jour en ceste mesme chair qu'il a prinse de la Vierge pour juger les vivans & les morts. Si outre cela il y a quelques differentes opinions, dont on n'est point d'accord, faudra obtenir des deux*

parties

Notés encores. parties de ne se condamner point là dessus l'un l'autre, & de n'escrire plus aucuns livres sur ce sujet; & n'user plus d'invectives és predications jusques à ce que Dieu ait donné plus de clarté à ceux qui errent.

16. Quant au Sacrement & à la participation du corps de Iesus Christ, j'estime qu'on pourra convenir de ces choses. 1. Que les signes ou Symboles ne sont point signes nuds & simples figures destituees de la verité. 2. Qu'en la saincte Cene nous participons reellement au corps de Iesus Christ, 3. Que le pain ne se transsubstantie point, & ne laisse d'estre pain apres la consecration. 4. Dont s'ensuit que le Sacrement ne doit estre adoré, & que nous devons eslever nos cœurs en haut, 5. Et quant au moyen de participer au corps de Iesus Christ en la Cene, ne s'en enquerir point scrupuleusement, seulement tenir avec l'Apostre S. Paul, Ephes. 3, que Christ habite en nos cœurs par foy; dont s'ensuit qu'il n'habite point en ceux qui *Notés.* n'ont point la foy:que si quelqu'un est ferme en son opinion, que neantmoins il supporte ses freres, & ne les condamne point avec violence, seulement en ce, dont nous sommes d'accord, marchons d'un mesme pied.

Pesés sur ceste distinction. 17. Car il y a deux sortes d'erreurs, les uns qui consistent seulement en la croyance, les autres, qui outre la croiance y adjoustent quelque action exterieure: de la premiere sorte sont les erreurs sur la nature de Iesus Christ, sur la Predestination & sur le franc arbitre: de la seconde sont la Communion sous un espece, l'adoration de l'Hostie, la priere en langue non entendue de celuy mesme qui prie; les erreurs de ceste derniere sorte, quoy que bien souvent moindres que les autres, divisent bien plus aigrement les esprits, & causent bien souvent un schisme: Car, si je communie au Sacrement avec un qui erre en la Predestination, ou en la nature de Iesus Christ, ou qui croid que le corps du Seigneur est par tout, quoy que l'erreur soit grand, si est ce qu'il ne trouble point celuy qui communie avec luy. Mais, si je venois à communier avec quelqu'un, qui adorast le pain, ou pretendist sacrifier Iesus Christ, ceste action me scandiseroit, & me chasseroit, *Notés.* de là, de peur de participer à l'idolatrie ou à un faux sacrifice, or nous avons ce bien qu'avec les Eglises Lutherienes, tous nos differents sont de la premiere sorte; & que touchant les exterieus, qu'ils pratiquent en l'Eglise, n'avons nul different qui ne soit aisé à composer.

Le procedé des Protestants de Po- 18. Sera bon d'avoir sur la table le concordat des Eglises de Pologne faict à Sendemir l'an 1570, & depuis renouvellé au Synode de VVladislau

l'an

l'an 1583, afin de tirer de leur exemple tout ce qui pourra servir, & qui sera imitable; & peut estre se trouveront plusieurs Eglises Lutheriennes qui ne voudront point insister sur l'ubiquité.

Ligne peut servier de patron à tous les autres.

19. *Je voudrois qu'en ceste deuxiesme assemblée le mesme ordre se gardast qu'en la premiere, & le mesme respect envers sa Majesté d'Angleterre, & qu'elle commencast par un jeusne, & se finist par la celebration de la saincte Cene, en laquelle les Pasteurs Lutheriens & les nostres communiassent ensemble.*

20. *Pour proceder à l'execution, a ce que les peuples & Eglises se rangent a ce qui aura esté convenu, est du tout necessaire que le Princes promettent d'emploier leur authorité, a ce que ces mots de Lutheriens, Calvinistes, & Sacramentaires soient abolis, & que nos Eglises soient appellées Chrestiennes Reformées; que sur grosses peines soit defendu d'user és predications d'invectives contre ses freres, ny de faire aucuns escrits les uns contres les autres; & que le Catalogue de la foire de Francfort ne soit plus chargé de titres injurieux, comme il a accoustumé. Que les Princes Alemands en certain jours dont on conviendra envoient de leurs Ministres és Eglises principales des Princes voisins, & en recoivent des leurs, & communient ensemble en la saincte Cene en un jour solennel.*

Notes les expediens propres pour obtenir & conserver la paix.

21. *S'il plaisoit a Dieu de benir ce travail si sainct & si louable, & qui couronneroit a jamais le Roy de la Grand Bretagne, & les Princes qui luy aßisteroient; alors il seroit temps de solliciter d'accord l'Eglise Romaine; lequel accord s'il est faisable, dont je doute fort, pource que le Pape n'admet aucun Concile ny conference s'il n'y preside, nous serons plus considerables, & parlerons avec plus d'authorité quand nous serons d'accord.*

Anatomes Arminianismi anno 1619 editæ, Capite III.

AN Deus de singulis eventibus fecerit peculiare decretum dubitari potest. Nam, ut Deus ab æterno decreverit quot herbæ capillamenta debeant hoc anno in Neapolitano agro succrescere, aut quot de attrito mendici centone fila dependeant, non videtur consentaneum: quia hæc non habent ratione͂ boni aut mali, nec faciunt ad Dei gloriam, aut perfectionem universi. Idcirco Thomas censet Dei decreto numerum hominum esse definitum: at non numerum culi-

Summa Theol. 1. p. quæst. 23. art. 7.

culicum aut vermium. Non quod minutula ista Dei cognitionem effugiant: aut quod Deus non possit ad ista extendere suam providentiam: sed quia non videtur conveniens summæ sapientiæ aliquid decernere, quod nihil conferat ad suam gloriam, aut ad perfectionem universi. Nempe Deus omnia vel minima ab æterno præscivit; at ea demum prçordinavit & decrevit, quæ habent rationem aliquam boni, & quibus gloria Dei fit illustrior vel mundus perfectior.

Audiamus quid dicat idem ille Molinæus lib. 1. cap. 7. de novitate Papatus; ubi agit de excommunicatione Asiaticorum facta per Papam Victorem an. C. 198.

Or en ceste question il vaut mieux moins dire que trop. Car l'homme craignant Dieu s'abstiendra de iuger temerairement du salut d'autruy: Se souuenant de la sentence de Iesus Christ, ne iugés point, de peur que vous ne soyes jugés. *Et pesera les causes de la separation, & distinguera les personnes. Car il y a des erreurs en choses legeres & non fondamentales en la religion, sur lesquelles peut auenir separation par l'orgueil & opiniastreté de quelques Pasteurs, mesme des Orthodoxes: comme l'erreur des Quartodecimains, qui celebroyent la Pasque precisément le quatorziesme iour de la Lune de Mars, pour laquelle cause Victor Euesque de Rome se separa de leur communion. Ie dis qu'encore que l'erreur fust de leur costé, si est ce que le schisme venoit du costé de Victor, & qu'il estoit plus coulpable qu'eux: Et que prononcer qu'vn povre peuple qui n'est pas cause du schisme, est a cause d'vn tel erreur damné eternellement, c'est y aller vn peu viste, & iuger bien hardiment du salut d'autruy. Car il est certain que telles separations arriuent ordinairement par l'ambition des pasteurs qui meinent le peuple: lequel gemit sous ce ioug, & desire la concorde, estant marri de la separation. Mesme il peut auenir que deux Eglises qui se separent de la communion mutuelle soient toutes deux en faute. Peut aussi aduenir que la partie qui a la verité de son costé est cause du schisme par la rudesse, ou ambition, ou faute de charité de ceux qui la gouuernent. Tout ainsi que quand deux freres s'entrequerellent, ils ne laissent d'estre freres: aussi est il bien possible que deux Eglises discordantes ne laissent d'estre membres de mesme corps, au iugement de Dieu, lequel ne s'accommode pas a nos violences. Mais les hommes enclins a presumer de leur justice,*

justice, & peu charitables envers leurs freres, destinent aux enfers, & prononcent excommuniés, heretiques & schismatiques tous ceux qui ne communient avec eux: au lieu de tascher a reioindre la rupture par douceur, en supportant les foibles. Ie voudrois donc mettre grande difference entre les autheurs du schisme, qui sont flambeaux de Satan & cause de rupture, d'avec le simple peuple, qui ne peut resister à l'authorité des Pasteurs de l'Eglise, dans laquelle il est né & nourri, & qui a l'esprit porté a la concorde.

Vide ibidem lib. 1. cap. 46. ubi hæc pauca habet verba: *I'adiouste que tout le service de Dieu, consiste en deux poincts, à sçavoir a bien faire, & a bien croire. Or nous avons le sommaire du premier en la loy de Dieu, & du second au symbole: force personnes sont pervenus au salut avec moins de cognoscience que cela. Ionas n'a pas proposé toutes ces choses au Ninivites, a la conversion desquels neantmoins Iesus Christ rend tesmoignage au 12 de Matth. 41. Ceux de Ninive se leveront au jugement contre ceste nation & la condemneront, pourtant qu'ils se sont amendez a la predication de Ionas.*

Synodus Dordracena celebrata est an. C. 1618. & 19.

Anno C. 1624. Magnus ille Ufferius, Episcopus Armachanus in concione Londini habita coram Rege Jacobo de Ecclesia Catholica & unitate fidei, manifestè ostendit cum præcedentibus ex Anglia missis scriptis, quantoperè illud regnum ad pacem in Ecclesia conservandam propensum fuerit, & simul indicat facilem conciliandarum Ecclesiarum modum. Ubi distinguit inter fidem Catholicam & Theologicam, &c. obiter & acriter perstringit quosdam tetricos, saperdas, & sui cerebri homines, qui nil nisi quod ipsi faciunt rectè factum putant, quæ sola cum Donatistis Sancta volunt. Excerpam ex ea concione quædam, ut lector viri istius mentem videat. 1624.

Opus ministerii, inquit, institutum *ad ædificationem corporis Christi, usque dum perveniemus omnes ad unitatem fidei & cognitionis filii Dei ad perfectum virum, ad mensuram magnitudinis plenitudinis Christi.* *Paulus Eph. 4. v. 13.*

In quibus verbis nobis consideranda primò res ædificata (*nos omnes*) postea ædificatio. Præterea in ædificatione primò cura est

 adhi-

adhibenda in jaciendo fundamento (*unitate fidei & cognitionis filii Dei*) secundò in perficiendo opere ad plenam altitudinem (*ad virum perfectum, ad mensuram magnitudinis plenitudinis Christi.*)

Materia hujus ædificationis spiritualis, ut ab ea exordium sumamus, sumus nos ipsi: *Vos etiam ipsi veluti vivi lapides, ædificamini ad spiritualem domum*, inquit Petrus; Paulus hic addit tanquam signum Catholicismi, *nos omnes*: optimè conveniens cum universa seu Catholica Ecclesia, quæ est corpus Christi; de cujus ædificatione hic agit, & alibi clarius dicit, *nos omnes esse per eundem spiritum in unum corpus baptizatos, sive sint Iudæi, sive Græci, sive servi, sive liberi.* Nam Ecclesia Catholica non debet in aliquo angulo aut parte mundi quæri, sed *inter omnes, qui nomen Domini nostri Iesu Christi invocant in omni loco, ipsorum & nostro.* Dictum ergo erat ipsorum & nostro: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessiones tuas terminos terræ*; similiter ad mysticum suum corpus, Ecclesiam Catholicam; *Ab Oriente adducam semen tuum, & ad Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da, & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ; & omnem qui invocat nomen Domini.* Cogitandum ergo est de Catholica Ecclesia, tanquam de integrò corpore, quod in unum componitur per congregationem & unionem omnium fidelium: ex qua unione unusquisque earum ejusmodi relationem ab Ecclesia Catholica accipit, cujusmodi partes habent respectu totius. Ex quo sequitur singulares quosdam homines aut Ecclesias nil debere agere, tanquam separata corpora, (quod est fundamentum omnium schismatum) sed debent doceri & discere & omnia Christiani officia facere, tanquam totius partes & membra unius corporis & ejusdem reipublicæ. Idcirco Episcopi veteris Ecclesiæ, etsi iis una & singularis Ecclesia erat commissa, attamen respectu hujus communionis, quam cum Ecclesia Catholica habebant, plerumque se vocabant Episcopos Ecclesiæ Catholicæ. Quod efficax est argumentum, ad refutandos hos novos Separatistas & veteres Donatistas: qui parvi faciebant, utrum fidem suam profiterentur, intra aut extra Catholicam communionem; etiam (quod peius est) qui ita gloriabantur de suorum donorum perfectione, ut recusarent cum

Marginalia: 1 Pet. 2. 5. — 1 Cor. 12. 13. — 1 Cor. 1. 2. — Psalm 2. 8. — Esaia 43. 5. 6. 7.

cum aliis Christianis communionem: quasi illi soli fuissent populus Dei, & quasi omnis sapientia cum illis & illorum generatione & victura & moritura esset.

Et: Romani per superbiam suam possunt æquè cadere ac alii, & Romana Ecclesia per infidelitatem perinde abscindi potest, quam alia aliqua congregatio: nihilominus tamen Ecclesia Catholica subsistit, habens scilicet pro suo fundamento neque Romam, neque Romanum Episcopum, sed Jesum Christum, filium Dei viventis. Et tamen hæc fastuosa Domina cum suis filiabus, particularem Ecclesiam Romanam intelligo, & illam, quam vocant Catholicam Romanam, posterioribus hisce seculis totam Ecclesiam Christi suis limitibus inclusit, & exclusit omnes alias, quæ Romanæ Ecclesiæ non obediebant, tanquam alienas à republica Israëlis, & extraneas à fœdere promissionis. Donatistæ à majoribus nostris, accusabantur, quod Ecclesiam in Africâ concluderent: & reliquas omnes, quæ cum iis communionem non servabant, rejicerent: quid igitur illi de iis judicarent, qui Ecclesiam in parte orbis Occidentalis concludunt, & cæteros Christianos, qui ab eadem radice non dependent, à corpore Christi avellunt. Mirum mihi videtur, viros sapientes tam prolixos facere sermones de Catholica Ecclesia & tam multa producere testimonia, ad probandam ejus universitatem; non considerantes, dum se putant hoc modo magnam de nobis reportasse victoriam, se propriam evertere doctrinam: nam cum ad rem ventum est, obtrudunt nobis, loco Catholicæ Ecclesię, quæ consistit in communione omnium nationum, particularem suam Ecclesiam, quæ est tantum membrum Ecclesiæ Catholicæ, & sic circumscribunt Ecclesiam Christi intra limites Romanæ jurisdictionis, & reliquos omnes Satanæ potestati relinquunt: apud eos enim conclusissimum est, *subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ omnino esse de necessitate salutis.*

Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis. Bonifac. VIII. in extravag. De majoritate & obedientia cap. 5. nam sanctam &c.

Quid ergo fiet de miseris Moscovitis & Græcis, (ut reformatas taceam Ecclesias) in Europa? quod de Ægyptiis Æthiopicisque

Eccle-

Ecclesiis in Africa? Quid de innumeris illis Christianorum catervis, per totam Asiam dispersis, à Constantinopoli, usque ad extremos Indos? qui plura & graviora perpessi sunt & etiamnum patiuntur pro nomine Christi, quam unquam illi, qui soli amici Christi æstimari volunt? An igitur hos omnes negabimus esse membra Christi, quia non sunt subditi Papæ? ideòne, quod Romanæ Ecclesiæ obedientiam non præstent, jure suo excidunt, quod iis competit in Ecclesia Catholica, extra quam nulla est salus? An igitur omnes eos perditos, & certo certius damnatos existimabimus? Illi, qui tam multa differunt de Catholica Ecclesia, & reipsa non nisi particularem suam Ecclesiam propugnant, necessariò tam profundè in defectum charitatis, quam in fœdum schisma lapsi sunt. Nos qui modestius Ecclesiæ universitatem jactamus, veritatem autem ejus retinemus, non possumus à nobis impetrare, ut tam cruentam possimus sententiam adversus tam multorum hominum miseras animas pronunciare, qui Christo nomen dederunt. Ille, cui placuit Ecclesiæ semen tam latè dispergere, dicit Orienti, Occidenti, Septentrioni & Austro. *Da*, nobis autem non est dicendum, *Psalm. 2. 8.* *probibe.* Ille dedit filio suo *Gentes hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ.* Nos pro nostra parte non audemus hoc donum imminuere, nec arbitrio nostro huic tam grandi Dominio limites præscribere, in nostrum commodum: sed relinquimus id in sua latitudine, neque quærimus in hac vel illa parte Ecclesiam Catholicam, sed (ut antè diximus verbis Apostoli) inter *omnes, qui invocant nomen* *1 Cor. 1. 2.* *Domini Iesu Christi, in omni loco & ipsorum & nostro.* Quidam verò dicunt, quomodo hæc fieri possunt, cum tantem una sit Ecclesia Catholica & præcipua ratio, quare dicatur tantum una, sit, unitas in fide, cujus ibi sit professio? Quomodo igitur unitas fidei potest conservari in omni loco, si una particularis Ecclesia non sit constituta, tanquam magistra reliquarum, & unus præcipuus Episcopus magister omnium, per quem unisquisque in rebus fidei regi & instrui deberet? Quomodo ex tam diversis confessionibus, quæ inter divisos Christianos in hac mundi parte reperiuntur, inveniri potest apta materies, ad ædificandam unam Catholicam Eccle- *Ecclesia ex pluribus personis con-* siam? Ad hæc respondeo (& sic transeo à materie ædificii ad stru-

&uram)

gregatur, & tamen una dicitur propter unitatem fidei. Hieron. in Psalm 23. (si modo is horum commentariorum autor est.)

ɫuram) quod sit verissimum, in Ecclesia esse * *unum Dominum, unam fidem, unum baptisma*: nam ita docti sumus in hoc capite ab Apostolo. Sed in primis hic considerandum est, eam fidei unitatem fieri debere per ejusmodi media, qualia Deus in eum finem nobis præscripsit, non verò per politicas artes. Ut autem omnes ad hanc fidei unitatem perducamur, hoc ipso capite versu undecimo docet nos Apostolus, † *Christum* quidem *dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores.* Si existimasset observationem hujus unitatis dependere à singularitate unius cujusdam Apostoli, Pastoris aut Doctoris; possetne quispiam sibi imaginari, Apostolum omissurum fuisse ejusmodi singularem personam, (præsertim in illo loco, ubi præcipuè ejus præsentia requirebatur) cum ipsius sermo plerumque fuerit de plurali numero?

* *Eph.* 4. 5.
† *Eph.* 4. 11.

Peculiare est opus Spiritus Dei, quod tanta multitudo Doctorum per universum orbem disparsorum sine aliqua tali dependentia, qui neque ejusmodi communi vinculo astricti, aut mutui consilii participes fuerunt, in jaciendis fundamentis ejusdem fidei simul conveniat & consentiat: & ea est *unitas spiritus*, de qua hic loquitur Apostolus, & exhortatur nos ut eam *servemus in vinculo pacis.* *Eph.* 3 4.
Et paulò post: Præterea, ut progrediamur ad ulteriorem declarationem *unitatis fidei*, revocanda est in memoriam illa distinctio, quam facit Apostolus inter *fundamentum*, & id, *quod super fundamento constructum est*: inter *principia doctrinæ Christi*, & id quod ille vocat *perfectionem. Unitas fidei & cognitionis filii Dei*, de qua hic agitur, referri debet (ut intelleximus) ad *fundamentum*; quemadmodum id quod sequitur de *viro perfecto, & mensura magnitudinis plenitudinis Christi, ad structuram & perfectionem.* In priori universalis est unitas inter omnes verè fideles, in posteriori maxima est diversitas, quoniam ibidem diversi inveniuntur gradus perfectionis in diversis hominibus, *secundum mensuram donationis Christi.* Et: Quoad praxin, magnam & admirandam videmus differentiam inter Christianos: quidam, per Dei gratiam, altiorem perfectionis gradum attingunt; & sese servant immaculatos à vulgaribus mundi immunditiis; alii non tam sedulò vigilant in viis suis, nec tam austeram ducunt vitam

1 *Cor.* 3. 10. 11. 12. *Heb.* 6. 1.
Eph. 4. 7.

tam

tam, sed sæpius delinquunt & turpiter labuntur: adeò ut, qui hujus & illius mores observaverit, vix animum inducat, idem cœlum eosdem admissurum. Quamvis autem alius alium multis parasangis prætereat in novæ obedientiæ studio, (quod hominis Christiani stadium est) sunt tamen certa quædam fundamentalia principia, in quibus ambo conveniunt: veluti voluntas timendi nomen Dei, pœnitentia de peccatis præteritis, & sincerum cordis propositum, Deo in posterum adhærendi; hæc quicunque habet, sub gratia vivit, nec ullo modo à commmunione est excludendus. Similiter quoad scienda & credenda, *elementa exordii sermorum Dei* (velut ea vocat Apostolus) sunt loco communis fundamenti, cui omnibus Christianis innitendum, quamquam quidam sint *parvuli* & quoad majorem cognitionem, sunt *expertes sermonis justitiæ*, alii autem sunt *perfectiores, qui per consuetudinem exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali.*

Nehem. 1. 11, *Luc.* 13. 3. 5. *Heb.* 6. 1. *Heb.* 5. 12. *Heb.* 5. 13. 14

Oracula Dei copiosam in se continent materiam, & quicquid in iis invenitur, est idoneum *fidei* objectum. Ut autem omnes Christiani in professione omnium illarum veritatum, quæ ibi revelantur, inter se unanimiter convenirent, optandum quidem est, sed nunquam sperandum. Attamen, diversitas humanorum judiciorum in his variis & multis quæstionibus, quæ spectant *fidem Theologicam*, non dissolvit unitatem, quam inter se habent in fundamentis *fidei Catholicæ*. *Unitas fidei*, quæ hic commendatur, est *unitas Catholica*, quæ est omnium verè Christianorum propria, *donec omnes pervenieniemus in unitatem fidei*, inquit Apostolus. Quemadmodum autem est *communis salus*, ita est *etiam communis fides*, quæ *aquè pretiosa* est in summo Apostolo, ac in minimo fideli. Nam non est cogitandum, cœlum esse præparatum tantum insigniter doctis; propterea, præter ampliorem illam scientiæ mensuram, cujus omnes non sunt capaces, necesse est, ut sit *regula fidei pusillis magnisque communis*: quæ, sicuti ex paucis constare debet propositionibus (nam homines vulgares multa capere nequeunt) ita etiam requiritur, ut hi articuli tanti sint ponderis & momenti, *ut possint hominem facere sapientem ad salutem*. Et licet in aliis dogmatibus doctiores, vulgares Christianos superent, & similiter docti alii aliis antecellant, respectu tamen

Iude 3. *Tit.* 1. 3. 2 *Pet.* 1. 1. *Aug. Ep.* 57.

men harum fundamentalium veritatum, quę sunt necessarium & commune pabulum omnium filiorum Ecclesiæ, non tantum unitas, sed & istiusmodi ibi emergit & resultat unitas inter omnis generis Christianos, cujusmodi olim erat inter Israëlitas in collectione Mannæ, *ubi, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, repperit minus.* *Exod. 16. 18.* *2 Cor. 8. 15.*

Si igitur credendo communia hæc principia, salus acquiri potest, & ad salutem nemo pervenire possit, nisi qui prius sit membrum Catholicæ Ecclesiæ Christi, inde sequitur unitatem fidei universè requisitam ad initiationem Christianorum in illam sanctam & benedictam societatem, non debere extendi ultra communia hęc principia. Quod nobis clarius apparebit ex ipsius Catholicæ Ecclesiæ perpetua praxi, in initiatione filiorum suorum, & prima eorum admissione in suam communionem. Cum enim Catechumenos suos instrueret ad baptismum, & per illud ostium intra ovile Christi reciperet, non est cogitandum fuisse tam exigui judicii, ut aliquid omitteret, essentialiter necessarium, ad conficiendum membrum Ecclesiæ. Professio autem, quam requirebat à baptizandis, (quòad agenda seu praxin) erat renuntiatio diaboli, mundi & carnis, cum omnibus suis cupiditatibus & perversis operibus; quòad credenda, & profitenda, erat Confessio articulorum fidei seu symboli. Quibus solenniter peractis, baptizabantur. Quibus abundè satis indicabat, hanc unam illam fidem esse ab Apostolis commendatam, sicut etiam fuit illud unum baptisma institutum, ut sit illius fidei sacramentum. *August. epist. 23.*

Hoc symbolum, licet quòad substantiam unum idemq; fuerit, quoad formam tamen differebat, & quibusdam in locis paulò latius extendebatur. Ecclesia Occidentalis magis se applicuit ad captum populi, quam Orientalis, quę utebatur in baptismo breviori illa Confessionis formula, vulgò dicta Symbolum Apostolorum, quod tamen antea etiam, brevius erat: quod videre est, ex collatione symboli, quod recitat Marcellus Ancyramus in professione fidei, quam obtulit Papę Julio, cum expositionibus Symboli Apostolorum, per auctores Latinos scriptis: ubi articuli de Patre *Creatore cœli & terra*, de filii *morte*, & *descensu ad Inferos*, deque *communione Sanctorum* planè omittuntur. Qui omnes, quamvis indubitatæ sint veritatis, brevitatis tamen *Habetur apud Epiphan hæres. 72.*

gratiâ, videntur primitus omissi, in hoc summario: vel quod fortasse eorum aliqui non adeò necessarii omnibus hominibus censebantur, (quod est judicium *Suarez* de articulo *descensus ad Inferos*) & quidam, qui erant maximè necessarii, putabantur, vel satis inclusi (ut ille de *morte* Christi in illis *de crucifixione & sepultura*) vel satis perspicui per lumen rationis, ut ille de *creatione cœli & terræ*. nam quamvis hæc veritas, prout nobis in verbo Dei revelatur, sit objectum fidei, (Heb. 11. 3.) potest tamen etiam intelligi ratiocinatione, (Rom. 1. 20.) eodem modo, quo *unitas* reliquaque Deitatis attributa, quæ propterea optimè referri possunt ad præcognita illa, seu prima principia, quæ naturaliter menti inhærent, antequam per gratiam illuminetur: nec ideo opus est, ut symbolo inserantur, quod est signum & tessera, quâ fideles ab infidelibus distinguuntur.

Fr. Suarez lib. 2. in 3. part. Thomæ disput. 43. sect. 2.

Symbolum, quo Orientales Ecclesiæ in baptismo utebantur, hoc fusius fuit, & erat id ipsum, aut paullulum differebat ab eo, quod vulgò Nicænum vocamus: eò quod in Concilio Nicæno primò ejus maxima pars repetita & stabilita fuerit: ubi antea ejusdem exemplar Synodo oblatum fuit, per Eusebium Episcopum Cæsariensem, cum hac præfatione: *Sicut ab Episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus, sicut cum fidei fundamenta in nostris animis primùm jacta essent, cumque lavacro baptismatis abluti essemus, audivimus; sicut à divinis scripturis didicimus; & sicut cum fungeremur presbyterio, & cum Episcopatum obtineremus, credidimus & docuimus, sic etiam jam credentes, nostram fidem vobis patefacimus.* Huic patres Concilii Nicæni de divinitate filii clariorem addiderunt explicationem, (contra Arrianam hæresin, quâ tum Ecclesia turbabatur) profitentes eum *genitum non factum, & ejusdem substantiæ cum Patre.* Secundum generale Concilium, post annos 56 Constantinopoli congregatum, hanc fidei confessionem approbavit, tanquam *antiquissimam, & convenientem baptismati*: & aliquantulum auxit in articulo de Spiritu sancto, quem maximè tum temporis hæretici Macedoniani oppugnabant. Cum autem Confessio Nicæna, non ulterius progrediatur, quam ad fidem in Sanctam Trinitatem; Patres Constantinopolitani eam absolverunt, addendo ea, quæ antea in confesso erant, quoad Ecclesiam Catholicam & ejusdem privilegia.

Eusebii epist. apud Socratem lib. 1. cap. 5. & Theodoret. lib. 1. cap. 12.

Concil. Constantinop. epist. apud Theodoret. cap. 9. lib. 5.

Epipha-

Epiphanius hoc symbolum fusius recitans per Apostolos traditum asserit, Idem & Cassianus affirmat, ubi hoc urget adversus Nestorium, utpote antiquitus in Ecclesia Antiochena, unde ille venerat, receptum. Romana Ecclesia post Caroli Magni tempora addidit huic Symbolo articulum de processione *Spiritus sancti à Filio*, & Concilium Tridentinum idem nobis commendat, *tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, adversus quod porta Inferni nunquam pravalebunt.*

Epiphan. in narrat. pag. 518. edit. Græc. 1°. *Cassian. lib. 5. de incar. Verbi.*

Ergo ipsi patres Tridentini confitentur in symbolo Constantinopolitano aut saltem Romano, (quod ab altero non differt, quam quod in processione Spiritus sancti addiderit, *Filioque* & in articulo de filio ex Nicæno Concilio, *Deum de Deo*) inveniri unicum fundamentum & principium fidei, in cujus unitate omnes Christiani convenire debent. Quod etiam satis superque patet ex constanti Apostolorum praxi, & eorundem successorum, in receptione hominum in societatem Ecclesiæ. Nam in una aliqua Apostolorum concione videre licet tantum doceri & proponi, quantum sufficeret ad conversionem populorum, eorumque Baptismum. Illæ autem conciones prima tantum tradiderunt elementa doctrinæ Christi: quibus receptis, Ecclesia (Apostolorum exemplum secuta) nunquam suis Catechumenis baptismum negavit. In his igitur primis principiis necesse est, ut fundamentum illud & unitas fidei consistat, quæ in omnibus Ecclesiæ membris requiritur.

Concil. Trident. (sess. 3.) Symbolum fidei, quo Sancta Ecclesia utitur, tâquam principium illud in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conveniunt ac firmamentum firmum & unicum, cōtra quod porta inferni nunquam pravalebūt, totidem verbis quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit.

Fundamento hoc modo manifestè proposito; quoad structuram, discimus ab Apostolo, quosdam *ædificare super hoc fundamento, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam.* Quidam procedunt ab uno salutaris scientiæ gradu in alium, augentes sensim principale fulcimentum, additione aliarū sanctarum veritatum, quę in Dei verbo revelantur: Et hi ædificant super fundamento, *aurum argentum & lapides pretiosos.* Alii quidem retinent pretiosum fundamentum, sed vilem superædificant materiam, *ligna, fœnum, stipulam*; aut similes res inutiles aut noxias: & alii eò procedunt, ut ipsum evertant fundamentum: horum primi sapientes, secundi stulti, postremi insani sunt ædificatores. Quando dies veniet probatio-

1 Cor. 3. 12.

1 Cor. 3. 14. & 15. nis, primi *opus manebit* & ipse *mercedem accipiet*: secundi opus peribit, non autem ipse: (*detrimentum patietur*, inquit Apostolus, *ipse autem salvus erit*) *Nemo diu tutus, periculo proximus*: inquit S. Cyprianus. Postremus autem simul cum suo opere peribit. Et sicuti in hoc spirituali ædificio valdè diversa eidem fundamento superstrui possunt, ita etiam in iis accuratè distinguendum est inter ea, quæ fundamento magis contigua sunt, & ea quæ magis à fundamento remota. Plenior explicatio primi in fide principii, ut & conclusio inde deducta, sunt in earum veritatum serie, quæ fundamento propiora sunt. quibus ex adverso errores illi respondent, qui fundamentum concutiunt, & quodammodo in periculum adducunt. Quod enim varii sint gradus, & veritatum & errorum in religione, qui necessariò distingui debent, notum est & nobis, & nostris adversariis; *Quædam sunt Catholicæ veritates quæ ita ad fidem pertinent, ut his sublatis, fides quoque ipsa tollatur: quas nos usu frequenti non solum catholicas sed fidei veritates appellavimus. Aliæ veritates sunt etiam ipsæ Catholicæ & universales, nempe quas universa Ecclesia tenet, quibus licet eversis, fides quatitur sed tamen non evertitur; atque in huiusmodi veritatum erroribus contrariis, dixi fidem obscurari non exstingui, infirmari non perire. Has ergo nunquam fidei veritates censui vocandas, quamvis doctrinæ Christianæ veritates sint.* Nihilominus, *necessariò oportet distinguere alios gradus propositionum, per quas, etiamsi fides non destruatur omnino tamen male habet & quatitur & quasi disponitur ad corruptionem. Sicut sunt quædam corporum læsiones, quæ non auferunt vitam, sed male habet homo per eas & disponitur ad corruptionem, aut in toto aut in parte: alia verò sunt læsiones mortales, quæ vitam eripiunt: ita sunt quidam gradus propositionum continentes doctrinam non sanam, etiamsi non habeant hæresin manifestam.* Uno verbo, generalis est regula de omnibus hisce superædificationibus, quæ quantò propinquiores sunt fundamento, tantò majoris momenti sunt veritates, tantòque magis periculosi sunt errores: & contra, quò remotiores sunt à fundamento, eo minus cognitu sunt necessariæ illæ veritates, minusque periculosæ aberrationes.

Melchior Canus loc. Theol. lib. 12. cap. 11.

Dominicus Bannez in Thom. 14 quæst. 11. artic. 2.

Anno

Anno 1631. Habitum est colloquium inter Theologos Germanos tam Augustanæ confessionis quam reformatos Lipsiæ in Saxonia, in quo actum est de tollendis Ecclesiarum Euangelicarum dissidiis in Germania: quod dabo cum parte præfationis sub fide editoris, non minus pacifici quam ipsi collocutores. 1631.

Latino sermone hic Tibi exhibemus, Benevole Lector, quæ vernaculo inter eximios aliquot Germaniæ Theologos, pacis & concordiæ cupidine, placidè agitata fuêre, & alibi locorum in publicum prodierunt. Cæterum in hac Collatione sequentia breviter notanda.

1. *Authorem hujus Relationis esse ipsum Dominum D. Hoë, Sereniss. Electoris Saxoniæ præcipuum Concionatorem Aulicum, colloquioque huic ab utriusque partis Theologis tum præsentibus subscriptum esse, sic ut de veritate & certitudine omnium eorum, quæ hic referuntur, minimè sit dubitandum.*

2. *In hoc Colloquio omnia Augustanæ Confeßionis Capita examinata, summamque in principalibus, & quidem juxta ipsum literalem sensum, inter utramque partem consensionem esse deprehensam. Vnde satis liquet etiam de Augustana Confeßione à Theologis utrinque conventum.*

3. *Reliqua tria Capita, de quibus aliquid scrupuli remansit, tanti momenti non esse, ut ipsum fidei ac salutis nostræ fundamentum tangant: sed tales controversias continere, quæ magis scholis, quàm pulpito aptæ sint: tales prætereà materias, quæ ab utriusque partis Theologis pro magnis Dei mysteriis habeantur, quæque admiranda potius sint, quam scrutanda. Quis enim ex verbo Dei nescit, Articulum Incarnationis Verbi, indeque manentem materiam de Communicatione Idiomatum, maximum esse Mysterium captum humanum longè transcendens? In quo nihilominus utraque pars consentit, nisi quòd in unica forma loquendi de humana Natura Christi aliquid discrepantiæ residea t, ut ex tertio Articulo videre est. Pari modo fatentur Collocutores, materiam de sacra Cœna Domini, de Prædestinatione, magna & impenetrabilia in se Mysteria complecti, eòque hac èx parte Scripturæ sacræ acquiescendum, nec altè nimis in iis rimandum.*

4. *Cum tam expressa declaratio tantorum Theologorum pro utriusque partis vera, sincera & propria sententia sit habenda, hinc apparere,*

1. *Nullam justam, nec sufficientem causam restare, cur Euangelicæ utriusque partis Ecclesiæ amplius divellantur, cum in fundamento salutis idem sentiant, controversia verò in iis versentur, quæ ad salutem scitu haud sunt necessariæ.*

2. *Neutram ex utrisque Ecclesiis tam erronea, horrenda & execrabilia dogmata statuere, qualia nonnunquam altera pars alteri impingit. Ideòque injustum, nec coram Deo excusabile, si sub hoc prætextu separationes utrarumque Ecclesiarum porrò faveantur, ut à nonnullis hactenus factum est.*

Colloquium hocce tanquam privatum aliquamdiu equidem habitum fuit; ita tamen ut ad consensum in eo impetrandum liberum esset utriusque partis Theologis illud communicare; unde factum quod triennio post, Ordines Euangelici in conventu Francofurti habito, de Concordia Religiosa inter Ecclesias suas promovenda moniti, Decretum fecerint de Colloquio eodem iterum tempore opportuno publicæ autoritate renovando: sed intervenit paulo post Nordlingana clades, quæ res Euangelicorum publicas per aliquot annos afflixit, vires attrivit, consilium formatum dissipavit, & conventus omnes fœderatorum disturbavit; donec in Osnabrugensi & Monasteriensi tractatu, Pace constitutâ, inceptum est denuò cogitari de Decreto illo executioni mandando, quod nunc Euangelicorum consiliis obversatur institutum. Hoc igitur Decretum visum est huic Colloquio subjungere, ut intelligatur cui fundamento instaurati inter partes super hac re conatus innitantur.

POsteaquam singulari providentiâ Dei plerique Illustrissimorum Procerum ac Statuum Germaniæ Protestantium, indicti conventus celebrandi ergò Lipsiæ essent congregati: qui tum in Comitatu eorum agebant, D. *Iohannes Bergius* Serenissimo Elect. *Brandenburgico* à Concionibus; D. *Iohannes Crocius* & *Theophilus Neuberger* Illustrissimi *Hassiæ Landgravii Guilielmi* Ecclesiastes alter, alter *Theologus*, pro suo in pacem & concordiam studio, ex *Theologis Saxonicis*, D. *Matthiam Hoë*, *Sereniss.* Electoris Saxon. præcipuum Concionatorem Aulicum, duos item primarios in Academia Lipsiensi Theologiæ Professores D. *Polycarpum Leyserum* Superintendentem, & D. *Henricum Hopfnerum* ultrò adierunt, multisque apud ipsos miserati sunt acria illa hactenus ab utriusque Ecclesiæ Theologis

Occasio.

logis

logis intet ipsos alita certamina: nimirum Pontificiis sic non exiguam exultandi ansam præbitam. Nec sanè in obscuro esse, quantùm mali ex hisce dissidiis natum, quantoperèque in lucrum & emolumentum suum eadem Papatus verterit. *Causa.*

Quandoquidem verò non sibi tantum, sed & clementissimis Principibus ac Dominis suis, nihil gratius & exoptatius futurum sit, quam ut lites ac dissensiones illæ vel prorsus componantur, vel leniantur saltem ac minuantur; Idcircò quàm humanissimè à Dominis Saxonicis contendere, ut si ita commodum ipsis videatur, præsenti occasione in Colloquium secum ingredi, periculumque facere ne graventur, quousque in tam laudabili, totique Euangelicæ rei maximè profuturo opere procedi & perveneri posset: Neque id tamen aliâ conditione, quàm ut privata hæc negotiatio libera prorsus, neutrique parti vel levissimo præjudicio sit: Se quidem ad præstanda ea omnia, quæ ad faciliorem ejus expeditionem, salvâ modò conscientiâ, ab ipsis proficisci possent, omnium paratissimos. Neque minus certos, nihil isthoc pacto apud Clementissimos Dominos suos offensuros, sed facinus potius longè ipsis gratissimum designaturos. *Scopus.*

Ad quę Saxonici: neque se nescire & summopere itidem deplorare magno Euangelicis Ecclesiis incommodo concertationes istas in tantum cumulum hactenus excrevisse; optare ex animo, ut salutaria ad compositionem earundem media Deus largiatur: Quod si ritè & citra Veritatis Divinæ detrimentum vel sanguine suo concordiam redimere daretur, neminem ejus profundendi cupidiorem promptioremque ipsis futurum: Ambigere tamen nonparum, cum res ipsa maximi momenti sit, universasque utrinque Ecclesias & Theologos (quorum libertati sentiendi ne minimum quidem obicem ponere fas sit) spectet, an in tanta temporis angustia, & à tam paucis hominibus aliquid quod operę pretium sit, effici possit. Non ignotum Dominis *Brandenb. & Hassiacis* Theologis esse, & hic merito locum habere illud; Quod omnes tangit, ab omnibus curari debet: & quot capita, tot sensus: Sui pręterea officii esse, hæc prius ad Sereniss. Electorem Saxonię, Dominum suum Clementissimum, ejusque spectatissimos Cousiliarios deferre, quibus inscìis *Conditiones.*

ſciis ne minimum quidem aggredi audeant, in reStatui publico tam validè innixa.

Cui ſententiæ equidem non adverſi *Brandenb.&Haßiaci* Theologi, id tamen ſubjunxere, modò jam initium rei fieret ac veluti fundamentum ejus jaci inciperet, neutiquam ſe dubitare, quin & reliqui Germaniæ Theologi poſthac faciliores ſe ſint præbituri, tandemque & in aliis Regnis ac Provinciis, quantum ad principale opus, aſſenſus facilè ſit ſubſecuturus: ſi præſertim progreſſu temporis, ipſi quoque Principes & Magiſtratus ad tam ardui negotii promotionem operam & curam ſuam conferant: ſuos certè Clementiſſimos Dominos nihil hac ex parte in ſe deſiderari paſſuros. Et de Sereniſſimo Electore Saxoniæ ſe eâdem ſpe teneri, cum nihil prorſus detrimentoſi cuiquam peterent; ſed tantum ad ſanandam pernitioſam illam Euangelicarum Eccleſiarum ſciſſuram, diligentiam adhibere omnem ex animo cuperent, hos ipſorum conatus Sereniſſimam Celſitudinem ejus minimè averſaturam.

Hujus igitur ut & Conſiliariorum ejus impetrato in hoc propoſitum conſenſu & approbatione hactenus, ut privata tantùm,nulliuſque juribus quicquam prorſus derogans collatio inſtitueretur, & quidem eo fine, ut expendatur & cognoſcatur: An & quatenus in confeſſione Auguſtana utraque pars conſentiat: vel An & quatetenus propior inter utramque partem conjunctio iniri poſſet. In nomine S. Sanctæ Trinitatis Theologi utrinque in ædibus præcipuo Electoris Saxoniæ concionatori Aulico pro tempore aſſignatis, 3 Martii, tempore matutino primum convenêre, ſtatimque principio *Brandenb.* & *Haßiaci* Theologi ultrò profeſſi ſunt, ſe ore & corde Auguſtanam in Comitiis *An.* 1530. 25 *Iunii* Imperatori *Carolo* 5. laudatiſſimæ memoriæ à Principibus & Statibus Imperii exhibitam Confeſſionem amplecti, ſineque ullo ſcrupulo, quandocunque deſideraretur, eidem ſubſcribere paratos eſſe, adeò ut ne detrectaturi quidem ſint, Exemplaris ejus, quòd in pupilla Saxonica extat, ſubſcriptione, conſenſum ſuum teſtari: Idque eò libentius, quòd ſicuti ad munus ſuum non niſi approbata prius confeſſione Auguſtana admiſſi fuerint, ita & eidem confeſſioni in Electoratu *Brandeburgico* & Ducatu *Haßiæ*, non minus ac ipſi Principes ſui publicè

Initium Cõſenſus de Editione Auguſtana Cõfeſſionis.

blicè semper adhæserint, inque Ecclesiis ac scholis suis eandem constanter tradiderint. Quod verò editionem Anno 1540. Wormatiæ, & Annò 1541. Ratisponæ in Colloquiis cum Pontificiis institutis, ab Euangelicis exhibitam attinet, rejicere se eam nec velle, sed sequi hâc in parte Euangelicorum Procerum ac Statuum declarationem, quam de ista Augustanæ confessionis editione in Conventu Nauburgico, *Anno* 1561. Imperatori *Ferdinando* gloriosissimæ memoriæ obtulissent. Quod Saxonici quidem in medio reliquerunt, tractationi tamen Nauburgensi Procerum ac Statuum Euangelicorum in Præfatione libri concordiæ expressam declarationem opposuerunt.

Post hæc utriusque partis Theologis per singulos Augustanæ Confessionis Articulos ire placuit, suamque de iis mentem in medium proferre. Primus articulus per omnia probatus fuit; disertim affirmantibus *Brandenburgicis* & *Hassiacis*, se una cum Saxonicis firmiter credere, Deum essentia esse unum, Personis trinum: Divinęque Essentię unitatem & trium in Deitate distinctarum Personarum Mysterium validissimis, tam in Veteri, quàm in Novo Testamento argumentis astrui, non obstantibus diversis quibusdam circa aliquot loca Doctorum expositionibus. *Consensus de Deo.* Præterea non minus Saxonicos se toto pectore asserere, Deum simpliciter & omni modo Essentiam ęternam, incorpoream & indivisibilem esse, sine fine ulla aut circumscriptione, adeò infinitè omnipotentem, ut agere possit, quicquid velit, nihilque prorsus ei impossibile sit pręter id, quod à Verbo Divino Naturę & Voluntati ejus repugnare ostenditur. In reliquis quę primo Articulo ejusque Antithesi comprehenduntur prorsus se idem utrinque sentire. *Consensus de peccato Originali.* De secundo Articulo hæc Theologorum sententia fuit, credere se, post lapsum *Adami* Homines omnes naturali modo genitos, ipsosque adeò credentium liberos in peccatis reverà concipi & nasci, istam quoque labem & vitium originis revera ipsis peccatum esse, omnesque eos ęternâ Dei irâ condemnare, qui Baptismo & Spiritu Sancto non regenerentur. Isque primæ collocutionis finis fuit.

Tertia & Quarta Martii à meridie tertius Augustanæ confessionis articulus accuratè perpensus fuit: *Brandeburgicis* & *Hassiacis* ita *Consensus de Persona Christi.*

animi sui mentem aperientibus omnia secundum literam & verba se amplecti & probare articulo isto prolata; quippe non minus ac Saxonicos sincerè se credere, Dei Filium verum hominem factum, natum ex *Maria* Virgine, quæ ante, in, & post nativitatem virgo pura & illibata manserit, eamque non tantùm Hominis Genetricem, vel etiam χριστοτόκον sive Christi Genitricem, sed verè θεοτόκον sive Deiparam esse. Item verum hunc Deum & Hominem, in una indivisa & indivulsa Persona, verè natum, verè passum, crucifixum, mortuum & sepultum esse, verè tertio die ex mortuis resurrexisse, ascendisse in cœlum, & sedentem ad dexteram Dei dominari omnibus Creaturis, easque regere, omnes quoque in ipsum credentes per Spiritum Sanctum sanctificare, mundare, roborare, consolari, iisque denique vitam & omnis generis dona & bona distribuere, nec non adversus diabolum & peccatum tueri & defendere, ut reliqua porrò hujus articuli verba sonant: seque etiam optare, ut compendiaria ejusmodi confessione defungi ipsis liceat.

Quandoquidem verò Tertii Articuli verba aliter à *Brandenburgicis* & *Hassiacis*, aliter à Saxonicis intellecta, indeque satis acria hactenus in diversis capitibus certamina orta esse, neutri diffiterentur; haud abs re visum fuit, ulteriorem de tam sublimibus arduisque materiis impræsentiarum tractationem institui. Tandemque re ultro citroque examinatâ in sequentes articulos utrisque consensum fuit.

1. Filium Dei perfectam ex anima & corpore constantem humanam Naturam in utero duntaxat Virginis *Mariæ* in unitatem Personæ Divinæ assumsisse, ita ut vi unionis Personalis Filius Dei non tantùm verbaliter sive verbotenus, sed verè & reipsa homo, & vice versâ, homo (scilicet) Christus non verbaliter; sed etiam verè Filius Dei sit, Personaque illa omnes utriusque Naturæ proprietates communes sibi habeat, illæque rectè de ea prædicentur.

2. Duas Naturas in Christo Divinam & Humanam indissolubiliter & inseparabiliter inter se unitas esse, & nullo tempore, nullove loco, tam in Statu exinanitionis, quam exaltationis, earum vel dissolutionem vel divisionem factam, nec unquam in ipsa etiam morte unam ab altera distractam sive divulsam fuisse. Licet enim

tunc

tunc vinculum Corporis & Animę dissolutum fuerit, nihilominus tamen vinculum unionis Personalis utriusque Naturæ indivisum & indissolubile mansisse, neque vi illius Filium Dei extra suam carnem, hoc est, absque carne, seorsim à carne sua & ab ea separatum, vel ullibi, vel unquam post conceptionem fuisse, vel imposterum citra suam carnem assumptam ullibi vel unquam futurum esse.

3. Non solum ambas Naturas prorsus indivisè & indissolubiliter intimè; sed etiam inconfusè & absque ulla conversione, commixtione & exæquatione, tam ipsarum Naturarum, quàm earum Proprietatum unitas esse. Ut enim Divina Natura per unionem Personalem, non Humana; sic neque hęc Divina facta est: Verùm Natura Divina manet Divina, humanitas etiam vera Humana Natura est & manet in æternum: Ita etiam Divinæ proprietates Divinæ Naturæ proprietates manserunt,& nunquam Humanitatis proprietates factæ sunt; sicut & Humanitas suas proprietates retinuit, quæ nunquam Naturæ Divinæ proprietates factæ fuerunt.

4. Et tametsi pati & mori humanæ tantùm Naturę proprietas sit, minimè tamen nudam Humanitatem passam, sed ipsummet Filium Dei,Dominum Glorię, 1 *Cor.* 2. Ducem vitę, *Actor.* 3. Benedictum Deum ab ęterno passum ęsse juxta carnem, sibique passionem appropriasse sive ut propriam vindicasse. *Rom.* 9. 1 *Pet.* 4. Ac proinde Sanguinem pro nobis fusum non esse tantum nudi hominis, sed etiam Filii Dei sanguinem, 1 *Ioh.* 1. vel Dei proprium sanguinem, ut Paulus loquitur *Actor.* 20.

5. Has duas locutiones, ipsam nimirum Deitatem passam, item, nudam carnem tantum passam esse à Scriptura alienas; ac propterea meritò ab iis abstineri.

6. In Christo non modò verbo tenus, sed verè plenitudinem Deitatis corporaliter habitare, *Col.* 1. Totumque Christum citra divisionem Naturarum omniscium, omnipotentem & omnipręsentem essę, non quidem, quasi omniscientia, omnipotentia & omnipręsentia etiam humanę Naturę proprietates fiant, vel ipsi in, per,& ex sese competant, multò minus hę proprietates essentialiter in carne Christi hęreant; sed sint & maneant duntaxat Proprietates Divinę Naturę,& nihilominus tamen toti Personæ, Deo

& Homini propter intimam perſonalem ambarum Naturarum unionem adſcribantur.

7. Totum Jeſum Christum in una indiviſa Perſona, ut θεάνθρωπον, *id eſt*, Deum & Hominem, citra ullam excluſionem vel ſeparationem humanæ Naturæ adorandum, & fiduciam in illo ejuſque merito collocandam eſſe, uti in Concilio Nicæno hac de re concluſum fuit.

8. Totum Jeſum in una indiviſa Perſona, Deum & Hominem in Cœlo & in terra omnipræſentem (tamen abſque localitate corporali) omnia regere, & omnibus dominari, ab uno mari uſque ad alterum. *Pſal.* 72. Omnia ipſius pedibus ſubjecta. *Pſalmo* 8. unum pedem in mari, alterum in terra habere. *Apoc.* 10. Apud nos eſſe præſentem & manſurum uſque ad finem mundi. *Mat.* 28. Et ubicunque duo aut tres ipſius nomine convenerint, totum in medio illorum eſſe. *Mat.* 18. Omnia in omnibus implere. *Eph.* 4. Et juxta Pauli ſententiam Deum patrem Dominum Jeſum à mortuis ſuſcitaſſe, ipſumque in cœlum ad dexteram ipſius collocaſſe ſupra omnes principatus, omnem vim, potentiam & dominatum; imo ſupra omne id, quod dici poteſt, non ſolum in hac, ſed & in futura vita. *Epheſ.* 1.

9. Utraque pars deſcenſum Chriſti ad inferos pro gravi & articulo fidei habet, qui non magis, ac alter de ſeſſione ad dexteram humana ratione poſſit penetrari, fatetur vero Totum Chriſtum, Deum & Hominem ad infernum deſcendiſſe, diabolum deviciſſe, inferni robur deſtruxiſſe, & Sathanæ omnem potentiam ademiſſe.

10. Utrique affirmant Chriſtum non in utero Matris, ſed quadrageſimo demum die poſt Reſurrectionem ſuam in Cœlum aſcendiſſe, & quamvis verè, localiter, & viſibiliter, & non per diſparentiam in Cœlum aſcenderit, & hoc cœlum, in quod aſcendit, & in quo ſunt Benedicti Cœleſtis Patris, jucunda habitatio, & certus extra hunc mundum in ſublimi à Deo conſtitutus verus locus ſit, ubi noſtræ habitationes erunt. *Ioh.* 14. tamen eum Cœlo incluſum non eſſe.

11. Fatentur utrique per dexteram omnipotentis Patris, neque certum, neque creatum locum, neque per ſeſſionem ad dex-

teram Dei localem vel corporalem ſituationem intelligendam eſſe; ſed dexteram Dei eſſe Majeſtatem, Robur & Potentiam Dei, ac propterea eam dexteram virtutis Dei appellari, *Luc.* 22. Item dexteram Majeſtatis in excelſo *Hebr.* 8. Dexteram victoriam obtinentem. *Pſ.* 118. Dexteram à qua ſe nemo ſubducere, vel occultare poteſt, *Pſ.* 139. Sedere autem ad dexteram Dei eſſe idem, ac habere Chriſtum æternum Regnum & Dominium, illudque etiam poſt aſcenſionem in Cœlum perfectè & gloriosè ſecundum utramque Naturam in omnes Creaturas adminiſtrare, imprimis verò gubernare ſuam Eccleſiam, ut ipſius caput, per quod Pater omnia gubernat, quodque ab omnibus vult honorari & adorari.

12. De officio Domini Jeſu Chriſti ita utrique ſentiunt, eum ipſum, Jeſum ſcilicet, juxta duas Naturas ſanctum Mediatoris & Redemptoris officium obiviſſe. Filium Dei in, cum, & per aſſumptam carnem Sanctiſſimam operatum eſſe, ac proinde eam à vera effectione & efficaci operatione apotelesmatum Domini, utpote à vivificatione, juſtificatione, ſalvatione hominum, & ejuſmodi aliis nequaquam eſſe excluſum; atque hinc fieri, ut Caro Filii Dei vivifica Caro appelletur, *Ioh.* 6. Et ſanguis Filii Dei vim purgandi omnes homines ab omnibus ipſorum peccatis habeat, 1 *Ioh.* 1. Præter hæc verò Theologi Saxonici & id manifeſtæ Veritatis eſſe profeſſi ſunt: Dominum Salvatorem Jeſum non tantùm ſecundùm Divinam, ſed etiam humanam Naturam verè omniſcium, omnipotentem & omnipræſentem eſſe; ſic tamen ut omniſcientia, omnipotentia & omnipræſentia, non nt naturales proprietates, ſed ut per unionem Perſonalem & per ſubſecutam ad Dexteram Dei exaltationem ei communicatæ ſtatuantur, eidemque in Perſona, & non ſeorſim extra ipſam attribuantur. Firmâ ipſis ſemper hac Regulâ: Quicquid Gloriæ, Potentiæ, Majeſtatis & Honoris Chriſtus in tempore accepiſſe dicatur, id non ad Divinam, ſed humanam tantùm ejus Naturam referendum eſſe, ſecundùm quam Chriſtus potuerit extolli, eique ex gratia nomen ſupra omne nomen tribui, prout antiqua habet regula. Excelſus non exaltatur: ſed Caro excelſi exaltata eſt: hoc eſt, qui jam ut Deus Natura Excelſus, imo Excelſiſſimus eſt, is demum in tempore exaltari nequit. Caro

Saxonicorum ſententia de Humana Natura Chriſti.

verò Excelſiſſimi tempore, non tamen extra Perſonam; ſed in perſona ad infinitam Divinam Majeſtatem, Gloriam & Honorem evecta & exaltata eſt.

Brandenburgicorum ſententia. *Brandeburgicorum* contra & *Haſſiacorum* ſententia fuit: Fateri ſeſe libenter, Deitatem Chriſti, vel Chriſtum juxta Deitatem propriè exaltatum non eſſe; neque etiam novam internam gloriam, honorem, potentiam & Majeſtatem juxta Deitatem in ſeipſa accepiſſe, cùm ſecundum eam ſit ac maneat ab æterno Altiſſimus, Potentiſſimus, & Perfectiſſimus: ſed nec etiam Humanam Naturam per ſe tantùm & ſeorſim exaltatam eſſe, quemadmodum quoque illa, nec per ſe tantùm, nec ſeorſim paſſa eſt; ſed Perſonam Filii Dei in Carne ad mortem crucis eſſe exinanitam, & in carne per Reſurrectionem, Aſcenſionem in Cœlum, ac Seſſionem ad Dexteram Patris exaltatam, & per eam exaltationem humanam Naturam glorificatam, & ſupra omnes creaturas evectam eſſe. Deitatem verò non in ſe & per ſe, ſed nobis tantùm hominibus perfectius glorificatam & patefactam. Officium item Mediatorium, totamque poteſtatem & gloriam officii, non uni vel alteri Naturæ ſeorſim; ſed toti Perſonæ Filii Dei in Carne à Patre traditam eſſe. Quod officium quoque, ut antea dictum, ſecundùm ambas Naturas ſimul obeat. Fateri porrò, Chriſtum non tantum ſecundum Deitatem; ſed etiam Humanitatem per illuminationem & cooperationem Deitatis, omnia ſcire & efficere poſſe, quæ quolibet modo ad officium ejus ſpectant. Item illum non modo juxta divinam ſed & Humanam Naturam Eccleſiæ ſuæ in Terris efficaci operatione, gratiâ, & auxilio ſemper præſentem eſſe, eamque potenter tueri, conſervare & regere in medio hoſtium ſecundum promiſſionem: Ego ſum vobiſcum uſque ad finem mundi: & rurſus: Ubi duo vel tres in meo nomine congregati fuerint, ibi præſens ero in medio illorum.

Differentia. Hoc tantum conſtanter ſe, ut S. Scripturæ contrarium negare: Chriſtum ſecundum Humanitatem aut Humanam naturam & eſſentiam, vel corpus Chriſti, ſeu in Statu exinanitionis, ſeu in ſtatu exaltationis ob perſonalem unionem aut ſeſſionem aut imperium ad dexteram Dei ſubſtantia ſua inviſibili modo in omnibus locis præſens adeſſe. Negare itèm reliquas proprietates divinas, omniſcien-

ſcientiam aut omnipotentiam ita Humanę Naturę eſſe communicatas, ut ea eodem prorſus modo, quo Divina, omniſcia, omnipotens facta ſit, idque in abſtracto, ut in ſcholis loquuntur, i. e. nominibus Naturæ rectè ei tribui poſſit: Poſtremò optimam ad conſenſum in hoc articulo viam arbitrari, ſi in tam ſublimi Myſterio eæ tantum ſequendi formulæ, quæ in S. Scriptura, in antiquis Oecumenicis conciliis, & Anguſtanâ confeſſione diſertim habentur, retineantur, prout & ipſi nullis aliis loquendi modis ſeſe ſint aſtricturi: Quos Saxonici futuræ collocutioni & uberiori deductioni reſervare voluerunt. Atque tantnm de Articulo tertio. *Modus reconciliationis.*

Cui Theologi utrinque addidere; toto pectore ſe damnare & rejicere omnes Veterum recentiorumque Arrianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Marcionitarum, Photinianorum, & quocunque præterea nomine appellentur errores; Symbolis contra Apoſtolico, Nicæno, atque Athanaſii ore & corde ſe aſſentiri.

Quartus itidem articulus nihil inter ipſos controverſi habuit, expreſsè teſtantibus *Brandeburgicis & Haßiacis* eundem ſemper à ſe approbatum, nihilque aliud hac ex parte publicè dictum fuiſſe, quàm Chriſtum Dominum & Servatorem pro omnibus hominibus mortuum eſſe, ſuaque morte pro totius mundi peccatis plenè, ſufficienter & in ſe efficaciter ſatisfeciſſe. Neque ſimulatam aliquam, ſed veram, ſinceram & ſeriam voluntatem ejus ac mandatum eſſe, ut omnes in ipſum credant, ac per fidem ſalventur. Sic ut nemo efficacia & fructu ſatisfactionis Chriſti excludatur, niſi qui ipſe ſeſe per incredulitatem excludat. *Conſenſus de Merito Chriſti.*

Iidem articulos ſequentes, quintum, ſextum, ſeptimum & octavum ſine omni exceptione æquè ac Saxonici receperunt, quippe qui ad eundem modum in ſuis Eccleſiis ſemper traditi fuiſſent.

Similiter & nonum, diſertim ſignificato, Sacroſanctum Baptiſmum, tanquam præſcriptum mandato divino medium, ad ſalutem neceſſarium eſſe; & licet gratiâ Dei per Baptiſmum, non ex opere operato, vel propter ſolum opus, neque etiam per nudam externam ablutionem, vel aſperſionem ſalutem operetur: nihilominus tamen hoc fieri vi verbi inſtitutionis & promiſſionis mediante *Conſenſus de Baptiſmo.*

Baptiſmo.

Baptiſmo. Adhæc unà cum Saxonicis licitum ac neceſſarium eſſe arbitrati ſunt, infantes baptizari,& per Baptiſmum oblatos vi ordinationis Divinæ in gratiam Dei recipi.

Conſenſus de S.Cœna. Septimo Martii matutinis & pomeridianis horis ad reliquorum articulorum examinationem proceſſum eſt. Decimo de S. Cœna *Brandeburgici* & *Haſſiaci* prout in confeſſione *Anni* 1530 habetur, per omnia ſunt aſſenſi; Rejicientes unà cum *Saxonicis* Pontificiam transſubſtantionem, concomitantiam & perpetuam Sacramentalem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, extra mandatum uſum, *συνυσίαν*, coëxiſtentiam, inexiſtentiam, omnem localem & corporalem modum corporis,& adorationem ad panem ſive ad ſpeciem panis directam.

Præterea confeſſi ſunt in S. Cœna non tantùm vera Elementa Panis & Vini, vel tantùm Efficaciam & operationem; vel nuda ſigna corporis & ſanguinis; ſed & ipſum verum eſſentiale corpus pro nobis traditum, & verum eſſentialem ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum, mediante pane & vino benedicto, verè adeſſe, exhiberi, diſtribui & percipi vi unionis ſacramentalis, quæ non conſiſtit in nuda ſignificatione, neque tantum in obſignatione, verum in conjuncta indiviſa diſtributione terrenorum Elementorum & veri corporis & Sanguinis Chriſti. Quę tamen Sacramentalis unio non extra actionem à Chriſto præceptam, in ea locum habet.

Porro unanimi utrimque cònſenſu teſtati ſunt etiam in ſpirituali perceptione,non modò virtutem efficaciam & operationem;verum ipſam etiam Subſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti in uſu S. Cœnę, quę hic in terris peragitur, percipi, hoc eſt: ſpiritualiter per veram fidem manducari & bibi; & hanc Spiritualem fruitionem ad ſalutarem S. Cœnæ uſum maximè neceſſariam eſſe.

Brandeburgicorum & Haſſiacorũ Sententia de Orali Manducatione. Nec minus utrique in eo fuere concordes, quod in Sacramenti perceptione terrena Elementa & corpus & ſanguis Chriſti unà accipiantur. Eam verò perceptionem organo oris tam ab indignis, quàm dignis fieri *Brandeburgici* & *Haſſiaci* concedere noluerunt. Nam, ut ut non inficiarentur, mediante pane & vino benedicto verum corpus & Sanguinem Chriſti præſentem accipi, id tamen non fieri ore, ſed tantum fide, quâ corpus & Sanguis Domini iis qui S. Cœna

Cœna utuntur, ſpirituali modo uniatur. Indignis verò offerri tantum corpus & ſanguinem, non verò ab iis per incredulitatem ipſorum recipi; ſed prorſus rejici & contemni.

Contra *Saxonicis* immotum fuit, in S. Cœna, mediante pane & vino benedicto, verum corpus & ſanguinem Chriſti oraliter manducari, & bibi, prout verba ſonant; Edite & Bibite. Et quamvis benedictus panis & corpus Domini in ſacramentali fruitione ab omnibus Communicantibus, uno & eodem oris organo, ſive ore corporeo percipiatur, nihilominus tamen hanc perceptionem, quod ad modum, diverſa ratione fieri; ita nempe, ut cùm ore panis, & vinum immediatè & oraliter percipitur; corpus & ſanguis Chriſti non immediatè, ſed vi Elementorum benedictorum, cœleſti & ſupernaturali, Deoque ſoli noto modo; abſque ulla carnali & naturali maſticatione, in ſtomachum demiſſione & concoctione corporis & ſanguinis Chriſti, ore percipiatur.

Quanquam verò quantum ad hanc decimi articuli de orali manducatione partem, conſenſus tum temporis iniri non potuit; ſed quemadmodum olim *Marpurgi Anno* 1529. tota hæc materia ſepoſita fuit, *Brandeburgici* tamen & *Haßiaci* concordiam Chriſtianam nihilòminus ſanciri, aut mutuæ tantum tolerantiæ locum eſſe poſſe arbitrati ſunt: neque enim ſe alios, ſi alii modò ipſos non damnent, aut opiniones ſuas neceſſarii inſtar articuli fidei obtrudere præſumant, damnare velle. Interim non dubitare cùm in reliquis præcipuis hujus articuli partibus inter utroſque conveniat, quin nihilominus junctis viribus Papatus ab utraque parte poſſit oppugnari. De quo conſilio cum *Saxonicis* amplius in timore Domini deliberandum, cum pluribuſque Theologis communicandum videretur, & id tum in medio relictum fuit. *Modus reconciliationis.*

De undecimo articulo Confeſſionis *Auguſtanæ*, *Brandeburgicorum* & *Haßiacorum* ſententia fuit, receptam in quibuſdam Eccleſiis confeſſionem, ſi ſine abuſu & tanquam res adiaphora adhibeatur, pro licita, Chriſtiana & pia cæremonia à ſe haberi, quæ in Eccleſia Dei cum fructu uſurpari, & ubi jam obtinet, ſine ſcrupulo retineri poſſit. Pontificiam verò coactam confeſſionem non minus ac alios ingentes ibi abuſus, ut impiam & iniquam penitus rejiciendam eſſe. *Conſenſus de Articulari confeſſione*

Consensus de reliquis Articulis. In 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.19.20.21.22.23.24.25.26.27. & 28, articulis ab utraque parte per omnia est consensum, *Brandeburgicis* & *Haßiacis* ad 19 articulum expresse statuentibus: Deum nec causam nec authorem peccati esse, neminemque ad incredulitatem condidisse, aut absoluto aliquo decreto ad peccatum damnationemve prędestinasse. Tametsi verò in *Augustana* confessione, Doctrina de *De prædestinatione.* æterna Prædestinatione expressè non contineatur, Theologis tamen utrinque è re visum est & de hoc capite tot tantisque litibus hactenus exagitato, mentem suam planius aperire: *Brandeburgici* igitur & *Haßiaci* unanimiter à se semper assertum & creditum testati sunt.

Brandenburgicorum & Hassiacorũ sententia. 1. Deum ab æterno ex toto perdito genere humano non omnes, sed quosdam homines, quorum numerus & nomina soli ipsi nota, in Jesu Christo elegisse; quos deinceps tempore suo vi & operatione verbi & spiritus ad fidem in Christum illuminet, & renovet, in ea ad finem usque conservet, tandemque per eam æternæ Salutis participes reddat.

2. Deum nullam causam, occasionem, antecedensve medium vel conditionem hujus electionis in Electis reperisse aut prævidisse, eoque nec bona ipsorum opera, nec fidem, nec primam ad fidem salutarem inclinationem, motum aut promptam ejusdem receptionem; sed quicquid in ipsis boni est, id omne ex mera & liberrima gratia Dei illis præ aliis ab æterno in Christo destinata, dataque tanquam ex fonte profluere.

Deum ab æterno quoque in peccatis & incredulitate perseverantes æterno exitio addixisse, non quidem absoluto ejusmodi decreto, ac si maximam partem mundi, aut ullum hominem sine peccatorum, & incredulitatis ipsius respectu, ad sempiternam damnationem aut causam ejusdem, vel ab æterno præordinarit, vel in tempore crearit: sed reprobationem non minus ac damnationem ex justo ejus judicio, cujus in ipsis hominibus causa est, peccatum nempe, impœnitentia & incredulitas, factam esse: Sic ut omnis Reprobationis & Damnationis infidelium causa penes ipsos resideat: causa verò Electionis & salvationis fidelium in mera gratia Dei in Jesu Christo sita sit, ex ipsius verbi Dei sententia: Perditio tua ex te ô *Israël*, at salus tua penes me solum est.

Quem

Quemlibet igitur de ſua Electione & Fide non à priori ex occulto ſcilicet conſilio Dei, ſed à poſteriori ex revelato verbo Divino, ex ſua item fide & fructibus fidei in Chriſtum, certum eſſe debere ac poſſe, nec (prout improbus mundus ſublime hoc Myſterium malignè detorquet) inde ſequi, multò minus aſſeri poſſe, Electum, ut ut in omni impietate, quamdiu ipſi libitum fuerit, perſiſtat, æterna ſalute tamen excidere non poſſe: Contra, qui non ſit Electus, ut ut in Chriſtum verè credat pieque vivat, nihilo minus non poſſe non damnari. Quod ſi quis in profundo hoc Myſterio ulterius ſcrutari & præter Dei liberam, gratioſam & juſtam voluntatem alias indagare cauſas velit, Cur, cùm omnes homines naturâ pares eſſent, Deuſque pro omnipotentiâ ſuâ omnes omninò credentes & ſalvos efficere potuiſſet, is tamen aliquos tantum ex iis fide donarit, reliquos verò in ſuis peccatis ac voluntaria pertinacia, impœnitentia & incredelitate reliquerit; ei ſe cum Apoſtolo oggerere; Quis es ô Homo, qui reſponſes Deo? Figulusne poteſtatem habet in lutum, ut ex eadem maſſa faciat, aliud quidem vas ad decus ex mera gratia, aliud vero ad dedecus ex juſto judicio? O profundas divitias, tum ſapientiæ tùm cognitionis Dei! Quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viç imperveſtigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis fuit ei à Conſilio, aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?

Ex altera parte Saxonici hunc in modum ſententiam ſuam expoſuere.

1. Deum ab æterno, & ante jacta fundamenta mundi, in Chriſto non omnes; ſed quoſdam homines ad æternam ſalutem elegiſſe. *Saxonicorum ſententia.*

2. Numerum & Nomina Electorum Deo ſoli nota eſſe, ſicut Chriſtus inquit *Ioh.* 10. Se recognoſcere oves ſuas. Et Paulus 2 *Tim.* 3. Deum noſſe ſuos.

3. Deum ab æterno eoſdem elegiſſe, quoſcunque prævidit in tempore vi atque operatione verbi ſui, & Spiritus S. in Chriſtum credituros, & in fide uſque ad finem vitæ perſeveraturos eſſe: Et licet Electi ad tempus Gratia Dei excidere poſſint, impoſſibile tamen eſſe, ut hoc finaliter & in perpetuum fiat,

4. Deum Electionis nullam cauſam vel occaſionem in ipſis Electis, vel primam aliquam ſalutarem inclinationem, motum vel

assensum ad fidem invenisse: sed quicquid boni in Electis est, ex mera liberrima gratia Dei, quę illis in Jesu Christo ab æterno data fuit, originaliter provenire.

5. Deum, quos pręscivit in peccatis, & in infidelitate perseveraturos, ad æternam damnationem & abjectionem præordinasse.

6. Hanc reprobationem nullo modo ex absoluto decreto & voluntate factam esse, ac si Deus citra respectum infidelitatis, hominum aliquem ex suo solo & mero beneplacito prædamnaverit: Nullum enim fuisse ejusmodi absolutum in Deo decretum, quo ipse vel maximam hominum partem, vel etiam unicum saltem hominem ad æternam damnationem vel causam ejus sive ab æterno, sive in tempore destinaverit ac creaverit.

7. Quod vero nihilominus tot homines in æternum pereant & condemnentur, fieri hoc justo judicio Dei, sed condemnationis causam hominibus ipsis inesse: regnantia scilicet in ipsis peccata, incredulitatem & impœnitentiam: ita ut in solidum culpa & causa reprobationis ac condemnationis existat in ipsis infidelibus: causa vero Electionis & salutis fidelium ex omni parte sit mera & pura Dei gratia in Christo, juxta verbum Domini: *Israël* perditio tua ex te, salus vero tua penes me solum est.

8. Quemlibet suæ Electionis & salutis, non à priori ex occulto Dei decreto: sed à posteriori ex ipsius scilicet verbo patefacta, & ex fide sua in Christum, certum esse debere & posse. Neque ulla ratione sequi, prout mundus impius & perversus hoc sublimi articulo ignominiosè abutitur, multò minus ita docendum, Electum in sua impietate, quamdiu velit perseverare posse, & tamen salutem adipisci: Qui vero non electus sit, etiamsi firmissimè in Christum credat, & sanctissimè vivat, damnationem tamen aufugere haud posse.

9. Multas de sublimi hoc Electionis Mysterio quæstiones à quibusdam moveri, quæ tamen & captum mortalitatis nostræ longè transcendant, nec aliud quam ex Paulo responsum admittant: O homo quis tu es, qui ex adverso responses Deo? *Rom.* 9. Item, O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei. *Rom.* 11.

10. Hisce postremum addidere Saxonici, quæcunque in Libro Concordiæ de hoc Electionis articulo doceantur, ea & vera & S.

Scriptu-

Scripturæ congruentia à se judicari: Nimirum Deum quidem ex gratia nos elegisse, sic tamen ut præviderit quinam perseveraturus & verè in Christum crediturus foret, & quos ita credituros præviderit, eos etiam elegisse & prædestinasse, quos salute & gloria æterna impertiretur.

Atque sic placidæ huic privatæ collationi 23 *Martii* finis impositus est, repetita protestatione, quicquid hujus factum sit, à neutra parte, vel summis Potestatibus vel aliis Theologis, omnium minimè integris utriusque partis Ecclesiis præjudicandi animo susceptum fuisse: sed eo unicè spectasse, ut compendiaria via exploraretur, primò, *an & quatenus utraque pars in viginti octo Confessionis* Augustanæ *articulis consentiat: dein, anne sperandum, & ulterioribus plurium Pacis amantium Theologorum colloquiis, interveniente item Christianorum Principum & Statuum authoritate, opera in eo collocanda, ut arctior imposterum conjunctio sanciatur, eoque pacto vera Dei Ecclesia augeatur & extendatur, Pontificiis vero spes, quam ex Euangelicorum dissidiis hactenus concepere, aliqua ex parte adimatur.* Interea antequam hæc eveniant, omnia, quæ in hac collatione acta sunt, in eo statu erunt, ac si nunquam acta fuissent: Neutrique parti licebit hancce tractationem ejusque consignationem sine expresso alterius permissu in vulgus spargere: Theologi vero utrinque Christiana charitate imposterum sese prosequentur. Omnia bona fide & sine dolo. *Conclusio.*

Deus veritatis & pacis gratiam suam largiatur, ut omnes in ipso unum fiamus, & in uno perfecti simus, sicut ipse & Filius unum sunt. *Ioh.* 17. *Amen, Amen.*

In nomine Jesu Christi, *Amen.*

Actum *Lipsiæ* durante Euangelicorum & Protestantium Electorum & Principum conventu, Mense *Martio, Anno* 1631.

Matthias Hoe van Hengg. D. m. p.
Polycarpus Lysar. D. m. p.
Henricus Hopfner. D. m. p.

Iohan Bergius. D. m. p.
Iohan. Crocius. D. m. p.
Theophilus Nevvberger, Ecclesiastes Aulæ Cassell. m. p.

Hoc colloquium Lipſiacum, & hanc ad concordiam Euangelicorum viam, ſtrenuè, & induſtriè proſequitur Joannes Duræus Scoto Britannus ſuis profectionibus, alloquiis, admonitionibus ad Germanos, Gallos, & diverſas alias nationes: Francofurti obtinuit hoc decretum ab Ordinibus Euangelicis ibi congregatis.

1634. POſteaquam in præſenti Euangelicorum, qui ex ſex Illuſtribus S. Imperii Circulis adſunt, Ordinum & Eorum, qui abſunt, Legatorum & Deputatorum conventu, *Iohannes Duræus Euangelicus Theologus*, unionis fraternæque Reconciliationis inter Euangelicas tam intra, quàm extra Imperium Eccleſias in Capitibus Chriſtianæ Euangelicæque Religionis noſtrę fundamentalibus ſtabiliendę negotium, aliquoties antehac propoſitum & conſiderationi objectum, iterum propoſuiſſet, & in ſpectabili Deputatorum conſeſſu ab omnibus confœderatis Statibus (inter quos & Equeſtris Imperii ordo cenſetur) conſtituto auditus fuiſſet, ac multorum utriuſque partis tam in Germania, quàm Gallia, Anglia & Tranſylvania prętantiſſimorum Theologorum & Academiarum protuliſſet ſententias de viis, quibus Chriſtianus iſte atque in ſeſe laudabilis unitatis ſcopus obtineatur, quibus animorum utriuſque partis major indies conjunctio acquiratur, & quibus factioni Romano-Catholicæ emolumentum, quod hactenus ex obſervato Euangelicorum ſchiſmate accepit, præripiatur, hæcque ipſa partim ſcripto, partim typis impreſſa ſupranominatis Statibus in manus tradidiſſet, cumque unanimi planè conſenſu Sex Imperii prænominati circuli prolatas prædictorum Theologorum ſententias perpendentes, hoc equidem opus Domino Deo, ut pacis Deo, gratum, laudabile, ſummè neceſſarium, & Euangelicis Eccleſiis omnimodò utile & commodum judicaſſent: ſimul tamen æſtimaſſent, illud eſſe magni ponderis atque momenti negotium, de quo multi Legatorum ac Deputatorum, qui hac vice aderant, nullas haberent Inſtructiones, quibus ea de cauſa ſuam hac de re mentem definitè patefacere in proclivi non eſſet: Ideo præſentes Statuum Legati atque Deputati receperunt, ſe & rem recto Inſtituto propoſitam, & ſententias Theologorum unà communicatas Clementiſſ. ſuis, Clementibus & plurimum colendis Dominis Principibus & Prępoſitis fideliter relaturos, ſuoque

Loco

Loco ita commendaturos, ut propediem ejusmodi sequatur Declaratio, quæ Dei verbo & voluntati sit conformis, & propiori conjunctioni atque unitati Christianæ inter Ecclesias Euangelicas procurandæ inserviat: Adhæc quædam optimo animo à Legatis quibusdam, qui super hac re mandata acceperant, proposita fuere, quæ nemini præjudicio forent; nempe, quòd ab una parte hi quidem consultum judicabant, ut prędictam Declarationem (quæ de modo procedendi, quem prænominatus *Duræus* proposuit, deque via, quâ pacificorum quorundam Theologorum colloquium, in quo unanimis fidei de fundamentalibus salutis nostræ capitibus confessio institui possit, statuat ad exemplum amicæ illius collationis, quæ ante triennium Lipsię inter Theologos, unius quidem partis Electorales Saxonicos, alterius verò partis Electorales Brandenburgicos & Hassiaco-Cassellanos inita fuit) primo quoque tempore quatuor superiores Imperii Circuli ad Electorem Palatinum; duo autem Saxonici Circuli ad Electores Saxonem & Brandenburgicum mittant; atque ut ab hisce Electoribus (ubi prius inter ipsos consensum fuerit de loco & tempore, quæ nominari queant) rogantur scriptis Literis Invitatoriis tam exteri Principes & Reges, quàm alii, velint ex suis aliquos conventui interesse: Ab alia autem parte Alii hanc quoque proponebant utilem promovendo tam Christiano & ab omni parte approbato negotio rationem, ut scil. salvis cujusque Electoris, Principis & Statûs prætensionibus & juribus, rogarentur sine omni præjudicio Serenissimi Electores Saxonicus atque Brandenburgicus ab Ordinibus hoc in loco congregatis, & ab illorum, qui absunt, Delegatis & Deputatis, dignentur inceptam Lipsię ante tręs annos inter suos & simul Hassiaco-Cassellanos Theologos amicam collationem continuare, atque hunc in finem (si citius fieri non possit) saltem quando pacis universalis tractationes instituentur, conventum indicere, cui etiam alii utriusque partis evocati tam intra quàm extra Imperium pacifici Theologi intersint, vel quò suas transmittere sententias queant: atque in eo conventu huc præsertim fore respiciendum, ut consensus, quoad fieri potest, modestè ineatur in Christiana atque unanimi confessione, quę contineat omnia & singula, quæ salutis fundamentum concernunt, Religionis capita: in reliquis autem capitibus disputationem atque contentionem Scholasticam esse seponendam & aliò relegandam: promiserunt igitur Delegati

legati & Deputati Illi, qui nullas de rebus hujusmodi proponendis Instructiones habebant, se omnia hęc fideliter debito loco relaturos, ac requisitam super hisce resolutionem primo quoque tempore procuraturos; atque hoc fine politicis Electoribus Euangelicę Religioni addictis suam Declarationem traditiuros. Pręter hęc etiam & in hoc aliqui amicam consensionem suam apertè declararunt; aliqui autem tanquam ad referendum approbârunt; quòd interea temporis omnis ab utraque parte tam in docendo quàm scribendo Christiana moderatio & lenitas usurpanda sit, ne scil. ista animorum conjunctio & conformitas impediatur, sed potiùs, quantum fieri potest, promoveatur, & civilis quoque pax hac ratione eò magis procuretur; atque hoc fine in utriusque partis templis publicas preces esse concipiendas, quibus negotium Deo O.M. commendetur, Ejusque Majestas rogetur, velit sua benedictione, gratiâ & auxilio huic operi præsidere. In cujus rei testimonium hic recessus hac de re factus est, atque infra Subscriptorum Statuum Legatorum & Deputatorum, Chirographis signatus. Actum Francofurti ad Mœnum 14. Sept. Anno 1634.

Ioh. Conradus Blarer à Geyersperg. Elector. Palat. Legatus.

Conradus de Spina D. Elector. Palat. Legatus.

Hi duo supra dicti etiam nomine domûs Palat: Lautern. Simmern & Bipont.

Nomine Palat. Valdens Lautereckischen, Bernhard Friesel.

Nomine Culmbacensium & Onspacensium ad refer. Georgius Gumpelshaimer.

Nomine Domini Marchionis Friderici Princip. Baden. Ernestus Fridericus Mollinger.

Nomine Comitum Rheni. Sueviæ & Franconiæ, Iohannes Comes Nassoviæ, Sarbrücken.

Albertus Otto Comes Solmensis.

Gregorius Fridericus comes in Lippia.

Sigismundus à Gotzen Elector. Brandenburg. Legatus.

L. S.

Ioachim Fridericus Blumenthal Elector. Brand. Legatus.

Christoph. Iohan à Bulouv Archi-Episcopi Princ. Bremensis Legatus.

Hartvvicus Passovv Princip. Megapolitani Schvverinensis Legatus.

Ioh. Zacharias à Rochovv princ. Megapolit. Gustrovensis Legatus.

Cort à Borstel.

Nomine Liberi Equestris Imperii Ordinis, Philippus Knipschild.

Georgius Hartmanhagen D.

Senten-

Sententiæ Theologorum Gallorum, Anglorum &c. de pace Ecclesiastica inter Euangelicos procuranda in conventu Ordinum Francofurti à Joanne Duræo productæ, (quas ab ipsis auctoribus sibi traditas affirmat) eodem ordine sequuntur, quo illas in publicum protulit ipse Duræus.

Sententia admodum Reverendi Dn. Thomæ Mortoni Episcopi Dunelmensis.

Salutem in Christo Iesu.

Dici vix potest (vir Eximie) quanta lætitia pagellæ tuæ nuper ad me datæ animum perfuderint, prout intellexi nonnullam spem jam affulsisse cum Augustanæ Confessionis Professoribus Germanis veram & germanam fraternitatem conciliandi. Nam cum dulce sit nomen pacis, tum verò res ipsa multò jucundissima, præsertim religiosa si sit; quæ profectò veras omnes in se unitates complexa est. Non possum igitur non gratulari tibi (mi Duræe) eam quam sustines provinciam & πραγματείαν procul dubio Apostolicam; usque adeò semper felicem, ut nunquam frustra esse potuerit: quia aut ad Audientis salutem proficere, si recipiatur, aut si respuatur, in Offerentis sinum redire rursus ac redundare certum est. Verùmenimverò, duo video abs te posita Controversiarum capita, quæ obstare videntur, quo minus in unum Ecclesiæ corpus brevi coalescamus: quorum prius ad Eucharistiam spectat, alterum Prædestinationis mysteriis involvitur. In quibus componendis, quod judicium meum deposcis, mihi sanè præposterum videtur: potius peritos medicos imitandos esse duxi, qui nonnunquā contraria curant contrariis: perinde & nos, quoniam opinionum dissidia animorum odia generarunt, prius charitatis glutine adversantium voluntates & affectus unire necesse est, ut eorum in controvertendo æstus, & opinionum hiantes scissuras facilius resarcire possimus. Cui ego officio deesse nec possum nec debeo. Quæ verò à me ad utramq; Controversiā dicentur, tribus verbis perstringere mihi liceat: videlicet rationem ineundæ Concordiæ cū ingeniis pacis studiosis facilem: cum rigidioribus

ribus possibilem, cum utrisque perquam necessariam esse. Facilitatem satis arguit, & planè demonstrat ea quæ olim intercedebat amicitia inter utriusque sententiæ Professores, quamvis gliscente tunc judiciorum discrepantia. Res hęc magni momenti est, nec igitur exemplis utendum est obscurorum virorum, sed eorum qui fuerunt ex utraque parte omni exceptione majores. Itaque consulant illi, si placet, suum Lutherum, Melanchthonem, Iac. Andream, Brentium. nos Calvinum nostrum, Bucerum, Pet. Martyrem & Zanchium in medium proferemus; qui singuli in Ecclesia Christi, veluti primæ magnitudinis lumina fulserunt.

Primo in loco pro Luthero exstant egregia Calvini elogia, etiam tum, cum Lutherus in nostros omnes, in causa Sacramentaria, atrociter invehebatur, & ad par pari referendum graviter irritabat: quorum iras tum effervescentes, ne ebullirent, miro artificio repressit. „ Calvinus: sed hæc cupio vobis (inquit) in mentem venire, primùm quantus vir sit Lutherus, & quantis dotibus excellens, quantâ animi fortitudine & constantia, quantâ dexteritate, quanta „ Doctrinæ efficaciâ, hactenus ad profligandum Antichristi regnum, & simul propugnandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere solitus sum, etiamsi me Diabolum vocaret, me tamen „ hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei servum agnoscam. Hæc Calvinus tam pacatè, tam placidè, tamque indulgenter, ut jam non homo, sed ipsa humanitas loqui videatur. Paulo post Argumentum Apostolicum nostris veluti frænum in os injecerat, ne nimium excandescentes, in rixas erumperent, Nostrum tamen est (inquit) sic reprehendere, si quid est in eo mali, ut præclaris illis donis aliquid concedamus; ne igitur nobis eveniat, quod denunciat Paulus, (ut invicem mordendo nos & lacerando consumamur) etiamsi ille nos provocaverit, abstinendum potius à certamine, quam ut communi Ecclesiæ jactura vulnus augeamus. Ipsus autem Lutherus quid? an præjudicio correptus ita prorsus efferbuit, ut omnem cum nostris societatem fastidiret? imò ne cum Calvino quidem amicitiam inire detrectabat, cum tamen eum noverat causæ nostræ sacramentariæ assertorem strenuissimum fuisse. Ipsus, si lubet, loquatur Calvinus: Quanquam Lutherus me (inquit) privatim

Calvin. epist. 57. Bullingero.

Calv tract. 2. defens.

vatim adeò sibi hostem noluit, ut meæ sententiæ non ignarus, propria tamen manu gravatus non sit me reverenter salutare (nam Westphali improbitas hucusque ineptire cogit, ut verbo quo ille usus est, referam.) post cum Marpurgi dimidia conciliatio facta esset, nec ab eo conventu digressum, affirmat eodem quo ante loco Oecolampadium & Zvvinglium habuisse, quos illic fratrum loco sibi posthac fore sanctè pollicitus fuerat. Secundò quanta Melanchthoni, Jac. Andreæ & Brentio intercessit cum nostris, quamque religiosa necessitudo, mutuæ eorum salutationes ceu amicitię symbola, locupletissimi testes esse possunt. Melanchthon ad Calvinum sic Epistolam exorditur: Reverende & Christiane frater, non despero nos esse collocuturos. & deinde concludens: Oro filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum custodem Ecclesiæ suæ, ut te & nos omnes gubernet. Bene vale charissime frater. Præterea noster Sturmius quod observabat de Melanchthone & aliis, minimè nos celavit. Quasi Philippus Melanchthon (inquit) sententiam suam (nempe de re sacramentaria) non communicaverit cum Petro Martyre, post cum aliis multis, cumque illis amicitiam perpetuam coluerit. Deinde Jac. And. & Brentius sententiæ Lutheri de Sacramento Eucharistiæ unanimiter adhęserunt, de quibus tamen Calvinus: Non parum gratę fuerunt, eximie vir, & ex animo colende frater, (Jac. Andream alloquitur) quod inter infaustas tristesque dimicationes, quibus invitus exerceor, eodem semper te erga me animo esse testantur, deinde, tuam ego animi moderationem exosculor & laudo. Vale ornatissime vir, & mihi observande frater, Dn. Brentio salutem plurimam opto. Dominus felici spiritu te regere, virtute fulcire, & benedictionibus augere pergat. Et rursus alibi: Brentius te salutat. Sic inter illos agebatur; quidni & nos mansuetudinem induentes, istorum heroum vestigiis insistamus? Illinc ut meras charites exspirarent, nos autem ut flammas & furias exhalemus? Absit. Thesin primam absolvimus, secundam aggredimur.

de sacram. cœna.

Melanchthon Calvino inter Epistolas Calvini 187.

Ioh. Sturm. Epistol. ad Princ. Freder. inter CalviniEpi. 304. Calvin. Ep. 240. Iacob. Andreæ & Epi. 32. Farello.

Thesis secunda. Viam omnem non penitus interclusam nobis esse vel ad animos rigidos & planè exulceratos componendos.

Liceat mihi usurpare illud Aristotelicum in scholis sæpe decantatum, sed sensu aliquantulum diverso. Quæ conveniunt in

 eodem

eodem Tertio, inter ſe conveniunt. Similiter apud me ſtatuo; quàmvis in cauſa Euchariſtica opinionibus plurimùm diſtracti ſimus, exſtare tamen adhuc communia quædam Principiá & quaſi κριτήρια, ex quibus quivis non præjudicio occæcatus aſſertionem poſſit elicere: unum eſt, αὐτόπιστος Scripturarum authoritas, ſecundum antiquitatis lumen ſanè meridianum, de quibus non eſt hic diſſerendi locus. Illa vero tria minimè ſunt prætermittenda, quæ ſunt ab adverſantium ipſorum quaſi ſinu deprompta. A primo eorum auſpicabimur. Confeſſio Auguſtana apud Theologos Saxonicos inſtar Graculi haberi ſolet, jam ſi noſtrarum partium homines cum illa conſenſerint, equidem non video quid magis ad conſociationem mutuam conſtituendam facere poſſit: Certè quidem habent illi in hac parte ſibi conſentientem Calvinum. Ego ſi quis alius, inquit, veram & ſinceram conſenſionem expeto, quam modo Deus ipſe verbo ſuo ſanciat: nec vero confeſſionem Auguſtanam repudio, cui pridem ſciens ac lubens ſubſcripſi, ſicuti eum autor ipſe interpretatus eſt. Rurſus in confeſſione (inquit) qualis Ratisbonæ edita fuit, dico nullum verbum exſtare, quod doctrinæ noſtræ contrarium eſt: & ſi qua ambiguitas in ſenſu incidat, nullum magis idoneum eſſe interpretem quam autorem ipſum, cui id honoris pro ſuo merito facile pii omnes & eruditi deferunt. Hæc ille. nec illi comites deſunt, qui ſunt ejuſdem cum eo ſententiæ in cauſa Euchariſtica. Johan. Sturmius: [a] Ego certè in eorum numero ſum (inquit) qui de participatione corporis & ſanguinis Dn. Jeſu Chriſti confeſſionem Auguſtanam approbant. Hieronym. Zanchius calculum ſuum adjicere geſtit. [b] Profiteor (inquit) quoties contingit, ut de articulo hoc aliquid dicerem, me ſemper continui inter hæc tria capitula: quorum primum eſt, in cœna Domini non ſolum panem & vinum, ſed ipſum etiam verum corpus & ſanguinem Domini; verè nobis à Chriſto oblata eſſe, verè etiam à nobis percipi, & verè manducari & bibi. Alterùm, id vero non ore & dentibus corporis, ſed vera & actuali fide fieri: ac proinde tertium, id à fidelibus tantum, non autem ab iis qui fide deſtituti ſunt. Hæc autem capita à verbo Dei ſunt, neque pugnant cum Auguſtana confeſſione. Hæc cùm ita ſe habeant, multò æquius

Calvini Ep. 236. Martino Scarligio Eccleſ. Ratisb. Paſtori.

Calvin. opuſc. tract. tract. defenſ. 2. de ſacram. cœna

[a] Epiſtol. Sturmii. ad Frid. Princ. inter Epiſt. Calvini 304.

[b] Zanch. Miſcell. tract. de cœna Domini confeſſ. ad Magiſtrat.

quius

quius poſſint noſtri ab illis viris clariſſ. impetrare, extra illam confeſſionem Auguſtanam, ſancitam olim tanquam communionem normam fidei proteſtantium omnium, qua à Papiſtis diſcriminarentur, nulla παράδοξα alia nobis velint, veluti adverſus pacem communem obices obtrudere. Alterum ejuſdem genus principium, quod etiam ratio dictat, hoc eſt: Nunquam eſt antecedens aliquod urgendum aut premendum cujus neceſſarium conſequens & conſectarium non licet admittere. At vero ſatis conſtat Lutherum ut idololatriæ periculum amoliretur venerationem † in Euchariſtiæ celebratione ante exercitam, & in eundem finem, Ipſam Euchariſtiæ ſublevationem ſuſtuliſſe: Brentium * etiam vehementius pugnaſſe contra Impanatum Deum, ſic enim ipſe appellat. Melanchthonem denique in cœna ἀρτολατρείαν reſpuiſſe. Exorandi ſunt igitur pii illi & eruditi viri ut apud ſe perpendant, an non hęc quę ſumma ſua cum laude ſubmoverunt, & averſati ſunt, iſtius tamen quæ adhuc apud eos obtinet ſit ubiquitatis germana proles. Tertio in loco, ne quis forte prętexat, nihil quicquam remittendum eſſe de aſperitate & acerbitate ea quâ primum Zvvinglii & Oecolampadii patientiam exercuerunt, illi denuo rogandi ſunt, ut pro ſua ſingulari prudentia inter hęc ingens diſcrimen agnoſcant. Ananias Actor. 9. ut primum monitus eſt à viſione, ut manus Saulo imponeret, nonnihil reluctatur. Audio à multis (inquit) de viro iſthoc. Pôſt conſilio Dei clarius explicato, gratulabundus Saulum amplectitur. Saûle frater, inquit, Dominus miſit me ad te. Idem pariter ſupra in ipſo Luthero nobis obſervare licuit erga Zvvinglium & Oecolampadium; quos cum audit, nil niſi meras figuras in Euchariſtia agnoſcere vehementer exorſus eſt; ut vero mentes eorum rectius exploraſſet, dextram illis ſocietatis benevolè reverenterque porrexit. Eandem prorſus erga eos Calvini mentem fuiſſe, ipſe ultro fatetur: Cum ego (inquit) à tenebris Papatus emergere incipiens, tenui ſacrę Doctrinę guſtu concepto legerem apud Lutherum, nihil in ſacramentis ab Oecolampadio & Zvvinglio reliquum fieri, prętet nudas & inanes figuras, ita me ab eorum lectione abalienatum fuiſſe fateor, ut diu à lectione abſtinuerim. Hęc Calvinus tunc de illis cum quibus tamen

† Epiſt. Sturmii quæ extat inter Calvin. Epiſt. 304. & Epiſt. 45. quæ eſt Sulzeri ib.

* Calvin. Ep 32. Farello.

Melanchth. Epiſt. Calvino quæ inter Epiſtol. 287.

postea conjunctissimè vixerat. Quidni igitur Saxonici Theologi erga nos Lutheros se præstent, prius quam nos Oecolampadio & Zvvinglio in hac causa inferiores esse experiantur.

Thesis tertia. Vtrique pernecessariam esse hanc, quam nunc optamus amicam conspirationem atque consensum.

NOn est instituti nostri in locos communes excurrere & exspatiari, unde labor immensus, fructus perexiguus; potius ea argumenta comparare par est, quæ non impetrare, sed imperare; non movere, sed impellere; non denique suadere, sed quodammodo cogere ad consentiendum possint. Nec sanè ulla promptiora, aut exquisitiora esse vides ad hanc communionem formandam firmandamque, quam quæ ex communi utriusque partis gaudio, communi luctu, communi periculo, & denique ex lucro communi emergunt. Genuini Christi membri indicium nullum expressius aut exploratius, quam τὸ συμπαθεῖν, quod in duobus potissimum cernitur. Unum est ex concepta reconciliatione gaudium, quale fuit divina illa Psalmistæ ἐπιφώνησις de unitate fratrum: O quam bonum & quam jucundum! Alterum est ex dissensionis tædio luctuque cordolium, quale nimirum populus Judaicus expressit per sua de divisionibus Ruben anxia suspiria. Gliscente apud Corinthios schismate, hortatur eos Apostolus, ut mente & sententia sint κατηρτισμένοι: vox ab ἀρτίζειν, quæ apud medicos sonat membra luxata in suum locum restituere. Idem ut Philippensium animos componeret, ô quam sacro fascino est usus? si qua (inquit) consolatio, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si qua viscera & miserationes, explete meum gaudium. Unde vero? Pergit, ut itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes, σύμψυχοι καὶ ἓν φρονοῦντες. Ipsa Suada credo, si loqui posset, non potuisset ἐμφατικωτέρως, ubi quot verba, tot tela, quæ nimirum animos nostros percellant, fodicent & lancinent. Unicam addam ejusdem Apostoli unitatum complurium concatenationem (ad Ephesios) unius corporis, unius spiritus, unius spei, unius vocationis, unius Domini, unius fidei, unius Baptismi, unius Dei & Patris omnium. Quæ singula uni ejus proposito inserviunt, ut nimirum Ephesii studeant servare unitatis spiritum

ritum per vinculum pacis. Quod ad periculum pertinet, nemo nostrum ignorat imminere nobis Romani Antichristi tyrannidem, qui apud se suaviter decantat inprimis funestum illud & fatale. Divide & Impera; vel potius expugna & in Orcum præcipita, nempe dividendo: nam Regno diviso ne Gehenna quidem potest consistere. Ex aliis sapere discamus. Guelphis & Gibellinis conveniebat inter se; cum communis hostis emerserat. Ut nos servemus, non expergiscimur? De lucro quod dixi, nunquid potest aliquid esse ipsa salute majus? Quanquam & hoc quoque quo communius, eo majus meliusque. Proponamus igitur ob oculos nostros, per Deum vos oro atque obtestor, Ecclesiam Græcam, quę jam confraterni-
„ tatem nostram ambire quodammodo videtur, ut apparet ex con-
„ fessione fidei à Reverendissimo Patre Cyrillo Patriarcha Constan-
„ tinopolitano, omnium Ecclesiarum Orientalium nomine nuper-
„ rimè edita, quæ est in Articulis singulis ab eo propositis & pervulgatis cum Protestantium confessionibus per omnia consentiens. Hanc ego amplissimam orbis Christiani partem videre mihi videor ad primum consocationis nostræ nuncium in amplexus nostros convolaturam illico, quam spem nostram si Christus beaverit, posset hæc una res omnem omnium Imperatorum, triumphorum, & trophæorum splendorem & gloriam antecellere. Ad alteram tuam quæstionem festino.

Altera controversia. Quæ de Articulo uno immensi mysterii de Prædestinatione ex prævisa fide & operibus.

HÆc altera Quæstio est (ut ex literis tuis colligo) in quam alii pacis alioqui studiosi; veluti in scopulum impegerunt. Ergo ut quivis intelligat, me non meapte sponte hanc tanquam ansam disputandi quæsivisse, sed in eam potius incidisse perinvitum; non jam argumentatoris, sed duntaxat hortatoris personam eam geram, quam temporis ratio mihi imposuit.

Propterea Ornatissimi Doctores Saxonici, hanc meam suasionem, uti spero, æqui bonique consulturi sunt, in qua eos obnixè oro precorque, primum ut in hac causa in gratiam redire velint cum suo Luthero, qui (prout decuit filium gratię) Gratiam Dei omni

modo

modo gratuitam esse semper arctè tenebat, accuratèque defendebat. Deinde ne patiantur se ab ipsis Papistis, etiam Jesuiticæ sectæ Doctoribus primariis, Bellarmino, Toleto, Pererio, Suareo, Salmerone, Maldonato in Gratiæ divinæ patrocinio & propugnatione superari; à quibus doctrina de Prædestinatione ex prævisione fidei aut operum, tanquam purus putus Pelagianismus explosa est. Postremo non ultimæ prudentiæ laus est, ex hoste utilitatem capere. Prodiit duobus abhinc annis liber Guilielmi de Gibieuffe Ordinis oratorii, Presb. & Doct. Sorbonici, hodierno Papæ Urbano dicatus: in quo inseruntur verba Clementis Octavi de Auxiliis Gratiæ. Summa est, totam eam Doctrinam ad normam Doctrinæ sancti Augustini de gratia astringi debere, eundem Augustinum ducem agnoscendum esse atque sequendum: propterea quia sanctus ille vir nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes controversias pertinent, & quoniam multi prædecessores nostri (inquit) Doctrinę Augustini de Gratia tam acres fuerunt Assertores & Vindices, ut eam quasi hæreditario jure relinqui in Ecclesia voluerint, æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari. Hactenus Papa, in cujus judicii non dico Authoritatem, sed profectò veritatem Calvinum, si nunc in vivis esset, juratum fuisse nullus dubito: quem quicunque legerit, facilè agnoscet, in hisce controversiis Augustini hæredem fuisse ex asse.

Guiliel. de Gibieuffe de Libertate Dei & Creatura.

Vides tandem (dulcissime εἰρηνοδιώκτης) quomodo tua importunitas, meusque in causa tam necessaria Zelus Orationem hanc meam ultra Epistolæ metas provexerint; in qua si minus judicium, attamen pro Christiana pace studium meum poteris agnoscere. Omnis veræ Pacis Autor Dominus Christus Jesus, te ad tantam negotiorum molem pro pace publica animosè sustinendam spiritus sui virtute corroboret. VALE.

THO. DUNELMENSIS.

Post scriptum:

Tantum abest ut prior hæc nostra φιλαδελφίας prensatio, prajudicio nobis sit, ut honori sit potius: Deo ipso Doctore & duce; de quo Euangelista, 1 Iohan. 4. 10. Ipse dilexit prior.

T. D.

Adnotatiuncula.

ARticulum de prædestinatione verè immensum appellat mysterium Mortonus: atqui immensa Dei mysteria, quæ ab ingenio humano comprehendi nequeunt, & in sanctissimo Dei verbo nobis non satis evidenter revelata sunt, indagare velle, temeritatis sæpe accusarunt Patrum antiquorum multi. Inutiles & difficiles illæ quæstiones, quę nil nisi turbas pariunt, propter Ecclesiæ pacem vitandæ sunt. Quare ea de prædestinatione doctrina, summa cum prudentia in Confessione Augustana, omissa est. Ad procurandam ergo unitatem in Ecclesia, statuamus omnes, quod statuere omnes Christiani debemus; Deum ab æterno decrevisse credentes salvos facere: & *Gratiam Dei omni modo gratuitam esse*. At *τὸ quomodo* illa distribuatur, ne nimis curiosè perscrutemur, aut constringantur Scholę parietibus doctrinę illius controversię, aut iis serventur, quibus cum S. Paulo datum est cœli adyta ingredi, aut concessa est revelationum excellentia. Utinam in multis similibus multi cum confessione Augustana Harpocratem egissent, non fuissent tantę in Ecclesia Dei turbæ, tot sectę. Auxilia gratię, de quibus loquitur Papa Clemens Octavus, non negat Confessio Augustana: *sed profundiores difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt*, (ut Augustinus & alii) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere*, inquit Papa Cœlestinus, eodem illo tempore, quo scripserat contra diversos hęreticos Augustinus, & pręcipuè contra explodendos ab omnibus Christianis, & Manichęi & Pelagii gravissimos errores.

Ornatiss. & Doctiss. viro Iohanni Duræo hanc suam commentationem qualemcunque mittit Iohannes Davenantius Episc. Sarisb.

Dignissima quidem est omnium piorum Theologorum consi-
cap.8. vers. deratione vox illa Dei apud Prophetam Zachariam, Veritatem
19. & Pacem amate: cui etiam consonat illud Apostoli, ἀληθεύετε ἐν ἀγάπῃ. Non igitur sic ratio veritatis est habenda, ut pacis cura prorsus negligatur, nec unitas talis ambienda, quâ vera fides deseratur. Obtendant ergò quod volunt de religione & fide digladiantes Theologi, neutram ex animo diligunt, qui utramque non diligunt; neutram pio animo desiderant, qui utramque non desiderant.

Si enim (quod Philosophi tenent) quodlibet corpus naturale non minus appetit unitatem suam quam Entitatem, nil causæ video cur corpus illud spirituale & mysticum quod Ecclesiam Catholicam vocamus, non pari affectu unitatem suam desideret, utpote quâ dissolutâ nec subsistere potest, nec vel mente concipi. Flagremus ergo cupiditate veritatis, quanta maxima in piis Catholicis esse debet, modò interim non excidat nobis illud Paulinum; si fieri potest, & quantum in nobis est, cum omnibus pacem esse colendam:
Rom. 12. cum omnibus (inquam) hominibus externam & civilem, cum om-
vers. 19. nibus Christianis internam, Ecclesiasticam, Spiritualem. Est hoc Christi ipsius, est Christianæ Ecclesiæ generale votum, ut omnes qui credunt in Christum, in unum quasi corpus, imò in cor & ani-
Ioh.17.21. mam unam coalescant. Cum hæc ita se habeant, meritò ab omni-
Act.4.32. bus laudandi sunt Pacifici illi Theologi, qui nuper operam suam addixerunt Ecclesiis Euangelicorum inter se consociandis. Ad me quod attinet, utinam in commune consulere possem, quod tam sancto negotio promovendo posset inservire. Quod possum, tuo rogatu faciam (dilectissime Duræe,) eaque in medium proferam, quæ mihi hac de re cogitanti nuperrimè in mentem veniebant.

Inprimis ergo considerandum arbitror, an possibilis sit talis omnium Reformatarum Ecclesiarum inter se unio, cujus virtute alii

alios

alios non amicorum solummodò, sed fratrum loco habeant; atque propter talem unionem non tantum externæ amicitiæ, sed fraternæ ac spiritualis communionis signa, effecta, officia omnia vicissim inter se exhibeant. Nam si impossibilis sit inter eas arctissima hæc unio quam tantoperè appetimus, Impossibilium nulla est obligatio; si autem possibilis sit, rei tam sanctæ, tam Deo gratæ diutius oppugnandæ aut procrastinandæ nulla excusatio. Jam, quod dixi, primo in loco, dispiciendum. Possibilis sit, nec ne hæc communio, id intelligi debet, etsi maneant inter privatos particularium Ecclesiarum Doctores vexatæ illæ Controversiæ, quas perdiu discruciâsse Ecclesias Germanicas, vident omnes, gemunt fideles.

Quamvis optandus sit in hisce omnibus Controversiis plena & perfecta Theologorum concordia, tamen ut tot capita in unam sententiam conspirent, vix quidem sperari potest, ne dum uno seculo effici.

Posse autem interim Ecclesias non obstantibus quę indecisè pendent Controversiis, fraternam, sanctamque communionem inter se inire, inde conspici potest, quod quoties diversarum partium Theologi, id ex animo velle, & seriò aggredi cœperunt, toties & tantum effecerint, quantum efficere voluerunt, plus tum proculdubiò effecturi, si ipsorum voluntas in mora non fuisset.

Testis sit ipse Lutherus atque Helvetii, inter quos manente aliquà de præsentia corporis Christi opinionum diversitate amabilis unio Marpurgi constituta est; Luthero profitente nolle se hanc laudem adversæ parti concedere, quod Pacis & Concordiæ studiosiores quam ipse essent. Quam Concordiam nescio quibus machinis aliquantulum concussam, & labefactatam itidem renovârunt; idque gaudente Luthero, & post Helveticorum confessionem diligenter consideratam, ut corda simul ac dextras jungerent, necessarium judicante. Si quis autem existimet hanc concordiam non fuisse tam plenam & perfectam Unionem atque ea est quam nunc possibilem affirmamus, haud imus inficias; sed illud insuper addimus, non rei ipsius impossibilitatem, sed quorundam voluntatem ab omnibus suspicionum spumis ac scoriis nondum benè expurgatam, huic præclaro ac operi pio ad summum fastigium perducendo

Hosp. Histor. Sacr. an. 1529.

Idem an. 1537.

 obsti-

obstitisse. Nam quod ad Bucerum attinet, aliosque primarios
Ibid. Theologos cum illo sentientes, fraternam & absolutam communionem non solum postulabant, sed esse ineundam demonstrare volebant, nec quicquam, quod eò conducere potuit, prætermittebant. Porrò quam possibilis sit inter Ecclesias Reformatas hęc unio fraterna & communio, attestatur consensus ille Polonicarum Ecclesiarum non ita pridem Sendomirię initus, & hactenus religiosè observatus.

Non illi omnes controversias è medio tollere potuerunt, sed omnibus dissidiis valedicere potuerunt, atque tam arctam inter se communionem stabilire, ut alii alios sive ad verbi prædicati auditionem, sive ad Sacramentorum usum in suos cætus admittere non recusarent. Quam sanctam fraternamque Ecclesiarum Polonicarum conjunctionem Sapientissimus Princeps Ludovicus Elector ac Comes Palatinus non modo per literas illis gratulatus est, sed eandem Germanicis Ecclesiis à Deo Opt. Max. comprecatus. Quod itaque pacifico Salomoni de templi Hierosolymitani ędificatione olim dictum est, id ego dixerim omnibus pacificis Theologis de Ecclesiarum Reformatarum consociatione: Surgite, Viri Op-
1 Chron. 22. 16. timi, agite hoc negotium, & erit Dominus vobiscum. Ne dubitetis id jam fieri posse, quod alibi factum omnes agnoscunt. Sed ne vanum hoc impossibilitatis terriculamentum, Principum, Theologorum, aut quorumvis piorum Christianorum hac in re conatus possit retardare, enumerabo illa obstacula quæ revera efficiunt communionem Ecclesiarum planè impossibilem, unde constabit nihil tale obsistere quo minus Germanicæ Ecclesię (etiam pendentibus controversiis,) fraternam communionem inter se inire possint, & initam sanctè conservare. Primum igitur & maximum obstaculum, quo impediuntur Ecclesiæ nondum conspirantes in omnibus Theologicis quęstionibus ne in unum coalescant, est, usurpatum unius in alteram dominium ac tyrannicæ cujusdam potestatis exercitium.

Nam si una aliqua Ecclesia velit ita dominari in fidem aliarum, ut pro fratribus nullos agnoscat, aut in communionem secum admittat, nisi credendi ac loquendi legem ab eadem prius accipiant,

in

in quarumcunque opinionum dissidio, nulla spes relinquitur ineundæ aut conservandæ fraternæ unionis. Vetat siquidem Sacra Scriptura ne hunc in modum faciamus nos quorumvis mortalium mancipia; vetat unicus Magister ne hunc in modum Magistros terrenos fidei nostræ dominos agnoscamus. Quæ hac lege in communionem alterius Ecclesiæ recipitur, non pacem inde acquirit, sed iniquissimæ servitutis pactionem. Sola Romanensis Ecclesia eo superbiæ ac dementiæ processit, ut exturbet è communione Sanctorum, & orco devoveat Ecclesias omnes, Antichristianum hoc absolutæ & cæcæ obedientiæ jugum subire recusantes. Avertat Deus ab omnibus Protestantium Ecclesiis hanc Papistarum insaniam; qua prævalente conjunctionem Ecclesiarum, quam omnes desiderare debemus, ne sperare quidem, imo nec optare liceret. Sed (Deo laus) notum est, certum est, omnes & singulas Reformatas Ecclesias ab hac Antichristiana dominandi libidine toto animo abhorrere. *Matth. 23.*

Sublatus itaque è medio est primarius obex, qui inter Ecclesias per omnia nondum conspirantes, facere solet schisma perpetuum, eademque opera unionem reddit reapse impossibilem. Secundum obstaculum, quo interveniente unio & communio diversarum Ecclesiarum (Saxonicarum puta & Helveticarum) fiat impossibilis, est cultus Idololatrici ex una parte approbatio, ex altera detestatio. Notum siquidem est piis omnibus illud apud Hoseam, Si fornicatur Israël, non delinquat Juda, Nolite ingredi, &c. Et illud Apostolicum, Quis consensus templo Dei cum Idolis? aliaque in eandem sententiam penè infinita. Nec malè hac de re Tertullianus; Principale crimen generis humani summus seculi reatus Idololatria. Deo igitur tam severè mandante, ut Idola ac Idololatriam omnem quacunque specie obvelatam fugiamus, impossibile moraliter habendum est, quod fieri nequit absque Idololatrica aliqua contaminatione; & divinæ Majestatis gravissima offensione. En grande & horrendum obstaculum, quo Ecclesiæ Reformatę non absque summo animi dolore & horrore coguntur extra Ecclesiæ Romanæ communionem manere. Sic enim isti depereunt idola sua, sic obtrudunt suis omnibus adoranda, ut in communionem cum illis nemo venire posit, aut saltem permanere, nisi eàdem *Cap. 4.* *1 Cor. 6.*

 ope-

opera manifestarius Idololatra velit evadere. Si Ecclesiæ Germanicæ sanctam inter se communionem inire & retinere non possent, quin aut exercere cultum Idololatricum tenerentur, aut saltem credere & profiteri talem cultum non esse illicitum, communionem quæ obtineri non posset absque tam duris & diris conditionibus, ego impossibilem affirmare non dubitarem.

Possumus enim id solum quod jure possumus; ut ipsi Juris Consulti loqui solent. Est autem quod hic iterum iterumque Deo gratias agamus, qui Ecclesias Reformatas utcunque in omnibus scientiæ Theologicæ conclusionibus minimè concordes, in damnanda tamen & abolenda Idololatria unanimes fecit & mirabiliter conspirantes.

Si ergò hac ipsa hora Euangelicæ Ecclesiæ ad unam omnes in fraternam communionem convenire cupiant, ne minima quidem contaminatio Idololatrica ulla ex parte esset metuenda. Facessat itaque omnis qui ab hac causa peti potest impossibilitatis prætextus, nec ab hoc sancto proposito & opere aut animos piorum avertat, aut conatus.

Tertium & ultimum obstaculum unde diversarum Ecclesiarum inter se communio habeatur impossibilis, est fundamentalis alicujus articuli ad salutem Christianorum cognitu & creditu necessarii, ex una parte Catholica assertio & defensio, ex altera hæretica pernegatio & oppugnatio. Cum hæreticis enim Christianæ nostræ fidei fundamenta subvertentibus in unum coalescere, est à Christo Ecclesiæ fundamento dissilire. De hoc obice, quia maximi momenti res est, paulò fusius erit differendum.

In primis igitur fundamentalem articulum habendum sentio, qui ex voluntate Dei revelantis ad salutem & æternam beatitudinem consequendam est adeò scitu & creditu necessarius, ut ex illius ignoratione ac multò magis oppugnatione, æternæ vitæ admittendæ manifestum periculum incurratur.

Non nostri seculi Theologis incumbit hoc negotium, ut populo Christiano novos ac fundamentales Catholicæ fidei articulos procudant.

Qui Apostolorum & Primitivæ Ecclesiæ temporibus non fuit

articulus fundamentalis, noſtris affirmationibus, altercationibus, anathematiſmis nunquam evadet fundamentalis.

Prima hæc Credibilia quæ ex toto Scripturæ corpore in ſymbolum Apoſtolicum collecta & comportata habemus, conſtituunt illam fundamentalis fidei regulam, quam Auguſtinus puſillis magniſque communem vocat, atque ab omnibus perſeveranter tenendam decernit, de qua in eandem ferè ſententiam Hilarius: Tutiſſimum nobis eſt primam & ſolam Euangelicam fidem in Baptiſmate confeſſam intellectamque retinere. Atque ad hoſce fundamentales articulos puto reſpexiſſe Apoſtolum, quando Titum vocat genuinum filium ſuum κατὰ κοινὴν πίστιν: ſecundum fidem communem. Communis hæc fides Symbolo Apoſtolico comprehenſa, omnibus Chriſtianis credenda proponit Admirandum creaturarum omnium ex nihilo opificium, Adorandæ Trinitatis imperveſtigabile myſterium, Chriſti Incarnati, Paſſi, Reſurgentis, Glorificati miſeris peccatoribus impenſium beneficium, quęque inde dimanant. Redemptionem humani generis, Sanctificationem peculiaris populi, Communionem horum Sanctorum inter ſe, Remiſſionem peccatorum, Reſurrectionem corporum, Glorificationem fidelium. Qui credit omnia quæ hoc brevi ſymbolo comprehenſa habemus, vitamque Chriſti præceptis conformem agere conatur, ex albo Chriſtianorum non eſt expungendus, neque à communione cum aliis Chriſtianę cujuſcunque Eccleſiæ membris abigendus.

Epi. 37. ad Dardan.

Ad Conſtant. Auguſt.

Tit. 1.

E contra qui ullum ex hiſce articulis ſurcillat aut ſugillat, licet nomen Chriſtiani ſibi vendicet, ab orthodoxorum communione arcendus eſt, & procul amandandus. Agnoſco tamen dogmata multa pręter hoſce articulos in ſacris Scripturis contineri, atque ex ſacris Scripturis per firmam conſequentiam poſſe deduci, quę ſunt cognitu perquam utilia, & ad profectum in Theologica ſcientia multum conducunt: ſed ſub amittendæ ſalutis aut communionis periculo tum demum tenenda ſunt, cum in Scripturis contineri, vel ex Scripturis neceſſariò conſequi maniſeſtè declarentur & intelligantur.

In hiſce ſi qua Eccleſia non poteſt veram ſuam ſententiam aliis Eccleſiis ita manifeſtam reddere, ut eas in eandem pertrahat, renun-

ciare

ciare debet illarum erroribus, fraternæ tamen communioni propter hosce errores renunciare non debet. Hisce addo, quod etiamsi locus aliquis Sacrosanctæ Scripturæ videatur hisce Ecclesiis fundamentalem articulum stabilire, aliis non videatur, non tamen in hoc opinionum discrimine satis justa causa communionis abrumpendæ, modò utraque ipsum articulum piè credat, & in aliis Scripturę Sanctę locis clarè & solidè fundatum agnoscat. Denique & illud adjungendum, non esse impossibile, neque à bonorum Christianorum officio alienum, cum illis Ecclesiis communione m retinere, qui nobis opinionem aliquam sequi videntur, quæ revera non potest cum fundamentali articulo cohærere; dummodo ipsum articulum explicitè profiteantur, & ambabus (quod ajunt) ulnis amplexentur.

Abhorret enim à charitate, imò à recta ratione, ut quis propter consequentias nec intellectas, nec à se concessas, putetur fundamentalem articulum negasse aut rejecisse, quem firmiter credit, explicitè asserit, & si opus esset veritatem ejusdem vel sanguine suo obsignaret. Verior & benignior est illa Magni & Pacifici Theologi sententia; Nostrum est non quid per se ex quovis sequatur dogmate, sed quid in illorum sequatur conscientia spectare, qui tenent illud dogma quod nos articulo fundamentali oppositum arbitramur. Quemadmodum enim qui verum aliquod principium credit, non statim credit aut intelligit ea omnia quæ à doctioribus per consequentias inde deduci possunt: ita qui falsam aliquam opinionem tenet, non protinus tenet omnia quæ perspicaciores huic falsæ opinioni connexa & consequentia esse animadvertunt. Urgere licet hujusmodi consequentias ad errorem fratribus eripiendum, at odiosè impingere quasi essent propria illorum dogmata, non licet.

Bucerus.

Quam latè hoc pateat, quantumque valeat ad stabiliendam inter Ecclesias Reformatas fraternam unionem, prudentes & pacis Ecclesiasticæ amantes facilè animadvertent. Nam si concedatur imposibilem (id est illicitam) esse solummodo communionem cum illis cætibus, qui explicitè rejiciunt articulum aliquem fundamentalem, aut hæresin tuentur quæ Cor petit, & à communione cum ipso Christo abscindit, illud etiam consequitur, inter Ecclesias notæ

tæ purioris & impurioris, posse constare hanc fraternam quam desideramus inter Ecclesias Germanicas communionem. Recedant ergo Ecclesiæ fundamento adhærentes ab Apostaticis, at interim ab errantibus in iis, quæ levioris sunt momenti, nec à Christo vitæ fonte distinguunt, ne recedant. Jubet Apostolus infirmos in fide assumere, non abjicere. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere, inquit, idem Apostolus. Nimium sibi placet illa Ecclesia quæ alias in quibus nec invenitur tyrannis, nec Idololatria, nec hæresis mortifera, propter aliquam Intelligentiæ infirmitatem, tanquam sua communione indignas aspernatur. Non sic priscæ Ecclesiæ patres, quorum studia in consociandis particularibus Ecclesiis per orbem dispersis, apud Centuriatores per singulas annorum Centurias licet observare. Sed illud proposito nostro aptissimè inservit, quod scripsit Optatus Milevitanus: Ecclesias per totum orbem commercio formatarum in una communionis societate potuisse concordare. In illis autem formatis pacificis sive synodalibus literis, nil aliud continebatur, præter confessionem Catholicæ fidei in symbolis stabilitæ, ac in Conciliis Nicæno, Chalcedonensi aliisque, communi Ecclesiæ universalis consensu contra hæreticos breviter explicatæ. De infinitis aliis quæstionibus, quæ inter privatos dispersarum Ecclesiarum Doctores oriri & agitari potuerunt, nulla Ecclesia consensionis absolutæ formulam, ab aliis aut exigebat aut exspectabat, Nam si absque hac impossibilis judicata fuisset particularium Ecclesiarum fraterna communio, ad eam contesserandam & contestandam non synodalibus Epistolis aut brevibus confessionum Formulis, sed ingentibus Controversiarum voluminibus opus fuisset. Quod si ab antiquis Patribus discere recusamus, at ab hostibus tandem aliquando discamus; non esse impossibilem fraternam animorum, officiorum, Sacramentorum communionem inter illas Ecclesias, quę de Controversiis nũquam definiendis contrarias sententias defendunt.

Rom. 14. 1.

Cap. 7. *lib.* 2.

Nil dicam de Thomistarum & Scotistarum, nil de Dominicanorum & Jesuitarum altercationibus. Inter ipsas Romanæ Religionis Ecclesias, versatur & vexatur una Controversia majoris momenti, quàm sunt omnes si in unũ conglobentur, de quibus litigant inter se

Protestantes. Illam volo de infallibili Judice in omnibus Christianæ fidei quæstionibus. Hispanicæ & Italicæ Ecclesiæ tuentur Papam esse hunc supremum judicem, Christi ipsius authoritate irrefragabili munitum,& Spiritu veridico esse afflatum & illuminatum, ut in decretis suis & definitionibus, quibus totam Ecclesiam obligare intendit, nullò modo errare possit. At Gallicanæ è contra eundem deprimunt, de cathedra sua infallibili deturbant, adeóque erroribus obnoxium statuunt, ut si in fide aut in moribus judicio & authoritati universalis Concilii subesse & parere recuset, pro Schismatico & Hæretico habendum & deponendum conclamitent. En de ipsa fidei Catholicæ columna magnum dissidium: in hac tamen opinionum pugnâ fraternæ Communionis inter Ecclesias ipsas nullum divortium. Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, Philistæos in pacem ac unionem inter se colendam propensiores esse quam Israëlitas. Denique si inter Ecclesias particulares hujusmodi controversiæ impossibilem efficerent unionem, velim quis mihi ostendat vel duas Ecclesias (quarum una alteri non est subjecta) quas alienari, divelli, & quasi intergerino pariete disterminari non sit necesse.

Nisi igitur eò redeamus, ut propter dissensum in fundamentalibus tantummodò permittamus hanc ab aliis Ecclesiis secessionem, communio Ecclesiæ Catholicæ tantoperè olim celebrata, erit inane nomen, & titulus fictitius, cui veritas ipsius rei nunquam respondebit.

Donatistæ olim dicere solebant, periisse de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati sola remansisse. Romanenses etiam in hoc puri puti Donatistæ sunt, qui vociferantur in sola parte Pontificis Romani Ecclesiam Catholicam inveniri. Nostrum est ab hac schismatica pravitate abhorrere, & communionem fraternam cum omnibus Christianis Ecclesiis conservare & profiteri, quas à Christo capite per hæresin aut Idololatriam nondum disjunctas, aut ab aliis Ecclesiis propter usurpatam tyrannidem minimè fugiendas judicamus.

August. de unitate Eccles. c. 12.

Quæ hactenus de Obstaculis, quæ Impossibilem faciunt diversarum Ecclesiarum inter se communionem, & de opinionibus discrepanti-

pantibus quæ minimè faciunt, sunt disputata, eò spectant omnia, ut si inter Theologos conveniri possit, controversias quæ Reformatorum Ecclesias jam diu exercuerunt & defatigarunt, non esse ejusmodi, ut sive quis ad horum sive illorum sententiam accedat, à Christo & fundamentali fide discedere, & in hęresin fundamento contrariam incidere judicetur, etiam manentibus hisce non tam Ecclesiarnm quam scholarum dissidiis, communionem fraternam inter Protestantium Ecclesias universas iniri & custodiri posse fateamur. Non est mei instituti in ipsas controversias me immergere, doctissimos & celeberrimos Ecclesiarum Germanicarum Theologos tantummodo exoratos velim, ut pacificis animis & affectibus sedatis percurrant omnes quę inter ipsos agitantur quęstiones: Peribit siquidem judicium, si res transeat in affectum. Primaria & mater ferè reliquarum omnium, est illa quæ de modo pręsentiæ corporis & sanguinis Dominici in Eucharistia adhuc manet indecisa. Atque ad hanc quod attinet, post rem pensiculatè consideratam pronunciavit undecunque doctissimus Bucerus, in Re & animo fuisse Concordiam, in verbis tantum & loquendi modis aliquam varietatem. Dixit olim ipse Lutherus, si creditis & docetis in sacra Cœna verum corpus & verum sanguinem Domini exhiberi, dari, & sumi, & non panem & vinum tantum, & quod hęc perceptio, & exhibitio verè fiat, & non imaginariè, inter nos convenit. Eodem tempore concessit Bucerus sociique ejus, verum sanguinem, cum visibilibus signis pane & vino exhiberi, dari & sumi. Scripsit olim Jacobus Andreę: [Neque cum Capernaitis sentimus, neque transsubstantiationem Pontificiorum recipimus, neque physicam & localem corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna pręsentiam aut inclusionem statuimus. Neque vocabula illa Substantialiter, Corporaliter, Oraliter quicquam aliud nobis nisi veram corporis & sanguinis in sacra cœna præsentiam & manducationem significant.] Jam quæ fuerit sententia Helveticarum Ecclesiarum audiamus. [Quanquam negant fieri transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti, tamen concedunt Sacramentali unione Panem esse corpus Christi, & porre-

Contra Robert. Alringen & alibi.

Apud Hosp. Histor. sacra ad An. 1536.

Colloq. Momp. pag. 16.

cto pane simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. Non lac lacti similius, quam est illa Helveticarum Ecclesiarum sententia sententiæ Lutheranæ. Si quis tamen suspicetur sub hac verborum Concordia latere adhuc posse aliquam sententiarum repugnantiam, illud nihilo minus urgendum & quęrendum; an ea talis sit tantique momenti, ut Ecclesiarum pacem ac unionem reddat impossibilem, schisma & dissociationem necessariam faciat & sempiternam. Scio doctissimis & solidissimis Theologis extra partes & pulverem hujus discordię constitutis longè aliter videri. Jam quod spectat ad illas Controversias de Omnipræsentia Corporis Christi, de Idiomatum Communicatione aliisque, quas illa prior videtur peperisse, quisquis cum judicio perpenderit, quid utrinque concedatur, quid negetur, perspiciet illico nullum fundamentalem articulum, sive ab his sive ab illis in dubium vocari, nedum oppugnari aut everti. Quicquid enim ab Ecclesia Catholica in symbolis conciliisque universallbus hisce de rebus definitum est, id utrique pariter rejiciunt & abominantur. Quod autem per consequentiarum funiculos alii alios aliquando pertrahere conantur in lutum sordidorum Hæreticorum, id non tam mirandum quam dolendum est. Novimus omnes disputantium iracundorum consuetudinem, præsertim postquam diu contendendo cæperint vehementer incalescere: Breviter etiam antea attigimus quid de hæresibus quæ per consequentias minimè concessas aut intellectas aliis intentantur, sit sentiendum. Impræsentiarum hoc unum sufficiat ad communionis fraternę possibilitatem demonstrandam, quod neutrubi ullum dogma fundamento fidei è diametro contrarium, aut salutis (ut Tertulliani verbo utar) devoratorium explicitè defendatur: imò quę talia sunt, omnia ab utrisque clarè & explicitè damnentur. Si quę alię de Prędestinatione, de libero arbitrio, aut consimilibus natę sunt inter Ecclesias novę lites, nullo colore obduci possunt, ad Ecclesiarum communionem impediendam. In hisce etenim omnibus illud unicum ad Catholicam & fundamentalem fidem spectat, ut Gratia Dei gratuita in Prędestinatione miserorum, conversione peccatorum, liberatione humanarum voluntatum, perseverantia denique & salute electorum ita plenè agnoscatur, ut quicquid

Apud Hosp. ad An. 1536.

quid facit ad statum gratiæ aut Gloriæ adipiscendum, quicquid in hoc ordine fit ab hominibus, id totum Deo detur, ac divinæ gratiæ misericordiæque speciali assignetur. Econtra quicquid ad corruptionem humanę naturæ, quicquid ad obstinationem in peccato, quicquid ad liberi arbitrii vitiositatem & servitutem spectat, quicquid denique ad æternam damnationem ducit miseros mortales, & in gehennam pręcipitat, id omne nobis nostrisque de meritis imputemus, & á Deo longè facessere jubeamus.

Dum hæc fixa manent immotaque (uti revera manent) quamvis in doctrinis fundamento superstructis diversos habeant concipiendi aut loquendi modos, imò quamvis diversas sententias sequantur, non sunt hujusmodi errores adeò capitales, ut propter eosdem capitale odium inter Ecclesias foveri, ut perpetuum schisma nutriri oporteat. Si ergo hoc semel constiterit inter Theologos, illorum lites non fuisse aut esse de articulis fundamentalibus, & cognitu ad salutem planè necessariis, simul constabit, non esse impossibile ut Ecclesiarum unio & communio redintegretur, perniciosum hoc schisma protinus auferatur, & beata pax in posterum inter Ecclesias Germanicas sanctè conservetur. Jam proximum est, ex quo vidimus hanc unionem esse possibilem, ut consideremus, utrum virtute divini mandati, & debiti sui officii teneantur Principes, Doctores, totusque adeò populus Christianus quisque pro virili sua eniti, ut hæc fraterna inter Ecclesias communio, quam primum commodè fieri potest, stabiliatur.

Omnes ad hoc esse obligatos primo in loco videtur innuere illud Paulinum ab initio à nobis commemoratum. [Quoad fieri potest, & quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.] Si tanto studio pax civilis & externa inter omnes homines conservanda est, procul dubio spiritualis & Ecclesiastica inter Christianos communio, multo majore est procuranda & fovenda. Ubi igitur non obstat ex parte rei invicta impossibilitas, excusari non potest, quæ divino mandato parere negligit aut renuit, sive torpida sive perversa hominum voluntas. Neque est quod quis obtendat, opinionum repugnantium diffidia non posse adhuc conciliari: Si schismata Ecclesiarum interim tolli possunt (uti procul dubio *Matth.* 18.

 possunt)

possunt) suspendi mallem ad collum meum molam asinariam, ac in profunda maris demergi, quam aut impedire velim opus tam Deo gratum, tam ad scandala vitanda necessarium, aut illud non toto animo totisque viribus promovere.

2. Huc accedit quod omnes necesse habent confiteri, veram & genuinam charitatem esse omnibus Ecclesiis & Christianarum Ecclesiarum membris non minus ad salutem necessariam, quam fidei orthodoxæ & salutiferæ veram & integram professionem. Hoc etenim Insigni Dominus & Servator noster Jesus Christus distingui & *Ioh.* 13. 35. discerni voluit germanos suos discipulos à falsis & adulterinis. [In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.] Jam singulorum conscientiis relinquo judicandum qualis tandem illa charitas sit, quæ permittit Christianas Ecclesias nullâ justâ causâ prohibitas, fraternitatis dextras mutuò abnegare, & ab ineunda unione perpetuò abhorrere. Nonne satis est à fæno & à stipula, hoc est, ab erroribus aliarum Ecclesiarum recedere, nisi ab ipsis etiam Ecclesiis, quæ à Christo nondum recesserunt, facto schismate voluntario recedamus?

3. Ad hæc videor mihi observâsse, tam eos qui Zvvinglianam, quam qui Lutheranam (uti vocare solent) doctrinam amplexantur, utrobique agnoscere, Ecclesias quæ sive hanc sive illam tenent, manere veras Christi Ecclesias, sive vera sub Christo capite membra Catholicæ Ecclesiæ. Ipsi Illustrissimi Principes in Præfatione sua ad formulam Concordiæ clarè profitentur. [Nequaquam consilium & institutum suum esse eos homines qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò minus totas Ecclesias quæ vel sub Romano imperio sunt vel alibi damnare: neque dubitare se, multos pios in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia secum senserunt, reperiri.] Quin etiam Lucas Osiander, cum illi objectum fuisset, quod Calvinianos Diaboli Martyres appellâsset, diligenter se pur-
In Antist. pag. 75. gat, hunc in modum. (Qui meas audiverunt conciones nulla se unquam convicia in Martyres Christi audivisse dicent: & publica mea scripta testantur, quod eos qui in die Bartholomæi in Gallia trucidati sunt Martyres Sanctos appellaverim.) Est itaque seriò perpendendum,

dum, an tutum, an pium, an cum officio Christianarum Ecclesiarum conjunctum sit, fraternitatis dextras ob quosvis levioris momenti errores illis Ecclesiis non porrigere, qui hisce erroribus non obstantibus, Christi Martyres, imò sancti fratres possunt permanere. Velint, nolint, quicunque Christum fratrem suum primogenitum agnoscunt, omnes ejusdem Christi fratres communione arctissima & fraterna sibi conjunctos habeant necesse est.

Porrò nullus dubito quin Ecclesiæ Saxonicæ, Helveticæ, aliæque quæ sive hisce sive illis adstipulantur, agnoscant se fraternam 4.
communionem cum hac nostra Anglicana, Scotica, Hybernica, aliisque apud exteros Reformatis Ecclesiis habere ac retinere velle. Certe ad nos quod attinet, quamvis non illis suffragemur in omnibus controversæ Theologiæ apicibus, fratres tamen in Christo agnoscimus, ac fraternam & sacrosanctam nos habere cum illis communionem protestamur. Si autem ipsi pariter sint erga nos animati, qua æquitate Germanicæ Ecclesiæ sese invicem privant illa fraterna communione, quam cum Exteris retinere non formidant? Quod igitur Moses compugnantibus Israëlitis olim dixit, id Germanicis Ecclesiis inter se digladiantibus verè dici potest, & verè refelli non potest; Fratres estis; cur alii alios injuria afficitis? *Actor. 7.*

Denique quid à Deo Opt. Max. pii omnes petere teneantur, & 5.
fervidis precibus exposcere, ac procul dubio quò fiat tenentur studium suum operamque omnem conferre. Quis autem non indies Deum sollicitat pro florente & tranquillo Ecclesiæ statu? quis non orat ut ea omnia quæ turbant, vexant, deturpant, aut quoquo pacto spiritualem Ecclesiæ ædificationem impediunt, è medio tollantur? Fuit hoc Regii Psalmistæ votum, debet etiam esse Principum, Doctorum, Christianorum omnium. Neque tantum optavit omnia bona Ecclesiæ Dei, sed quæsivit, & quantum in se, procuravit: *Ps. 122. vers. ultim.*
fuit hoc illius officium, est procul dubio & nostrum. Atque hic nimis ociosus sim, si longa Oratione Germanicis Ecclesiis patefacerem sive pacis & unionis commoda, sive diuturni schismatis incommoda. Oraculi instar est illud Prudentii;

——— Scissura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris quod dissidet intus.

Quid

Quid igitur è re suarum Ecclesiarum sit ipsi viderint, & statuant apud se, id omne non modo petendum esse à Deo assiduis precibus, sed summis & indefessis omnium conatibus, ut efficiatur & obtineatur, enitendum. Neque sperent rerum inexperti se majorem gratiam apud Papistas inituros, minora incommoda ab illis passuros, si Calvinianis quos vocant, sese consociare recusaverint. Ab istis quid sperandum sit, Osiander jam dudum indicavit. Papistę (inquit) non minus Lutheranos exurunt quam Zvvinglianos iis locis, ubi Romanus Pontifex (sævissima illa & crudelis bestia) plenum habet exercetque dominium. Qui igitur in maxima sunt apud illos gratia, plus sperare nequeunt, quam Vlyssi apud Homerum gratificaticatur Polyphemus. Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μεθ' ἑοῖς ἑτάροισι. Citius illi devorabunt Calvinianos, serius Lutheranos, ad extremum tamen si poterunt devorabunt omnes.

In Antist.

Od. 1.

Hactenus in eo operam posuimus, ut hanc Germanicarum Ecclesiarum communionem non modò possibilem, sed ratione divini mandati planè debitam ac necessariam esse intelligatur. Jam quibus modis & mediis divulsæ ac miserè dilaceratæ Ecclesiæ, possint in unum corpus commodissimè & celerrimè coalescere, restat ut dicamus. Qnod facere conabor potius ut propensionem animi mei in tam pręclarum opus ostendam, quam quod existimem, nobilissimas illas Ecclesias, & nunquam non copia doctorum, piorum, ac pacificorum Theologorum instructissimas, consiliis exterorum hac in re indigere.

Quandoquidem igitur prædictæ Controversiæ versari possunt aut inter diversarum ditionum Ecclesias, quarum una alteri non est subjecta, aut inter Christianos ejusdem Ecclesiæ, qui eundem Principem vel summum Magistratum agnoscunt; primò de Ecclesiæ membris omnibus inter se consociandis est dicendum.

Ad diversas Ecclesias in unam communionem reducendas, sentio viam magis aptam & accommodatam cogitari non posse, quam est illa familiaris, sedati & pacifici colloquii, inter delectos Principum anthoritate Theologos instituendi. Nam si quis putet, convocato ex omnibus Reformatis Ecclesiis concilio quæstiones quæ tot annos exercuerunt doctissimorum virorum ingenia, posse pau-

cis

cis mensibus aut annis, aut unâ annorum centuriâ ita definiri, ut omnium consensus in omnibus hisce Theologiæ controversæ capitibus obtineatur, bonâ bonornm veniâ dictum sit, mihi videtur vix verisimile. Infirmus siquidem humanæ mentis oculus subtilium controversiarum minutias, cum per quietem contemplatur, ægrè penetrat; at oppletus quasi atro pulvere per motum disputantium excitato, plerumque ne conspicere quidem potest, aut intentis oculis intueri. Atque (ut quod res est dicamus) concilia præsertim generalia inservire potius debent claris fidei Christianæ articulis contra Hæreticos propugnandis & statuminandis, quam difficilibus & minimè necessariis controversiis aut disceptandis aut definiendis. Redeamus ergo ad pacificam illam & fraternam quam modo laudavimus collationem, quę si eo animo instituatur, quo oportet, & eo modo tractetur, quo oportet, in spe magna sumus, nos felicem Germanicarum Ecclesiarum communionem propediem visuros.

Hoc igitur inprimis omnium collocutorum animis insidere debet, se non convocatos ut tanquam antagonistæ colluctentur, sed ut tanquam fratres, pacis stabiliendæ legitimas omnes vias perscrutentur & sequantur.

Nam si ipsi inter se hanc contentionis serram putent reciprocandam, inter Ecclesias litigantes unionem & pacem redintegrandam nunquam persuadebunt. Solitarum ergo disputationum labyrinthos ne ingredi quidem conentur, sed congressionem suam ad unam hanc lineam dirigant, ut Ecclesiis suis demonstrent, nullam causam satis justam esse cur mutuam unionem recusent, & à dextra fraternitatis conjungenda diutius abhorreant. Ut hoc fiat circa singulas controversias, quid Ecclesiæ Catholicæ suffragiis olim definitum, & sub anathemate ab omnibus credendum fuit, primo in loco statuatur. Nam circa res maximè fundamentales suboriri possunt problemata quædam minimè fundamentalia, quæque prisci Patres si suo seculo mota fuissent, cum periculo schismatis inter Ecclesias aut suscitandi, aut continuandi nunquam definire tentâssent. Verbi causâ. Deum esse unum in essentia, trinum in Personis inter se distinctis, Filium genitum esse è Patre, Spiritum Sanctum essePatris & Filii spiritum, hasce tres personas esse coæternas, & coæquales,

meritò definita sunt hæc omnia, & inter articulos fundamentales collocata. Jam si quis contenderet, ea omnia quæ à Scholasticis de modo procedendi aut generandi disceptantur, esse etiam fundamentalia & in alteram partem necessariò definienda, næ ille apud Christum Christique Ecclesias temerario hoc suo judicio nullam gratiam iniret. Sic etiam Dominum nostrum Jesum Christum esse θεάνθρωπον, ac in una persona habere humanam & divinam Naturam indissolubiliter unitam, nósque Deo incarnato salutem nostram debere, est Catholicæ ac salutiferæ fidei nostræ solidissimum fundamentum. Attamen quicquid de modo hujus unionis inexplicabili, quicquid de Modo præsentiæ Corporalis in sacra Cœna, quicquid de communicatis humanæ naturæ per gratiam unionis proprietatibus, aut de humanæ naturæ operationibus ab hac unione dependentibus, quæri aut disputari potest, non continuò ad fidem fundamentalem spectat, sed ad peritiam Theologicam, & fortasse ne ad hanc quidem, sed aliquando ad curiositatem Theologorum. Sit itaque hæc prima & præcipua colloquentium Theologorum cura, accuratè distinguere & secernere fundamentalia à non fundamentalibus, neque præsumere, quicquid fundamentali articulo contiguum videtur, esse protinus fundamentale.

Postquam de hisce consenserint, curandum est, ut hæc fundamentalia paucis ac claris verbis exprimantur, & communi Ecclesiarum consensu statuminanda proponantur. Certa semper sunt in paucis (inquit Tertullianus:) & quicquid ad salutem Christianorum scitu necessarium est, quicquid nos meliores beatioresque facit, in aperto ponitur. Nihil hic loci est subtilibus distinctionibus quas sola aquila, aut serpens aliquis Epidaurius visu percipere & discernere potest. Nihil longarum explicationum laciniis sive assumentis, quæ attexi plerumque videmus, non tam ædificandis Christianis in fide fundamentali, quam Doctorum contendentium opinionibus provehendis. Nihil denique Metaphysicis formalitatibus & abstractis notionibus, quæ doctorum capita perturbare possunt, indoctorum animos ab ipsa fide Catholica deterrere, at neque horum neque illorum corda ad fidem articulorum fundamentalium amplexandam inflectere.

De Anima.

Jam

Jam verò cum ea quę ad fundamentalem & communem Ecclesiarum fidem pertinent, paucis verbis, & planis ac sanis loquendi formulis sunt comprehensa, eaque seposita & in medio relicta de quibus nondum convenit; proximum est, ut nitantur pacifici Theologi, id omnibus persuasissimum facere, quod propter ea quæ sine crimine aut dispendio salutis à populo Christiano nesciri possunt, non est cum discrimine Ecclesiarum, dispendio pacis, ac scandalo schismatis, amplius hostiliter digladiandum.

Quam salubre & necessarium sit hoc consilium, temeritas & contraria praxis Romanę Ecclesiæ facilè comprobavit. Dum enim illi minimè contenti articulis symboli Apostolici aut Niceni, Tridentini conventiculi novos articulos orbi Christiano obtrudere conantur, perpetuam schismatis perpetui inter Ecclesias materiam reliquerunt. Quantò consultius fecit sanctissimus Martyr, & doctissimus sui seculi Pater Cyprianus, qui propter opinionum discrepantiam, se vim nemini facturum, aut Dominicam pacem cum collegis suis violaturum, aut quenquam quod diversum à se senserit jure communionis amoturum profitetur. Quâ Christianâ charitate ac lenitate melius de Ecclesia Dei meruit errans Cyprianus, quam Stephanus Romanus rectè sentiens, & Ecclesias, quantum in se fuit, schismatico spiritu dilacerans. Fretus hoc sanctissimi Martyris exemplo & Augustini hac de re judicio, haud dubitem affirmare, inter Germanicarum Ecclesiarum doctores, illos qui falluntur & tamen communionem fraternam cum aliis retinere parati sunt, esse à schismate coram Deo magis excusatos, quam qui veras opiniones in hisce controversiis tuentur, & mutuam interim communionem cum aliis Ecclesiis eam desiderantibus aspernantur. Obtento igitur consensu in fundamentalibus, quamvis de cæteris doctores plenè ac perfectè convenire non possint, in hoc tamen omnes conveniant, ut uno ore ac corde ad Deum conclament; Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Epist. ad Stephan. & ad Iul. Praef. ad Concil. Carthag.

Vide Aug. de Bap. lib. 2. c. 4. 5.

Si quis autem hic quęrat, quid faciendum est de illis quę componi nequeant controversiis, ne illarum occasione aut impediri possit pax & unio Ecclesiarum aut turbari, & denuò violari postquam constituta est; hęc mihi videntur ab utriusq; partis Theologis observanda.

Primò, quæ hactenus ab Antagonistis, inter ipsum contentionis æstum dicta aut scripta fuerunt, acerbè magis & malignè quam pensiculatè & verè, ea omnia publico bono vicissim condonentur, & perpetua ἀμνηστείᾳ sepeliantur. Et si contigerit hujusmodi scripta in posterum recudi, id non fiat nisi purgato omni felle, unde fraternæ contentionis malum possit recrudescere.

Secundò, cum nemo patienter ferat, se hæresis stigmate inuri, cavendum ne quis Nestoriani, Eutychiani, aut cujusvis damnati hæretici nomine infametur, qui expressè damnat istorum hæreticorum damnata dogmata: Non possunt enim in communione fraterna firmiter permanere qui propter aliquam opinionum discrepantiam talibus contumeliis pergunt sese invicem exasperare. Quin etiam optandum esset, ut è medio facesserent ista Lutheranorum, Zvvinglianorum, Calvinianorum cognomenta, quæ factionis potius quam fraternæ unionis insignia sunt, & antiquis patribus nunquam placuerunt. Noluit Epiphanius ut Christiani gestarent ἐπίθητον ὄνομα, sed solo Christianorum nomine gauderent. Non Petrianos, non Paulianos vocari nos oportet, sed Christianos, inquit Nazianzenus. Omnium autem severissimè Lactantius: Christiani esse desierunt, qui Christi nomine omisso humana & externa vocabula induerunt. Sed ut quod res est dicam, induuntur potius particulares Ecclesię talibus cognomentis, quam sese induunt aut indutos cupiunt.

Tertiò, quantum fieri potest, à popularibus concionibus ac vernaculo sermone conscriptis tractatibus removeantur arduæ omnes & indecisæ controversiæ, & habeantur potius inter exercitamenta scholarum, quam alimenta animarum. Nullo enim incommodo subtiles quæstiones & perplexæ controversiæ à pulpitis abesse possunt; at charitas quæ ex talium quæstionum ventilatione lædi solet, absque extremo animarum periculo, à cordibus Christianorum abesse non potest. Ludit istis animus vulgi, non proficit, & cum ludere desierint, hisce controversiis minimè intellectis pugnare inter se incipiunt & digladiari.

Postremò, si ipsis Doctoribus in posterum allubescat de hisce controversiis sermones serere aut scripta sua in lucem edere, nunquam

quam congrediantur ὁπλιτικῶς, ἀλλὰ λογικῶς, ut prudenter monuit Nazianzenus. Sit hęc meta utrisque non quoquo pacto fratres vincere aut pudefacere, sed leniter comiterque instruere, & quasi apprehensa manu in viam veritatis reducere. Qui hoc modo ab errore suo liberabitur, nunquam se victum sed edoctum putabit, nec confundetur veluti ab hoste superatus & dejectus, sed lætabitur quasi à fratre adjutus & sublevatus. Nemo enim proficiens erubescit. *Orat. 3. de Pace.*

Hactenus modum ineundæ Pacis & conservandæ unionis inter diversas Ecclesias æquo jure utentes delineavimus. Sed quia accidere potest & sępe accidit, ut sub ditione unius Principis aut Ecclesiæ versentur nonnulli docti indoctique, qui per conscientiam suam sive rectè informatam, sive erroneam, prohibentur, ne in hisce controversiis communi sententiæ subscribant: quid circa tales sit faciendum dispiciamus. Ad Rectores Ecclesiarum quod attinet, si hisce fratribus infirmis prospectum cupiant, in articulos religionis, sive confessionum formulas quas ab omnibus sibi subditis suscipi volunt & approbari, ne conjiciant minutos difficilium controversiarum apices, aut subtilium quæstionum decisiones. Quin potius attemperentur ad captum popularem, ędificationem indoctorum, salutem omnium. Perpendere oportet sapientiam majorum nostrorum, quorum confessiones antiquas, si pacis turbandę causa de industria non interpolemus, & novis opinionibus farciamus, nemo sanus invenietur qui illis lubenti animo non subscribat. Neque omnino opus est ut talibus additamentis pręgravemus publicas Ecclesiarum confessiones, cum Deus ipse decreverit ad vitam beatam perducere populum suam, non per difficilium & longarum quęstionum salebras, sed per complanatam & compendiariam viam FIDEI & CHARITATIS. Quorsum igitur disceptationes & verborum pugnæ? Quid faciunt in confessionibus Ecclesiarum subtilitates Scholasticorum? Tota salus Christianorum consistit in credendo & colendo, ut graviter olim dixit magnus Athanasius. Hisce accedit, quod pacem vix ac ne vix quidem possunt cum aliis Ecclesiis minimè sibi subjectis inviolatam conservare, qui propter eandem doctrinam quam illę profitentur, sibi subditos per- *In Orat. Unum esse Christum.*

 sequi

ſequi & tanquam hæreticos à communione ſua abſcindere pertendunt. Viderentur profectò tacitè hæreſin aliis Eccleſiis exprobrare, & hoc ipſo facto innuere, quod licet ore illos pro fratribus ſuis agnoſcant, corde tamen ab iiſdem valdè abhorreant. Denique niſi confeſſionum publicarum formulæ ad doctrinas neceſſarias & minimè controverſas inter ipſos Reformatos coarctentur, id inde conſequetur incommodi, quod multi Paſtores, docti, pii, pacifici foras excludentur, nec poterunt Eccleſiis in quibus vivunt inſervire. Si quis autem dubitet an licitè poſſint ſacroſanctam communionem inter ſe colere, in una eademque Eccleſia, qui in omnibus Theologicę doctrinę capitibus, unam eandemque per omnia ſententiam minimè amplexantur; id ego quidem extra omnem dubitationis aleam poni oportere exiſtimo.

Nam quod attinet ad ſacram illam quam Chriſtiani inter ſe habent, in Cœna Dominica communionem, in hiſce potiſſimum conſiſtit; quod communi Spiritus ſancti vinculo Eccleſiæ unico Capiti Chriſto conjungimur, quod ejuſdem ſpiritus ac ſalutiferę fidei & charitatis nexibus inter nos cohæremus, & quaſi in unum corpus coaptamur, quod denique tanquam commenſales eundem cibum potumque vivificum, Chriſti ſcil. carnem & ſanguinem ad animarum noſtrarum ſalutem manducamus & bibimus. In hiſce omnibus communionem profitentur, qui ad eandem ſacram menſam admittuntur. Verum enim verò ſicuti hâc mutuâ communione non profitemur nos omnes aut perfectum aut eundem gradum Theologicę ſcientię adeptos; ita neque hoc facto proteſtamur, nos perfectam habere inter nos in omnibus Theologicę doctrinæ capitibus conſenſionē, aut de ſingulis quęſtionibus eandem planè opinionem. Si dura hac lege ſtaret Chriſtianorum inter ſe communio, vix potuiſſent Petrus & Paulus inter ſe communicare, Corinthiorum certè Eccleſia in fruſta diſſiliiſſet, hiſce autem noſtris temporibus non facilè eſſet invenire multos magni nominis Theologos, qui bonâ conſcientiâ poſſent ejuſdem Cœnæ Dominicæ ſimul eſſe participes. Oportet igitur Rectores Eccleſiarum ſuę ac communis infirmitatis conſcios cavere, ne dum rigidam nimis ac minimè neceſſariam à ſuis exigunt confeſſionem, dulciſſimam & maximè neceſſariam labefactare

factare videantur Christianorum inter se communionem. Tantum est de Ecclesiarum gubernatoribus, jam veniendum ad Ministros aut quosvis Christianos, qui communionem expetunt cum Ecclesiis in quibus degunt, neque tamen à conscientiis suis impetrare possunt, ut receptas omnes ejusdem Ecclesiæ opiniones approbent aut profiteantur. Horum officium erit sese exhibere Dociles & Humiles, non pertinaces aut superbos in defensione illarum opinionum in quibus à communi Ecclesię sententia recedunt. Docilis autem ac humilis habendus est, qui lubenter ac submissè aures animumque accommodat Ecclesiæ docenti, qui non ex vitioso affectu immorigeræ voluntatis rejicit doctrinam propositam, sed infirmitate intellectus impeditur, ne veritatem cernat in hisce arduis controversiis, quam doctiores & acutiores nullo fortasse negotio possunt discernere. Quia autem solius Dei est scrutari, nostrum est in partem benigniorem semper propendere, & de quolibet præsumere, ubi contrarium non constat manifestis indiciis, quod conscientiâ potius quam pertinaciâ ab assensu pręstando retardetur & inhibeatur. Qui hunc in modum se gesserint, non sunt propter quasvis erraticarum opinionum stipulas à communione Ecclesiarum in quibus vivunt separandi & arcendi. Eâ tamen lege & conditione non sunt arcendi, si minimè præsumpserint communem Ecclesiæ sententiam oppugnare, aut suam privatam apud vulgus extollere & disseminare. Neque hoc ęgrè ferre debent, qui pacis atque Ecclesiasticæ communionis retinendæ cupidi sunt. Fac etenim veram esse privati alicujus Doctoris aut Christiani opinionem, erroneam esse illam quę ab Ecclesia defendi solet, tamen si error sit in re aut opinione quæ salutem Christianorum non impedit; multo satius est, ut privati cujuscunque doctoris opinio vera in tenebris lateat, quam publica Ecclesiæ authoritas ipsa luce palam conculcetur, aut pax Ecclesiæ hâc minimè necessariâ opinionum contrariarum conflictatione, tanquam ventorum adversantium turbine concutiatur.

Quod si quis eam quam contra Ecclesiæ sententiam tuetur opinionem tanti momenti esse sibi persuadeat, ut ex ejus cognitione salus hominum dependeat; si Ecclesię Rectoribus idem non persuaserit, aut in aliam Ecclesiam divertere oportet, aut pro bono

ani-

animarum Eccleſiæ cui ſubeſt cenſuram patienter tolerare. Hæc ea ſunt (Doctiſſime Duræe) quæ tuo rogatu ad te perſcribenda & mittenda exiſtimavi: quæ ſi tibi aut aliis quibuſcunque uſui eſſe poſſint ad Eccleſiarum unionem promovendam, voto inſtitutoque meo abundè ſatisfactum eſt. Plura proculdubiò & meliora ſuggerent, quibus præſens Germanicarum Eccleſiarum conditio magis ac melius nota ac perſpecta eſt. Mihi jam id unum reliquum erit, ſuppliciter Deum Opt. Max. precari, ut Principum corda inflectat ad hanc Eccleſiarum unionem ex animo deſiderandam, Theologorum animos illuminet ad ea media quibus celerrimè ſtabiliri poteſt invenienda & adhibenda, omnium denique Chriſtianorum mentes accendat ad hanc pacem amplexandam & ad omnem poſteritatem propagandam. Faxit hoc Deus pacis, propter filium ſuum pacis noſtræ apud Patrem unicum ſequeſtrum & confectorem, quibus cum Spiritu ſancto honor, gloria, benedictio in ſecula ſempiterna, AMEN.

Sententia admodum Reverendi D. Ioſephi Halli, Epiſcopi Exonienſis.

De Colloquio Lipſiaco mihi ſentire liceat.

ILla Religionis capita, in quibus utriuſque Partis Theologi plenè conſentiunt, abundè ſufficiunt, cum ad ſalutem hominis Chriſtiani, tum ad perfectam & ſolidam Pacem in Eccleſiis Dei ſtabiliendam; quæ reſtant nollem equidem inter ἀπαιδεύτους Apoſtoli ζητήσεις annumerentur; certè ejuſmodi ſunt, ut ad ſcholas Theologicas fortè non immeritò relegari poſſint ſubtilius diſcutienda: Pacem vero vel pectoris Chriſtiani, vel ſanctæ Dei Eccleſiæ violare minimè debeant. Quid nos Chriſtianam charitatem profitemur, ſi levem hanc in ſcholaſticis problematibus diſcrepantiam Fratribus mutuò indulgere pertinaciter uſque detrectemus? Qui probè noverimus quam graves horum reſpectu errores (modo tales conceduntur) Servator noſter benigniſſimus, in ſuis ipſius domeſticis ſilenter præterierit, mitiſſimèque tolerarit?

Tria

Tria omnino ſunt in quibus diſſidere profitentur graviſſimi utriuſque Partis Theologi.

PRimùm illud eſt, ſitne Dominus JESUS non ſolum juxta divinam, ſed etiam humanam naturam vi unionis perſonalis, verè omniſcius, omnipotens, omnipręſens? Eſſe quidem Dominum JESUM (Deum ſcil. & hominem) in utraque natura ſua omniſcium, omnipotentem & omnipręſentem, utriſque in confeſſo eſt. Hoc dato, illud JUXTA purè ſcholaſticum eſt; quouſque nimirum ſe extendat virtus unionis illius hypoſtaticæ, ſilet Spiritus, tutò neſcit Chriſtianus. Diſputent ſi volunt Doctores, & problemate hoc ingenia, quantum lubet, exerceant. Sat erit homini Chriſtiano, ut ſciat, habere ſe Servatorem θεάνθρωπον, cui omnia hæc divina attributa verè competant; ſed & Theologi ipſi habent in quo acquieſcant, dummodo conceſſum hoc utrinque fuerit, etiam humanam naturam perſonaliter omniſciam, omnipræſentem, omnipotentem eſſe: quod nos omnes rotundè profiteri non dubitamus. O nos oſores pacis, ſi adhuc mavelimus litigare! In his omnibus utinam animis noſtris inſideret illa Joh. Gerſonis ſaluberrima diſtinctio: eſſe quædam de neceſſitate fidei, quędam vero de fidei devotione: De illis dubitare nefas; de his, abſque omni periculo vel ἐπέχειν vel aliter ſentire licet.

Secundum eſt de modo percipiendi Chriſtum in Euchariſtia: Inibi ſcil. verè ac realiter exhiberi & manducari corpus Chriſti, unàque cum terrenis hiſce elementis accipi fatentur utrique. De indignis tantum quæſtio eſt: Indigna vero lis, quæ pacem publicam interturbet: facile concedimus utrique, etiam indignos manducare iſtud quod unione Sacramentali corpus Chriſti eſt; ac proinde reos eſſe corporis & ſanguinis JESU CHRISTI: quid nunc ultra de orali indignorum manducatione litem movemus? Illud nempe curent Chriſtiani, ut ipſi dignè communicent, de indignorū participatione parum ſolliciti ſint. Quouſq; vero ſe extendat vis Unionis iſtius ſacramētalis, terminuſq; modi manducationis ſive oralis, ſive ſpiritualis, litigent in ſcholis Theologi; non eſt quod Chriſtiani iſtud nimis

anxiè disquirant;non est quod dum tam curiosa hęc opinionum momenta nobis mutuo indulgere recusamus, Pax Ecclesiæ violetur.

Tertium est fatale illud prædestinationis Theorema, de quo variè sententiam suam exprimunt utriusque partis Theologi: Modestè quidem prudenterque. In plurimis maximisque conspirant utrorumque judicia; nempè liberrimam gratuitamque esse miserentis Dei electionem: nullam in Electis, aut causam aut occasionem invenisse Deum, cujus intuitu hi potius, quam illi eligerentur. Sed ab æterno Deum in peccatis & infidelitate perseverantes, ad æternam damnationem prædestinasse & reprobasse; non rigido aliquo & absoluto decreto absque omni respectu peccati, sed justissimo suo judicio: ita ut omnis sive causa sive culpa in hominibus ipsis meritissimo quærenda sit. In illo hærent, quod gravissimi Theologi Saxonici prævisionem fidei ac perseverantiæ præstituunt actui Electionis divinæ: præordinasse quippe ab æterno Deum quos prævidit in tempore credituros, &c. Certè inter omnes de prædestinatione quæstiones levissima illa est, quæ de ordine Decreti solet agitari: quandoquidem nobis certum sit, uno & simplicissimo actu, totum hoc ab infinito & sapientissimo rerum moderatore peragi. Nihil certius est, quam Deum prævidisse credituros, & salvandos prædestinasse: Detur hoc modo, quod iidem Saxonici non illibentes profitentur, Eidem esse unicum Dei ipsius Donum: & quicquid boni in Electis sit, ex mera liberrima Dei gratia, quę illis in Jesu Christo ab æterno data fuit, originaliter provenire: nihil profectò esse potest periculi in illa prævisionis sententia: Præviderit ab æterno Deus, quod ipse ab æterno dare decreverit in tempore credituris; tuta sunt istic omnia, nec est quod iste contentionis funis ultra protrahatur.

In omnibus verò istis, exoscules piam hanc ac verè fraternam ἐπιείκειαν καὶ φιλησυχίαν, sic nempe oportet Christianos, sic Theologos; Fallor, nisi modesta hæc & tempestiva animorum sedatio firmam perpetuamque Ecclesiæ pacem præsagiat. Annue tandem ô Deus Pacis: exaudi tuorum preces, faxisque ut sit Christianis omnibus Cor unum, via una, donec per Te viam perducamur ad Te vitam. Amen, Amen. *Datum in Palatio Exon. Febr.* 25. 1634.

Id supplex aßiduè & obnixè vovet. Jos. Exon.

Sic

Sic autem idem Hallus loquitur in sua Roma irreconciliabili: *Omnes unà eademque Ecclesia sumus, quotque ubivis terrarum Iesum Christum Dominum nostrum unicum mundi servatorem colimus, idemque communis fidei symbolum profitemur: Purius hoc alii faciunt, alii impurius, Christiani interea omnes sumus, sani non sumus.*

Sententia quorundam Ecclesiæ in Gallia Pastorum eximiorum.

QUod his centum retro annis omnes pii ardentissimis votis semper exoptaverunt, quod summi quique Viri nullis non laboribus atque sudoribus redimendum judicaverunt, id hodie à Præstantissimis quibusdam Christi servis singulari zelo, neque obscurâ spe successus agi, atque procurari, maxima cum animorum nostrorum voluptate accepimus, nimirum ut quæ in Religionis caussa dissident Protestantium Ecclesiæ, positis, aut certè commitigatis utrimque partium studiis in unum tandem corpus coalescant. Tam læto nuncio perfusi, primùm quidem Deo omnium bonorum datori gratias agimus quantum possumus maximas, quod hanc mentem, hos animos servis suis dederit, eumque enixè precamur, ut institutum opus suâ porrò benedictione prosequi, & ad optatum finem perducere velit. Tum egregiis ornatissimisque Viris, Fratribus ac Symmistis Reverendissimis, qui id negotii sumpsêre, prolixè gratulamur, eorumque fidem ac zelum, charitatem, & singularem animi magnitudinem exosculamur, multaque laude & admiratione dignam censemus. Quantum enim illud est, vel quod tristissimis deploratissimisque temporibus de Ecclesiarum concordiâ non desperaverunt, vel quod rem tam arduam totiesque superiori memoria à maximis viris frustrà tentatam aggredi tamen & moliri ausi sunt? Eventus quidem fortissimi juxta ac saluberrimi consilii quis futurus sit, penes unum Deum est. Conatus certè, & ipsa pulcherrimi operis cogitatio non parvam meretur laudem. Magna enim & Ecclesiæ Christianæ utilia vel cogitasse animo magnum est, suamque apud bonum Deum habet mercedem. Quanquam

neque apud homines fructu cariturum ornatissimorum virorum laborem certa propemodum spes est. Nam quæ olim stimulante recenti ira sprevêre Pacis consilia, eadem nunc effuso certandi ardore fessisque diuturnâ contentione animis admissuros verisimillimum est. Sed & acutissimus ille Domini vomer, qui Galliæ, Germaniæque Ecclesias annos jam pænè quatuordecim perarat, utriusque partis animos sic subegisse atque proscidisse videtur, ut ad istam sementem nullum unquam tempus fuerit opportunius. Itaque clarissimorum virorum, qui in tam necessario opere sibi desudandum putant, Consilia studiaque vehementer probamus, laudamus, & admiramur. Sed quandò intelligimus velle eos sigillatim cognoscere, quæ nostra sit de toto hoc negotio sententia, age eam quoque, quàm brevissimè clarissimèque fieri poterit, exponamus.

Optandum quidem inprimis foret, ut qui Christi Disciplinam profitentur eadem omnes de rebus divinis & sentirent & loquerentur;
1 Cor. 1. 10. tur; perfecti (quod suis Corinthiis commendat Paulus) in eodem sensu, & in eadem sententia. Sed cum tanta sit & mentis humanæ imbecillitas, & rerum divinarum difficultas, ut perfecta illa & suis undequaque numeris absoluta Consensio vix, ac ne vix quidem in hoc sæculo inter pios sperari possit, proximum est ut de præcipuis, ac palmariis Religionis capitibus eandem fidem colant, cætera quæ ab usu nostro paulò remotiora neque ad vitæ sanctimoniam, neque ad animorum Consolationem, neque adeò ad Regnum Christi, (quod his duobus maximè continetur) necessario pertinent, sic credant, ut aliter de iis sentientes ferant. Nam ut in vita communi etiam optimorum Civium diversæ sunt interdum de
Rom. 15. 1. Republica sententiæ: Sic in Ecclesia, modò constet de summa
Phil. 3. 15. Religionis, nihil vetat diversa aliquandò esse fidelium de nonnullis articulis judicia. Id verò licere & res ipsa loquitur, & Paulus pronunciat; qui ferri dissentientes non permittit modò, sed etiam imperat, uno atque altero loco, & communis est eorum omnium opinio, qui jam inde à primis Christianismi temporibus ad nostram memoriam aliquo apud Ecclesiam fuerunt in numero atque honore. Quod tamen non est ita accipiendum, quasi omnis in Religione dissensio ferenda sit. Nam & idem ille Apostolus alia docentes quàm

quàm quæ ipse euangelizaverat, anathemate ferit, & Christianorum Doctorum etiam mitissimi consortia hæreticorum fugienda constantissimè semper judicaverunt. Sunt enim opiniones quædam aliter de Religione sentientium, quæ fundamenta salutis labefactant, eamque aut Pietatem aut Caritatem evertunt, quam nos Deo atque hominibus ex sacrarum Litterarum præscriptò debemus. Qualis est Romanensium error, qui sanctissimum illum cultum, quem sibi uni servavit Dominus, rebus creatis exhiberi volunt, qui fidem nostram ex hominum arbitrio suspendunt, qui JESU CHRISTI Pontificatum variis modis subruunt: qui Christianam denique Religionem sic totam suis commentis deformarunt, ut nihil in ea sanum, nihil sincerum & incorruptum reliquerint. Quale etiam est Socinianorum Dogma, qui (ut alias eorum partes taceamus) veram Domini JESU divinitatem negant, quâ unâ sublatâ necesse est aut coli creaturam, aut non coli Dei Filium, quod utrumque exsertè pugnat cum iis, quæ Scriptura nobis tanquam ad salutem planè necessaria tradidit. Itaque nullam cum iis, aliisque ejusdem generis Errorum Patronis Pacem jungi posse putamus in Religionis negotio, donec privata dogmata ejuraverint. At quorum Sententia quanquam à vero aliena cum pietate tamen atque charitate, omnibusque earum officiis consistere potest, eorum sane Communionem tolerandam ex Pauli definitione censemus. Monere eos leviter datâque occasione prudenter coarguere atque docere licet: ejicere Ecclesia (si nulla alia subsit causa) dirisque & anathematismis, tanquam devota Capita ferire nostrâ quidem sententiâ, neque expedit, neque verò licet. Jam ut ad Hypothesin veniamus, in hoc secundo genere censenda arbitramur, quæ inter Protestantium Theologos de Christi in Eucharistiæ signis præsentia, deque divina Prædestinatione, & paucis aliis Capitibus controvertuntur. Illi enim in omnibus quæ spectant vel ad Pietatem in Deum, vel ad Charitatem in homines, planè consentiunt, Scripturas divinitus datas, earumque perfectionem, perspicuitatem, & αὐθεντίαν pariter defendunt: Romani Præsulis tyrannidem, letaliaque fermenta uno corde atq; ore aversantur, sibique ab ejus communione itidem cavendū putant: eadem Sacramenta colunt; eundem Christum vene-

venerantur, eandem in hoc sæculo justitiam atque sanctitatem profitentur, eandem in altero gloriam expectant. Denique tanta est utriusque partis & tam stupenda in omni salutari Doctrina Consensio, ut nisi aliud suaderet ipsa rerum gestarum historia, & illa quæ hactenus, proh dolor! inter eos arserunt odia, nemo non fuerit crediturus coivisse eos à Principio, communicatisque inter se Consiliis, fidem unà exposuisse. In tam multiplici mysteriorum Sylva, quis non miretur unum tantum & alterum fuisse caput de quo penitus non convenerint? Nam & de ipsa Eucharistia, præcipua tristissimi hujus dissidii materia, consentiunt Sacramentum esse, non sacrificium; manducandum non adorandum. Species à Domino institutas neutri aut convertunt, aut dividunt. Usum sacri ritus eundem utrique agnoscunt, Christi mortem commemorare, carnemque pro nobis crucifixam, & sanguinem effusum participare. Unum est, quod cætera concordes dirimit, modus quo Christi caro nobis in eo mysterio communicatur. Res apud utrosque eadem; Rei tantum ratio diversa. Tantulum dissidium fatemur quidem non esse nullius momenti: Tanti esse, ut tam necessariam orbi Christiano fratrum gratiam tam mirabiliter, planèque divinitus coëuntem abrumpere debeat, id verò est quod constantissimè negamus. Neque nos soli sumus in ea sententia. Mitto Fratres Polonos, & plerosque omneis partium nostrarum Germanos, quos nemo nescit istam Controversiam eo quo nos explicavimus numero ac loco, & habuisse ante hac, & etiamnum habere. Mitto Clarissimos utriusque partis Theologos Saxonas atque Brandeburgicos, quorum idem nuper fuisse istis de rebus judicium accepimus, cum eas Lipsiæ (quò unà cum suis Principibus venerant) amicè inter se agitassent. Sed quod exteris minus fortasse cognitum, quodque bonis omnibus ac pacificis ingeniis gratissimum fore confidimus, id verò hoc loco tacere non possumus, Ecclesias Reformatas (quas Christus in hoc Galliarum regno habet plurimas) sic semper de his litibus judicasse, suumque hoc judicium tum variis antehac argumentis, tum novissimè in Synodo Generali quæ hic apud nos Carentonæ in Suburbano Parisiensi, anno cIↃ IↃ c xxxi. habita est, disertissimo luculentissimoque Decreto testatas esse.

Nam

Nam cum ex occasione cujusdam Civis Lugdunensis (cujus filiam ambibat adolescens nescio quis Germanus, Augustanæ (ut loquuntur) Confessioni addictus quæsitum esset quo loco habendi forent ii, quos vulgò Lutheranos vocant, fratres qui istic convenerant ex omnibus Galliarum Provinciis ab Ecclesiis missi universi ita censuerunt: *Quandò Augustana Confessionis Ecclesiæ, cum cæteris Reformatis in omnibus veræ Religionis Principiis, Articulisque fundamentalibus conveniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatria & superstitionis labe, siqui sint illius Professionis homines, qui cum charitatis & lenitatis Spiritu sacros Ecclesiarum nostrorum cœtus frequentent, earumque Communionem expetant, iis sine ulla abjuratione prævia, liberum esto ad sanctam Christi Mensam nobiscum accedere, Matrimonia cum nostræ Confessionis fœminis contrahere, & infantes baptismo tingendos de more offerre, atque suscipere, dum nostris Synedriis in hoc ultimo casu sanctè spondeant, se infantes, quos de sacro lavacro susceperint, neque directè unquam, neque indirectè adversus eam, quam nostræ Ecclesiæ credunt atque profitentur Doctrinam sollicitaturos, sed ea duntaxat Fidei capita edocturos, de quibus inter nostras ipsorumque Ecclesias convenit.*

Non ignoramus multa esse, quæ à vitiligatoribus in hanc sententiam objici possint. Sed ea pleraque levissima sunt, neque ullo modo cum gravissimis fidei ac charitatis Christianæ rationibus comparanda. Non est nostri instituti sigillatim omnia persequi. Monemus tamen in genere duo quædam esse, quæ si eâ, quâ par erat, diligentiâ observarentur, fortassis æquiora & mitiora utrinque futura unius partis de altera Judicia. Principiò igitur illud nobis summoperè cavendum videtur, ne privatorum hominum, quanquam Doctorum, quanquam summa apud suos gratia & gloria florentium, dicta aut sententias ei, in qua versantur parti, quasi communem totius corporis fidem tribuamus. Quid enim iniquius dici potest, quàm unius crimen, aut laudem universis impingere; Et quod ille seu benè, seu perperam dixit, ejus seu præmium, seu pœnam in alios transcribere, adeò nil tale promeritos, ut interdum ea ipsis affingantur, quæ neque fando ab aliis acceperint, neque ipsi unquam animi cogitatione versaverint? Universorum de Religione sententia publicis atque communibus in utraque seorsim parte instru-

ſtrumentis expoſita continetur; apud illos quidem Auguſtanâ (quam vocant) Confeſſione; apud hos verò multis, iiſque pro Gentium diverſitate, diversè expreſſis fidei expoſitionibus. Inde æſtimandum quid utrique ſentiant. Hæc enim credere ſe, hæc amplecti, hæc ad ultimum ſpiritum tueri, velle fatentur univerſi. At verò neque illi (quod ſciam) Brentii, aut Chemnitii, neque hi Piſcatoris aut Bezæ ſcripta ſic univerſim approbarunt, ut quæcunque in iis habentur, pro communi & neceſſaria omnium Chriſtianorum fide accipi, atque agnoſci velint. Quin & tantum abſunt utrique ab iſta dementia, ut homines ſuarum partium ipſi liberrimè reprehendant, & multa in eorum libris notent à ſuo, ſuorumque communi ſenſu aliena. Unde conficitur, iſtorum dicta, quicunque tandem fuerint, Eccleſiæ in qua vixerunt toti injuſtè, ac ut molliſſimè dicam, præpoſterè tribui. Et tamen quid aliud ſunt illa quæ in ſe mutuò jactant Proteſtantium Theologi, quæ tanquam communia adverſarum partium crimina exprobrant, quorum adeò nomine invidiam alii aliis faciunt, quid, inquam, illa ſunt aliud, quam privata quorundam in utraque parte Doctorum placita, quæ haud rarò, vel bilis intempeſtivè commota effutiit, vel ingenium in cauſæ defenſione laborans, urgente ſeu rerum ipſarum difficultate, ſeu adverſarii acumine, magis ex neceſſitate, quàm ex judicio arripiunt? Nam publica quidem & communia utrarumque Eccleſiarum inſtrumenta tam ſunt pura, & undequaque ſalutaria, ut pauciſſima ſint & pænè nulla, quæ altera pars in alterius Confeſſione deſiderat, Noſtri in Germania Confeſſionem Auguſtanam laudant; neque dubito quin noſtram pariter Lutherani Fratres longè maxima ex parte probaturi ſint, ſi modo eam ſine ira & præjudiciis legere voluerint. Certè neque in illa quiſquam deprehendet eam, quam in Lutheranorum dogmate damnamus, carnis Chriſti omnipræſentiam, neque in hac id quod nobis tam importunè objicitur Stoicorum fatum. Sed & alterum eſt ſolenne, ac tralatitium pænè omnium in utraque parte peccatum, quod nos in hac cauſa etiam atque etiam cavendum exiſtimamus: nempè ne iis qui theſin aliquam tuentur, ea omnia tribuamus, quæ nobis ex ea conſequi videntur, ſecundum rectam diſſerendi rationem. Fit enim ſæpenu-

penumerò, ut qui Principium tenet ex quo aliquid concluditur, idem tamen id nesciat, quod ex eo colligitur. Qui Princeps animadvertit Magnetem converti ad Septentriones, non is continuo pervidit quæcunque ex hoc theoremate ad navigationum usum postea observata sunt. Nam conclusiones in Principiis suis latent; neque ex iis sine aliqua opera, & studio eruuntur. Itaque Principium tenet, si vel ferietur; vel id intueatur quidem, sed mente aut hebeti & obtusa, aut ira, vel studio, vel aliquo alio affectu, veluti caligine, præpedita, is ex eo quod scit cætera, quæ ex eo sciri possunt, minimè intelliget. Sic ii qui in Papatu degunt, fascinatis (ut sic dicam) Magistrorum suorum auctoritate animis, ex eo quod nobiscum tenent Christi sacrificio in cruce peracto perfectissimè expiata esse hominum crimina, colligere non possunt, quòd tamen ex eo clarissimè consequitur, inane esse altaris sui sacrificium. Jam quemadmodum qui aliquod verum intelligit, ignorat interdum alia, quæ ex eo consequuntur vera: ita & qui aliquid falsi admisit animo, non ideo & cętera omnia, quę ex eo eveniunt, absurda agnoscere eum & tueri concludendum est. Est enim planè eadem consecutionum in utraque parte ratio: Sic olim Tertullianus, & è vetustissimis Patribus non pauci, animam humanam ex traduce propagari docuerunt: mortalem esse, quòd ex illo consequitur non modo non concesserunt, sed constantissimè clarissimèque negarunt. Ut igitur Pontificios non ideo Altaris sui sacrificium negare dicimus, quod sacrificii à Christo in Cruce oblati perfectionem, ex qua illius eversio consequitur nobiscum fateantur: ita sanè neque Tertulliano, & paria cum ipso de animæ humanæ origine sentientibus affingendam existimamus ejusdem mortalitatem, quod hic error ex illo colligi posse videatur. Jam verò quàm largè in hoc genere peccaverint partis utriusque Theologi, nemo non videt. Nam & nos fratribus Eutychismum (quanquam invitis atque deprecantibus) vulgo impingimus, quòd ex eorum de Cœna Domini Sententia nobis error iste consequi videatur, & illi vicissim nobis (quanquam aversantibus, & meritò exhorrescentibus) nescio quæ opinionum monstra tribuere non dubitant, quasi Deum putemus omnium esse scelerum & flagitiorum auctorem, quod ex nostra de

Dei Prædestinatione & Providentia thesi id confici posse sibi persuaserint. Non jam disputamus rectène an secus ista corollaria ex nostris utrorumque thesibus inferantur. Satis est quod ea, qualiacunque demum sint, seu jure seu injuria, nostris opinionibus imputata, inficiamur utrique, neque ullis argumentis adduci possumus, ut ea nostræ fidei consentanea esse agnoscamus. Nam dum ita se res habeat (ut se habet sanè) patet ex superioribus, neque illis Eutychismum, neque nobis illa opinionum portenta sine injuria & calumnia posse tribui, etiamsi uterque error (quod neutri de sua quidem singuli parte sunt unquam concessuri) ex utrorumque placitis verè & legitimè concludi posset. Cum igitur pleraque omnia, quæ partium altera alteri tanquam perniciosa, intolerabilia & à salute abhorrentia objectat, vel sunt singulares quorundam hominum hypotheses, vel corollaria vi syllogistica ex utriusque partis opinionibus extorta, si modò (quod æquissimum est) neutris imputentur, nisi quæ universæ eorum Ecclesiæ disertè pro suis Dogmatis agnoscunt & profitentur; facillimum erit defendere, omnem istam quæ inter eos agitatur controversiam esse tolerabilem, neque quicquam esse in alterius partis fide, quod salutis æternæ fundamenta subruat. Hoc verò si constitutum, & utriusque partis hominibus persuasum semel fuerit, nulla ferè supererit difficultas in toto hoc, quod Viri Clarissimi moliuntur, Concordiæ negotio. Nam cum duæ omnino sint ejus ineundæ rationes; una quidem ut partium altera ejeratis privatis opinionibus in alterius sententiam transeat, altera verò ut cum sua utræque fide coëant, & mutua συγκατάβασει altera in alterius dogmate ferat idipsum quod non probat, quodque citra totius corporis perniciem mutare non potest; priorem quidem illam nos in præsentia planè censemus omittendam, quam frustra, immò periculosè & cum damno tentari satis comprobaverunt tot disputationes, & collationes inter partes toto hoc sæculo institutæ, quibus odia potius accensa, quam exstincta, Controversiæ potius auctæ, quàm imminutæ sunt. Itaque ad alteram illam Concordiæ rationem convertendos animos putamus, in illa omnem operam, curam atque cogitationem penitus defigendam; quæ una & facilis & justa, &, nostro quidem judicio, necessaria est. Ut verò eam aliquando

quando tandem assequi, & tenere possimus, hac via progrediendum arbitramur. Primùm laborandum ut odiorum atque contentionum aliquæ velut induciæ utriusque partis Theologis indicantur, iisque ad suscipiendam de toto hoc negotio cogitationem excitentur: Tum hoc impetrato unicè studendum, ut leni & amico, & ad persuadendum quàm maximè accommodato orationis & dissertitionis genere omnibus promiscuè demonstretur, non ea inter nos controversia, quæ ad fundamenta Christianæ Religionis pertineant, vel in quibus non liceat citra salutis jacturam secus sentire; Qua in parte diligenter vitandas arbitramur spinosas Quæstiones, καὶ λεπτολογίας, quæ scholastica quadam ἀκριβείᾳ omnia concidunt, singulaque minutatim persequuntur, quæque hominum animos cruciare ac lacerare magis solent, quàm ædificare. Quod si tantùm cœptis annuerit Deus, ut hoc effectum detur; omnes tum ultrò expetituros exoptatissimam illam communionem non dubitamus, quam nemo nisi quâdam animi religione refugit; quod eam cum aliter sentientibus inire & colere nefas putant. Ubi ea superstitione liberati fuerint utriusque partis homines, sponte (ut sic dicam) ruent in hac, neque in altera parte quenquam esse credibile est, usque adeò væcordem, & omnis humanarum divinarumque rerum sensus sic expertem, ut non intelligat quàm fœda sit, quàm utrisque calamitosa, quàm universo orbi Christiano exitiabilis illa quæ nos hactenus diremit Discordia: quàm dulcis, ex adverso, quàm nobis cæterisque omnibus utilis futura sit Concordia, si modò ea fide & salute integris coli possit. Et illius quidem constituendæ ratio (si semel eò ventum fuerit) plana est & expedita. Nam cùm utrique (Dei gratia) Testamentum Domini Jesu ab ipsius Discipulis exaratum pari fide veneremur, eaque omnia clarè ac perspicue in eo tradita esse fateamur, quæ sunt nobis ad salutem creditu, vel factu necessaria, quid prohibet quo minus ea quidem, de quibus convenimus pariter figamus & sanciamus? ea verò de quibus dissentimus verbis ex sacrosancto illo instrumento depromptis explicemus, neque ultra nostros scrutari aut contendere sinamus? Nam si (quod utrique confitemur) clarè in sacris Litteris exposita sunt, quæcunque mysteria sunt nobis ad salutem scitu necessaria, profecto & iis

contenti esse possumus, quæ Scriptura tradidit, & iis sine periculo carere, de quibus ea tacuit. Itaque capita omnia Controversa certâ quâdam formulâ concipiantur, quæ utrisque satisfaciat, ex ipsis Sacræ Scripturæ verbis (si fieri possit) contextâ. Nemo à Fratre quicquam præterea exigat. Si quis ultra sapit, sibi privatim sapiat. Aliorum simplicitatem, quibus tantum progredi non est datum, minimè aspernetur. Quod verò pertinet ad ritus, quibus Ecclesiæ cultus ac disciplina continentur, suos itidem unicuique parti relinquendos putamus, neque quicquam hoc in genere movendum.

Olim, si Deus dederit, ubi adultior & confirmatior fuerit partium gratia, communibus omnium Consiliis institui poterit communis aliqua Liturgia, Concordiæ Symbolum & vinculum futura. Nunc quidem satis magnum operæ pretium fecerimus, si primo isto conatu assequuti fuerimus, ut quæ sunt inter nos fidei & rituum discrimina (levia sanè, neque ista alienatione digna) mutuò ex Christiana charitate toleremus, nosque quod sumus in Domino fratres esse tandem aliquando agnoscamus. Atque hæc quidem breviter de hoc argumento dicenda censuimus, ut intelligant Domini ac Fratres observandissimi, quibus ista sunt cordi, quàm amicè cum iis in sanctissimo hoc Christi negotio conspiremus. Quod si vel nostra tenuitas, vel ipsa rerum nostrarum conditio prohibet, quo minus in tam sanctum opus ea quæ decet officia conferamus, votis certè ac precibus optimorum, reverendissimorumque Virorum labores, quoad vita suppetet, studiosissimè prosequemur, beatissimumque illum censebimus diem, quo Fratres in una eademque Hierusalem, exstinctis odiis, dextris animisque conjunctis habitantes intueri dabitur, arctâ & indivulsâ communione æternæ illi unitati, quâ nos olim in Cœlis fruemur, jam in terris præludentes. AMEN.

CON-

CONCORDIÆ

Inter Euangelicos quærendæ Consilia,

QVÆ

Ab Ecclesiæ in Transsylvania Euangelicæ Pastoribus & Scholæ Albæ Juliacensis Professoribus in Synodo congregatis Approbata fuerunt An. CIↃ IↃC XXXIV.

Et tunc ipsorum nomine

JOHANNI DURÆO transmissa.

AD LECTOREM

HÆc Consilia, Lector benevole, fuerunt JOHANNI DURÆO tradita; non multò post Synodalem Conventum, in quo fuerunt approbata; tanquam Responsa ad *Quæstiones* quasdam *Parasceuasticas*, & ad *Problemata* de pacis Ecclesiasticæ Consiliis capescendis; quæ tum temporis proponere solebat Viris piè Doctis expendenda.

Illas *Quæstiones* & *Problemata*, cum suis Præfationibus, prout tum offerebantur Ecclesiis, hisce Responsionibus præmisimus: ut tantò melius intelligatur, quâ occasione prolata sint; ad quæ dubia solvenda pertineant; quonam spectent, & cui usui inservire queant, hæc Consilia.

Visum autem est illa evulgare: ut scil. in quærendæ Pacis studio præbeatur ingeniis piis & pacificis occasio hæc penitius introspiciendi; rerum momenta accuratius perpendendi; & tibi Lector, maturas in tempus commodum deliberationes (quæ scandalis & dissidiis è medio tollendis servire queant) præmeditandi; aliis eas communicandi, & ad publicam ædificationem debito loco proferendi. Quod ut facias ad DEI gloriam, & ut *in Pace* inter tot contentiosos *inveniaris*; si sapis, tua interesse putabis: *Vale*.

Irenicorum Scopus.

IN Pacis Ecclesiasticæ negotio promovendo, Pacificorum Theologorum hoc Consilium, hic Scopus est: ut scil. omnes piè Docti in Ecclesiis Euangelicis omnibus, provocentur & impellantur ad privatas super hoc studio cogitationes suscipiendas, fovendas, & inter se familiariter communicandas: ut rebus omnibus ad Ecclesiarum unionem spectantibus ritè præparatis, salubri consilio digestis, & ad maturitatem communi Antistitum consensu perductis, Media aliquando talia offerantur supremo Magistratui, quibus (ejus authoritate atque auspiciis accedentibus & opus dirigentibus) ad effectum optatum deduci & publicè stabiliri possit Ecclesiarum Unio *atque* Schismatis abolitio.

Hoc quia in Polonia jam factum est, Dei beneficio; in reliquis Ecclesiis, ut idem fiat, non solùm Theologi Polonici, Borussici & Britannici suam operam offerunt, sed etiam in Germania plurimi; præsertim, Saxonici, Brandenburgici, Cassellani, ante hac in Colloquio Lipsiensi: & posteà adhuc nuperrimè Palatini, Bipontini, Herbornenses, & vicinarum in VVetteravia Ecclesiarum, aliarumque partium atque Urbium Imperialium Pastores & Theologi id expetunt: atque eo fine consiliorum & suffragiorum Communicationem, piorum studiorum Conjunctionem, atque Pacificarum meditationum atque deliberationum Commercium inter se & cum aliis inire, constituere, atque fovere parati erunt; modò id, sicut in Anglia jam factum, ita quoque hic & alibi à Pio Magistratu permittatur, & ulterius, sicut res postulat, recommendetur Viris Doctrinâ & Pietate præclaris. Atque ut hoc fiat, primò Deum Opt. Max. devotè veneramur: deindè etiam Christiani Magistratus ubique locorum approbationem, authoritatem, ac Pietatem submissè imploramus.

Quæstiones Parascevasticæ, ad deliberandum propositæ iis, qui in negotio Pacis Ecclesiasticæ promovendo receperunt, aut recipient, se pium cum aliis commercium inire & fovere velle.

PRÆFATIO.

SI quærendæ sectandæque Pacis expressum DEI, mandatum contemnere vel negligere per Conscientiam non licet; licebit etiam

in

in timore DEI Pacis inveniendæ Consiliarios & Adôores idoneos inquirere, & ad studium hocce Euangelicum sincerè capessendum provocare. Consiliarii autem Pacis & auctores idonei nulli magis esse debent, quàm illi, qui ab Euangelica Professione nomen sibi sumpserunt *Euangelicorum*. Hos ergò consulendos super hâc re judicamus. Constat enim Euangelicæ Pacis studium pertinere conjunctim ad omnes Euangelii sinceros Præcones & Professores. Jam verò Euangelii sinceros Præcones & Professores sibi invicem conjungit *Sanctorum Communio*. Sanctorum autem Communio, est omnium (qui Pietati & Sanctitati student, per agnitionem Jesu Christi Spiritualis capitis) membrorum corporis mystici sympathia Spiritualis. At sympathia membrorum verè spiritualis, conjunctionem animorum in iisdem curis, & studiorum in operis mutuis, ad ædificationem pertinentibus, importat. Animorum verò conjunctio in iisdem ad ædificationem curis, sinceram Consiliorum & Donorum spiritualium Communicationem infert: & studiorum conjunctio in mutuis ad eundem finem operis, secum affert Communicationis illius in officiorum Christianæ vitæ commercio religiosum usum fructumque; qui tandem per DEI gratiam talis esse potest, Apostolo teste ad Eph. 4. ut ex illo *perveniamus omnes in Unitatem fidei & Agnitionis filij Dei in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi: ex quo totum Corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusque membri incrementum capiet corpori conveniens ad sui ipsius exstructionem per Charitatem.* Hortamur igitur per Spiritus Sancti Communionem, per Euangelicæ Professionis sinceritatem, per obedientiam DEO præcipienti debitam, & per viscera & miserationes Jesu Christi, omnes Veritatis cœlestis, quæ est secundùm Pietatem, Studiosos; qui se pium debere nobiscum, vel cum aliis commercium inire & fovere, ad Euangelicæ Concordiæ rationes promovendas intelligunt: ut de mediis, Scopo tam Sancto & Ecclesiis Dei summè necessario consentaneis, sententiam suam Fratribus communicare; & quod consultissimum, ex Lege Charitatis ad Sanctorum Communionem perficiendam, factu sentient, id reipsâ exequi velint: atque hunc in finem, ut sequentes Quæstiones

ſtiones perpendant, atque iis reſpondeant, ac reſponſum ſuo Magiſtratui exhibeant, benignè in Chriſto contendimus. Ut, ſi fieri poſſit, aſpirante ejus gratiâ; communi quodam piorum conſenſu Spiritualis commercii fiat initium inter Euangelicos: & Schiſma, quod non ſolùm ex officiorum charitatis mutuo neglectu, ſed ex perverſo res controverſas tractandi ſtudio traxit originem; aboleatur. Quod faxit Deus Pacis & Charitatis, in utriuſque Mediatore & Principe Jeſu Chriſto Domino noſtro: AMEN.

QUÆSTIO I.

QUoniam *Eccleſiæ* omnes *exoticæ*; quarum eadem quæ Germanicarum cauſa agitur, teneantur Euangelicis in Germaniâ Eccleſiis, tanquam membris laborantibus, & hoſtilem adverſus ſeſe impetum ſuſtinentibus, compati, atque opem ferre; ex Lege illâ Chriſti, quâ jubemur *alii aliorum onera portare*: Quæritur imprimis, *Quomodo* illæ *in hanc curarum Societatem pertrahi, & quid præſtare cum fructu poßint, ad harum ædificationem Spiritualem?*

II.

Quomodo Commercium *Theologicum iniri, confirmari & continuari inter Eccleſias poßit ad ſanctam in rebus Spiritualibus Communionem fovendam: ut res communi bono inſervientes, & ad Euangelii Propagationem ejuſque Defenſionem, tàm adverſus Pontificiorum, quàm aliorum quorumlibet Adverſariorum machinationes ſpectantes, communi conſilio tractentur?*

III.

Quibus mediis inceptum Pacis Euangelicæ inter aliquos ſtudium ad omnes propagari & dilatari poßit: ita ut Correſpondentia *quædam pia conſtituatur & alatur in hoc genere, inter viros huic ſtudio maximè idoneos?* Sed ſi de *Correſpondentiâ* hâc ſive *Commercio*, ad Schiſmatis abolitionem, & Conſenſionem Euangelicam quærendam, inſtituendo, quiſpiam forſan aliter, quàm ſperare & vovere nobis contingit, ſiniſtrè judicaverit; id ſcil. vel non expedire, vel non licere, vel fieri non poſſe: Rogamus, velit cauſas inſuperabilis in hoc negotio difficultatis, ſine reſpectu Perſonarum & præjudicio, tanquam

quam in conspectu Dei, aperire; & tanti mali fomitem, ubicunque lateat, detegere: aut si Remedium noverit, ex Lege Charitatis indicare.

IV.

Denique, cùm Germaniæ tàm grave judicium incumbat hodiè, ut extremum omnibus Ordinibus periculum (nisi Deus propitius, quod vovemus, id avertat) expectandum sit; de causis illius & remedio inveniendis, quærere licet: *An non dignum operæ pretium facturi sint Theologi aliquot præstantiores, si collatis inter se sententiis veras tanti mali causas ex Dei verbo explicarent; vitia seculi generalia & particulares cujusque Ordinis, sive magis apertè, sive clanculum grassantes corruptelas sigillatim recenserent; & scandala, sive ex Schismate Protestantium infausto, sive aliunde Euangelio oblata, singula notarent; atque omnibus istis Remedia, ex Sacris oraculis hausta proponerent; quæ Magistratui hoc seculo, & posteritati futuro, utilia esse possent?*

Nunc obtestamur Vos, ad quos hoc scriptum perveniet, quotquot estis Ecclesiæ Dei Præpositi, sive Præcones, sive Patroni, sive Doctores, sive Rectores, Politici vel Ecclesiastici; Vos (inquam) omnes, coram Christo, qui in illa die judicabit vivos & mortuos, obtestamur, & per viscera Christianæ Charitatis, si qua est publici status & communis ædificationis cura & sollicitudo; Vos iterum atque iterum rogamus & oramus: ne velitis, aut qui admovere incepistis manum huic aratro vestram subtrahere; aut qui vocari estis ad Sanctam in Regno Dei Communionem, ad Mundum respicere; aut qui Consilio adesse potestis salutari, illud muto & causæ proditorio silentio in injustitiâ detinere: sed ut illud communicetis iis, quorum operâ legitimè & ad alios fructuosè propagari possit, Vos per Deum viventem, qui secreta cordium novit, & res omnes occultas revelabit, adjuramus. Ita vobis sit ille propitius, quando in conspectu ipsius vos mecum apparebitis: qui sum

Vobis propter Christum Dominum Servus
sincerè Devotus

JOHANN. DURÆUS.

PROBLEMATA

De Pacis Ecclesiasticæ consiliis capessendis, Inter Ecclesias Euangelicas,

proposita piè Doctis.

Ut Conscientiæ quibusdam casibus decisis, Concordiæ formandæ firmandæque ratio Pacificis innotescat.

Ad Rom. 12. v. 18. { *Si fieri possit* / *quantum in vobis est* } { *Cum omnibus hominibus pacem colite.* }

UT Præfationis loco tribus verbis de scopo subjectoque Problematum Eirenæum nostrum moneamus: Sciendum est, Pacis Ecclesiasticæ vocabulo nos intelligere; vel Inducias seu cessationem à Schismaticis controversiis; vel moderatam, homineque Christiano dignam, viam, necessarias tractandi in spiritus mansuetudine opinionum differentias: vel apertam denique ac publicam Fraternitatis professionem in Doctrina fundamentalibus capitibus; de quibus nulla inter partes existit controversia: ut inposterum rejectis quæstionibus inutilibus ac discordia fomentis, ædificationis mutua studiis per spiritus communionem sedulò incumbant, Ecclesia utriusque & membra & Antistites.

Hoc autem fine Quæstiones ista proponuntur variis; ut communi omnium piorum ac verè cœlestis Doctrina consultorum consensu, conscientia multorum fluctuantes, atque hæsitantes perplexâ dubitatione, dirigantur ad concordiæ portum.

Petimus itaque per viscera atque miserationes Domini nostri Iesu Christi: ut, si qua est spiritus communio, si quod solatium Charitatis, Digneris, quisquis es, verbi Præco, qui Deo temet dicasti; quisquis es, vir Pietatis sensu prædite, qui afflictissima matris Ecclesiæ ruinis affectus nobiscum ingemiscis; quisquis denique es, homo optime, id est, Christiane; qui Euangelium veritatis & pacis amas aut propagare studes: Digneris (inquam) si ullo unquam exarsisti erga Domum Dei zelo; hoc saltem deflendo rerum statu, consilio salutari nobis adesse; & lucem, quam Dei Spiritus in te accensam, fratribus ignorantia tenebris densaque afflictionum ac caliginosa tempestate obrutis, prælucere voluit; lucem, inquam, illam occultare ne velis: sed fideliter, diligenter ac sincerè radiis illius ad nos occultis secretisque viis, quarum tibi ratio patescet, dirige. Sic efficies, ut gra-

tiarum actiones exhibita à multis Deo, ad veritatis ejus misericordiaque gloriam manifestò redundent: talentúque, tibi ad Ecclesiæ emolumentum commißi, usus fructusque in Domino non inanis; ac tibi ipsi in illa die gloriosus ac lucrosus appareat. Amen.

Liceat ergò judicium vestrum tribus hisce sequentibus super capitibus scrutari, ac fratribus, quicquid consilii dederitis, communicare.

Quærimus primò, de ipso Opere Pacificationis. Secundò, de Mediis Modoque agendi. Tertiò de controversiis particularibus objectis.

De ipso Opere in Genere.

AN non in opere Pacificationis Symmystæ sacri Ministerii provocari & consociari ad consiliorum communicationem possint: & à quo, & quomodo id legitimè, laudabiliter, ac cum fructu fieri possit & debeat?

Si id fieri possit ab aliquibus, quibus argumentis & suasionum stimulis impelli debeant illi, quibus id muneris incumbit?

2. An spes ulla affulgeat hoc rerum lachrymabili statu pacem inveniri posse ab iis, qui eam sincero affectu quærunt inter Euangelicas Ecclesias?

Si de Pacis effectu desperandum est inter Ecclesias, quidnam illud sit, quod omnium piorum votis ita obstat, ut removeri nequeat?

Si spes adhuc reliqua ulla est, quibus illa viis divinæque atque humanæ prudentiæ rationibus ad optatum finem perducenda est?

3. An quicquam Ecclesiis Dei; turbatarum conscientiarum solatio ac animarum saluti, Euangelicæque veritatis propagationi, magis aut necessarium aut fructuosum sit hoc tempore; quàm hujusmodi concordiæ sanctæ studium: in quo salvâ dissidentium conscientiâ, ac fraternitatis vinculo non rupto, per agnitæ veritatis professionem liberam; liceat quibusdàm in iis, quibus jactamur hodie (sine fundamenti jactura) opinionum humanarum fluctibus ac ventis, dissentire, ac dissensionem liberè profiteri sine Schismate & sine temerario zeli fervore; quo ad rigidas adversus alios censuras impelluntur nonnulli?

4. Quid effectus unionis, piæque inter Ecclesias Euangelicas

Pacis, afferre boni Ecclesiis; quid Regnis ac Rebuspub. posset?

5. Quantum in Deum, in ejus Ecclesiam, in seipsos peccent, non solùm illi, qui discordiarum zizaniam serunt & fovent: sed & illi, qui cum à Deo ad publicas in Ecclesia Curas vocati sint, hanc tamen Curarum præcipuam; hanc divinarum benedictionum erga omnes; hanc charitatis erga nos invicem scaturiginem; hanc denique in ædificio Dei proximam fundamento substructionem, aut negligunt, aut aversantur.

De Mediis agendique Modo.

QUibus Instrumentis utendum in negotio promovendo: utrum Ecclesiasticis, an Politicis, an utrisque?

Si utrisque, quidnam his, quidnam illis officii ratione incumbet? quomodo operas, & quid inter se partientur? quomodo & quid conjunctim agent?

II. An non in opere toto modus agendi in quærenda Pace momentum longè maximum habeat, ita ut nihil æquè in deliberationem venire debeat?

1. Si ita est, quid in agendi modo maximopere cavendum; quid enixè conandum?

2. An non ante omnia in agendi modo, ratio præjudicatas tollendi opiniones, sedulò accurateque tenenda sit? & quænam illa esse poterit?

3. Utrum via scientifica, an via charitatis? utrum disputationibus aut suasionibus; utrum per Intellectus an conscientiæ seu voluntatis convictionem, procedendum sit; an utrâque viâ potius?

4. Si utrâque, utrum simul an seorsim? & quâ prius, quâ posterius? & quomodo utraque adhibenda?

5. Si Conscientiæ viâ potiùs quàm Scientiæ, id est, viâ Practicâ & Suasoriâ potiùs, quàm Theoreticâ & argumentativâ; quibus rationibus maximè efficacibus ac suasionum stimulis, aut evidentibus convictionum radiis, Conscientia quævis, Pietatis divinique timoris aliquo saltem sensu prædita, vel redargui, vel convinci possit temerarii sui zeli? vel impelli, instrui, & permoveri queat ad Moderationis, Patientiæ, Compassionis, Humilita-

tis,

tis, mutuæque Charitatis, Benignitatis ac Tolerantiæ affectus exercendos?

III. Si in agendi modo rei cardo non versetur, qua in re alia illum ponemus?

De Controversis Capitibus.

CUm duplex sit controversia, altera de Ceremoniis quibusdam, altera de Dogmatibus; quænam prius componi possit, & utra majoris sit momenti?

II. De rebus Adiaphoris optandum foret evidentem, ex Apostoli Doctrina ad Rom. 14. & 1 Cor. 8. 9. 10. 11. desumptam, explicationem esse; quæ ad particulares ætatis nostræ circumstantias applicari posset; ut scire contingeret spiritu mansuetis,

1. Quid sua natura sit Adiaphorum, quid non?

2. Quousque res Adiaphora urgeri possit ab uno, & rejici ab alio, vel non urgeri & non rejici?

3. Quibus Circumstantiis rerum indifferentium natura mutetur?

4. Quid propriè dicta Superstitio sit, & quinam ejus sint gradus?

5. Quousque in fide robustus teneatur infirmos ferre ad ædificationem?

6. Quinam in fide robusti, quinam debiles censendi sint?

7. Quid de Ceremoniis, inter nos & Lutheranos controversis, censendum; scil. de Exorcismo, de Fractione Panis in S. Cœna, de Auriculari Confessione, de Altaribus, Imaginibus, lineâ veste, utrum sint res Adiaphoræ, nec ne?

8. An non ille, qui se Reformatæ professionis vocat Euangelicum seu Christianum: Si nulla alicubi alia Ecclesia ipsi pateat præterquam illa, quæ se vocat Lutheranam, teneatur se illi jungere: ejusque se membrum profiteri? & vice versa de Lutherano eadem est quæstio.

9. Si teneatur, quousque licet ipsi dissensum ab Ecclesia illa testari privatim vel publicè, & quousque non liceat?

10. Siquidem licet omnia semet omnibus facere, exemplo Apostoli, 1 Cor. 9. Quibus in rebus & casibus, ac quomodo id fieri debeat?

III. De Doctrinę Capitibus, quomodo illa publicè, quomodo priva-

privatim; quomodo inſcriptis, quomodo pro Concione tractari debeant ad ædificationem? hinc inquirere liceat.

1. Qua ratione clamoſorum hominum contumelioſis calumniis occurrendum ſit?

2. Quâ viâ altercandi ac diſputandi cacoethes ſanari poſſit?

3. Quid de Scholaſticis diſputationum methodis cenſendum, apud quos, quibus in rebus, & quomodo utiliter adhiberi poſſint?

4. An non in Doctrina veritatis aſſerendâ tutius ſit & utilius, rem controverſam viâ Confirmationis per Theſes & Antitheſes tractare, in expoſitione proprii Dogmatis, quàm viâ refutationis adverſarii Dogma evertere?

5. Quomodo fundamentalia Doctrinæ ac Eccleſiaſticæ Diſciplinæ capita, à non-fundamentalibus diſtingui debeant?

6. An Capita Doctrinæ, controverſa inter Euangelicos, de Perſona Chriſti, de Præſentia & Manducatione corporis ejus in S. Cœna: de Gratia univerſali; ſint Fundamentalia nec ne, in iis rebus, in quibus controverſiæ cardo exiſtit.

7. An quilibet in quolibet fundamentali Doctrinę capite error, errantem à vera fide, ac proinde à mediis ſalutis efficacibus ſeparet?

8. An Diſſenſio, quę eſt inter Lutheranos & Reformatos ſit irreconciliabilis, nulloque reſpectu conſenſus iniri poſſit?

9. Quęnam Doctrinę atque Exhortationis capita ad ędificationem maximè ſint neceſſaria; ac quomodo illa pro Concione urgenda tractandaque? quidnam illa à minus utilibus capitibus diſtinguat? quæque in hiſce, ſi contingat opinionum diverſitas, latitudo permittenda ſit judiciorum, ſalvâ charitate conſcientiaque diſſentientium?

10. An non ex neglectu Curæ Paſtoralis, dum Doctoralibus omnes omni conatu Curis advigilant, fatali quadam neceſſitate, ad Schiſmata atque inextricabiles contentiones Eccleſiæ trahantur? ac quomodo hæc Cura ſuis circumſcribi limitibus; illa verò, apud quos vel interiit vel refrixit, excitari ac inſtaurari poſſit?

Reſpon-

Responſio ad Quæſtiones PARASCEVASTICAS, DE

Vnione Euangelicorum,

AB

Eccleſiarum Transſylvaniæ Paſtoribus & Profeſſoribus exhibita. An. 1634. Febr. 7.

Reverendo & Clariſſimo

DN. JOANNI DURÆO.

QUemadmodum in corpore hominis, venæ, vaſa ſanguinis, & arteriæ, vehicula vitalis Spiritus, pulcherrimo fœdere & admirabili fabricâ copulatæ ſunt; ut ex ſanguine quidem gignatur Spiritus vitalis, hic verò illum reciprocè foveat, ne corrumpatur: Ita in homine renato videre eſt, Paci Veritatem, quæ eſt ſecundum Pietatem, admirando fœdere conſociari; ut Veritas ſit immota baſis Pacis, & hæc viciſſim illam foveat. Rursùm, ſicut orificia venarum & arteriarum ſunt mutua; ut Spiritus, ceu flammula, rapiat nutrimentum ex venis, ac, jure reciproco, vegetet ſanguinem: ita Veritatis & Pacis eſt ſancta quædam neceſſitudo; quæ facit, ut ſacra quædam baſia inter ſeſe perpetuò figant. Sicut etiam in magno Mundo Sol luce, juxta & calore, omnia vegetat & exhilarat: ita in domo DEI, quæ eſt Eccleſia, Sol juſtitiæ, JESUS CHRISTUS, Veritate, ceu luce Spirituali, diſcutit tenebras mentium, & Pace itidem ſpirituali frigus Cordis noſtri expellit, illudque Charitate fraternâ ceu flammâ, per Spiritum Sanctum accensâ, fovet. Summo igitur ſtudio id nobis omnibus, qui membra ſumus corporis Chriſti, quique in Domo DEI verſamur, debet eſſe; ut per viam Veritatis & Pacis ad eum ſtatum magis ac magis tendamus, in quo mera regnat Charitas. Ita enim procul dubio fiet, ut locum demus adhortationi Spiritus Sancti. 2 Cor. 13. v. 11. *Quod reliquum eſt, Fratres gaudete, compingimini, conſolatione fruimini; idem ſapite, in Pa-*

ce agite : *DEVS Charitatis ac Pacis erit vobiscum.* Ad quem Scopum cùm videamus collimare Quæstiones illas, quæ nobis una cum aliis, Veritatem & Pacem Christianam professis, ventilandæ proponuntur: non possumus non exosculari pium affectum illorum, qui piam hanc cogitationem primi susceperant. Proinde animi nostri Sententiam hac super re cum piis & Doctis Fratribus breviter communicamus; & æternum DEI Filium oramus, ut nos omnes sanctificet per Veritatem, & in seipso faciat unum: ita nempè, ut *amor DEI* pariat zelum pro Veritate & Pace; *amor proximi*, mansuetudinem in utraque illa, quàm arctissimè conjungenda.

Ad I.

1. Ecclesiæ Reformatæ extra Germaniam tenentur Germanicis opem ferre, illisque suadere & persuadere hoc pacificationis Ecclesiasticæ negotium: cùm quia sunt ejusdem corporis & capitis membra, ejusdemque Spiritus vasa: tùm quia dissensio, quæ hactenus conspicitur, est hujusmodi malum, cui sanando & tollendo communem medicinam & operam impendere oportet: tùm denique, quia commune gaudium & commodum hinc oritur.

2. Illæ ipsæ Ecclesiæ Exoticæ primò omnium consentire debent in hoc Capite, tanquam principio totius negotii: *Vnionem illam, qua de agitur, non esse impoßibilem* : atque hoc ipsum persuadere aggredientur, suis Regibus ac Principibus. Deinde scriptis, voce, ac suo Exemplo pium hunc Syncretismum commendabunt Ecclesiis Reformatis per Germaniam; & urgebunt Generalem Synodum; in qua dispiciatur quousque possint partes consentire.

Quod autem ista Unio non sit impossibilis, hinc patet; Quicunque in fundamento salutis consentiunt; illi, utut extra illud fundamentum dissentiant, possunt ac debent salvâ Conscientiâ hanc Unionem profiteri, juxta & fovere. Prius illud est Veritatis, posterius Charitatis. Quòd autem Ecclesiæ illæ, de quarum Unione agitatur, in fundamento salutis consentiant, infra probatur. Viderunt hoc Theologi, qui præfuerunt & interfuerunt Colloquio Marpurgensi: & etiamnum vident illi, qui Articulum de Justificatione intelligunt esse Articulum stantis & cadentis Ecclesiæ.

Ad

Ad II.

Universale Commercium Theologorum introduci & conservari potest, exemplo Apostolorum, si Commercium particulare in singulis Provinciis & Regnis vigeat. Cui bono nominandæ fuerint certæ Ecclesiæ & Academiæ; quæ, conscio suo Magistratu, vel saltem non reluctante, ad se invicem perscribant Casus graviores, qui incidunt, deque illis mutua sciscitentur judicia.

Ad III.

S. Pace Euangelicâ inter aliquos ritè ac solidè sic initâ, id unicè illis agendum est, ut hanc particularem Concordiam, illiusque causas & modum perscribant ad illos, qui necdum consentiunt; & insimul ipsos invitent ad consimile institutum. Neque verò id, tanquam impossibile, aut inutile, desperari debet. Non impossibile, quia impotentes affectus & fortia Consilia quorundam Theologorum, quæ hactenus istam Correspondentiam remorantur, superari & mitigari possunt per preces adhortationesque fraternas. Non inutile; quia mutua hæc Correspondentia conglutinabit animos Theologorum; ut unam, quod dicitur, Trojam sibi ædificandam esse intelligant, ideoque nihil non velint, nihil non agant, quod ad Regnum Christi amplificandum pertineat.

Ad IV.

Magnum profectò fuerit operæ pretium, si *Vitia seculi nostri*, tanquam unicæ causæ malorum istorum, quibus Germania implicatur, indagentur & explicentur. Neque est consentaneum Doctrinę reformatę, ut vita sit non-reformata: Ex Iliade istâ vitiorum inprimis sunt sequentia, quę inter Reformatos hinc inde vigere, ac tantùm non grassari conspiciuntur.

I. *Reges & Principes* ferè summam rerum ad se nihil pertinere putant; illamque committunt *Consiliariis*, & quidem talibus, qui Machiavellisticas artes factitant, vel privatum suum commodum non obscurè prę se ferunt. Quod certè fit, ut, quod vulgò dicitur, piscis à capite putrescat.

II. *Ebrietas* non ampliùs censetur in vitio, sed potiùs in virtute & laude ponitur: Pręsertim apud capita virorum, ut Homerus ali-

cubi loquitur. Hinc eſt quod cura Reipublicæ, ut modò diximus, devolvitur ad Conſiliarios.

III. *Iuridici proceſſus* ſunt infiniti, & maximam partem violenti.

IV. *Diei Dominicæ violatio*, pluſquam Ethnica, ubique locorum cernitur.

V. Ad *Officia* plerunque promoventur, non quos virtus, ſed neceſſitudo ſanguinis commendat; aut Phaſma aliquod, & circumſtantiæ, quæ nihil ad arcem cauſæ pertinent; vel qui muneribus corrumpunt illos, quorum in manu eſt officia illa diſpenſare.

VI. Suggeſtum Sacrum ferè conſcendunt homines imparati à pia Eruditione, quique præter impudentiam & pallium nihil ſecum adferunt. Hinc videas ab illis nil niſi Controverſias, more Stentoreo, & magna cum animi impotentiâ, tractari, non ſecus atque ſi habeant Locos quoſdam Communes Calumniarum: & interim ſtudium bonorum operum, quod debebat utramque in Sacris Concionibus paginam facere, non urgeri, vel ſaltem obiter & frigidè id fieri.

VII. *Exactionibus* immoderatis ſubditi gravantur, & qui huic rei ſe totos dedunt in pretio habentur, & Viris publicè ac honeſtè utilibus præponuntur.

VIII. Qui Regibus & Principibus ſunt à Concionibus, aut ſunt puſillanimes, aut nimis politici.

IX. *Paſtorum ſtipendia* immane quantum ſunt inæqualia; uſque adeò, ut nonnulli vix, ac ne vix quidem habeant, unde vitam honeſtè degant.

X. In *Scholis* occurrit lerna vitiorum: ut qui Pietatis & humanitatis debebant eſſe ſtudioſi, nihil ſint minùs: quique compendio tenentur Diſcipulos fidei ſuæ commiſſos ducere ad frugalem Eruditionem, aliud prorſus agant.

XI. In Scholis Theologicis *Profeſſores* docent potius inſectari perſonas, quàm ſententiam adverſariam ſolidè refutare. Atque hinc illæ lachrymæ; de quibus ad numerum ſextum modò diximus.

XII. *Adulterium* & *Scortatio* pro ludo paſſim habetur.

XIII. *Diſciplina Eccleſiaſtica* alibi eſt nulla, alibi laxa.

Hæc

Hæc & id genus alia vitia, per DEI gratiam, sanari possunt, si Disciplina in Ecclesias & Scholas introducatur, & studiosè conservetur. Quam quidem ad rem opus est, ut Politici non desint hominibus de Ecclesia & Schola: & ut Ecclesiæ atque Scholæ Reformatæ, quemadmodum in Doctrinæ, ita quoque in Disciplinæ fundamento, consentiant; & hujus rei formulam generalem, quæ ubique locorum observetur, concipiant.

Ad Problemata *de Pacis Ecclesiasticæ Consiliis capescendis inter Ecclesias Euangelicas*, hunc in modum respondemus.

PAcem Ecclesiasticam hujusmodi optamus, & inter Ecclesias Euangelicas constitui posse statuimus: quæ sit publica & Practica fraternitatis Christianæ Professio, in Doctrinæ Capitibus Fundamentalibus. Si enim sit absque fraternitatis sinceræ sincerâ professione; quidvis potius fuerit, quàm Pax Ecclesiastica. Ut inter alia patet ex Irenico Davidis, Psalmo 133. Et ex Praxi Ecclesiæ, tùm Judaicæ, tùm Apostolicæ.

Istam verò Pacem, hoc est, Fraternitatem, sanciri & stabiliri posse, nobis persuademus; si Problemata super hoc negotio proposita, hunc in modum solvantur, & communi Ecclesiarum calculo comprobata, ipsâ Praxi confirmentur, ac velut executioni mandentur.

De ipso Opere, in Genere.

Ad Primum.

I. Omninò Symmystæ Sacri Ministerii possunt provocari & consociari ad Consiliorum Communicationem: idque duobus hisce modis: *Primò*, Viri Graves & Docti viam muniant ad hoc tam salutare negotium: Tentando, videlicet, aliorum animos, & obsecrando, ut hanc curam non habeant in postremis. *Deinde*, si aliquam multi huc propendeant; necessum est, ut Rex Magnæ Bri-

tanniæ ex parte noſtrâ, & Rex Daniæ à parte Lutheranorum, Legatos ſuos expediant ad Principes, & Reſpublicas ſuę Religionis; illisque commendent prǽclariſſimum hoc inſtitutum, & ad illud promovendum ipſos alliciant: ita, ut illis duobus convocantibus (non tribunitia authoritate, ſed ſtudio boni publici) ſuos hi mittant, non ex ſubjectione, ſed quaſi ex pacto; & quidem in locum hujuſmodi, qui velut in centro ſitus, minimum incommodi adferat Legatis eò mittendis.

II. Variis rationum momentis,& ſtimulis,cum in Theſi,tum in Hypotheſi, licebit uti: cujuſmodi ex innumeris hęc ſunt: 1. Mandatum almi noſtri Salvatoris, Marci 9. verſ. 50. *Habete in vobis ipſis Salem*, & Pacem *habete inter vos mutuò*. 2. Indoles Chriſtianiſmi, Chriſtianorum: quia Chriſtianiſmus conſiſtit in Veritatis & Pacis individuo contubernio. 3. Genius & Character Sapientiæ Cœleſtis, Jac. 3. verſ. 17 *Quæ autem ſupernè eſt Sapientia, primùm quidem caſta eſt, deinde* pacifica: *æqua, obſequens, plena miſericordiâ & fructuum abſque diſceptatione, & minimè ſimulata.* 4. Incommodorum præteritorum, præſentium & futurorum, quæ ex inteſtina Euangelicorum diſſenſione orta ſunt, & nunc quoque oriuntur, ac deinceps orientur, pathetica enumeratio. 5. Quia graviſſimè peccatur, divortio Veritatis & Pacis, apud illos, qui Chriſtum agnoſcunt Mediatorem Merito & Efficaciâ. 6. Quia, qui impedire conantur hoc opus Pacificationis, affectibus abripiuntur, & pertinaciam pro Scuto habent. 7. Quia nuper admodum hoc idem tentârunt Theologi Saxonici, Brandenburgici & Haſſiaci, in Colloquio Lipſiæ inſtituto Anno 1631. Menſe Martio: quod factum planè cenſendum eſt Heroicum.

Ad ſecundum.

Pax utique iniri poteſt inter Euangelicos; ſi Noſtri quidem, exemplo Brandenburgicorum & Haſſiacorum, ambiant pacificationem, & offerant teſſeram Fraternitatis Chriſtianæ; utque illam acceptent, à Theologis Auguſtanæ Confeſſionis unicè contendant: Hi verò, exemplo Theologorum Saxonicorum, non ſint δύσκολοι, aut ſe præbeant difficiles. Qua de re conſuli poteſt, Pacificatio

iſtorum

istorum Theologorum Lipsiæ suscepta: cujus modò meminimus. Omninò itaque affulget spes aliqua, & quidem longè major, quàm aliàs unquam. Hoc enim hactenus defuisse videtur, ut stimulum adderet Exemplum illorum; qui hactenus adduci non potuerunt, ut in placidum Colloquium cum Nostris condescenderent. At verò, si Theologi Augustanæ Confessionis ita se gerant erga nostrates, ut hactenus est factitatum; omnis, haud dubiè, spes pacis decollabit. In hoc tamen casu, oportebit Regum & Principum; illorumque qui ipsis sunt à Consiliis intimis, auxilium implorare: ut illi seriò hortentur suos Theologos, De suscipienda salutari hac concordiæ Euangelicæ cogitatione. Plurimum verò hac in re possunt illi Principes, qui jam nunc in Germania conjunctis animis & viribus bellum gerunt pro Religionis & Patriæ libertate. Quòd si operâ & authoritate aliorum flectantur animi Theologorum, unicum illud remedium in manus erit sumendum, ut in Synodo Generali proponantur certi Articuli, & ex Sacris Litteris confirmentur, ita ut omnes in illis consentiant. Qui consensus debet esse in Articulis fundamentalibus. In reliquis est dispiciendum: An, & Quousque, omnes & singuli, in illis consentire possint? certæque metæ constituendæ, intra quas se contineant illi, qui necdum consentire possunt. Si quòd hic sit obstaculum; nòn videmus illud, nisi adversæ partis odium inveteratum, & perpetuum litigandi studium.

Ad tertium.

Nunc temporis in Germania, per Dei gratiam, res in eo versantur cardine, ut, secundùm DEI præpotentis benedictionem, Confœderatio arctissima fœliciter promoverit res belli sacri. Quare, si Unio arctior in Dogmatibus Religionis possit obtineri; sine omni dubio, res Ecclesiæ perducentur ad eximium florem & Ornamentum. Quæ quidem fœlicitas, contra omne aurum Indicum æstimatur ab iis; qui, cursum Euangelii longè lateque propagari, in votis habent. Nihil equidem Euangelicæ Veritatis propagationi, & tyrannidis Antichristianæ repressioni magis necessarium; nihil utilius, vel dici, vel etiam cogitari potest; quàm, Unio & Concordia Euangelicorum mutua, & quidem sincera.

Ad quartum.

Pax illa Ecclesiastica incredibilem dolorem adferet Papistis, & nominatim ipsorum primipilis Jesuitis: qui, superioribus annis id unicè egerunt, ut divellerent animos & vires Protestantium. Unde id usu venit, ut Bellum Bohemicum infeliciter Nostratibus cesserit, ejusque flammæ universum Imperium corripuerint & corruperint. Deinde, ruina Babylonis hâc ratione magis ac magis promovebitur. Tollentur enim scandala infirmorum, & sopientur infelices concertationes Theologorum: & eo ipso, omnia arma, & argumenta Euangelicorum, contra Papatum vertentur. Adhæc, Spiritualis quædam lætitia oborietur in cordibus illorum, qui sibi Magnum Antichristum stylo & pilo oppugnandum censent, & reipsâ oppugnant. Ad extremum, Ecclesię in Oriente, inque ipsis Indiis, hinc non mediocre capient emolumentum: quatenus, illę quidem, movebuntur hâc tantâ Unione, ut se nobis adjungant: Hęc autem, ab incunabulis suis perducentur ad justam staturam in Christo. Atque hic utiliter effecta Pacis sanctę ex Psal. 133. explicari, & huic negotio applicari possunt & debent.

Ad quintum.

Qui Pacem istam impediunt; gravissimè peccant, in DEUM, in Ecclesiam, in seipsos: qui gloriam Dei, qui est anchora & fautor Pacis, obscurant: è contrario autem, Diabolo, homicidę illi antiquo, gratificantur: Christum, ejusque Corpus discerpunt, ac mutilant, rumpendo Ecclesię vinculum Spirituale, Charitatem videlicet & fidei unitatem: scindunt ejus parietes: fenestras, imò januas, aperiunt Schismatibus, in illam irrepentibus: dissociant animos Christianorum: intercludunt liberum Prędicationis Euangelicę cursum: Produnt & Diabolo tradunt Euangelicę veritatis Confessiones, illas tanquam Hęreticas calumniando: Denique seipsos, tanquam mortua membra à vivo corpore resecant; adeoque plus satis produnt, cujus Spiritus sint filii: Quando Apostolus ad Galatas 5. v. 20. & 21. inter *opera carnis* ponat *inimicitias*, *lites*, *æmulationes*, *excandescentias*, *iras*, *dissidia*, *invidias*. Quibus peccatis qui se oblectant, & veluti pascunt; eodem Apostolo teste, *Regni DEI Hæredes*

non

non erunt. Nihil jam dicimus de eo, quòd hi tales non seriò cupiunt debellationem Spiritualis Babylonis; sed illam non obscurè remorantur.

De Mediis, Agendique Modo.

Ad primum.

QUemadmodum Moses & Aaron sibi mutuas tradiderunt operas, in cultu Dei instituendo & promovendo: Ita in Ecclesia Christi, & nominatim in hac sacra Unione, Politicos & Ecclesiasticos decet, ut sibi manus porrigant auxiliatrices. Ejusmodi ergo Conventus, auspiciis Regum & Principum erit instituendus; in quo Cordati Theologi, hoc est, Viri undequaque Doctissimi, in Controversiis versatissimi, graves, pii, sinceri, candidi, pacifici & veritatis studiosi, piam, solidam & modestam instituent συμβίβασιν, juxta obrussam sacrarum Litterarum; & Politicos habebunt sibi adjunctos; qui, edocti de ipsorum consensu, illum habeant ratum; & ubique seriò commendent, ac urgeant; sollicitè denique caveant, ne quid fiat, quod hunc talem Consensum diffuat.

Ad secundum.

Sicut causa bona malè agendo perditur: ità, si modus agendi in hoc tam arduo negotio non sit legitimus, omnia erunt frustra. Itaque hic oportet agendi modum habere pro vallo & fossa totius negotii: juxta hos aphorismos, ad Quæstionum seriem.

I. In agendi modo quam enixissimè cavendum, Ne authoritate ullius personæ quantumvis Illustris, tanquam Capite Gorgonis, utatur; illaque in præjudicium veritatis abripiamur. Item, Ne immoderato Tolerantiæ studio vim faciamus puritati Doctrinæ: denique, Ne peccetur affectatione primatus; ut ita novum Schisma introducatur. Nimirum, Principes illi & Ecclesiarum Doctores, qui hoc negotium vel primi proposuerunt, vel impensius urserunt, vel præ aliis promoverunt; non sument sibi aliquam dictaturam, sed illum ferè ordinem servabunt, qui in Collegio Electorum Imperii Romani conspicitur.

Cavenda

Cavenda etiam in adferendis rationum momentis prolixitas; quâ fit, ut potiùs declamemus, quàm nervosè disputemus, & placidè conferamus: Itemque præcipitantia; ne quid ex tempore, sine maturâ deliberatione, vel dicatur, vel in protocolla referatur. Enitendum ex adverso, ut solum Dei verbum statuatur Canon universæ actionis. Tùm, ut Harmonia Confessionum (Liber sanè aureus) examinetur. Dehinc, ut Scopus iste præfigatur, ut infelix Schisma, quod tandiu Ecclesias Euangelicas laceravit, tandem tollatur. Idem, ut discernantur Articuli fidei Catholicæ, à Quæstionibus & Conclusionibus Scholasticis, quas citra jacturam salutis ignorare possis. Denique, ut fraternè alii erga alios sint propensi, & honore alii aliis præeant.

Ante omnia, adversæ parti firmiter persuadendum fuerit, nos in fundamentalibus fidei Christianę Articulis cum ipsa consentire; dissentire verò tantùm in quibusdam Quæstionibus, fundamentum salutis directè non concernentibus.

II. Inter præjudicatas opiniones hęc omnium primò est tollenda; Dissensionem, quę est inter Reformatos, esse fundamentalem: Deinde, Non posse esse ὁμόνοιαν inter eos, qui non possunt pertingere ad ὁμοδοξίαν in omnibus.

III. Viam scientię & Charitatis, disputationes & suasiones, convictionem intellectus & voluntatis, oportet conjungere: neque enim hęc sunt Opposita inter se, sed Subordinata. Deinde, Scientia sine Charitate inflat, nec ędificat: & vicissim, Charitas sine scientia Religionem convellit. Scientię autem partes in hoc negotio sunt; Controversias tollere, quæ viam salutis intercludunt: Charitatis; tolerare Fratres illos, qui eandem quidem salutis viam unà nobiscum tenent, teruntque; sed nondum, nostro judicio, ad eum Scientiæ gradum pervenerunt, in quo nos constitutos arbitramur, quantum ad particularia quędam Dogmata, aut ritus quosdam; in quibus utrisque momentum Fidei aut Pietatis non vertitur. Tametsi autem persuasio intellectus non est causa adęquata persuasionis voluntatis: tamen est necessarium antecedens. Itaque, non solùm frustrà, sed etiam contra rationem & conscientiam fuerit, si quis velit suadere Theologis Augustanæ Confessionis,

nis, ut nobiscum Fraternitatem sanciant, quamdiu illi persuasi sunt nos errare in fundamento. Quo pertinet illud Apostoli: *quod non est ex fide*, id est, ex firma intellectus persuasione, *peccatum est*.

Sic igitur instituendus fuerit Modus agendi; ut ante omnia hic scrupus eximatur; Dissensionem, quæ cernitur inter utramque partem, esse fundamentalem. Et hic etiam scientię oportebit insistere. Illam secundo loco excipiat Via Charitatis: quâ suadetur Unio contra Papistas, & alios Hęreticos: atque eadem opera sanciatur, ut inposterum abstineatur à Calumniis. Cæterùm, etsi viam scientiæ præmittendam esse censemus viæ Charitatis; hoc tamen nolimus sic accipi, ut Disputatio suscipiatur exclusâ Charitate. Non utique hoc volumus: quippe, qui sciamus: Disputationem in hoc negotio non posse esse fructuosam, nisi sit Charitativa, ut loquuntur. Longè alia est mens nostra. Colloquium namque placidum intelligimus, quando Disputationem suasioni præmittendam esse judicamus: ut Disputatio sit suasoria, & suasio disputatoria.

IV. Sic utraque illa via, scientifica & practica, est compingenda; ut habeatur ratio, *Moris* & *Artis*. Quantum ad *Mores*: talis debet esse affectus, sermo, gestus, actiones denique omnes ut appareat, non agi de victoriæ gloriâ alterius partis, sed tantum quæri in hoc actu Disputationum & suasionum Nominis Divini gloriam, Regni Christi multiplicationem; Regni Antichristi destructionem, Ecclesiarum Unionem & Communionem arctiorem, Conscientiarum tranquillitatem, Reipublicæ Pacem & fœlicitatem. Quantum ad *Artem*, Status Controversię formandus est ex Confessionibus Ecclesiarum; & placida συζήτησις dehinc instituenda: in qua non nisi Syllogisticè agatur.

V. Stimuli Rationum; quibus Conscientia, partim temerarii Zeli convinci, partim ad moderationis, patientiæ, compassionis, & mutuæ tolerantiæ affectus exercendos impelli queat; ex innumeris aliis, hi sunt:

1. Temerarius Zelus, & temerarium judicium prohibetur. Luc. 9. vers. 55. *Nescitis cujus Spiritus filii sitis*: Matth. 7. vers. 1. ad Rom. 14. vers. 4. & 13.

2. DEUS jubet nos *diligere Veritatem & Pacem*. Zachar. 8. v. 19.

v.19. 1 Theſſ.5. v.13. & *ſectari quæ faciunt ad Pacem*. Rom.13.v.19.

3. Deus *amplus* eſt *benignitate* erga nos, Joël. 2. verſ. 13. Debemus autem eſſe *perfecti*; *ut Pater ille noſter, qui eſt in Cœlis, perfectus eſt*. Matth. 5. ult.

4. Chriſtus in ſuis Diſcipulis æquales, imò majores Errores toleravit, quàm ſint illi, qui ex utraque parte cenſentur. Confer Matth. 16. verſ. 25. & 27. Luc. 24. verſ. 10. Actor. 1. verſ. 6. & 10. 14. 17. & 15. 9. 10. 11.

5. Apoſtoli tolerârunt infirmitates & Errores in Eccleſiis; neque ob illos Schiſma fecerunt: ut videre eſt in Corinthiis & Galatis. 1 Cor. 11. Galat. 3. verſ. 1. & deinceps. Inſignis hanc in ſententiam eſt locus ad Philip. 1. verſ. 15. & d. & 3. verſ. 15.

6. Paulus ſe fecit ſervum. 1 Cor. 9. 19.

7. Eccleſiæ ædificationem quærere tenemur. 1 Cor. 14. verſ. 12.

8. Hoc modo alios lucrifacere poſſumus. 1 Cor. 9. verſ. 19.

9. Membra ſumus unius Corporis Myſtici: ita, ut nobis ſit unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma: quod ſic evincitur.

I. Qui conſentiunt in Articulo Juſtificationis hominis peccatoris coram Deo; illi conſentiunt in fundamento Doctrinæ Chriſtianæ, & ſalutis æternæ: Atqui nos & Lutherani conſentimus in hoc articulo. Ergo, &c. *Major* eſt Apoſtoli, Petri Actor. 10. verſ. 43. & Pauli, in Epiſt. ad Rom. 5. prioribus Capitibus: & ad Rom. 14. 9. *Minorem* probat initium Reformationis: quia Lutherus & Zvvinglius ea de cauſa nuncium remiſerunt Papiſmo: & conſtantiſſima hujus Articuli aſſertio; quæ toto illo tempore facta eſt, ab utraque parte contra Papiſtas, communes hoſtes.

II. Qui conſentiunt in omnibus Articulis Auguſtanæ Confeſſionis; etiam in decimo, quantum ad rem ipſam; illi conſentiunt in fundamento Doctrinæ & ſalutis: Atqui nos & illi conſentimus: ut inter alia videre eſt in nupero Colloquio Lipſienſi.

III. Conſentimus in Scopo, & mediis ſalutis; etiam quantum ad Sacram Cœnam.

IV. Utrinque credimus: Chriſtum eſſe verum Deum & Hominem, in una perſona: eundemque eſſe unicum & perfectum noſtrum Mediatorem. Quâ de re infrà pluribus.

V. Si

V. Si Lutherani, salvo Religionis fundamento, dissentiunt in Loco de Sacra Cœnâ; etiam dissensio illa, quæ est inter nos & illos, non tollit fundamentum: Sed prius est: Quia, Menzerus, & alii docent; Corpus Christi esse præsens in S. Cœna propter Promissionem: alii, præsentiam istam arcessunt ab Ubiquitate: quam rursus alii dicunt niti Unione personali; alii, statu Majestatis. Ratio consequentiæ est: quia par utrobique est ratio dissensionis.

VI. Lutherus non rectè fecisset, offerendo, profitendo, & colendo fraternitatem cum Helvetiis; si judicasset illos errare in fundamento.

Ad tertium.

In agendi Modo, cardinem rei versari jam diximus; In nulla igitur re alia.

De controversis Capitibus.

Ad primum.

SAnè Controversia de Dogmatibus est majoris momenti, quàm illa de Ceremoniis: & proinde, si naturam rei expendamus, priori loco componi debet. Cùm Dogmata sint radices & mensuræ Ceremoniarum; & hæ illorum naturam sequantur. Unde porrò fit; ut, si Controversia de Dogmatibus componatur, illa, quæ spectant Ceremonias, ultrò sequatur.

Verum enimverò, quia *Prudentia Lex est summa*; Controversiæ de Ceremoniis priori loco componi possunt: tùm, quia multi, qui Lutherum sequuntur, quasdam non adhibent; tùm, quia facilior est illarum compositio. Quid? cùm ceremoniæ in sensus incurrant, Unionem in Dogmatibus apud vulgus magis ac magis promovebunt. Forsan etiam non fuerit inutile, si initium fiat à Reformatione vitæ, seu emendatione vitiorum; quæ in omnibus Ecclesiis grassari, suprà diximus. Ita enim fiet, ut omnes intelligant; peropus esse, ut universalis quædam medicina adhibeatur.

Itaque *primò* omnium sanciri posset Formula Disciplinæ Ecclesiasticæ: quæ cursum Pietatis & bonorum operum in universis Ecclesiis Reformatis promoveret, ideoque ab omnibus susciperetur & retineretur. *Secundo* loco agendum esset de Ceremoniis: & *postremo*,

mo, de Dogmatibus: Ita nimirum, ut istæ Ceremoniæ & Dogmata ab omnibus retineantur, quæ cursum bonorum operum suâ naturâ promovent: E contrario, illa proscribantur; quæ hunc cursum remorantur. Hic verò unicè providendum, ne contortuplicatæ Consequentiæ, per quas absurdæ opiniones huic vel illi parti affinguntur; ei falsò imponantur. In his talibus Ceremoniis & Dogmatibus, oportebit Consensum inire, certisque cancellis circumscribere: In reliquis, tùm Ceremoniis, tùm Dogmatibus, una pars alteram tolerare debet, in mansuetudine Spiritus. Cùm error in talibus non tollat salutem, utrque parti permitti potest, ut liberè dissentiat: verùm tamen ità, ut non damnet eos, qui in Ecclesiis suis persuasi sunt, alteram partem melius sentire.

Ad secundum.

Si loca illa, quæ in Actis & Epistolis Apostolorum occurrunt *de Adiaphoris* inter se conferantur; tractatum de hac materia licebit adornare absolutissimum. Cujus methodus sic ferè institui potest:

Ceremoniæ N. Test. sunt ***Necessariæ***, vel ***Adiaphoræ***. ***Necessariæ*** sunt, quas Christus in S. Baptismo & Sacrâ Cœnâ sancivit: Sed hæ rursum, vel ***Simpliciter***, vel ***Secundum quid*** sunt necessariæ. ***Illæ*** sunt, in quibus Forma actionis consistit absolutè, ut est, in Sacra Cœna, Distributio Panis & Vini: ***Hæ***, in quibus pars aliqua Formæ spectatur: ut est, Fractio Panis, in eadem Cœna.

Ceremoniæ Adiaphoræ sunt, quæ non nituntur præcepto aut institutione Christi, sed sunt ordinationes humanæ in Ecclesia. Et in his tolli & mutari oportet, quæ aut Idololatriam Papisticam sapiunt, aut ædificationi Ecclesiæ, illiusve decoro, non serviunt. Quę verò huc facere videntur, institui aut retineri possunt; pro Ecclesiarum, Gentium, Locorum, Adversariorum, & aliarum circumstantiarum varietate. Non enim necesse est, hæc eadem esse in omnibus Ecclesiis, aut omnibus temporibus; sed ad Ecclesiæ utilitatem, & ętatem accommodanda sunt. Ideò, si quid in his alicubi inutile, aut otiosum est, aut in abusum abiit, pręsertim Idololatricum; id verò cum abusu tolli debet. Si quid autem utile & commodum videtur ædificationi, id retineri potest: sed, per Doctrinam

refutato & abolito abusu. *Deinde*, si Ceremoniarum adiaphorarum observatio simul cum dilectionis officio præstari non possit; potius Ceremoniæ istæ omittendæ sunt, quàm dilectio violanda. Summa; *In Adiaphoris non sunt probanda fortia consilia.* Videmus enim Apostolos, nou semel, neque subitò, in suis Ecclesiis potuisse obtinere, quæ voluerunt. Dilectio itaque ob oculos est habenda: & mutatio Ceremoniarum, sine intellectis causis mutationum, nunquam est tentanda. Sed veniamus ad *Particulares Quæstiones*.

Adiaphoron, seu *indifferens* & *medium*, in Genere est, quod per se & sua natura ad neutram extremi, hoc est, boni vel mali differentiam pertinet: quippè nec preceptum à Legis-latore nec prohibitum. Itaque adiaphoron in Religionis negotio est, quod à Deo non est ptæceptum, aut prohibitum: uti sunt varię cum res, tum actiones. Nullum verò id Adiaphorum est, quod Deus vel jussit, vel prohibuit.

Porrò Adiaphorum spectatur, vel *Absolutè* & in sese; vel *Comparatè*, quatenus illud confertur cum alio adiaphoro; vel cum Extremis, vel cum Circumstantiis. Unde oritur illius usus, abusus, & multifaria mutatio: qua fit, ut sit vel Extremum, vel Medium, hoc est, indifferens. Nam, quòd sua natura est indifferens seu medium: ratione usus vel abusus fit differens, seu extremum, id est, bonum aut malum Et rursum, quod est differens seu extremum, potest fieri indifferens, seu medium. Sic, verbi gratia, Circumcisio in veteri Testamento, sub Abrahamo & deinceps erat necessaria, seu bona; post ascensionem Christi, indifferens; in Primitiva Ecclesia, apud Judęos bona, sed apud Gentes mala.

Omnes igitur actiones Theologicè considerando, in triplici sunt differentia: *Primò* quidem nonnullę à Deo disertè pręcipiuntur: & hę per se & sua natura sunt bonę, & absolutè necessarię; ita, ut nemo illas omittere, aut negligere, citra peccatum, possit. *Deinde* alię à DEO manifestè prohibentur, & hę per se ac sua natura sunt vitiosæ; ita, ut nemo illas sine peccato facere possit. Utręque istę actiones dicuntur extremę. *Tertii* generis actiones sunt mediæ, seu indifferentes, & neutræ: quæ nimirum à DEO neque præcipiuntur, neque prohibentur: atque illo ipso, per semet, nec bonę, nec malæ

 sunt,

ſunt, ſed liberæ: ita, ut illas ſine peccato poſſis facere, vel omittere: dummodò id fiat ſalvâ, firmâ, & non titubante Conſcientiâ, atque ſine infirmorum ſcandalo.

In his porrò indifferentibus, ſeu adiaphoris dantur tres gradus: quædam enim, ut in Scholis loquuntur, ſonant in bonum: quædam in malum: quædam neque ſonant in bonum, neque in malum; ſed velum ambiunt inter utrumque. Qui gradus in Praxi diligenter ſunt obſervandi ſed ita, ut perpetuò, *natura* iſta *adiaphori*, verſetur ob oculos: Illud neque præceptum, neque prohibitum eſſe à Deo, ſed, liberum relictum; vel ab hominibus, ſine ullius Legis divinæ violatione, ordinis & decori causâ introductum. Id enim, quod juſſit, neceſſariò faciendum eſt; quod prohibuit, neceſſariò omittendum: quod ſecus ſe habet, licet facere, vel omittere; ita, ut illud ſi facias, vel non facias, Te non reddat per ſe DEO charum vel exoſum. 1 Cor. 8. 8.

II. Quod eſt ſuâ naturâ, ſeu formâ ſpecificâ indifferens; id ratione Exercitii ſeu formæ numericæ, incipit eſſe bonum vel malum. Nam, unumquodque dum fit ab homine, vel benè vel malè fit. Itaque res indifferens poteſt & debet urgeri, ut fiat, vel non fiat; prout exercitium ejus promovet aut impedit gloriam DEI: ſalutem noſtram, aut proximi ædificationem. Proinde debet ita urgeri & eouſque; ut neque natura τοῦ ἀδιαφόρου tollatur, neque in tres illos fines impingatur, & libertas Chriſtiana periclitetur. Uſus itaque rei indifferentis menſurari debet *regulâ fidei*: ut certò conſtet, eſſe indifferentem: *regulâ Charitatis*, ne ſcandalum detur infirmis: *regulâ prudentiæ*, ut habeatur ratio Circumſtantiarum. Quæ omnia ſi ritè, ut par eſt, expendantur, patebit, ſic urgendam eſſe rem adiaphoram, ut, nec opinio meriti vel cultus Dei, vel perfectionis, illi affingatur; atque hoc ipſo abeat in Superſtitionem: nec libertas Conſcientiæ impediatur: neque infirmis detur ſcandalum. Ex his *primum*, ſpectat DEUM: *ſecundum*, in nos ipſos: *tertium*, in proximum.

III. Res adiaphoræ, ex eâ tantum parte ſunt Adiaphoræ; quatenus *Scientia* & *Libertas Chriſtiana* non violatur. *Scientiâ* verò is demum præditus eſt, qui non ſolùm rerum divinarum notitiam habet,

habet, sed eâ etiam rectè uti novit. Quorsum enim scientia sine usu? Sic etiam *Libertatem Christianam* non habet, qui eâ abutitur. Is enim, qui Libertatem suam mordicus retinet, nec unquam de illa quicquam remittere cogitat; seipsum illi mancipasse, & eo ipso libertatem veram amisisse, censendus est.

Quæ cùm ita sint; duplici respectu, Adiaphora degenerant à suâ naturâ, vitio scilicet hominum. Et *primò* quidem, *ex parte intellectus*, seu ratione utentis: si nempe sit adjuncta dubitatio Conscientiæ, aut opinio necessitatis, vel cultus divini, vel meriti, vel operati. Deindè *ex parte voluntatis* seu affectus noxii: si nempe præbeat occasionem scandali, vel alienet à vero Dei cultu, vel impedimentum adferat vocationi nostræ & officio. *Denique*, si turbet Pacem & Ordinem Ecclesiæ. His itaque Circumstantiis mutatur natura adiaphori: hoc est, Res, quæ suâ naturâ, nec bona est, nec mala, degenerat in malum. Confer Matth. 15. vers. 9. Ezech. 20. vers. 18. 19. Rom. 14. vers. 15. 20. 21. 22. 23. 1 Cor. 8. vers. 13.

Quid verò, si quis habeat rem adiaphoram pro necessaria, num illam facere tenetur? Utique. Ita si rem adiaphoram habeat pro mala, tenetur illam omittere. In hoc enim casu conscientia sequi debet modulum scientiæ.

IV. *Superstitio* presè ac strictè dicta est ἐθελοθρησκεία seu δεισιδαιμονία, hoc est, voluntaria, importuna & inepta Religio: in qua est inanis timor Dei; quaque aliquis vult superstitem memoriam illarum rerum, quibus cultus Dei contineatur, cum Deus illas res non sanciverit. Est igitur, Cultus Dei fictitius, cum opinione necessitatis, meriti, vel perfectionis; tribuens rei vim, quam non habet ex instituto divino; & addens divinis præceptis inventa hominum. Versatur itaque circa cultum Dei alio modo, quam ipse constituerit: Et quidem, ratione intellectus tantùm: Vel insuper, ratione affectus & effectus. Unde superstitio, est *Theologica*, vel *Practica*. Superstitio *Theologica* seu speculativa est, cum quis aliter sentit de cultu divinitus instituto, quàm sentire debeat: id est, ipsi affingit aliquam virtutem & effectum, citra mentem Dei instituentis. ut, si quis putet, aquam Baptismi, habere vim justificantem. Superstitio *Practica* seu operativa est, cùm quis Deum alio modo colit,

colit, quàm ipse præceperit. Verbi gratiâ, Si quis in abstinentia à carnibus die Veneris, cultum Dei collocet: Utraque illa superstitio, tùm Theologica, tum Practica, varios admittit gradus; prout est subtilior, aut crassior.

V. *Robustus in fide tenetur infirmos ferre*, EOUSQUE, donec bonum Libertatis Christianæ & Conscientia propria non læditur; & spes esse potest fratris infirmi lucrifaciendi: adeoque, quandiu frater infirmus intra terminos infirmitatis manet; non autem manifestè refractarius deprehenditur. Nam, si incipiat esse pertinax; desinit esse infirmus. Rom. 14. vers. 4.

VI. *Robusti* & firmi *in fide* dicuntur, qui vel Doctrinam, vel Libertatem Christianam, probè sunt docti. Itaque *infirmi* censentur, qui vel Doctrinam, vel Libertatem Christianam, ejusque naturam, nondum probè perceperunt. Hic igitur de firmis & infirmis, posteriori sensu: & *Robusti* dicuntur, qui rerum adiaphorarum usum liberũ esse credunt, & illas salva tranquillaque Conscientia, vel observant vel omittunt. *Infirmi* seu debiles, qui usum illarum liberum non credunt, sed eas observant tanquam necessarias; vel reformidant tanquam illicitas. Rom. 14. vers. 2. 23. Hi tales facilè offendi & labi possunt, nisi firmiorum *Scientiâ*, *Charitate* & *Prudentiâ* excipiantur, fulciantur, dirigantur. Magna utrobique Charitas requirunt: ut nimirum nec firmiores infirmioribus causam scandali præbeant; aut rerum illarum, quas necdum intelligunt, causâ, eos despiciant: nec contrà hi illos damnent, qui plus Christianarum virium, plusve Scientiæ acquisiverunt. De utrisque Apostolus agit ad Rom. 14. vers. 1. 2. 3. unde utrorumque officium peti debet.

VII. De Ceremoniis inter nos & Lutheranos controversis, breviter ita sentimus.

Principio, simplicitas & Praxis primitivæ Ecclesiæ, hic nobis ante oculos versari debet: ita, ut ad illam quàm proximè accedamus, neque oneremus Euangelium Ceremoniis, quæ cum illa simplicitate non consentiunt. *Deinde*, quia multi Lutherani non utuntur *Exorcismo*, neque *Imagines* in templis collocant: hoc rogandi & monendi sunt reliqui, ut Conformitatem quandam introducant. *Denique*, Ceremoniæ, quæ hic commemorantur, non eodem censu

loco-

locoque haberi possunt. Nam primò, *Exorcismus* est Ceremonia planè supervacanea & superstitiosa: & proinde minimè adiaphora: quam scilicet Christus non instituit, nec Joannes & Apostoli, aut primitiva Ecclesia adhibuerunt: quæque institutionem Baptismi contaminat, & cum fine ipsius nihil commune habet. Exorcismus enim adhibebatur, ut Dæmoniaci, seu Energumeni liberarentur isto suo malo: & adhibebatur ab iis, qui extraordinario hoc dono divinitus erant ornati. Quare cùm illi, qui baptizandi sunt, hoc malo non laborent;& verò *liberi* sanctorum *sancti* sint: ut novi consortes fœderis: quorsum hic ritus adhibeatur?

II. *Fractio Panis*, in Sacra Cœna, non potest inter adiaphora numerari: est enim ejusmodi Ceremonia, quàm Christus adhibuit, ad repræsentandam fractionem Corporis sui: 1 Cor. 11. vers. 24. & ad unitatem illorum, qui de uno Pane participant, adumbrandam: 1 Cor. 10. vers. 17. Maximo itaque cum fidei solatio, & Charitatis mutuæ documento, adhibetur: exemplo Apostolorum, Actor. 10. vers. 7. 1 Cor. 10. vers. 16. Quid? Fractio ista nititur mandato Christi. Jussit enim nos Panem fractum accipere, in sui commemorationem. Et hæc causa est, quòd sacra Cœna hinc habeat nomenclaturam istam, quòd *fractio Panis* appelletur. Actor. 2. vers. 42. Cùm itaque ritus iste nitatur Exemplo & mandato Christi, Praxique Apostolorum, & insigniter faciat ad fidem & charitatem fovendam: nulli possumus nobis imperare, ut illam accenseamus adiaphoris. Pronunciamus itaque cum Lutheto, Libro de abusu Missæ; hanc fractionem, æquè atque distributionem, in Eucharistia esse Necessariam. Etsi autem hæc ità se habeant; non tamen ideò existimamus, illos nullam habere Eucharistiam, qui fractionem hanc omittunt. Collocamus enim hanc Ceremoniam in illis; quidem à Christo institutæ sunt; verùm, ita se habent, ut in illis non versetur totum rei esse. Hinc Eucharistia, quæ destituitur ritu fractionis, non planè desinit esse Eucharistia; sed, Eucharistia integra.

III. *Auricularis Confessio*, non est urgenda, tanquam necessaria, seu necessariò præmittenda Sacræ Cœnæ: & in eâ decorum quoddam servandum; Denique species Simoniæ tollenda.

IV. *Altaria* nulla ſunt in N. Teſt. Quippe abolita unâ cum Sacrificiis: ad Hebr. 13. verſ. 10. Et omninò cenſeri debent in fermento Papiſtico; quod poſterioribus & ſequioribus ſeculis introductum eſt in Eccleſiam. Non itaque poſſumus illa numerare in rebus adiaphoris. Nec tamen adeò litem illis movebimus, qui necdum à ſe impetrare poſſunt, ut Altaria cenſeant in rebus Veteris Teſtamenti propriis.

V. Omnis *Imago*, quæ Religionis cauſa fit, ſua natura eſt mala: quippe à Deo prohibita: Exod. 20. Nominatim Imagines Dei, & Benedictæ Trinitatis, ſunt impiæ & abſurdæ. Imagines Chriſti & Apoſtolorum incertæ, utræque nihil commune habent cum legitimo templorum ornatu, ſed periculi ſunt plenæ; pro reliquiis Papiſmi habendæ.

VI. *Linea veſtis*, pertinet ad ornatum Vet. Teſt. proprium. De illa igitur idem quod de Altaribus judicium.

Si quis è Noſtris non habeat Eccleſiam, cui ſe adjungat, niſi Lutheranam; tenetur ſe huic adjungere, illiuſque membrum ſe profiteri; [ſi hoc poſſit impetrare à ſua Conſcientia: hoc eſt, ſi perſuaſum habeat, ſe in fundamento Doctrinæ & ſalutis cum illâ conſentire:] nec offendi Dogmatis & Ceremoniis, iſti Eccleſiæ propriis. Deinde, ſi conſenſum & diſſenſum ſuum liberè teſtatum faciat. Denique, ſi non ſcandalizet alios, ſive illi ſint noſtrates, ſive Lutherani. De Lutheranis eadem eſt ratio.

Diſſenſum ſuum, pro re natâ, debet teſtari, ſive privatim, ſive publicè: ita, ut omnes Conſcientiæ ſuæ ſcrupulos exoneret, citra metum & Hypocriſin; & illos ita temperatos eſſe oſtendat, ut nihilominus tutâ Conſcientiâ poſſit & velit ſervare vinculum fraternitatis Chriſtianæ: Ac denique petat, ut Paſtor & reliqui auditores hoc idem faciant. Hic autem uſu venire poteſt, ut alii in pluribus, alii in paucioribus, conſentiant cum altera parte, vel ab illa diſſentiant. Nominatim igitur Capita iſta conſenſus & diſſenſus fuerint exprimenda.

Omnibus omnia debemus fieri in ſolis Adiaphoris, illorumque legitimo uſu: ita ut hoc omne fiat Conſcientiâ illæſâ, ad nominis divini gloriam, & Eccleſiæ amplificationem: quæ pro-

move-

movetur, si fratres infirmos lucrifaciamus, & quantum in nobis est, servemus.

Ad tertium.

Doctrinæ Capita, publicè & privatim, in scriptis & pro Concione, in Ecclesia & Schola, sic tractare oportet; ut ubique sit eadem substantia, Modus diversus: popularis videlicet vel exquisitus; brevis vel copiosus: uterque plenus modestiæ, Christiano homine dignæ; & verbis Scripturæ, illiusque phrasibus, conditus: denique ita comparatus, ut Conscientiæ potius & Pietatis, quam Scientiæ & Subtilitatis, habeatur ratio: & ita temperatus, ut præ oculis sit illud, πάντα πρὸς οἰκοδομήν· cujus rei Idæam nobis exhibent Epistolæ ad Timoth. & Tit. Hic non abs re fuerit, si præstantes Theologi delectum faciant Dogmatum; & ex omnibus Doctrinæ Capitibus seligant principalia à minùs principalibus, necessaria à minùs necessariis, & fructuosa à minùs fructuosis: Et quæ sunt prioris generis, in ordinem certum redigant; ut illa publicè ac privatim, in scriptis & pro Concione, tractentur & inculcentur. Nominatim verò sequentia, pro serie Quæstionum veniunt observanda:

1. Calumniarum Professores in Templis & Scholis coërcendi sunt publicis piorum Magistratuum edictis; quibus caveatur, ut non nisi ea proponant, quę faciunt ad ædificationem & fraternitatem Christianam promovendam: &, si ne tùm quidem quieti esse velint, ab officio sunt deponendi, aut certè mulctandi. Calumniis autem ipsorum opponendę sunt integrę Confessiones Ecclesiarum. Hęc enim est illa nix, in quâ non est videre atramentum. Denique, mansuetudine & lenitate Christianâ vincendę sunt virulentę insectationes, & impotentes debacchationes; ut authores illarum tandem pudeat, pœniteatque hujus impotentię & impudentię: ad Rom. 12. vers. 19, 20, 21.

2. Altercandi & disputandi cacoëthes atque pruritus in Scholis tolletur, si moderati Doctores adhibeantur; & nullum scriptum Typographis excudere liceat, quod non ab omnibus & singulis Professoribus diligenter sit examinatum, & juxta illorum censuras emendatum. Idem obtinebitur in Ecclesia; si Pastores parcè

 attin-

attingant istas Controversias, in quibus non vertitur cardo salutis; & potiùs de vitâ, tùm suâ, tùm auditorum, sint solliciti; quàm de Disputationibus; quibus infirmi contristantur, & animi exulcerantur.

3. Methodus Disputationum Scholasticarum optima fuerit, si *primò* Controversiæ non extendantur in infinitum, per nescio quas Consequentias; sed totum negotium ad quàm paucissima Capita redigatur; sententiâ alterius partis non ex quovis Doctore, sed ex Confessione vel Catechesi ejus petitâ. *Deinde*, si omnia revocentur ad carceres Logices. *Denique* si Disputatio tota sit defensiva, non verò offensiva; ideoque instituatur, sine insectatione personarum; absque his sit; ut Disputationes Scholasticæ in iis erunt, de quibus Apostolus. 2 Tim. 2. vers. 23. *Stultas & ineruditas Quæstiones aversari: sciens eas pugnas gignere.*

4. In Doctrinâ veritatis cœlestis propagandâ nihil agitur perficiturve infinitis illis Disputationibus, quæ hactenus nimis, quàm sunt usitatæ. Modus itaque hâc in re pernecessarius: quo nempe fit, ut veritas imprimis per Theses ex immotis sacrarum Litterarum Dictis tractetur. *Deindè*, contraria sententia, veluti per Prolepses, ità refutetur; ut nihil affingatur parti adversæ; vel per violentas Consequentias, præter ipsius intentionem, ipsi extorqueatur. Quòd si etiam alterius partis Theologis nonnulla duriuscule dicta exciderunt; illa oportebit mitigare, & cum grano salis accipere: atque ità illorum pudenda pallio Charitatis tegere. In solidum etiam abstinendum est à Personalibus: & non nisi Realia in medium adferenda: ita nempe, ut neque in Veritatem peccemus Neutralitate; nec in Charitatem Rigiditate. Utrobique requiritur talis moderatio: ut Veritatem non prodamus, neque Auditores nostros perdamus; dum volumus gratificari parti adversæ: neque hanc offendamus, aut irritemus, in gratiam nostrorum Auditorum.

5. *Fundamentalia Doctrinæ cœlestis, & salutis Capita sunt*, sine quibus Doctrina cœlestis nomen suum tueri, & vita æterna obtineri nequit. Hujusmodi autem sunt duo illa: *Fiducia* in Christum Mediatorem, Merito & Efficaciâ; itemque, *Obedientia* erga illum. Hæc siquidem est differentia specifica Christianismi, & Via salutis uni-

unica: & proinde, utriusque, i.e. Christianismi & vitæ æternæ, fundamentum. Hinc Apostolus nihil in nobis requirit, nisi Fidem, quæ sit efficax per Charitatem. *Deinde*, sicut fundamentalia Doctrinæ cœlestis & salutis Capita sunt, quæ absolutè, semper & ubique, ad salutem sunt necessaria; & in quibus errari citra periculum salutis non potest: Ita *fundamentalia Disciplinæ Christianæ Capita* sunt, quæ Doctrinam cœlestem, & vitam Doctrinæ respondentem, tanquàm duo media salutis, semper, & ubique promovent & conservant. Cujusmodi Capita sunt ista tria: Inquisitio in fidem & vitam singulorum: Admonitio, & Reprehensio: Eaque vel simplex, vel conjuncta cum pœna Ecclesiastica, secundum gradus à Christo præscriptos Matth. 18. Sine his enim Doctrina & vita Christiana in Ecclesiâ consistere non potest.

6. Capita controversa, quæ hic commemorantur, non tollunt viam salutis: quia, neque Meritum, neque Efficacia Christi, in Quæstionem adducitur: uti nec obedientia erga Christum. Deinde, in loco de Personâ Christi, duæ Naturę asseruntur: & Præsentia ejus in Sacra Cœna à moderatoribus docetur niti promissione: &, Manducatio Corporis ejus, non statuitur Physica: & denique Gratia universalis non eo modo asseritur, ut ejus specificatio seu determinatio transscribatur viribus Liberi-arbitrii.

7. Non quilibet Error circa Articulum fundamentalem est fundamentalis. Nam, Error in Dogmate fundamentali, aut negat, aut evertit illud Dogma; id est, rem ipsam, sive substantiam: aut admittit quidem rem ipsam; sed interim negat Modum, aut Circumstantiam, gradumve: vel certè in illo Modo, Circumstantiâ & gradu, non potest se satis expedire. *Prior* ille Error est fundamentalis, & excludit à salute: *posterior* iste, non item. Sic v. gr. Si quis neget Meritum & Efficaciam Christi, atque illius ęternam Deitatem, (hęc enim duo se mutuò ponunt & tollunt:) est error fundamentalis circa fundamentum. At verò, si quis illud Meritum extendat ad impios, ex intentione Christi; est Error non-fundamentalis circa fundamentum. Quæ quidem distinctio, summoperè necessaria, hoc modo illustrari potest. Fundamentum ædificii cujusvis ità est comparatum; ut, si tollatur, necesse sit, totam

molem ipsi superstructam corruere. At verò, si figmentum aliquod fiat in fundamento, quod structuram ipsius non convellat; nullum ædificio damnum adfertur. Ita si quis fundamentum salutis tollat, excidit salute: non item, si quis, sarto tectoque hoc fundamento, aliquid doceat credatve, quod rimam quidem faciat fundamento, ruinam verò ipsi non adferat. Prior ille Error in fundamento est fundamentalis,totalis, & universalis: Posterior non-fundamentalis, partialis & particularis. Atque hoc est quod supra diximus, ex Actor. 10. vers. 43. Dogma de Christo Mediatore sic esse comparatum; ut omnibus, cum Doctis, tum indoctis, sit necessarium ad salutem. Itaque si quis hunc Errorem in fundamento erret; procul dubio totum fundamentum subvertit, & proindè servari non potest, quandiu hunc Errorem malitiosè & pertinaciter defendit. Ita, si Apostoli permansissent in errore de Regno Christi terreno; non potuissent salvari. Si quis autem hoc quod diximus fundamentum retinet,& nihilominus erret circa Quęstiones Scholasticas de Merito Christi; Error iste in fundamento non evertit fundamentum, & non excludit à salute; nisi fortè oriatur ex malitiâ, & comitem habeat pertinaciam: atque ita se habet error in fundamento. *Error extra fundamentum* istud, perinde se habet, atque si aliquis parietem in Domo aliqua tollat. Si tamen quis malit, hac methodo digerere potest Errores in Doctrina Christiana; quòd alii sint in fundamento, alii extra fundamentum: & quòd priores illi sint in fundamento, vel simpliciter, absolutè, ac directè; vel secundum quid; & indirectè. Ex quibus illi, sunt circa fundamenti substantiam, principia, & formam: hi, circa ejus latitudinem, conclusiones & accidentia. Nos, quando toties ingeminamus consensum esse, inter nos & Lutheranos, in fundamento; priorem sensum, qui est strictior attendimus.

8. Dissensio Doctrinæ inter Lutheranos & nostros est irreconciliabilis, quantum ad ipsum κρινόμενον, sive statum Controversiæ: sed si ambulemus in latitudine; Conciliatio in hunc modum se habet. Humana Christi natura,habet sibi unitam Deitatem,& omnes ipsius proprietates. Manducatio Corporis Christi in Sacrâ Cœnâ, non est ipsius masticatio, aut Concoctio. Præsentia ejusdem pendet

det à verbo promissionis. Gratia Dei denique est universalis ratione credentium. In alio sensu, hæc omnia, bellum ἄσπονδον pariunt. Intellige bellum, sive dissensionem Doctrinæ; quâ fundamentum salutis non evertitur, neque dissensio animorum introducitur. Cùm enim Christus, ratione Meriti & Efficaciæ suæ, sit Centrum Sacræ Scripturæ: Isti autem Errores centrum istud non convellant; sed potiùs ad circumferentiam pertineant: Nemo non videt, nos omnes in fundamento consentire adeoque in Christo esse unum. Quam unitatem, qui protervè scindunt, haud dubiè gravi peccato se obstringunt: adeò quidem, ut illi non ob errores, quos diximus; sed ob defectum Charitatis, reddant se obnoxios æternæ damnationi.

Imitemur itaque Apostolos: qui ob dissensiones suarum Ecclesiarum in Doctrina, non ruperunt vinculum Charitatis: & ita statuamus; In hâc carnis infirmitate, vix consensum obtineri posse, in omnibus Doctrinæ capitibus.

9. In Concionibus sacris ea latitudo concedenda est; quæ nec fundamentum evertat, nec scandalum pariat. Omnia igitur Doctrinæ & exhortationis Capita urgenda sunt, quæ fidem in Christum & Pietatem concernunt: h. e. in quibus cardo salutis versatur, & sine quibus Christiani esse non possumus. Quæ verò sunt extra istos duos fines; aut omittenda sunt, aut parcè tractari debent: ità nimirum, ut neque Fidei, neque Vitæ, detrimentum aliquod adferatur, illorum tractatione intempestivâ, vel immoderatâ.

10. Curæ Doctorales & Pastorales ita conjungi debent; ut Ministri Verbi Dei, viam salutis ex scripturâ doceant; &, ut Auditores illam insistant, solicitè curent: id est, ut Doctrinam & Disciplinam æquè urgeant. Quæ pia solicitudo efficiet, ut Pastores Vitia, tùm sua, tùm Auditorum, amputare malint; quàm disputare de illis, quæ sunt extra itineris hujus orbitam.

Sed manum de tabula. Id enim negotii, hâc quidem vice, nobis dari existimamus; ut lineas nostri Judicii ducamus, illudque saltem adumbremus. Quod si Fratribus videbitur, ut omnia minutatim excutiamus, & colores his nostris lineamentis inducamus; nihil ad summam diligentiam faciemus reliquî. Facilè enim intelligimus; tantam esse Quæstionum propositarum amplitudinem, ut illarum

solida resolutio integrum ferè Librum requirat. Quanquam, si rem æquâ judicii lance ponderemus, summa universa huc redit: *Si Pacificationis hujus negotium ritè suscipiatur & promoveatur, Modus agendi omnes illas Quæstiones determinabit.* Quod ut brevi fiat, in optatis habemus; & Illustrissimum nostrum Principem suis partibus, pro eximiâ suâ Pietate, non defuturum, spondemus. Scriptum Albæ-Juliæ 7. Febr. An. 1634.

Ego Stephanus Katona Geley, *Episcopus Ecclesiarum Orthodoxarum* Hungaricarum, *& insimul* Saxonicarum *&* Walacharum, *quarundam in* Transsylvania, *nec non Pastor primarius Ecclesiæ* Albę-Juliacensis, *Unionem Euangelicorum in summis votis habeo, nec de fœlici successu despero.* Responsiones *verò ad* Quæstiones *&* Problemata, *de* Pace Euangelicorum *conciliandâ, à nobis adornatas, in omnibus punctis ac clausulis hâc meâ syngraphâ, meo & omnium mea inspectioni subjectorum nomine approbo & confirmo.*

Johannes-Henricus Alstedius, *Professor in Scholâ* Albensi.

M. Philippus Ludovicus Piscator, *Professor in Scholâ* Alba-Juliacensi.

Joh-Henricus Bisterfeldius, *Philosophiæ Professor in Scholâ* Albensi.

Ego Thomas Pastoris Tissa Betsi, *Senior Orthodoxorum Ministrorum in Comit.* Colosear *&* Kalotassog *existentium, nec non Pastor Ecclesiæ Orthodoxæ* Hunguricę Claudiopolitanę *primarius, hâc meâ manu assensum in omnibus, meo & meorum Fratrum nomine testor & confiteor.*

Ego Georgius Czulei, *Senior Orthodoxorum Fratrum in Comitatu* Albensi *circumcirca* Enyedinum *existentium, itemque Pastor primarius Ecclesiæ* Enyediensis, *his omnibus, meâ manu, meo ac mea Inspectionis Fratrum nomine, subscribo.*

Ego Franciscus Petri, *Senior Diœeseos in Comitatu* Szolnok *interiori existentis, & Pastor primarius Ecclesiæ* Desiensis, *itidem consensum meum & meorum in toto hoc, meâ subscriptione attestor.*

Ego Petrus Diossegi, *Senior Orthodoxarum Ecclesiarum in Comitatu* Doboka, *existentium, & insuper Pastor Ecclesiæ* Szekiensis, *meum votum & calculum his omnibus suprà Scriptis responsionibus, ex çertâ & maturâ deliberatione, adjicio.*

Ego

Ego Stephanus Tiſſa Betſi, *Senior Capituli* Sedis Siculicalis Ma-rus, *& Paſtor Eccleſiæ* Marus Vaſar helyceniis *primarius, omnium meorum Symmyſtarum nomine conſenſum in omnibus teſtor.*

Ego Moyſes Patakfalvi, *Senior Eccleſiarum in Comitatu* Küküllvar *diſperſarum, & Paſtor Eccleſiæ* Scövenyfalvicenſis *ultrò ſubſcribo, & conſentio, meo & meorum Fratrum nomine.*

Ego Stephanus Gyrmati, *Senior Eccleſiarum* Sacroſanctam Trinitatem in ſede ſiculicali Udvar hely, *Orthodoxè profitentium, & Paſtor Eccleſiæ* Udvar helycenſis, *ſuprà ſcriptas* Reſponſiones *pro Orthodoxis & Analogia fidei correſpondentibus agnoſco, haud diſſidentibus Fratribus meæ Inſpectioni ſubjectis.*

Ego Stephano Sikus, *Senior Eccleſiarum Reformatarum in* ſe de ſiculicali Sephi *collectarum, & Paſtor Eccleſiæ* Illyefalvienſis, *meo iſto ſyngrapho, conſentientibus reliquis Commilitibus, haſce reſponſiones in omnibus pias ac orthodoxas eſſe teſtor & confiteor.*

Ego Baſilius Bulnoki, *Senior Orthodoxarum, Trinitariarum vulgò dictarum Eccleſiarum, in* ſede ſiculicali Rezdi *plantatarum, & Paſtor Eccleſiæ Patriæ* Dolnakienſis, *itidem meorum omnium conſervorum nomine, pio huic Pacificationis ſtudio lubens ſuffragor.*

Ego Stephanus Vaſarkelyi, *Decanus Miniſtrorum Orthodoxorum in* ſede Siculicali Drbai *exiſtentium, & Paſtor Eccleſiæ* Rapolczienſis, *pio iſti Pacificatorum ſtudio aſſentior, &* Reſponſiones *ad* Problemata *nobis propoſita, omnium meorum ſynergorum conſenſu approbo & amplector.*

Matthias Jaz Breny, *Paſtor Eccleſiæ* Togaraſienſis, *in omnibus ſimiliter aſſenſum ſuum hâc ſuâ manu teſtatur.*

Ego Batheſar Uſoni, *Senior Fratrum Reformatorum Religionem Profitentium Reformatam in Comitatu* Hunyad, *& Paſtor Eccleſiæ* Devenſix, *meo & meorum Cooperariorum voto, ſyncretiſmum Reformatorum avidus exopto, &* Reſponſiones *in omnibus ſuprà ſcriptas approbo.*

Stephanus Deſi, *Paſtor Eccleſiæ* Rüllöllovarienſis *Sanctæ Eccleſiarum Reformatarum unioni votum ſuum adjicit, &* Reſponſiones *ad* Quæſtiones Paraſcevaſticas *&* Problemata *datas, pro piis ac Orthodoxis agnoſcit.*

Petrus Dengelegi, *Paſtor Eccleſiæ* Alvaricienſis *in nullo diſſentit.*

Post cladem Norlingensem, quæ accidit an. 1634. Aug. 26. Negotium hoc conciliandæ pacis Euangelicæ Duræi in Germania cessare cæpit, sed redintegratum est post pacem Monasteriensem, quæ facta est an 1648. Interea tamen temporis non cessarunt sua ad pacem Ecclesiæ promovendam consilia scribere diversarum nationum viri docti & integræ Ecclesiæ.

1636. Anno Christi 1636, Joannes Matth. Meyfartus, SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque in Academia Erffurdensi Professor, nisi fallor, Augustanæ religionis, magno affectu suam de concilianda pace inter Ecclesias per Germaniam Euangelicas propensionem demonstrat, dissertatione Academicâ anno prædicto editâ Schleusingæ.

PROOEMIUM.

1.

Jejunia populi Iudaici. *PRæclara vox est, qua Iehova exercituum apud Prophetam inquit:* Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi, futurum & domui Jehudæ gaudio, & lætitiæ, & in solennitates hilares: sed *veritatem & pacem* amantes. Zach. 8. v. 21. *His ipsis verbis jejunia non* dierum, *sed* mensium, *intelligi; facilè patet iis, qui diligenter in sacris scripturis legendis sunt occupati.*

2. Nisan, *qui tertio apud nos mensi respondet, erat* primus *in populo Iudaico*; quartus *erat* Tammus: *bujus die* nono *jejunabant Iudæi propterea, quia eâ ipsâ murus* Solymarum *à* Chaldæis *erat perruptus* Jer. 52. vers. 6. Quintus *erat* Ab: *hujus* decimo *jejunabant*; *quia eâ ipsâ* templum *incensum fuerat.* Septimus *erat* Tisri: *bujus* tertio *jejunabant*; *quia eâ ipsâ* Godolias *interfectus fuerat*, cap. 41. vers. 2. *&* residuus populus *penitus è Iudæa ejectus.* Decimus *erat* Tebet: *& bujus* decimo *jejunabant*; *quia eâ ipsâ Chaldæi cœperant Solymas obsidere*, 2 Reg. 25. vers. 1. Ezech. 24. vers. 1.

3. *Idcirco, cùm Iudæi post reditum è captivitate Babylonica interrogarent*, Zach. 7. vers. 1. *& seqq.* An ob priores clades, statis his diebus, reædificata urbe & instaurato templo, jejunare deberent? *Respondebat Dominus*; non debere illos jejunare; *quandoquidem sibi constitutum esset, jejunia in festa commutare: modò* veritatem *cum* Deo, *&* pacem *cum* proximis, *colerent.*

4. Est

4. *Est ergo* veritas *in* confessione, *&* pax *in* conversatione, *Deo longè gratissima: præsertim si unius & ejusdem Ecclesiæ membra* fraternè *conspirant; adeoque unionem sui ipsius cum Christo evidenter probant.* Ecce quàm bonum & quàm jucundum est habitare fratres unà, *inquit David* Psalm 133. vers. 1. *Ubi notant Theologi, vocabulum* Ecce, *cùm alibi sit* irrisionis *reprehensiva, alibi* demonstrationis *ostensiva, alibi* deplorationis *dolorosa, & sic consequenter: hoc in loco, esse stupendæ* admirationis, *& amicissimæ* invitationis, *ad laudem & gratiarum actionem, pro* fraterna concordia. *Inveniuntur* bona, *quæ non sunt* amœna, *ut erat labor pœnitentiæ in Ninivitis.* Jon. 3. vers. 5, & seqq. *Inveniuntur* amœna; *quæ non sunt* bona, *ut voluptas peccandi: attamen in arcta* concordia *sive* Rerumpublicarum, *sive* Ecclesiarum, *sive* familiarum *utrumque*, bonitas *nimirum &* amœnitas, *inveniuntur.* *Bona sunt diversa.*

5. *Idcirco quia hodie multi laborant de conciliandâ* pace *&* concordia *inter* Ecclesias reformatas, *quotquot abusibus & dogmatibus, ex* Italicis *in* Germanicas Ecclesias *vel* occultè *& fraudulenter, vel* manifestè *& violenter transplantatis, valedixerunt; placet* hanc occasionem *arripere, & nonnulla ad placidum colloquium proponere. Videbimus ergo hac vice non* an pax firma, sincera & salutaris inter Ecclesias reformatas conciliari possit? *sed* quales ex parte Theologorum viri ad hanc pacem conciliandam minimè sint adhibendi? *Deus largitor omnis pacis ingressum instruat, progressum dirigat, & egressum compleat, per Christum Dominum nostrum, Amen.*

6. *Interim, speramus, neminem turbabit, si* Charientismo *usi*, placido *innitimur* stilo; *quæ* unius partis *Theologis quandoque competunt, in* genere *&* promiscuè *afferimus ad redimendum favorem, & ab* omnibus aculeis *abstinemus. Sane* acerbioribus Scriptionibus *lites è litibus fuerunt sata & cumulata, Ecclesiæque* vulnera *non* sanata, *sed magis magisque* exulcerata. *Placuit hoc consilium præceptori quondam nostro fidelissimo, & in adversario probavit, qui scripserat*: Remoræ, quæ successum hactenus exoptatum impediverunt, considerandæ magis, & prudenter amovendæ sunt, quam sanis consiliis sine ratione obstrependum. *Acerbæ scriptiones.*

7. *Vocabimus Ecclesias dissidentes* reformatas, *quas possemus* Euangelicas *dicere, secuti* Hutterum *p. m. qui sic*: Ecclesias Euangelicas

per integrum ferme seculum, diffidium Eucharisticum satis tragicè turbasse, dejecisse & fatigasse, ipsi nos non sine ingenti cordolio agnoscimus & fatemur. Sed ad rem.

8 *Valde nobis placent verba* Augustini *adversus* Petilianum. Vos, *inquit*, quos inter me & illum judices posui, sapitisne aliquid inter *verum falsumve* discernere; inter *inflatum* & *solidum*, inter *turbidum* & *tranquillum*, inter *tumidum* & *sanum*: inter divina *prædicta* & humana *præsumpta*; inter *probationes* & *criminationes*; inter *documenta* & *figmenta*: inter causæ *actionem* & causæ *aversionem*? si sapitis; benè & rectè; Si autem non sapitis; nos vestri curam gessisse non pœnitebit: quia etsi cor vestrum ad *pacem* non *convertitur*, pax nostra tamen ad nos *revertitur*.

9. *Hanc sententiam egregiam ad seriam meditationem*, *forsan*, cuilibet cordato Lectori *offero*, *atque ut misereri velit afflictæ Iesu Christi Ecclesiæ*, *supplex oro*.

In sequentibus, inter cętera satis prolixè monet Meyfartus, neminem eorum, qui ad hoc tam pium negotium, ad procurandam, dico, inter Ecclesias Euangelicas concordiam, convocabuntur jurare debere in verba magistri, sivè suæ sectæ patroni, qui & suos habuere nævos & absurdas etiam opiniones; sed in verba solius Christi, qui est *veritas*, *vita*. *&* *via*. *Iustum hoc est postulatum*, inquit, *quia quærunt pacem inter Ecclesias non inter Ecclesiæ Doctores & scriptores, quod quoad mortuos, non potest fieri, quoad vivos, non potest sperari*. Colligendas ergo censet in unum locum omnes omnium Ecclesiarum confessiones & præcipuè *Augustanam*, *omnium*, ut ait, *Augustißimam*, & ex iis eligenda fidei fundamenta creditu ad salutem necessaria & sufficientia, & sic formandam, ad normam Sacræ scripturæ, unam omnium Ecclesiarum communem & salutarem confessionem. Deinde præcipuè, & accuratè & fusè agit de Theologorum, sive Doctores illi fuerint, sive Pastores, ad hoc tam grave & pium negotium prudenti electione, adhibitis in eum finem multis considerationibus, & rejectis diversis impedimentis. Convocandos autem vult, ut multa contraham, viros pios, mites, humiles, pacificos, doctos, qui secundum doctrinam Euangelicam, & Theologiam Ecclesiasticam, necessaria ad pacem media inquirere possent: prætereundos autem contentiosos, iracundos, acerbos, singulares, pertinaces, & clamosos syncretismi hostes, qui plerumque magis idonei sunt ad serendas

novas lites, quam veteres evellendas & eradicandas. Et omnes ſuas concluſiones finit verbis S. Bernardi, ad Epiſcopos in ſynodo congregatos: *fidem habetis*, inquit, *ſed ad opera vos invito. Vos maximè, qui eſtis vicarii Chriſti, qui eſtis Paſtores animarum, qui alios debetis inſtruere, non deſtruere. Vos, inquam, maximè, qui ſoli non poteſtis perire, qui praire debetis docendo, & operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla. Seducunt ſcilicet populum, & abducunt in errorem, & tanto graviores ſunt hæreticis, quantum prævalent opera verbis.*

Idem aliquando, *inquit Meyſartus*, acclamandum eſt Theologis, in Synodo ad conciliandam pacem inter Eccleſias Euangelicas congregatis.

Anno 1637. communicatę ſunt ſententiæ eminentiorum in Eccleſia Scoticana Theologorum de pace inter Euangelicos procuranda *Ioanni Duræo*, à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino, Domino *Ioanne Spotſvvodo*, Archiepiſcopo Sanct-Andręano, totius Scotiæ primate. 1637.

Judicium Facultatis Theologicę Academię Abordonienſis, de Pace & Concordia Eccleſiarum Euangelicarum.

Ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem

Dn. JOHANNEM SPOTSWODUM, Archiepiſcopum Sancto Andræanum, totius Scotię Primatem ſanctiſſimum, magnum regni Scotiæ Cancellarium, Dominum à Darſie, &c.

Datum Abordonia die 20. Februarii, Anno Domini 1637.

QUantus Principum ac Theologorum aliorumque præſtantiſſimorum virorum in omnibus per univerſam Europam eccleſiis reformatis, redintegrandæ fraternitatis & ſinceræ ac ſolidæ inter Euangelicos concordiæ paciſque eccleſiaſticæ conſtabiliendæ ardor cœleſti afflatu, omnium animis hoc tempore inceſſerit; ut reformatæ eccleſiæ veritas, & Euangelici ſacramenti unitas, quæ ab omnibus tenetur, publica amicitiæ conteſſeratione luculentiùs eniteſcat: & quam laudabili atque indefeſſa induſtria in hoc negotio reverendus & clariſſimus popularis noſter, JOHANNES DURÆUS, non ſine dulcibus ſperati ſucceſſus primitiis, deſudaverit; ex ſanctitatis tuæ (Antiſtes ſapientiſſime) adjunctiſque Duræi literis evidenter,

cum ingenti animorum lætitia, gratabundi perſpeximus: Deoque veritatis & pacis de tanto tamq; inopinato gaudio χαριστηρίους ᾠδὰς, cum humili exoptatiſſimi eventus efflagitatione, lætanter ac reverenter obtulimus. Et ne tam pio operi, vel noſtro officio deeſſe videremur, ad injunctum à ſanctitate tua munus confeſtim nos, divino freti præſidio, haud illibenter accinximus. In quo obeundo fratres illos qui Auguſtanæ Confeſſioni & Formulæ Concordiæ addicti ſunt, quo tandem nomine, ſine cujuſquam injuria aut offenſione, ab aliis omnibus Chriſtianis atque Euangelicis diſcriminaremus, diu multumque anxiè cogitantibus, commodum nobis obvius factus ſcriptor inter illos eminentioris notæ Leonhartus Hutterus, fidem nobis fecit non ingratum fore à beati Lutheri nomine deductum cognomentum, ut eos vocemus Lutheranos. Quo certè epitheto abſtinere decreveramus, veriti ne illud per contumeliam obtrudi ſibi ſuſpicarentur: ſed hoc nos metu liberavit memoratus Doctor, inquiens, B. Lutheri nomen ſubinde in ore & calamo ferimus: à B. Luthero nos noſtraſque eccleſias, noſtramque doctrinam Lutheranam indigitamus. Rogamus igitur enixè, ut hanc indigitationem ipſis haud improbatam, & ſola vocum penuria, absque felle & ſarcaſmo, à nobis tanti Doctoris fidem ſequutis, in animorum noſtrorum ſimplicitate, animo planè benevolo uſurpatam, in ſequiorem partem haudquaquam interpretentur, neque importunam hâc de re ſuſpicionem aliquam pacificationi huic fraudi eſſe patiantur.

Hutt. Idenic. c. 12.

Differunt autem conſenſio & concordia. Hæc enim charitate, pace & ſacrorum communione conſtat: illa opinionum conſonantia: quæ ſi perfecta & omnibus numeris abſoluta inveniatur, nullus diſcordiæ aditus patet, niſi conſenſione prius labefactatâ. Perfecta autem theologorum aut eccleſiarum in omnibus conſenſio optanda potiùs, quàm ſperanda, in hac vita, in qua ex parte tantum cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Attamen etiam cum imperfecta judiciorum conſenſione poteſt eſſe vera, & pro hujus vitæ modulo plena ac perfecta concordia; qualem imperat Deus per apoſtolum ad Romanos ſcribentem & Philippenſes. Neque ad plenam charitatis & ſocietatis Chriſtianæ concordiam neceſſa-

Rom. 14. Phil. 3. 15. 16.

cessaria est plena opinionum de dogmatibus aut ritibus religionis consensio; sed cum aliqua in hisce dissensione iniri jure potest ac honestè foveri inter dissidentes ecclesiastica pax & fraterna consociatio. Quænam autem illa dissensio sit, quæ fraternam societatem & Christianam amicitiam non excludit, non incommodè quantum ad thesin explicat in sua Philosophia sobria Balthasar Meisnerus theologus Lutheranus: licet ubi ad hypothesin de hac Euangelicorum pace ventum est, arma in immerentes expediat. Notandum, inquit, quod dissensio alia sit fundamentalis, in ipsa fide; alia minùs principalis, circa fidem. Et hæc posterior, quia duntaxat consistit, vel in diversa certorum rituum observatione, vel in diversa textuum difficiliorum interpretatione, vel in diversa controversiarum scholasticarum & minus principalium decisione: ipsos autem fidei principales articulos non attingit, ideo amicitiam, & fraternitatem spiritualem non rumpit. Quare licet etiamnum orthodoxi in nonnullis quæstionibus dissentiant, tamen si in fundamento conveniant, nec publicè turbas moveant, amici & fratres in Christo verè appellari queunt. Et alibi, potest, inquit, Ecclesia ratione doctrinæ seu religionis una manere, propter unicum quod ab omnibus tenetur fundamentum; licet non omnes in omnibus quæstionibus & dogmatibus secundariis idem statuant, sed multi ex imbecillitate judicii errent. Et mox ibidem eos schismatis reos peragit, qui fratres in fundamento consentientes contemnunt, & hæreseos arguunt, propter dissensionem in dogmate secundario, & pro minùs principali articulo & quæstione secundaria pugnant, tanquam pro articulo principali aut quæstione primaria: nec suam sententiam ecclesiæ totius judicio subjectam esse volunt. Johannes Gerhardus earundem partium theologus in loco de ecclesia affirmat electos in erroribus non fundamentalibus (quos apostolus vocat fœnum & stipulas 1 Corinth. 3. 12.) non solum ad tempus, sed etiam finaliter involvi posse. Et postea in eodem opere disserens de illa veræ ecclesiæ nota, quam vocamus puram verbi prædicationem, ait puritatis illius esse certos quosdam gradus, nec statim, inquit, definit esse ecclesia si vel maximè in quibusdam religionis capitibus non purè doceat. Et inferiùs, unitatem

Meisn. in Phil. sobria sect. 2. cap. 3. art. 4.

Idem in prælectionib. de ecclesia sect. 4. 6. 1. qu. 3.

Gerhard. locor. comm. tom. 5. de eccl. n. 104. & num. 126. § 7. & num. 31. §. 27.

tem fidei & doctrinæ in hâc vita in Ecclesia negat esse perfectam & numeris omnibus absolutam: distinguendum igitur (inquit) inter unitatem absolutam, perfectam & dissensionis omnis expertem, quæ in ecclesia triumphante demum habebit locum; & inter unitatem fundamentalem, quę in consensione principalium articulorum consistit, licet de nonnullis fidei capitibus minùs principalibus, vel etiam de interpretatione quorundam scripturæ locorum controversiæ incidant: ac talis est illa unitas, quę in ecclesia militante locum habet; in ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta. Ex parte enim in hac vita cognoscimus, ex parte prophetamus. 1 *Cor.* 13. 9. Hæc Gerherdus.

Error fundamentalis. Qui etiam superius in illo opere de ecclesia, numero 104. errores fundamentales à non fundamentalibus hac differentia disterminavit, quod fundamentales ipsum fidei fundamentum evertant, & in fundamentalibus erroribus electi finaliter non perseverent. Nempe unicum esse fundamentum, & huic innitentes fundamento, etiamsi fœnum, stipulam & ligna superædificent, omnes tamen, si fundamento perseveranter hæreant, salvari docet Apostolus 1 *Cor.* 3. Unde manifestum est, quicunque perit, eum fundamentali aliquo errore vel theorico vel practico separatum fuisse à fundamento. Cujusmodi autem error in fide fundamentum evertat, declarat Leonartus Hutterus in Irenico, in initio *Cap.* 13. his verbis: Statuimus, inquit, non quemvis statim errorem facere hæreticum & fundamentum fidei evertere; sed eum tantum, qui directè in articulum aliquem fidei impingit, & pertinaciter defenditur. Directè autem dicitur error impingere in fundamentum. 1. quando non in circumstantiam saltem aliquam, sed in ipsam substantiam articuli fidei. 2. quando non reductivè per consequentias, sed Πρώτως immediatè & verbis & sensu in articulum fidei & salutis impingit. Hæc ille.

Non solùm autem theorico, sed etiam practico errore fundamentali salus amittitur, de quo erroris fundamentalis genere loquitur Dominus *Matth.* 5. 12. *Apoc.* 2. 20. Ubi de errore dogmatis practici, & *Matth. cap.* 7. 26. & Apostolus Paulus 1 *Corinth.* 13. 2. Ubi de ipsius praxeos errore mortifero: ut erroris fundamentalis in

reli-

religione hæc nobis idonea definitio videatur: Error in religione fundamentalis est, qui Catholicæ & salvificæ fidei articulo alicui fundamentali & primario in aliquo doctrinæ capite universis & singulis adultis, jam inde à promulgato per Apostolos Euangelio ad salutem æternam consequendam cognitu credituque necessario, vel officio charitatis Deo proximove debitæ sub æternæ mortis interminatione necessario directè & immediatè repugnat. *Erroris fundamentalis definitio.*

Missis autem pro tempore practicis, quia de eis non tanta concertatio est: necessariam capitis doctrinæ fundamentalis cognitionem intelligimus non perfectam, neque in omnibus æqualem, sed μεχρὶ τοῦ; id est talem ac tantam, quæ quamvis perexigua sit & confusa, tamen quoad doctrinæ substantiam fundamentum teneat. Neque par fidei mensura in omnibus postulatur, sufficit fides vera & ἀνυπόκριτος, licet eam habens accensendus sit pusillis & infirmis in fide. Christus enim arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. *Matth. 12. 29.*

Neque angustior nobis hoc seculo est salutis via, quoad fundamentalia fidei dogmata, quam fuit olim primitivis ecclesiæ Christianæ seculis. Nulla enim post Apostolos vel scholarum certamina vel doctorum placita vel ecclesiarum decreta efficere possunt, ut dogma aliquod posteris evadat fundamentale, quod priùs per doctrinam Apostolicam non fuit revera quoad substantiam dogmatis fundamentale. Ideo cujuscunque dogmatis cognitione & fide caruerunt veteres sancti & martyres, de quorum æterna salute haud quaquam est ambigendum, non potest illius dogmatis cognitio & fides à nostri seculi Christianis postulari ut fundamentaliter ad salutem necessaria, hoc est, ut sine qua salus nemini obtingat. Meminisse oportet Jugum à Christo ipso facile & onus leve delassatis animabus & fatiscentibus conscientiis esse impositum, neque fas esse hominibus jugum illud sua morositate asperare, aut onus illud sua crudelitate aggravare. *Matth. 11. 29.*

Solent Theologi dissertationes & disputationes suas de articulis fundamentalibus, puta de Deo, de mysterio incarnationis, de creatione, de lapsu, de gratia Dei, de sacramentis & aliis primariis doctrinæ Christianæ capitibus, institutas, quæstionibus quibusdam secunda-

riis locuplerare; quarum eas, quæ vel ob rei ipsius, de qua quæritur futilitatem, vel ob præposteram de rebus arduis atque incompertis, nulloque Dei verbo evidenter revelatis, & audacem curiositatem stultæ sunt & inauditæ, fugiendas monet Apostolus, quia magis ad contentionem quam ad ædificationem sunt comparatę. Quarundam autem utilis est decisio ac determinatio verbo Dei congruens, quippe conducibilis vel ad amplificationem scientiæ Theologicæ, vel etiam ad morum hortamenta, & solamen conscientiarum: quamvis ad salutem adipiscendam non habeant fundamentalem necessitatem, sed absque salutis dispendio (licet non sine aliquo periculo & detrimento) non solùm nesciantur, sed etiam negentur atque oppugnentur: dummodò fundamentum teneatur, &
1 Cor. 3. funestum schismatis malum vitetur. Quis enim inficias eat magno ad augendam rerum Theologicarum scientiam, fovendamque charitatem, & ad animorum consolationem adjumento esse opulentam illam decoram & stabilem, fulgente rutilantis auri splendore conspicuam, & candido nitentis argenti lumine radiantem, ac sidereis gemmarum intermicantium facibus coruscantem structuram, super unicum verum fundamentum pulcherrimè surgentem: cujus operariis tam ampla atque immortalia præmia decernuntur? ac è diverso vilem illam, sordidam, & fragilem fœni, stipulæ & lignorum struem, eidem pretiosissimo fundamento inconditè superaggestam, quis neget non modò nullum cassi laboris fructum allaturam, sed etiam ædificatori periculosam esse ac detrimentosam? Detrimenti enim diserta fit mentio in textu Apostolico: periculum verò facilè animadvertes, si errorum istiusmodi non fundamentalium reductivam quandam cum errore aliquo fundamentali affinitatem logico inevitabilium consequentiarum tramite investiges. Quamvis enim articulum ipsum fundamentalem explicitè confiteatur, adeoque fundamentum retineat, qui errorem istiusmodi secundarium errat, periculum tamen est, ne, si impotenti opinionem suam amore depereat, ab articulo illo veritatis fundamentali, quem sententiæ suæ adeò infestum & inimicum experitur, affectu paulatim alienato, in fundamentalem tandem hæresin prolabatur: vel si turbulento sit ingenio, turbas in ecclesia concitet. Attamen & his lignorum,

fœni,

fœni, stipulæ superædificationibus super fundamentum, si fundamento, in unitate catholica, constanter adhærescant, salutem Dominus per Apostolum pollicetur. Quos igitur Christus pro fratribus agnoscit, fas nobis dextram eisdem dare societatis.

Cùm autem injusti schismatis authores & defensores pertinaces errore fundamentali practico in Christum peccent, à fundamento avulsi: neque eis filum ad salutem prosit, quantacunque scientia aut fides charitate destitutis, ut monet beatus Apostolus; opinionum autem stipulæ de capitibus doctrinæ secundariis, homines cætera orthodoxos & paci deditos, à fundamento non deturbent: certum est longè deteriorem & incomparabiliter flebiliorem esse conditionem illius ecclesiæ quæ aureæ suæ superædificationis splendore (nedum inani fortassis imagine veri, & fallaci propriæ opinionis speciositate) ita inflatur, intumescit, effertur, ut charitate neglecta, æquanimitate deposita, calcata Christi lege, vicinas Christi ecclesias in fundamento orthodoxas, & pacem cum ea colere volentes, propter quasdam falsarum opinionum fundamento superædificatas stipulas, fastuosè contemnat, hæreseos insimulet, fastidiosè rejiciat, & audacter orco adjudicet: quàm illarum ecclesiarum, quę fundamentum retinentes, licet scientia inferiores & in fide infirmę sint, charitate tamen invicta pollent, & B. Cypriani laudatissimum imitantur exemplum, qui (ut loquitur de eo Augustinus) in eo ipso in quo aliter sapuit collegas diversa sentientes, nec judicandos, nec à jure communionis amovendos esse decrevit. Et illum quasi nęvum sui candidissimi pectoris, cooperuit ubere charitatis, dum unitatem ecclesię toto orbe crescentis, & copiosissimè defendit, & perseverantissimè retinuit vinculum pacis. Et huic tanto viro illud in quo errabat propterea Dominum non aperuisse, scribit alibi Augustinus, ut ejus pia & humilitas & charitas in custodienda salubriter ecclesię pace patesceret, & non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem notitiam signaretur.

1 Cor. 13.

Aug. epist. 48.

August. lib. 1. de Baptis. contra Donatist. c. 18.

Consensum in fidei catholicæ & salvificæ fundamento definit Leonhardus Hutterus in suo Irenico, consensum revera in iis doctrinæ Christianæ capitibus, quæ universis & singulis fidelibus ad salutem æternam in Christo consequendam, scitu creditu-

Hutt. Irenic. c. 12. in fine capitis.

que sunt necessaria & absque quorum fide nemo servabitur.

Inter quos hujusmodi est consensus, quamvis in secundariis dissentiant, eos Hutterus in Irenico, initio *cap.* 13. & Meisnerus & Gerhardus, locis superius citatis, agnoscunt debere colere inter se pacem ecclesiasticam: Atqui ejusmodi est consensus inter Lutheranas aliasque Euangelicas ecclesias. Id quod tametsi illi ἄγαν φορτικῶς infitiantur; nobis tamen à feralis illius & infausti certaminis tumultu ac pulvere longè dissitis, & in hoc tranquillo recessu (quem nobis clementissimus veritatis & pacis Deus noster, sub felicissimo religiosissimi & sapientissimi regis nostri Caroli regimine benignè indulsit) utriusque partis doctrinam & argumenta, per eam gratiam quæ nobis data est κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ sedulò ac seriò piè & sincerè in conspectu Dei intuentibus ac perpendentibus atque ad dominicam stateram examinantibus persuasissimum est: nec aliter legitimam, sive ecclesiæ universalis sive omnium reformatarum ecclesiarum synodum (cui nostram sententiam subjectam volumus) pronunciaturam confidimus. Idemque fuisse majorum nostrorum ecclesiæ Scoticanæ pastorum ac doctorum constans judicium, declaravit piæ recordationis popularis noster Thomas Smetonius sacrarum literarum in Academia Glasquensi quondam professor, in responsione sua, ad Archibaldi Hameltonii Apostatæ dialogum; quæ authoritate publica in lucem typis evulgata est Edinburgi anno Domini 1579. quo in opere pag. 106. Accedunt, inquit, Germani, unam si excipias de Domini Cœna disceptationem. & pag. 107. Non satis adhuc nobis cum Germanis convenit de præsentia corporis Christi in sacra Cœna: sed minor tamen est isthæc contentio, quam ut ecclesiarum nostrarum unitatem, & in præcipuis fidei capitibus consensum dissolvat. Hæc Smetonius ad objectionem papisticam de Ecclesiarum Reformatarum odio & dissensione. Nec aliter olim Lutherus, Melanchthon, Jonas, Osiander, Brentius, Agricola, Oecolampadius, Zvvinglius, Bucerus, & Hedio in Conventu Marpurgensi anno Domini 1529. Et quanquam (inquiunt) in eo (an verum corpus & sanguis Christi corporaliter sit in pane & vino) hoc tempore nondum consensimus: tamen utraque pars quantum omninò ferre potest cujusque conscien-

tia,

tia, charitatem mutuam præstare debet. Utraque etiam pars Deum omnipotentem sedulò invocare debet, ut per Spiritum suum nos in vera sententia confirmare velit. Amen.

Et Phil. Melanchthon epistola ad Joannem Agricolam Islebiensem anno Domini 1535. scribens de controversia sacramentaria, Mihi quidem, inquit, reipsa videntur non discrepare à nostra sententia. Et epistola ad Joannem Brentium 21. Januarii eodem anno, Video, inquit, multa veterum scriptorum testimonia esse, quæ absque ulla verborum ambiguitate explicant mysterium Cœnæ Dominicæ περὶ τύπου καὶ τροπικῶς, contrariæ autem sententiæ sunt ἢ νεώτεραι ἢ νόθοι & suadet ζῆν τῇ παλαιᾷ ἐκκλησίᾳ, ut hac via fiat concordia sine ulla sophistica. Et in epistola ad Vitum Theodorum anno Domini 1538. Ego, inquit, ne longiùs recederem à veteribus, posui in usu sacramentalem præsentiam, & dixi, datis his rebus, Christum verè adesse & efficacem esse. Id profectò satis est.

Philip. in consiliis à Christop. Pezelio editis an. Domini 1600. part. 1. p. 349. p. 247. & 248. p. 326.

Atqui huic nostro judicio constare insuper rationem justam, stabilem & evidentem, ex ipsarum controversiarum debita consideratione desumtam, omnibus æquis rerum æstimatoribus ipsisque adeò Lutheranis quotquot inter eos humili & sincero veritatis & pacis amore ducuntur, res ipsa, ut speramus fidem faciet. Accedente veterum orthodoxorum manifesto consensu, de quorum salute æterna neutra pars dubitat, quibus tamen præter corporalem visibilem sacramenti visibilis, & spiritualem, invisibilem rei sacramenti sive corporis & sanguinis Christi præsentiam & manducationem, nulla tertia cognita vel credita fuit. Propter istarum autem duarum manducationum combinationem in convivis dignis orthodoxi patres dixerunt & visibile sacramentum spiritualiter intelligi, spiritualiter manducari: & rem invisibilem nempe corpus Christi (quod nunc visibus nostris non patet) manducari visibiliter, non quidem in seipso, sed in sacramento. Neque in sacris scripturis ulla reperitur mentio, alicujus tertii generis præsentiæ & manducationis in S. Cœna Domini. Quamvis indignè sumentes, sive Baptismum sive Eucharistiam, non communem accipiant aquam neque communem cibum, sed verum sacramentum, & condemnationem sibi accersant, quia indigni præsumserunt ad Christi accedere sacra-

August. tract. 26. in evang. Ioh. & serm. 2. de verbis Apostoli.

 menta.

August. tract. 26. in Euang. Iohannis, Aug lib 21. de civit. Dei c. 25. & tr. 59. in Eu. Iohannis, serm. 28. & de verbis Domini, serm. 2. de verbis Apostoli. Ruper. l. 2. de divinis officiis cap 9. & eod. lib. cap. 2. Philip. in consiliis part. I. pag. 317.

menta. Tales autem visibiliter quidem in sacramento & sacramento-tenus, non autem revera corpus Christi in ipsa veritate manducare, & ejus sanguinem bibere, scripsit Augustinus, & manducare panem Domini, non autem panem Dominum. Cujus aliorumque patrum insistens vestigiis Rupertus Abbas Tuitiensis, ait in illum, in quo fides non est, præter visibiles species panis & vini nihil de sacrificio pervenire: qui tamen fateri non recusat, panis & vini substantiam Christo sedenti ad dextram Patris veraciter esse concorporatam. Separatim verò tradi corpus & sanguinem Domini, novum esse prorsus & inauditum universæ ecclesiæ veteri, scripsit Melanchthon ad Vitum Theodorum.

** Aug. lib. 20. contra Faust. c 11; vide in ferius Hyponnema de omnipotentia Dei.*

* Quin & Augustinus disertè affirmat, Christum secundùm præsentiam corporalem simul & in sole & in luna, & in cruce esse non potuisse. Nunquid propterea sanctum illum Patrem cœlo censebimus exclusum, tanquam fundamentali quodam errore à fundamento avulsum? absit.

† Gerhard. loco de s. cœna num. 106.

In verbis Dominicis Institutionis sacræ Cœnæ, nulla fit mentio præsentiæ corporalis corporis Domini in eodem planè locò cum pane, seu localis (hoc enim sensu localem dici permittit Gerhardus) † neque manducationis ejusdem oralis & corporalis ore corporis, quæ fit etiam indignis communis, sed tantummodò jubentur discipuli accipere & edere panem illum ἀνχαερισηθέντα, quem ille vocat corpus suum, idque facere in Domini recordationem. Quæ verba Domini reverenter amplectimur, neque de illorum veritate, aut Christi loquentis veracitate vel ejusdem omnipotentia ullam patimur à quoquam litem moveri: hoc enim esset directè in fundamentum impingere. At verò quam adferunt fratres Lutherani eorum verborum interpretationem, eam articulis fidei fundamentalibus non accensemus, tum ne sine literis fidei fidem nobis condere videamur, tum ne veteres orthodoxos Christianos, quibus vel incognita, vel improbata est ista expositio, temeraria præsumtione damnare, & à Deo non occisos occidere videamur. Nec audemus graviora onera conscientiis Christianorum injicere, quàm sunt à Christo manifestè imposita. Neque quod rem cœlestem sacramento visibili significatam, faciunt sacramenti propriè dicti partem essentia-

ſentialem, & quidem cum ſigno viſibili (localiter, licet non circumſcriptivè ſeu dimenſivè) conjunctam, capitibus doctrinæ Chriſtianæ fundamentalibus annumerandum concedimus, iiſdem adducti rationibus. Sacramentum definientes ſemper & ubique omnes Doctores Chriſtiani, ipſique adeoque adeò Lutherani illud in ſignorum ſenſibilium ordine collocarunt. *Sacramentum* (inquit Rabanus Maurus) *ore percipitur, virtute ſacramenti interior homo ſatiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute autem ſacramenti æternam vitam adipiſcimur.* *Raban. l. 1. de inſtitutione clericorū cap. 31.*

Certè ad retinendum in doctrina de Cœna Dominica fundamentum abundè ſufficiunt. Nam de Euchariſtia omnes eccleſiæ Euangelicæ conſentiunt,

Eſſe ſacramentum, non autem ſacrificium propitiatorium. *Confeſſ. Auguſt. Confeſſ. Saxon. & lib. concordiæ.* 1.

Sacramenta non tantum eſſe notas profeſſionis noſtræ inter homines, ſed multò magis eſſe ſigna gratiæ & teſtimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam & confirmandam fidem, in his qui utuntur, propoſita: *Confeſſ. Auguſt. art.* 13. 2.

Celebrandam eſſe euchariſtiam in aliquo cœtu piorum eam ſumentium, neque faciendas eſſe privatas miſſas. *Conf. Aug. de miſſa. Conf. Saxon. cap.* 15. *Conf. VVirtenbergenſis cap. de euchariſtia.* 3.

Manere poſt conſecrationem ſubſtantiam panis, & ſubſtantiam vini, neque fieri tranſubſtantiationem. *Art. Smalcald. 6. & Confeſ. VVirtenberg. cap. de Euchariſtia.* 4.

Omnibus & ſingulis etiam Laicis adultis fidelibus crebrò utendum eſſe hoc ſacramento, eiſque dandum in utraque ſpecie. *Conf. Aug. cap. de utraque ſpecie. Artic. Smalcald. 6, Luther. in Catechiſmo majore cap. de ſacramento altaris. Lib. concord. in epitome cap.* 7. 5.

In verbis Domini ſacramentum inſtituentis, & verbis Apoſtoli Pauli, eandem inſtitutionem repetentis & interpretantis, de pane cœnæ corpus Chriſti, & de poculo ſanguinem Chriſti prædicari. *Chemnit. in fundamentis S. S. Cœna cap.* 4. 6.

Panem & vinum in Cœna eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti. *art. Smalcald. 6.* ſacramentum altaris eſſe non imaginarium, ſed verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. 7.

Et

Et panem & vinum, accedente ad illa, Dei verbo, esse hoc sacramentum, *Luth. in catechis. majore.*

8. Panem intelligi verum panem manentem, quoad suam substantiam, & corpus Christi intelligendum esse verum illud substantiale corpus, quod ex virgine assumsit, & in cruce pro nobis obtulit. Et verbum, est, quo de pane prædicatur Christi corpus, accipiendum esse non fallente & elusorio, sed veraci & simplicissimo sensu, quoad enuntiationis hujus patitur natura, quâ una substantia de alia substantia disparata prædicatur in casu recto. Atque adeò necesse esse, ut secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi sit; ut loquitur August. epistola 23. ad Bonifacium. Chemnit. fund cap. 4.

9. Propter sacramentalem quandam unionem panem & vinum esse verè, nempe sacramentaliter corpus Christi & sanguinem. Concord. in Epit. articulorum controversorum cap. 7. Hutter. Locor. Comm. art. 19. quæst. 15.

10. Hanc unionem Sacramentalem, non esse transsubstantiationem, neque consubstantiationem sive impanationem, vel commixtionem substantiarum, neque contactum, neque parvi cujusdam corpusculi sub pane delitescentis inclusionem neque unitatem unius massæ, neque ad panem aut vinum extra usum cœnæ localem aut durabilem affixionem aut copulationem, neque esse panis & corporis Christi unionem personalem, Hutter. Locor. Comm. art. 19. cap. 1. quæst. 4. Conrad. Dieteric. institut. catech.

Esse aliquam veram & Mysticam Panis sacramentalis & corporis Christi, in hujus Sacramenti legitimo usu, conjunctionem seu unionem sacramentalem, qualem intercedere convenit inter signum verax, practicum, efficax à Deo institutum & rem signatam: adeò ut visibile sacramentum seu panem visibiliter sumentes, & spiritualiter intelligentes, eo vivificentur, ut loquitur Augustinus. Siquis autem hâc spirituali refectione destitutus maneat, id vitio vertendum sit ipsi illi homini, οὐχ ἱεροπρεπῶς μετέχοντι τῶν ἱερῶν, ut verbis utamur Dionysii, sive, ut loquitur Clemens, οὐ φάγοντι λογικῶς τὸν ἄρτον, ὃν κλάσας παρέθηκεν ὁ σωτήρ. Rectè enim monet Dionysius instituta ac tradita nobis esse à Domino hæc sensibilia, εἰς τὴν ἐξ αὐτῶν

Dionys. Areop. l. de eccles. Hierarchia c. 3. Clemens

ἐξ αὐτῶν τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ θεωτέραν ἡμῶν ἀναγωγήν. Unde illa hortatio in Liturgiis, *Surſum corda*, & reſponſio, *habemus ad Dominum*. De hac unione inter omnes eccleſias convenit. Quod autem ulterius Lutherani de quadam panis & corporis Chriſti ſubſtantiali & locali & eſſentiali conjunctione philoſophantur, per quam fiat ut etiam indigni convivæ non ſolùm ſymbola ſed etiam ipſum Chriſti corpus & ſanguinem corporaliter ſumant: id ut neque in ſacris literis revelatum, neque catholicæ antiquitati cognitum, negant reliquæ eccleſiæ in dogmatum fundamentalium numero habendum eſſe, nec immeritò; ſive illud verum ſit quod docent Lutherani, ſive à veritate alienum. Conſcientiæ ſatis eſt (inquit Philippus Melanchthon) quod in uſu datis his rebus pane & vino, detur corpus & ſanguis Domini, atque ita Chriſtus verè adſit in nobis & ſit efficax. Hæc conjunctio eſt ſacramentalis. Hæc Philippus in conſiliis à Pezelio editis *part.* 2. *pag.* 152. *Alex. l. 1. ſtromatum* *Dionyſ. de eccleſia Hierarchia c.* 1.

12. Conſentiunt etiam Chriſtum θεάνθρωπον in celebratione ſuæ cœnæ, non quidem phyſicè ſeu geometricè, neque localiter ac dimenſivè, neque per incluſionem in pane & vino, neque per tranſubſtantiationem, verè tamen ac realiter adeſſe, nec inſtitutioni ſuæ deeſſe, ſed verè dare fidelibus convivis non ſolum viſibile ſacramentum ore corporis ſumendum, ſed etiam rem ſacramenti, id eſt, verum ſuum ſubſtantiale, ac naturale corpus & ſanguinem, verè manducandum ac bibendum. *Chemnit. in Exam. Concil. Trident. part.* 2. *& in fundam. cap.* 4.

Non enim acceptione effectorum tantùm ex noſtra cum Chriſto conjunctione promanantium, ut remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, perficitur ſpiritualis manducatio, ſicut nonnulli ex Lutheranis ſtatuere videntur: ſed præcedit (ut naturâ ſaltem prior) ipſius ſubſtantiæ Chriſti (verbo nobis & ſacramento per omnipotentem Spiritus ſancti adſiſtentiam & efficaciter operantem virtutem revera exhibitę) realis ſumptio & manducatio, ore cordis ſeu fide, quam Baſilius vocat νοητὸν στόμα τοῦ ἔνδον ἀνθρώπου. Hęc autem ſubſtantialis manducatio qua ſubſtantia ſubſtantiam fide manducat, ita ut caro Chriſti ſit manducanti verè cibus, & Chriſtus per fidem habitet in corde credentis, non eſt nuda conceptio mentis, quomodo *Hypomnema de manducatione ſpirituali.* *Baſil. in Pſalm.* 33. *Ioh.* 6. *Epheſ.* 3.

fas nobis cogitare seu mente concipere ipsum diabolum, quem tamen non manducamus: neque est sola imaginis consideratio, seu rei conspectio in imagine, quomodo absentis hominis aut crocodili vel hydræ imaginem intuentes cogitamus etiam rem ipsam cujus est ejus imago: neque solo constat effectu, quomodo cor est ubi est thesaurus, & amantes licèt locis dissiti, adsunt sibi invicem, & conjuncti manent dilectione. Neque est effectorum seu fructuum (ut jam diximus) ex nostra cum Christo concorporatione in nos promanantium perceptio, hæc enim non manducatio, sed manducationis effectum est vel fructus: sicut corporis refectio & corroboratio effectum est, vel fructus manducationis corporalis. Sed est vera realis, substantialis apprehensio & applicatio ipsius Christi, per quam verè, realiter, substantialiter, spirituali & supernaturali modo (quem novit & adhibet omnipotens Deus) ipsum Christum recipimus, eoque vescimur, eidemque verè, realiter & substantialiter concorporamur, & inde saluberrimos illos fructus ubertim percipimus, ut maneat ipse in nobis & nos in illo & justitiam, pacem, gaudium vitamque æternam in illo & ex illa cum illo conjunctione obtineamus. Sic in publicis suis confessionibus docent nostræ ecclesiæ, sacrarum literarum authoritate suffultæ.

Verba Conf. Helvetica de spirituali manducatione Christi *Sicut oportet cibum in nosmet ipsos edendo recipere, ut operetur in nobis, suamque in nobis efficaciam exerat, cum extra nos positus nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, ut noster fiat vivatque in nobis & nos in ipso: dicit enim ego sum panis vitæ; Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam. Item: Qui ederit me, vivet & ipse propter me: ac manet in me, & ego in ipso. Ex quibus omnibus claret nos per spiritualem cibum, minimè intelligere imaginarium nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen percipitur à fidelibus, non corporaliter: sed Spiritualiter per fidem, in qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Salvatoris Christi Domini,* apud Joan. in cap. 6. *Et hic esus carnis, & potus sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem sic esus & potus spiritualis etiam extra Domini cœnam, & quoties & ubicunque homo in Christum crediderit.* Conf. Helvet. cap. 21.

Verba Conf. Gallicana. *Dominus noster Iesus Christus verè nos pascit & nutrit carne sua & san-*

sanguine, ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in cælis, ibidem etiam mansurus donec veniat mundum judicaturus, credimus tamen eum arcana & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire, & vivificare sui corporis & sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non ut efficaciæ & veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus: sed potius quoniam hoc mysterium nostra cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus totumque adeò ordinem naturæ superet. Denique quoniam, cum sit divinum ac cœleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest. Confess. Gallican. artic. 36.

Pro certissimo habeamus, id esse animis nostris alendis corpus & sanguinem Christi, quod alendis corporibus est panis & vinum. Panem & vinum dicimus esse sacra & cœlestia mysteria corporis & sanguinis Christi: & illis Christum ipsum, verum panem æternæ vitæ sic nobis præsentem exhiberi, ut ejus corpus sanguinemque per fidem verè sumamus. Christum asserimus, veré sese præsentem exhibere in sacramentis suis: in baptismo, ut eum induamus; in cœna ut eum fide & spiritu comedamus, & de ejus corpore & sanguine habeamus vitam æternam: idque dicimus non perfunctoriè & frigidè sed reipsa & verè fieri. Etsi enim Christi corpus dentibus & faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu tenemus & premimus. Neque verò vana ea fides est, quæ Christum complectitur; nec frigidè percipitur, quod mente, fide & spiritu percipitur. Ita enim nobis in illis mysteriis Christus ipse totus, quantusquantus est offertur & traditur, ut verè sciamus esse nos jam carnem de ejus carne, & os de ossibus ejus, & Christum in nobis manere & nos in illo. Aug. Conf.

Verba Confes. Anglicana.

Aug. quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui Iudæi tenuerunt carne, tu tene corde. Quoniã Christus absens etiam præsens est: nisi præsens esset, à nobis teneri nõ posset Hæc Aug. in tract. 50. Eu. Ioan.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in cœna, tantum cœlesti & spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur, & manducatur in cœna fides est inquit eadem *ecclesia Anglicana in articulis suis qui confessioni adnectuntur in syntagmate confession. art.* 28.

Certò credimus in cœna Domini ritè usurpata, Christum ita nobis conjungi, ut sit ipsissimum animarum nostrarum nutrimentum & pabulum. Vnio hæc & conjunctio quam habemus cum corpore & sanguine Iesu Christi in recto sacramenti usu operatione spiritus sancti efficitur, qui nos vera fide supra omnia quæ videntur, quæque carnalia & terrestria sunt vehit, &

Verba Confes. Scoticana.

ut vescamur corpore & sanguine Christi semel pro nobis fracto & effuso efficit quodque nunc est in cœlo, & in præsentia Patris pro nobis apparet. Et quamvis magna sit loci distantia inter corpus ipsius nunc in cœlo glorificatum, & nos nunc in his terris mortales; nihilominus tamen firmiter credimus, panem quem frangimus esse communionem corporis ejus, & poculum cui benedicimus esse communionem sanguinis ejus, adeo ut fideles in recto usu cœnæ Dominicæ, ita edere corpus & bibere sanguinem Iesu Christi confiteamur, & certò credamus quòd ipse in illis, & illi in ipso maneant; imò ita fiant caro de carne & os de ossibus ejus; ut sicut æterna Deitas carni Iesu Christi vitam & immortalitatem tribuit, ita etiam caro & sanguis ejus, dum à nobis editur & bibitur, easdem nobis prærogativas conferat. Fideles in recto usu cœnæ Dominicæ talem habere conjunctionem cum Christo Iesu, qualem naturalis homo non potest apprehendere, affirmamus. Conf. Scotic. artic. 21.

Verba confess. Belgicæ. *Iesus Christus panis ille vivificus qui è cœlo descendit nutrit & sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur: id est, applicetur & recipiatur Spiritu per fidem. Quam verè autem accipimus & tenemus manibus nostris hoc sacramentum, illudque ore comedimus (unde & postmodum vita hæc nostra sustentatur) tam verè etiam nos fide (quæ animæ nostræ est instar & manus & oris) recipere verum corpus & verum sanguinem Christi unici Servatoris nostri in animis nostris ad vitam spiritualem in nobis fovendam, testificatur; perficit in nobis revera, quæcunque ipse nobis his sacris signis repræsentat: quamvis ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi à quoquam possit: quod videlicet omnes Spiritus sancti operationes occultæ sint & incomprehensibiles. Cæterùm nequaquam erraverimus dicentes, id quod comeditur esse ipsissimum Christi corpus naturale, & id quod bibitur, verum ipsius sanguinem. At instrumentum seu medium quo hæc comedimus & bibimus, non est os corporeum, sed spiritus ipse noster, idque per fidem. Christus itaque semper ad dextram patris in cœlis residet, nec ideò minus se nobis per fidem communicat. Porrò hæc cœna mensa est spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert: efficitque ut in illa, tam illo ipso quàm passionis mortisque ipsius merito fruamur. Animam enim nostram miseram & afflictam, omnique consolatione destitutam carnis suæ esu ipsemet nutrit, corroborat, & consolatur: sanguinis item sui potu eam sustentat, ac recreat.* Conf. Belg. art. 35.

In consensu Sendomiriensi illa Polonica Reformata omnes uno ore confitentur in usu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi.

A Do-

A Domino omnipotente effectum redditur hoc opus, & est mirabile in oculis nostris. Progrediamur autem in recensendis consensionibus. Consentiunt corporis & sanguinis Christi manducationem & bibitionem effectu ipso salutiferam esse omnibus & solis verè credentibus. *concord. in Epitome cap. 7. & Lutherus in catechismis minore & majore.* 13.

Institutam esse cœnam Domini, ut ea utentes recordatione beneficii Christi erigant & corfirment suam fidem, & consolentur conscientias perterrefactas, & gratias agant, & in charitate proficiant, speque roborentur. *confess. August. cap. de Missa. confess. Saxon. Art. 15. Luther. in Catechis. majore. Philip. Melanchthon in locis Theologicis loco de Cœna Domini.* 14.

Thesaurum remissionis peccatorum, justitiæ & vitæ æternæ, qui bonis in eucharistia offertur, fide accipi & applicari, nec posse aliter quam per fidem percipi. *confess. Aug. art. 13. confess. VVirtenb. cap. de Eucharistia, Luther. in catechis. majore, cap. de sacramento altaris.* 15.

Attamen, ut superius monebamus, ista thesauri hujus in Christo nobis repositi, acceptio & applicatio, non est ipsa spiritualis manducatio carnis Christi, sed potius, ex Christo pane vitæ spiritualiter per fidem manducato vivifica refectio: non enim beneficia ista manducamus, sed Christum manducamus, eique incorporamur, & beneficia hæc in ipso invenimus & percipimus, qui est factus nobis à Deo sapientia & justitia, & sanctificatio & redemtio. Qui manducat, inquit, carnem meam & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo: qui manducat me, vivit ipse propter me. Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium habet vitam: qui non habet Filium Dei non habet vitam. Is autem habet Filiū Dei & in eo vitam, qui credit in nomen FiliiDei. *1 Cor 1. 30. Ioh. 6. 1 Ioh 5. 11. 12. 13.*

Nemini hoc sacramentum prodesse per alienum opus: adeòque inanem esse ejus oblationem pro peccatis vivorum & mortuorum, quæ apud Papistas in usu est (quamvis precatio in hac celebratione, facta pro vivis, etiam pro tempore sacramentum non sumentibus, non sit inutilis) neque ipsi sumenti prodesse sumptionem eucharistiæ ex opere operato, sine fide & pœnitentia sumentis. Neque etiam credenti prodesse sumtionem aut celebrationem ad remissionem 16.

peccatorum per modum meriti; sed gratuitam in Christo remissionem accipi per fidem utentis dignè hoc sacramento. *Confess. Aug. artic.* 13. *& cap. de Missa. Confess. Saxon. artic.* 15. *Philip. in locis, Concord. in Epitome cap.* 7.

17. Unumquemque debere prius seipsum explorare antequam accedat, & monendum esse populum hujus officii à pastoribus, & dandam pastori operam, per præviam explorationem, ut sint bene præparati, & arcendos esse ab hac sancta mensa notoriè impœnitentes. *Confess. Aug. cap. de missa. Confess. Saxon. artic.* 15. *Luther. in Catechis. majore.*

18. In ipsa etiam celebratione servandam esse Institutionem Dominicam, cum prudenti discretione actionum ac circumstantiarum necessariarum à non necessariis. Et utrisque placet illud dictum Hugonis, quod citat Bonaventura *in* 4. *Sentent. Dist.* 10. *part.* 2. *art.* 1. *qu.* 4. Omne sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebratur.

19. Sacramentum hoc Christum instituisse, non ut adoretur, reponatur, circumgestetur; sed ut edatur ac bibatur in recordationem Domini. Sacramenti autem hujus adorationem esse idololatriam seu artolatriam, ejusdemque circumgestationem, pontificiis usitatam manifestam esse prophanationem. *Confess. Saxon. art.* 15. *Confess. VVirtenb. cap. de eucharistia. Luth. in catech. majore cap. de sacramenti altaris. Concord. in epit. c.* 7. *Chem. in exam. conc. Trident. part.* 2. *ubi de veneratione sacramenti cœna.*

20. Sacramenta habere rationem sacramenti seu sacramenta esse tantummodò in usu divinitus instituto: extra usum autem divinitus institutum non habere rationem sacramenti. *Conf. Saxon. art.* 15. *Phil. Melanchth. in consiliis à Christophoro Pezelio editis Neustadii anno* 1600. *part.* 2. *p.* 163. *Chemn. exam. part.* 2. *ubi* de excellentia sacramenti cœnæ. *& lib. Fundam. cap.* 3.

21. Perperam fieri à papistis, quando verba institutionis tacitè recitant: necessariam autem esse publicam recitationem verborum cœnæ Dominicæ, ut ecclesia ex Domini verbis intelligat, quid in eucharistia agatur, & quid ipsi sumendum offeratur, & ut fidem suam confirmet, *Confess. VVirt. c. de eucharistia.*

Non

Non fictitiam aut umbratilem, fallacem aut imaginariam, sed 22.
veram, substantialemque corporis ac sanguinis Domini communicationem, sub sacris cœnæ symbolis, fideliter exhiberi: neque imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia corpus & sanguinem Christi percipere fideles convivas; sed reipsa eo frui in alimentum vitæ æternæ. *Calv. lib. 4. institution. c. 17. §. 19. & in consensione cum Tigurinis cap.* 21. Christum vim carnis suæ vivificam spiritus sui gratiâ in nos transfundere. *Calv. in 2. defensione contra Vvestphalum:* in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum nobis verè exhibere, adeoque corpus & sanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis justitia adimplevit: quo scilicet primum in unum corpus cum ipso coalescamus; deinde participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus. *Calv. lib. 4. instit. cap. 17. §. 11.* spiritualem vitam incomprehensibili spiritus virtute ex carnis Christi substantia in nos diffundi: substantialiter nos pasci Christi carne & sanguine. *Calv. lib. de vera participatione carnis & sanguinis Christi in S. Cœna. §. venio nunc ad Gallum.* Et hanc esse communem ecclesiarum nostrarum doctrinam, ostendimus superiùs in hypomnemate ad consensionem duodecimam.

Manducationem sacramentalem & corporalem (qualiscunque & 23.
cujuscunque illa sit) dignis pariter indignisque communem, nisi accedat manducatio spiritualis, non modò inutilem esse, sed etiàm exitiosam: & solis dignis eam prodesse per manducationem spiritualem, manducationem verò spiritualem solis bonis competere, semperque esse salutarem, sive sola sit, sive cum orali, seu cum sacramentali conjuncta. *Luther. in Catech. majore cap. de Sacramento altaris. Concord. in Epitome cap. 7. Chemnit. in fundament. cap. 3.*

Solam spiritualem manducationem cum sacramenti contemtu 24.
non posse consistere. *Luther. in Catech. majore Philip. loco de Cœna Domini.* Rectè Hugo: *Spiritualis*, inquit, *manducatio quæ vera fide percipitur, sine sacramentali, ubi non est contemptus religionis, sufficit.* *Hugo de sancto victore, in speculo de mysteriis ecclesiæ c. 5.*

Nullam illis convivis deesse manducationem in Cœna à Christo institutam, vel ad salutem necessariam, vel ad legitimam Sacramenti celebrationem pertinentem, qui ritum à Christo institutum 25.

ser-

ſervant θεοπαραδότως, ſumentes & manducantes ore corporis panem Euchariſticum, & ſpiritualiter ore interioris hominis manducant corpus Chriſti. Nam corporalem illam corporis Chriſti manducationem dignis pariter indignisque communem (ſi qua ſit) haberi infallibiliter per viſibilem illam manducationem panis. *Concord. in Epitome c. 7. Chemnit. in fundam. cap. 3. Hutter. Irenic. cap. 13. & locor. com. art. 19. cap. 1. q. 4.*

26. Eum qui corporaliter manducat Sacramentum, & habet fidem in illa Domini verba, pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum, illum verè dignum eſſe ac probè paratum, & uti hoc ſacramento dignè. *Luther. in Catechiſ. minore.* Nullum fidelium qui ſua peccata cum pœnitentia agnoſcit, & vivâ fide in Chriſtum credit, ſacram Domini cœnam ad judicium ſumere, quantâcunque fidei imbecillitate laboret. *Concord. Epit. cap. 7.* Quod tamen ita intelligendum eſt, ut non ſentiatur dignus, qui ulli effato Dominico fidem exiſtimet derogandam: quamvis de interpretatione effati illius in diverſas abire poſſint ſententias, absque errore fundamentali homines digni, adeoque de Chriſti loquentis veracitate neutiquam dubitantes.

27. Manducationem, communionem & præſentiam corporis Chriſti ſpiritualem & ſalutiferam, non impediri locorum intervallis. *Hutter. in Irenico cap. 13.*

28. Corporis Chriſti in S. Cœna manducationem veram, realem, ac ſubſtantialem nullam eſſe, quæ fiat per commolitionem, deglutitionem, digeſtionem, aut aliquo naturali aut terreno modo (qualis eſt manducatio ſymbolorum & aliorum ciborum) ſed omnem veram, realem, ſubſtantialem corporis Chriſti manducationem exerceri myſtico, ſupernaturali & cœleſti modo. *Concord. in Epitome articulor. Controverſorum. cap. 7. Chemnit. in fundament. cap. 3. Hutter. in locis. & Irenic. cap. 13.*

29. Spiritualem manducationem corporis Chriſti eſſe atque adeò jure dici veram ac realem, quia verè ac realiter in cœna corpus & ſanguis Chriſti à fidelibus convivis non tantùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter manducantur. *Chemnit. fund. cap 3.*

30. Spiritualem Chriſti in cœna manducationem, eſſe dignitate ſuperio-

periorem & effectuum realium nobilissimorum reali productione efficaciorem omni alia manducatione, & Christum in sua ipsius substantia nobis arctiùs uniri per accedentem manducationem spiritualem, quam per manducationem corporalem in seipsa spectatam; sive ea sola sit, sive cum spirituali conjuncta. Hæc consensio ex superioribus aliquot consensionibus manifesta est.

Quæstionem non esse, quid Dei potentia fieri possit, sed quid verbis illis testamenti sui in S. S. cœnæ institutione Dominus discipulis intimatum voluerit. *Chemn. fundam. cap.* 3. *Calvin. lib.* 4. *instit. cap.* 17. §. 24. Et mirabile esse divinæ omnipotentiæ opus spiritualem illam nostri cum Christo conjunctionem, quæ neque sola cogitatione, aut mentis intelligentia perficitur, neque corporalem in eodem nobiscum loco Christi præsentiam postulat: neque ullis locorum intervallis impellitur, *Chemn. cap.* 3. *fundam.* 31.

Hypomnema de omnipotentia Dei.

Næ, ille humanitatis jura palàm violat, & officii Christiani desertor manifestarius est, quicunque fratres omnipotentiam divinam disertè atque apertè toto pectore ac pleno ore confitentes, non verecundatur detestandæ hæreseos, tanquam divinæ omnipotentiæ negatores, ideò arcessere, quod ipsius placitum aliquod, evidenti verbi Dei testimonio destitutum inevitabilem existimant includere contradictionem, atque adeò quod illo dogmate credendum proponitur, prorsus esse impossibile: cum interim de omnipotentia Dei nulli dubitent, adeò ut si alicujus hac in parte culpæ affines sint, ea non omnipotentiæ divinæ inficiatio sit, sed injusta fortasse dogmatis illius rejectio ex falsa hypothesi, quâ illud contradictoria simul conglomerare autumant. Meritò sanè fatetur Balthasar Mentzerus, theologus Lutheranus, Deum nec velle nec posse quicquam suæ naturæ contrarium. Et Hutterus concedit Deum non posse facere aut velle contradictoria simul, hoc enim non esse, potentiæ sed impotentiæ. Nempe testantur S. literæ Deum omnipotentem (cui omnia possibilia sunt, cui nihil impossibile est) non posse abnegare seipsum: non posse mentiri. Deus lux est, in eo nullæ sunt tenebræ, nullum mendacium est ex veritate. Quicquid uni alicui attributo Dei essentiali repugnat, illud Deus velle aut facere non potest: contradictoria autem esse simul vera repugnat entitati &

Mentz. in Exegesi Aug. C. art. 1. *Sect.* 4. *Hutter. Ir. c.* 14. 2 *Tim.* 2. 13. *Tit.* 1. 2. *Heb.* 6. 18. 1. *Ioh.* 1. 5. & 2. 21.

veracitati Dei, à quo promanat, & in quo existit, omnis quæ rebus creatis competit entitas & veritas. Deus ὁ ὢν & ἡ αὐτοαλήθεια, non est ναὶ καὶ οὔ: sed ναὶ ἀμήν. Quamvis igitur omnia possit τὰ ἀνήκοντα ὑπὲρ ἀνθρωπίνην κατάληψιν, (ut verbis utamur B. Athanasii) tamen (ut loquitur Henr. Gandavensis) non potest Deus facere ut sint contradictoria simul vera. Sic omnes scholastici. Hinc illud Bonaventuræ dictum: per miraculum nunquam separatur definitio à definito. Cujus communis axiomatis rationem hanc reddit Thomas, quia separare definitionem à definito, est ponere duo contradictoria simul. Huc pertinent illa Augustini verba: Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est: & ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Quocirca (ut sapienter monet, B. Athanasius) non debemus τὰ οὐκ ἐφαρμόζοντα τῇ θείᾳ φύσει φάσκειν γεγονέναι. Neque τὸ δυνατὸν τοῦ θεοῦ πρὸς κατασκευὴν ἀπρεποῦς ἐννοίας λαμβάνειν. Non licet τὰ ἀπρεπῶς παρ' ἀνθρώπων καινοτομούμενα βεβαιοῦν τῷ λέγειν, ὅτι πάντα δύναται ὁ Θεός. Sicut è diverso nefas est, ὅσα καὶ ἁρμόζοντα τῷ Θεῷ, καὶ σωτήρια καὶ θεοπρεπῆ καὶ φιλάνθρωπα, καὶ παρὰ τῆς ἁγίας γραφῆς εὐσεβῶς κηρυσσόμενα, ταῦτα πρὸς τὸ ἀδύνατον μεταφέρειν. Præsentiam & manducationem Spiritualem corporis Christi, tum in usu S. Cœnæ, tum extra ejus usum, veram, realem, substantialem esse docent nostri Theologi, non obstante locorum intervallo, nixi Dei verbo & omnipotentia. Carnis autem Christi omnipræsentia vel multipræsentia corporalis in pluribus locis simul, quam Lutherani tuentur, nostris Theologis videtur impossibilis: non quòd negent Dei omnipotentiam, de qua perspicua & plena inter utrosque consensio est, & à qua pars utraque pro sua doctrina argumentum sumit; ut controversia fundamentalis, aut divinæ potentiæ negatio hîc nulla inveniatur: sed quòd dogma illud, quod nostri negant, putent inevitabili laborare contradictione, seu, ut vulgò loquuntur, implicare contradictionem; neque ullo S. Scripturæ evidenti testi-

Henr. Gand. quolibet 15. qu. 1. Bonav. in 4. sent. dist. 10. part. 1. q. 4. Thom. in 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 2.

Aug. lib. 2. de symbolo ad catechumenos c. 1.

Athanas. advers. eos qui natura carnis confessores, loco trinitatis quaternitatem dicunt dicere. Thom. 1. oper Athan. p. 301 edition. ParisiensisGræcol. in fol. Anno Domini 1627.

Vid. Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 11.

testimonio ab hac absurditate liberari. De hac secundaria controversia Synodus generalis pronunciet, vel amicis inter Theologos colloquiis transigatur. At in fundamento consensum interea agnoscamus, & servemus unitatem Spiritus in vinculo pacis. *Supra paulò ante consensiones.*

In recensendis autem ecclesiarum euangelicarum de S.S. Cœnæ Dominicę mysterio consensionibus, non ea mens nobis, ut omnia illa, in quibus consentiunt, pro fundamentalibus doctrinę Christianæ capitibus habeantur: sed id solum nobis propositum fuit, ut omnibus ęquis judicibus manifestum fieret, posse hominem Christianum ea sola tenentem de hoc Sacramento, de quibus inter omnes Euangelicas ecclesias convenit, dignè & fructuosè accedere ad mensam Domini, & sacramentum sumere ad salutem suam ęternam, quamvis quęcunque alię circa hoc mysterium quæstiones agitantur, aut assertiones proponuntur, de corporali præsentia & manducatione etiam indignis communi, vel nesciat, vel non credat. Atque adeò eas quæstiones & assertiones non esse fundamentales, in quibus à reliquis euangelicis Lutherani dissentiunt de hoc mysterio. In quibus tamen Leonhart. Hutterus primarium collocat erroris dogma eorum, quos indè vocat sacramentarios. *Hutt. Irenic. cap. 3.*

Quia autem quæri solent deflexuosa, lubrica & insidiosa, ut ipsis videtur, nostrorum hominum tractatione & professione consensus: nos, ut viros gravissimos, & ab omni fraude alienissimos hoc levemus opprobrio, & scrupulum hunc ac suspicionem paci inimicam alterius partis piis & pacificis fratribus eximamus. Age, paucis ostendamus, nullam esse justam hàc in parte causam diffidentiæ. Nam ajunt se credere dignis in celebratione Cœnæ convivis, Christum præsentem esse, dari ac sumi, *verè realiter*, *substantialiter*, & mox addunt *spiritualiter*, illi non simulant consensum cum Lutheranis de Christi præsentia corporali in eodem loco cum symbolis, ejusdemque manducatione corporali etiam ab indignis; sed palam profitentur non obstante ista dissensione, sufficere ad retentionem fundamenti eam doctrinam, quam pars utraque confitetur: & præsentiam ac manducationem illam spiritualem, ajunt veram esse realem ac substantialem, neque id jure negari posse. Adeò ut de reali & vera ab substantiali manducatione & præsentia non sit in-

ter eos realis, ſed tantùm nominalis controverſia, ſive λογομαχία.

Licitam atq; adeò expedientem & prorſus neceſſariam eſſe hanc, quæ intenditur ac ſperatur, Eccleſiarum omnium Euangelicarum ſinceram amicitiam, chriſtianam concordiam, pacem eccleſiaſticam, ac ſacrorum communionem, pari diligentia in reliquis quæ obtenduntur, vel etiam revera ſuperſunt, quæſtionibus cõtroverſis demonſtrare animus nobis erat: ſed ne in immenſam diſſertatio hæc noſtra molem excreſcat, hæc tantùm pauca colophonis loco ſubjiciemus.

De perſona & naturis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & proprietatibus ac operationibus ad retinendum fundamentum ſufficere judicamus ea, quæ in ſacris literis expreſsè leguntur, cũm concluſionibus illis catholicis, quas ex eiſdem per conſequentias evidentes, contra Samoſatenianos, Sabellianos, Arrianos, Macedonianos, Apollinariſtas, Neſtorianos, Eutychianos, Tritheitas, Theopaſcitas, Acephalos, Manichæos, Marcionitas, Monothelitas, Fælicianos, aliosque id genus hæreticos deduxerunt, ac determinarunt, veteres Orthodoxi Patres, in ſex primis Oecumenicis, & Conſtantinopolitano, ſub Menna Patriarcha, & Lateranenſi ſub Martino Epiſcopo Romano hujus nominis primo & Francofurtenſi, aliisque ante Caroli Magni tempora celebratis Catholicorum conciliis.

De Prædeſtinatione & gratia, de lapſu & libero arbitrio, aliisq; ad eam controverſiam ſpectantibus quæſtionibus, ſi poſt S. Scripturas, judicio conciliorum Africanorum & Gallicanorum in quibus hæreſis Pelagiana ejusq; reliquiæ olim abdicatæ ſunt; & Auguſtini, Proſperi ac Fulgentii, eisq; conſentientium Romanorum illorum Pontificum, qui Auguſtini ejusque diſcipulorum ſeculo floruerunt, & Auguſtinum ſequuti B. Lutheri, ſi horum omnium judicio & conſenſu ſtetur, exſors erit eccleſia erroris fundamentalis. *Scimus Lutheranis quibusdam doctoribus improbari quædam de hoc Argumento capita doctrinæ Auguſtinianæ, & ipſum quoq; Lutherum videri duriuſculè quædam loquutum; fruantur illi ſanè per nos ſuo judicio, dummodò Auguſtinum & Lutherum aliosque illis conſentientes Chriſtianos ab errore fundamentali immunes eſſe fateantur: & tranquillè ac pacificè moderentur quod ſentiunt.*

Hutt. loc. comm. art. 22. controverſia ſpeciali 8. qu. 2. &Ireni. cap. 13.

Utriq; meminerimus, non oportere difficultates fidei difficultatibus ſuperaddere, nec multiplicanda eſſe peccata, aut miracula ſine neceſſitate: nec verba Dei ſine neceſſitate arctanda eſſe ad intellectum difficilem: ut rectè monuerant Durandus & Scotus, & Apoſtoli

stoli monitur, in eo ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, idem sentiamus. Quod si quid aliter sentitis, inquit, hoc quoque vobis Deus revelabit. Quibus autem revelat, nisi ambulantibus in via pacis, & in nullam præcisionem deviantibus? inquit Augustinus. Dico vobis (ait Dominus noster Jesus Christus) si duo ex vobis consenserint in terra de omni re quam petierint, fiet eis à patre meo qui in cœlis est. Unanimitatem priùs poscit, concordiam pacis ante præmisit, ut optata nobis omnia contingant. Ecce quam bonum est & quam jucundum fratres habitare in unum. Paulus Apostolus sacramentum unitatis ostendit, quando unum prædicat corpus, & unam fidem, unum baptisma, unum spiritum, unam spem vocationis nostræ, unum Dominum, unum Deum. Ecclesiæ unitatem qui non tenet, teneri ab eo fidem negat B. Cyprianus & Ambrosius negat exhiberi Christo fidem ab his qui corpus ejus distrahunt: Non habet Dei charitatem, qui ecclesiæ non diligit unitatem, inquit Augustinus. Qui etiam alibi ait, in nullo aliter sapere quàm res se habet, Angelicam esse perfectionem, quæ nobis in hac vita non obtingit. Sacramentum autem Eucharistiæ, de quo, proh dolor inter Euangelicos tam atrox bellum geritur, vocat Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum charitatis.

Durand. in 4 sent. dist. 11. qu. 3. & Scotus lib. qu. 3. n. 3. 4 15. & alibi. Phil. 3. 15. 16. Augúst. lib. 2. de Baptis. cap. 5. Matt. 18. 19. Psal. 133. 1 Cor. 12. Ephes. 4. Cyprian. de unitate ecclesiæ. Ambros. lib. de obitu Satyri. August. lib. 3. de Baptismo. cap. 16. & l. 2. cap. 5. 16. & lib. 2. cap 5. Tract. 26. in Euang. Iohan.

Atque hæc de hac concordia inpræsentiarum dixisse sufficiat, ut deposito fratrum odio, amotis malis suspicionibus, & pulso schismate unitatem amemus, injurias omnes, & quascunque ultrò citroque illatas contumelias, utrique condonemus, & veritatis simul ac pacis sincero constantique amore, tanquam celeri alarum columbæ cœlestium remigio subvecti, in mutuos amplexus, & ad sancta charitatis oscula gratanter, amanter, unanimiter, prosperiter convolemus. Quod nobis benignè largiatur omnipotens & clementissimus noster Deus pacis & veritatis, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui dixit beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Ipsi sit gloria in secula seculorum. Amen.

Ita nos unanimiter sentire S. S. Theologiæ Professores aliique facultatis ejusdem in Academia Aberdoniensi Doctores, manuum nostrarum subscriptione testamur.

JOHANNES FORBESIUS à Cors.
ROBERTUS BARONIUS. Alex. Serogic.
JACOBUS SIBBALDUS.
ALEXAN. ROSS. Gulielmus Leslæus.

ANDREÆ RAMSÆI Pastoris Edinburgeni collegarum & suo nomine, de pace inter Euangelicos procuranda paræneſis irenica:

Ad Reverendißimum in Christo Patrem

Dn. JOH. SPOTSWODUM Archiepiſcopum Sanct-Andræanum, totius Scotiæ primatem, magnum regni Scotiæ Cancellarium, Dominum à Darſie &c.

CUm pace & concordiâ eccleſiæ nihil priùs, nihil antiquius habendum, quòd in ea ſalus ejus atque incolumitas verſetur; ſummâ ope probos & cordatos omnes niti decet, ut eam ulla ex parte labefactatã reſtaurent reſtauratamq; modis omnibus ſartam tectã conſervent. In quod vehementius omnes ingenii nervi intendendi, quòd pace & concordiâ ſacra pagina nihil impenſius urgeat, primæva antiquitas ſtudioſius nihil aſſeruit, hoſtis humani generis peſſundare nihil obnixius certavit: cujus amiſſione nihil calamitioſius gregi Chriſti accidere poſſe tragici eventus comprobarunt. Atque ut à verbi Dei oraculis exordium arceſſam. An non uno templo, uno altari, unà lucerna, unitatem nobis ſancivit & commendavit Deus? An non etiam in cantico illo Salomonis præclariſſimo unitatis nomenclaturâ ubique donatur eccleſia, atque una ſponſa, una amaſia, una ſoror, una columba indigitatur. Quin & Iſaias, Jeremias aliique ſacroſancti prophetæ, vitia & errores populi & ſacerdotum pro concione licet inſectati, communioni tamen eccleſiæ nuncium nequaquàm remiſerunt. Et noviſſimis ſeculis, cùm in cunis recens natus ſalutis author vagiret, pacis cantu à choro Angelico cœlum, terra, & omnia perſonuerunt: idemque munus publicum auſpicatus, pacis Euangelium promulgavit: & cùm duodecim in Apoſtolorum munus cooptaſſet, Petro (teſte Auguſtino) reſpondendi partes à Domino ſunt tributæ, ut in uno unitatem commendaret. Quin & imminente mortis articulo, cùm ſolum cœlo commutaturus Chriſtus, diſcipulis, non ut legatariis in ima, ſed ut hæredibus in prima cera teſtamento pacem demandavit. Denique diruta intergerina macerie, ſublatoque odio Judæorum in Gentes & Gen-

Quàm utilis, quam neceſſaria pax eccleſiæ, ex quatuor aſtruitur.

Ex veteri teſt. lege & prophetis pax aſſeritur.

Ex novo Teſt. eadem aſſeritur.

Gentium in Judæos, cum ampliatis ecclesiæ pomæriis unitatem ampliavit, ut eosdem haberet fines, quos terrarum orbis. O tempora illa plus quàm aurea, quibus credentium numerus Hierosolymis in mentem unam animumque syncretismo & affectuum symphoniâ coaluisse prædicantur: nec Apostoli ipsi quicquam pace pensius cariúsve habuerunt. Horsum dextra, quæ dabatur, societatis spectabat: horsum ad pacem crebræ & vehementes exhortationes pertinent, septemque illa quæ ab Apostolo cap. 4. ad Ephes. percensentur unitatis vincula, quę totidem sunt incentiva & celeusmata ad pacem & concordiam colendam: nempe quòd unus Dominus, unum corpus, unus spiritus, una spes, una fides, unum Baptisma, unus Deus, qui in omnibus, & super omnia, & per omnia. Quis tam ferreus, quem hæc non emolliant, tam plumbeus, quem non afficiant, tam odio acerbatus, quem non mitigent, & ad pacis concordiæque studium, inflectant? Ad hoc etiam spectant congressus ecclesiastici, qui ut pacis concordiæque nervi à Deo instituti. Huc etiam sacramenta pertinent, quæ unionis tesseræ pacisque & concordiæ symbola. Adde his, quòd Deus pater, pacis Deus nuncupetur. Filius princeps pacis, Spiritus sanctus pacis & concordiæ nexus: nec non Euangelium pacis nuncium perhibetur, quòd in eo in gratiam cum Deo reponi homo nunciatur, ut in ea indies magis ac magis adolescat, donec emeritis vitæ stipendiis pacem cœlestem assequatur.

Ex primitiva Ecclesia concordia.

Septem pacis & concordia vincula.

Congressus Ecclesiastici pacis nervi.

Sacramenta pacis vincula. Tota trinitas pacem hortatur.

His ex sacris literis de pace & concordia encomiis patrum testimonia adscisco; qui quanta sedulitate pacem inire, augere, tueri sategerunt, testantur quàm plurima in pacis subsidium excogitata, quæ in duo non incommodè tribui possunt. Quædam ad concordiam in animis & affectibus, alia ad consensum in intellectu & judicio retinendum instituta erant. Ad concordiam conservandam pertinebant agapæ, pacis osculum, salutationes, compellationes fraternæ, hospitalitatis (ut cum Tertulliano loquar) contesserationes, & dictio ipsa Christianorum tesseraria, qua se ipsos internoscebant. Erant Agapæ charitatis & concordiæ convivia, quæ in ecclesiam inoluerunt, dum Apostoli in humanis agerent. Nomen ipsum amorem præ se fert, quod in his epulis convivæ Christiani,

Consensus in mente & judicio. concordia in affectibus.

Multa ad concordiam hortantur.

Agapæ.

non tam corpus quàm charitatem aluerunt; &, ut cum Tertulliano loquar, non tam dapes corporis quam disciplinam cœnabant. Osculum pacis Apostolorum quoque seculo obtinuisse extra omne dubium est: de quo Chrysostomus homilia de proditione Judæ: quod amoris fuit symbolum, quo se mutuò accipiebant Christiani, in sacris præcipuè, ut ostenderent omni simultate depositâ, mutuò sese ut fratres benevolentiâ complecti. Nec salutationes Christianæ aliud, quàm pacem & concordiam præ se ferebant. Nam ut judæi obvios venientes pace in salutationibus impertiebant, Christiani cum pacis imprecatione oscula & amplexus profusi amoris indicia conjungebant. Adde his hospitalitatis tesseram, quam contesserationem novè dixit Tertullianus, de præscript. advers. hæret. quæ conjunctionem familiariorem innuebat, quæ per tesseram vel signum fiebat. His adde fraternitatis compellationem, de qua ibid. Tertull. & Minut. Felix consulendi. Hæc fraternitas gentibus suspecta fuit, quòd eam magno aliquo sacramento contractam & conjuratam esse crederent. Dictio etiam inter Christianos fuit tesseraria, primis illis seculis, qua fideles à gentibus & alienis à Christi fide sese dignoscebant, de qua Lucian. hostis Christianorum juratissimus. Quæ fuerat tesseraria illa dictio, postquam à peregrino quodam nomine sceleratorum extrema linea prodita fuisset, mutata est in aliam, in cujus locum formatæ literæ à concilio Nicœno primo surrogatæ. Quæ omnia evincunt, quàm altè sanctorum patrum pectoribus pacis & concordiæ studium insidebat.

Tertull. Apolog Minut. Felix. Osculum pacis. Chrysost de proditione juda. Tert. de oratione. Salutationes. Tert. de præs. adv. Hæret. Hospitalitatis tess Tert. ib. Fraternitatis compellatio. Tert. ib. Cyprian. Epist. 3. Ep. 37. Gell. l. 12. cap. 11. & Ammian. Consule etiam Optatum lib. 2. cont. Parmen. Et Aug. Ep. 163. ad Eleus.

Quia verò dissidia & contentiones non ex invidia tantùm & ambitionis fontibus scaturiunt, quæ in affectibus dominantur, sed ex opinionum & judiciorum varietate ut plurimùm oriuntur, magna cautione providerunt ecclesiæ antistites, ut fidei fundamenta ad omnem posteritatem intemerata transmitterentur. Ad pacem itaque in fidei communione sanciendam, non pauca sunt adinventa, quales communicatoriæ literæ, eulogiæ, canendi ratio per monopsalma, sympsalma & diapsalma, martyrum in diptychos relatio, & fidelium in publicis precibus nominatio.

Vid. etiam Theod Bals. in non phoc.

Communicatoriis literis Concilium Nicœnum primum, originem dedit, quas recens adlectus episcopus, ad coepiscopos mittebat,

bat, ut communionem cum illis in fide orthodoxa testatam faceret. Eulogiæ frustula erant panis benedicti, quæ dissiti locorum spatiis invicem mittebant, ut qui sacra mensa jungi non poterant, conjunctionem in fide significarent. Ad hoc invaluit etiam in ecclesia canendi modus, per monopsalma, sympsalma, & diapsalma. Monospalma sic dictum, quòd unus caneret; sympsalma, plures: diapsalma spatium erat & intervallum inter canendum. Sympsalmate plurium in fide harmonia, & monodia unitas plurium in fide designabatur, ut docet Augustinus. Diptychi à biplicatili forma ita dicti, libri erant sacri, quibus inscribebantur, imprimis eorum nomina, qui sanguinem vitamque pro fide Christi profuderunt. Præterea qui ad vitæ exitum in fide asserenda perstiterunt, eorum nomina in publicis orationibus contenta voce efferebantur, non tamen invocabantur, aut cultu ullo religioso impertiebantur. Nominamus, (inquit Augustinus) in orationibus sanctos, non autem invocamus. Adde, quòd ecclesia, quæ catholica, quæ sancta, una etiam nuncupatur, quòd in tribus his ecclesiæ notis, postrema non sit unitas. Quin & stilo Augustiniano contra Donatistas unitatis ecclesia passim & ubique catholicam designat. Denique qui in veteri memoria & in patrum scriptis hospites & peregrini non sunt, non ignorant, amorem Christianorum γνώρισμα olim fuisse; ita uti sorex suo cantu, sic Christiani amoris mutui indicio prodebantur.

Eulogiæ. Paul. alipio. Aug. Ep. 35. Aug. Tract. in Ioh. 12. & ps. 4. Conc. 4. oec. Ep. Ægypt. Diœces. Aug. l. de Civ. Dei lib. 22 c. 10. Tert. Ap.

Hanc unitatem ut dissolveret, nullum non movere lapidem hostis humani generis nunquam destitit & desistet. Quatuor tamen præter cætera machinis ad eam expugnandam est usus, immani scil. hostium crudelitate, hæresi, schismate, & idololatriâ. In prima acie crudelitatem collocavit, cujus immane documentum in Stephano protomartyre exhibuit. Unde conventus publicos (qui communionis ecclesiæ nervi & compages) ad tempus dissolvit, frustrà tamen fuit. Nam licet dirissima quæque pertulerunt Christiani, ut à crudelissimis tormentis sarmentitii, vivicomburii, semiassii à paganis sarcasticè audirent: vicit tamen hostium furorem Christiana patientia, ut avidius tum felicibus illis seculis à fidelibus martyrii coronæ expeterentur, quàm nunc palmatæ tunicæ, regum purpuræ & diademata.

Quibus machinis ecclesiæ unitatem oppugnavit satan. Tert. Apol. & de Anima.

Cùm hac via non processisset cruentus ille Draco, ferro, facibus, &

Hostium crudelitas in Ecclesia.

& tyrannorum armis, hæresis venenum admiscuit, ut in animas etiam miseras lanienam exerceret, quâ majorem in ecclesia stragem fecit, quàm omnium Nusyridum & Phalaridum exquisitissimis tormentis. Atque ut nullum crudelitatis genus omitteret, hæresi schisma adjecit, quo funestius nullum malum experta est, aut experietur Ecclesia. Hoc concordiæ nexus abrumpuntur, unitatis compages dissolvuntur, pacis nervi inciduntur, & ecclesiæ cives, ut lacera Penthei membra, huc atque illuc disjiciuntur. Hanc tragœdiam primus in scenam produxit Victor Romanus ἀμέτρως (ut ait Socrates) θερμανθεὶς, quem pessimo exemplo sequuti sunt Meletiani, Andiani, Luciferani, Donatistæ, aliique hujus farinæ execrandæ memoriæ. Denique Vejovis Capitolini ambitiosâ tyrannide effectum est, ut non terræ, sed inauspicato animorum motu Græci cum toto Oriente à Latinis avellerentur. Nec his ecclesiæ exsatiatus malis hostis humani generis, horrendam in ecclesiam idolomaniam invexit, ut externæ communionis vincula dissolveret. Cùm his miseriis oppressa mœreret & gemeret ecclesia, misertus ejus clementissimus Pater, reformationis Heroas Waldum primò, Hussum deinde & Wickleffum, Lutherum denique excitavit: quorum opera & studio ex Antichristi faucibus ecclesiam suam eripuit, & natalibus restituit. Verùm Satanas novissimis his temporibus lusum usitatum ludere gestiens, eidem quo olim circo se inclusit, ferro & flamma in Christi gregem sævire occœpit; hæreses sepultas refodere, refossas recoquere, ac interpolare. Hinc Anabaptistarum, Swenckfeldianorum, novorum Arrianorum & Libertinorum examina in ecclesiam inundarunt. Quorum impetum quum ecclesia propulsasset, & ut putrida carcinomata à suo corpore resecuisset, cùm nec primo nec secundo impetu ecclesiam sterni posse vidisset, ad Schismata tanquam triarios rediit, & de præsentiæ Christi modo in Eucharistia infaustam controversiam, pomum velut Eridos in medium projecit: quo fidissimos & fortissimos Christi Athletas, Lutherum & Zwinglium paria velut gladiatorum inter se commisit. Quæ discordiarum flammæ à viris minimè malis, sed inconsiderato zelo accensæ potius quàm sopitæ fuerunt. Fando explicari non potest, quantùm Euangelii curriculo dissidia hæc obfuerint, quot damna dede-

Schismatis exitiale malum.

Socrat. lib. 5. de Paschatis celebrationibus.

Reformationis heroes.

Hæresium & schismatum renovatio in reformatis eccles.

dederint ecclesiæ. Quare næ illi operam Deo & ecclesiæ egregiam navarint, qui opinionum hæc discrimina tollere, lites componere, & tempestates has in tranquillum redigere aggrederentur.

Qui pacis hoc negotium procurare studet, tria illi imprimis sunt dispicienda; An componi possint hæ lites, tum quibus modis, tertiò quibus de causis componi debeant.

Componi posse has lites bono esse animo jubemur, quòd idolomania omnis, quæ ad externam communionem viam præcludit, ab ecclesiis euangelicis longè exulet: quòd utraque pars scripturam judicem ferat, quatuor prima Oecumenica concilia ut orthodoxa amplectatur, dictatoriam Romani Antichristi authoritatem in articulis fidei juxtà aversetur, quodque beatum Lutherum nostri pro insigni organo Dei agnoscant, quibus ille in hoc officii genere, vicem reddidit & reposuit & quod ad concordiam maximum momentum habet, Melanchton, Calvinus, Bucerus, Zanchius, aliique qui inter Theologos nostros familiam ducunt, Augustanæ confessioni, cui & vos subscribitis, calculum suum adjecerunt. Duo tantùm sunt de quibus contentionis funem trahimus, de præsentiæ Christi modo, non de præsentia ipsa, in sacrosancta Christi cœna, & de prædestinationis recondito mysterio. At in neutro salutis cardo vertitur, in neutro fidei fundamentum convellitur. Quod ut liquidò pateat, operæ pretium erit definire, quid sit hæresis quæ fundamentum oppugnat. Augustinus ad Quodvultdeum, difficillime definiri posse hæresin asseverat, indoctiores Philastrii exemplo hæreses multiplicasse tradit: quippe quæ Philastrio Brixiensi Episcopo hæresis est visa, Epiphanio Cyprio multò oculatiori hæresis non est visa: atque anonymus ille, cujus scripta cum Philastrii scriptis conjuncta, quò plus Philastrio cæcutivit, hæresium numerum eò magis adauxit: quippe Luciferianos hæreticis accenset, quibus eos eximit Epiphanius.

Spes compositionis litium in Reform. Eccles.

Quid sit hæresis.

August. ad Quodvult.

De hæresis natura & indole varii variè scripserunt. Hieronymus vim vocis spectans privatam electionem definit: Augustinus perversam doctrinam cum pertinacia defensam. Aquinas corruptionem doctrinæ veræ cum pertinacia describit, alludens fortasse ad Apostoli verba, qui hæresin gangrænam vocat sanguinem & succum depas-

Hieron. ad Gal. cap. 5. *August. cont. Man.* *Aquin. 2a. 2a. qu. 11. art. 2.*

Gerard. de Ecclesia. depascentem. Ex recentioribus Gerhardus hæresin definit, doctrinam falsam fundamentum oppugnantem, & cum pertinacia propagatam.

Hæresis & infidelitatis discrimen. Ut ergò hæresis natura penitus cognoscatur, observandum est hoc discriminis esse inter infidelitatem & hæresin, quòd illa articulos omnes fidei repudiat, non autem ista. *Hæresis triplex.* Trifariam autem hæresis partiri potest, in hæresin, quæ in materia, forma, & quæ in utraque. Hæresis in materia esse potest sine salutis discrimine, in forma verò semper est cum salutis jactura, in utraque maximo cum salutis dispendio. Hæresis in materia est cùm in salutis fundamentum ex inscitia & indirectè impingitur. *Salutis fundamentum.* Fundamenta salutis posita sunt in illis, quæ creditu & quæ factu necessaria. Quæ creditu sunt necessaria, symbolo Apostolico, quæ factu opus, decalogo comprehenduntur. Porro fundamenta salutis censentur, quibus salus innititur, ut domus fundamentis.

Hæresi verò non in defectu tantùm (ut nonnullis placet) sed in excessu etiam locum dari revincit Nazarismus, quem Apostolus ad Galat. (ut testantur Hieronymus & Augustinus) hæresis obelisco notavit & jugulavit. *Epiphan. cont. Nazaraeos.* Nec hæreses putandæ sunt, quæ non exertè aut virtute aliquâ perspicua, sed consequentiarum fidiculis obtorto velut collo, quò humana fert libido, pertrahuntur. Quare non in hæresium exitialium album ea referenda esse dicimus, quæ in fidei fundamentum indirectè impingunt, sed quæ directè fidei fundamentum oppugnant, & cum salutis doctrina, adversâ velut fronte concurrunt.

Hinc est quòd graviter iniquoque animo feramus, quòd ex nostris vobis nonnulli Eutychismum, & ex vestris itidem nobis quidam Florianismum objecerint, cùm utraque pars ab omni hæresis contagio immunis sit.

In quibus non est exitialis hæresis. Insuper exitialis non est hæresis, dum in materia tantùm versatur, si ex inscitia aut non culpanda, aut venia saltem aliqua digna proficiscatur. Divinis encomiis celebratur fides Rahab, quę hospitio excepit exploratores terrę: at imbuta tantum fuisse videtur quibusdam auditiunculis de Israëlitarum Deo, ejusque stupendis operibus: de Messia venturo si quid relatu acceperit, oppidò quàm tenue

nue & obſcurum fuit, quod tamen veritati ejus fidei nihil offecit, quia parata fuit credere pleniora & apertiora revelanti. Petro eximio Apoſtolo quis hæreſis exitialis dicam ſcribere ſuſtinebit, præſertim poſt clavium Regni cœlorum ſtipulationem? Et tamen in fidei fundamentum impegiſſe nihil certius, quod Chriſti mortem pro ſalute humani generis non modò ignoraret, ſed & illi etiam obniti & adverſari conatus ſit. Quin & Apoſtolos omnes in aſcenſionis Chriſti articulo, cùm ſolum cœlo commutaturus, regnum Chriſti quale futurum conſtat ignoraſſe: quod tamen illis fraudi & exitio non fuit, quia fidei omnia fundamenta in aperto & aprico nondum erant poſita. Præterea millenariorum erroris lue contactos fuiſſe nonnullos inter patrum eccleſiæ coriphæos patet ex eorum ſcriptis. Quid eorum nævos detegam, qui ſanctorum animas in cryptis ſubterraneis, & in candida (ut cum Tertulliano loquar) adventum Chriſti expectare, literis prodiderunt? A qua hallucinatione non alienus fuiſſe videtur ipſe Auguſtinus. Quid quod ſine Euchariſtiæ perceptione vita functos infantes extorres fore cœli finibus Cypriani & Auguſtini ſeculis, concors fuit eccleſiæ ſententia? Quid de rebaptiſmi errore dicam, quem non erraſſe tantùm Cyprianum conſtat, ſed omnes pene cum eo Africæ epiſcopos? Quia tamen nihil de his certò creditum, nihil plenario concilio definitum, ſine diſpendio ſalutis erraſſe illos credimus. Quare hæreſis in materia eſſe poteſt, quæ ignoranti interitum & exitum non afferat, quia pertinacia abeſt, paratuſq; eſt, certiora edoctus renunciare, & veritati vinctas manus præbere. Galaticæ & Corinthiacæ eccleſiæ materia tenus in palmariis fidei articulis errarunt, abfuiſſe tamen pertinaciam res ipſa probat, quòd ab Apoſtolo in ſanam mentem revocati. Atque hæc de hęreſi in materia ſatis ſuperque. Hęreſis in forma eſt, quę cum pertinacia eſt conjuncta: quæ alia atque alia eſt. Una, quę licet fundamentum ſalutis convellere non videatur, duobus tamen nominibus interitum atque exitium accerſit, quòd poſt definitam eccleſię ex ſacris literis ſententiam veritatem cum pertinacia oppugnet: quodque unitatis eccleſię compagem & charitatis vinculum diſſolvat. Talis fuit Donatiſtarum effrænis aberratio, quæ licet ſchiſmatis ſtigmate inuſta fuit primò, tandē pertinacia & unitatis odió in hæreſin degeneravit, Quare do-

Papias. Iuſtin. Martyr. Irenaus. Tertul. adv. Marc. Scalig. annot. in 3. cap. 1. Cor. Enchirid. ad Laurent. Errare poſſe Eccleſ. Cathol. ſine hæreſis nota nec in facto tantùm.

Hæreſis in forma duplex.

Donatiſta.

Tesseradecatitæ. natiſtis Auguſtinus hæreſis notam inurit. Teſſeradecatitas quis hæreſi ſyderatos fuiſſe dixerit, quòd eorum opinio nihil minus quàm hæreſin præ ſe ferat? Propter pertinaciam tamen in hæreticorum claſſem relati. *Origeniani.* Originem nullus hæreſeos crimine pulſavit. Origenianos tamen hæreſis litura maculavit eccleſia, quòd in iſtis pertinacia regnarit, cujus ille reus non fuit. Ut in factis, ſic in fide in ſceleratum nullum & vitiis coöpertum niſi pertinacem eccleſia anathematis fulmen diſtringit. *Formalis hæreſis cauſa.* Pertinacia ergò una in cauſa eſt, cur hæreſis nota ab eccleſia ulli impingatur,

Ab hac nonnihil diverſa eſt formata illa hęreſis, quę ſalutis ędificii non ἀκρωτήρια, coronices & pinnas, ſed ipſiſſima ſalutis fundamenta diruit. *Hæreſis in forma & materia.* Tales fuerunt Arrii, Macedonii, Neſtorii, Eutychis & Pelagii furores.

His præſtructis áſſeveranter affirmamus Euangelicas utriuſque partis eccleſias ab omni hęreſi alienas eſſe: quoniam de quibus inter nos controvertitur, in illis nec prora nec puppis ſalutis eſt poſita: pertinaciaque omnis abeſt, & concordię licet vinculum laxatum ſit, reſciſſum tamen non eſt. Quare in ſpem maximam adducimur tolli poſſe hæc diſſidia, cùm in fundamentis fidei ſummus ſit inter nos conſenſus.

Ut ergò redintegretur eccleſię concordia, & halcedoniis ſuis fruatur, reſtat ut ex umbra in aciem, ex otio in negocium progrediamur, mentemque & cogitationem in pacis eccleſiæ procurandæ modum & rationem defigamus. *De modis procurandæ pacis eccleſiæ.* Quod non obviæ & exprompte, ſed altioris ſpeculationis res eſt. Tribus enim ad hoc negotium opus eſt, Conſilio, potentia & cautione maxima. Conſilio deliberandum eſt, de proxenetis & pacis paratoriis, quę viam ad pacem muniant, inchoent, promoveant. Et quia unius non ſunt ditionis, utriusque partis Theologi, Chriſtianorum principum, ſub quorum degunt auſpiciis, ſubſidium eſt advocandum, ut eorum authoritate mutui congreſſus & conventus publici venia concedatur; utque ope & opibus, principum liberalitate & poteſtate, quorum erit convenire, inſtruantur. Cautione etiam maxima opus eſt, ut delectus fiat eorum qui ad ſanciendam hanc ſacroſanctam concordiam maximè ſunt idonei: quales qui le-

ni & placido ſunt ingenio, ſcientiâ & rerum uſu periti, pacis non partium ſtudioſi: atque ut ad pacem non ad pugnam conveniſſe videantur. Primo congreſſu omnium in dictis & factis injuriarum ἀμνησίας legem ſanciendam eſſe ducimus. Quin ut latiùs fores ad amicitiam mutuam aperiantur, non abs re erit mutuum ſtudium & ſyncretiſmum in pontificios errores profligando in memoriam vocare: quòd repudiatis humanis traditionibus plenitudinem ſcripturæ adoremus: Antichriſti Romani dictatoriam authoritatem in articulis fidei averſemur; ſtatuarum venerationem cum ſanctorum invocatione exſecremur, indulgentiarum fœdam nundinationem deteſtemur; miſſæ expiatorium ſacrificium cum tranſſubſtantiationis Chimæra damnemus: meritum omne, quâ digni, quâ condigni, tanquam exitii ſcopulos & voragines vitemus: purgatorii figmentum de animabus ſolutis corpore februandis pro ridiculo habeamus: nullas nobis à natura reliquas vires eſſe ad gratiæ perceptionem aut cognitionem ſupplices fateamur: quodque denique Dei ſolam gratiam in Chriſto ſalutis utramque paginam facere ultro agnoſcamus.

His in medium propoſitis, antequam duo capita in quibus diſſidemus attingantur, præſtabit ea commemorare, de quibus mutuus eſt inter nos conſenſus, maximè in ſacroſanctę cœnę myſterio. Convenit ſiquidem inter nos 1. ſacramentalia ſigna non eſſe meras teſſeras & nuda ſymbola ad ſignificandum tantùm, ſed practica & μεταδοτικά. 2. Non item beneficia tantùm Chriſti in hoc myſterio offerri & conferri, ſed Chriſtum ipſum cum omnibus ſuis beneficiis. 3. Panem ipſum τῇ οὐσίᾳ & ſubſtantiâ manere (ut diſertis verbis teſtantur Theodoretus & Gelaſius) 4. Signa ſacramentalia oretenus tantùm apprehendi, rem verò ſacramenti, Chriſtum nempe, cum ſuis beneficiis fide percipi. 5. Sacramentalem intercedere unionem inter ſignum & rem ſignatam. 6. Signorum alterum non tantùm, ſed utrumque fidelibus omnibus porrigi debere. De his ergò cum per omnia inter nos convenit: quid de præſentię modo tantas turbas excitamus? Cùm præſentię hic modus, de quo inter nos magno animorum æſtu hactenus certatum, fundamentum ſalutis non attingat. De quo dubito an patrum omnium

Conſenſus inter Evangelicos de re ſacramentaria.

Theodor. quæſt. Gelaſ. de duab. naturis in Chriſto. adv. Eut. & Neſt.

priſcis

priſcis temporibus concors fuit ſententia, & tamen altum diu fuit ſilentium, nec de eo ullas in eccleſia turbas dederunt, aut datæ fuerunt, ante nonum ſeculnm. Nihil verò commercii cum hæreſi habere hunc præſentiæ modum conſtat; quoniam Marpurgico colloquio, cui interfuit Lutherus cum Theologis noſtris, poſtquam de præſentiæ Chriſti modo quæſtio ventilata fuiſſet, ſuffragantibus Luthero & utriusque partis Theologis pronunciatum fuit controverſiam hanc ab omni hæreſi immunem eſſe.

Marburg. colloquium habitum 1529.

Controverſia altera eſt, de prędeſtinationis recondito myſterio, in qua ad ſcripturam ipſam provocamus, & ad Auguſtinum præter cæteros ſcripturę interpretes: quod in hoc argumento contra Pelagianum induſtriæ ejus curriculum maxima ex parte elaboratum fuit. Negligentiuſque de hoc myſterio loquuti ſunt Chryſoſtomus aliique Gręci, qui ante exortum Pelagianiſmum vixerunt. Utut eſt, utraque ſententia & noſtra & veſtra extra hæreſis jactum eſt poſita. Quare ſi Auguſtini ſcripta per omnia non arrideant, fibulam huic concordiæ imponi poſſe exiſtimamus, ſi peccatum & miſeriæ omnem cauſam nobis tribuamus: Dei verò gratiæ ſalutis omnes numeros acceptos feramus.

Ad pacem autem firmandam duo ſunt, quæ plurimùm conducunt. Ut nec veſtri Theologi noſtros, aut noſtri veſtros in his quæſtionibus hęreſeos ulla ſuſpicione gravent: nec famam tribuniciis concionibus, aut ſcriptis dentatis invicem arrodant.

Epilogus. Quibus de cauſis componi debent hæ lites.

Quin ut fraternitatem enixè colamus, multa nos invitant: eccleſiæ ſalus, quæ his diſſidiis in ultimum adducitur diſcrimen: veritas ipſa, quæ nimiùm altercando amittitur: pax eccleſiæ, quæ Chriſto non minoris, quàm ſanguinis pretio ſtetit: Euangelii curſus, qui his contentionum remulis injecto velut ſufflamine, retardatur: papatûs progreſſus qui noſtris his diſcordiis latiùs indies propagatur. O quàm inteſtinis iſtis odiis jucunda ſpectacula adverſariis præbemus? qui in mutuam lanienam nos exacuunt, ut noſtris his jurgiis & contentionibus oculos animoſque paſcant. O quid in viſcera noſtra gladios diſtringimus, & in nos ipſos carnificinam exercemus? Quid faces atque flammas ad eccleſiæ incendium miniſtramus? Quid ſacroſanctam noſtram profeſſionem

his

his dissidiorum motibus à Pontificiis, Judæis, Mahometanis & extraneis traduci patimur? Pudeat, pudeat, veritatis hostes Papatui addictos imperatâ pace metu in officio contineri, ne in factiones discedant, & nos pacis filios, qui in unum corpus concordia sacra coalescere debemus, dissensionibus distrahi & divelli. O quot contentionibus nostris damna ecclesiæ damus? Quot scandala infirmis objicimus? Quàm altum vulnus famę ac nominis existimationi infligimus? Per Deum itaque Patrem pacis authorem, per Filium mediatorem pacis, per Spiritum sanctum pacis vinculum & copulam, per viscera misericordiæ, per commune bonum & salutem ecclesiæ rogamus, oramus, obtestamur, ut posita omni animorum offensione in gratiam mutuam, firmam, & nullo ævo temerandam redeamus. Quod si obtineri potest, quis non videt, quàm Deo acceptum, Angelis jucundum, ecclesiæ salutare, hostibus exitiosum sit futurum. Quod ut fiat, à Deo votis omnibus expetimus. Cui cum Filio & Spiritu Sancto sit laus & gloria in omne ævum.

Vestræ Reveren. addictissimus

M. RAMSÆUS.

Anno C. 1647. prodiit Amstelodami tractatus Godefredi Hottonis Gallicæ Ecclesiæ ibidem pastoris, de Christiana inter Europæos Euangelicos concordia sive tolerantia in charitate stabilienda. 1647.

Anno C. 1651. edidit Gregorius Calixtus Theologiæ Doctor & Professor Helmstadiensis, Augustanæ religionis, judicium de Controversiis Theologicis, quæ inter Lutheranos & reformatos agitantur, & de mutua partium Fraternitate atque tolerantia propter consensum in fundamentis; ejusque initium hoc est; 1651.

QUi Christianus cupit esse, vel audiri, non debet ullum mortalem, qui itidem Christianus fuerit, sive Christo capiti tanquam verum vivumq; membrum adhæserit, odisse vel abominari. Alienos à Christo, ut Judęos, Muhammedanos, ne quidem Paganos odisse fas est. Sed eorũ potius misereri. Et si qua ratione possumus, ut ab exitio eripiantur, operã dare & opem ferre oportet. Alia tamen majorq; & perfectior est charitas, quâ eos, qui uti nos, ita etiã ipsi Patris cœlestis filii

ſunt & membra Chriſti, non modò tanquam homines & creaturas Dei, ſed tanquam fratres concorpores & cohæredes, perſequi tenemur. Inter nos & illos, uti ſingularis ſub capite Chriſto intercedit conjunctio, ita quoque intercedere debet ſingularis amor & mutua dilectio. Præceptum novum, ait Servator, morti, quâ nos redemit, vicinus, do vobis ut alii alios diligatis, ex hoc omnes cognoſcent vos eſſe diſcipulos meos, ſi charitatem habueritis alii in alios.

Hinc Apoſtolus pecualariter ab ipſo dilectus: Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe ex morte ad vitam; quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem manet in morte. Quisquis odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et noſtis, nullum homicidam habere vitam æternam in ſe manentem.

Abſit igitur, ut ullum Chriſtianum, qui non deſierit Chriſtianus eſſe, non deſierit eſſe Dei filius, & proinde frater noſter, & unâ nobiſcum membrum in Corpore Chriſti, & Cohæres æternæ ſalutis; abſit inquam, ut ullum ejuſmodi odio habeamus, averſemur, aut execremur. Abſit ut ſocietatem ullius, quem in communionem Chriſtus recepit, nos abominemur. Abſit ut ei, cui ille dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, nos dicamus; Abi maledicte ſathanas.

II. Quum itaque quæritur de amicitię reconciliatione ſive unione inter nos & Calvinianos (qui appellantur) redintegrandâ, conſiderandum omnino erit, num ſint illi adhuc in ſtatu verorum Chriſtianorum, filiorum Dei & hæredum ſalutis, an vero ſive per errores capitales, ſive per nonnulla ſibi familiaria, & in uſum recepta Crimina exciderint, ut genuini Chriſtiani, Dei filii, Chriſti membra & cohæredes regni Cœleſtis haberi jam non poſſint. Nam ſi poſterius verum fuerit, rectè fecerimus, ſi eos res ſibi ſuas habere juſſerimus, non tamen interim ſepoſitâ curâ, quam errantibus in vitam reducendis impendere Chriſtianos decet. Sin ita non eſt, non poteris Deo placere vel probari, ſi eos odimus, & fugimus, & cum iis ſocietatem inire & colere nolumus. Nempe ſi eos ille ut filios agnoſcit, nos ut fratres amare debemus: Si ille ad conſortium regni ſui admittit, nos commercio ſocietatis noſtræ excludere non decet, neque hic in terris averſari, cum quibus in cœlis

ęternum

æternum conversabimur, quâ de re paulo ante dictum fuit.

III. Neque enim quivis circa res religionis error è statu gratiæ deturbat, vel hæreditate regni cœlestis dejicit: alioquin salutem sperare vix quisquam posset. Loquimur autem de errore ut in intellectu hæret, ejusque perfectionem imminuit. Nam si error, de quo intellectui constat, defendatur, & quod falsum quis esse noverit, nihilominus ut verum asseruerit, crimen fuerit voluntatis, & peccatum in conscientiam, quacunque tandem seriâ de re agatur, & sive ab amore, sive ab odio, sive à spe, sive à metu adstruendi falsi & oppugnandi veri originem duxerit: Eos igitur quibus Deus errores condonat, & proinde nos etiam condonare oportet, ut suorum errorum intuitu, neque gratiâ divinâ, neque communione Christiana priventur, eos, inquam, ita errare statuendum est, ut absit malitia, nempe quod hactenus aliter rem assequi nequiverint, sive destituti opportunitate rectiora discendi, sive irretiti speciosis nonnullis, nec omni probationis colore nudatis rationibus, quibus explicandis ipsi sint impares, sive diuturnâ ita sentiendi consuetudine sive parentum & Præceptorum suorum authoritate innodati. Hujusmodi enim nexus & vincula adeo plerumque arctè stringunt, ut non sit facile iis sese expedire.

IV. Cæterum id quoque observandum fuerit, nonnulla ita creditu ad salutem necessaria, ut eorum ignorantia salute prorsus excludat, & damnationem inducat, nec ab eorum, quorum modo meminimus ulla valida & profutura excusatio trahi possit. Verbi gratia, qui non credit, sive qui nescit aut negat, Unigentium Dei filium propter nos homines, hominem factum esse, damnabitur. Nec eum excusabit, quod discendi commoditate privatus vixerit, ut qui inter Barbaros & Idololatras ætatem exegerit, aut à Parentibus & Magistris suis edoctus fuerit; negare, quod in Judęos competit: Nempe ubi juxta ordinem mediorum, à quibus ex Dei beneplacito salus humana pendet, quorum Cognitione instrui & informari intellectum oportet alioquin tantę imperfectioni, & deformitati obnoxium, ut per eam salute sit carendum, & alii pręterea actus, quos ab homine salvando præstari & præviâ cognitione elici necesse est, aut non fiant, aut perperam fiant; Quomodo enim in

Servatorem nimirum fiduciam & ſpem, qualis ab homine Chriſtiano requiritur collocabit? Quomodo Chriſtum legitimo cultu proſequetur, qui eum unigenitum Dei filium, verumque Deum eſſe neſciverit aut negaverit?

V. Quod autem ſine jacturâ ſalutis neſciri poteſt, circa id etiam error innoxius fuerit. Sic ſi non eſſet ad ſalutem neceſſarium noviſſe vel credere, Chriſtum verum eſſe Deum. Quippe ſi cognitio Divinitatis Chriſti nullam praxin, nullos actus hominis Chriſtiani dirigeret ad ejuſmodi actus rectè præſtandos, neceſſaria non eſſet, id eſt, nullo prorſus modo concurreret. Actus igitur eos non magis impediret aut tolleret, negare quàm ignorare. Item ad æternam beatitudinem non eſt neceſſarium noſſe, quod in cœlis ſint Stellæ inerrantes, Planetæ. Perinde itaque fuerit, ſive prorſus neſcias, ſive plures ſive pauciores, quàm reapſe ſunt, eſſe credas. Id tamen, cum de rebus fidei & religionis loquimur, verum fuerit, ex diſertâ negatione veritatis alicujus, quamvis non fundamentalis, aut ex peſſimo de ea errore, promptius fore adverſus ipſam fundamentalem veritatem argumentum aliquod elicere, quam ex ſimplici ignorantia.

VI. Diſtinguendi ſunt errores, qui fundamentum directè evertunt ab iis, qui non directè evertunt, ſed per conſequentiam. Alio ſunt loco habendi hi, quàm illi, & mitius de his judicandum quam de illis. Nempe qui articulum aliquem fundamentalem directè negant, hoc ipſo ſalute excidunt: non item qui per errorem, quem animadvertere & perſpicere nondum potuerunt, aliquid ſtatuunt, è quo per conſequentiam eliciatur negatio fundamentalis articuli. Tales enim adhuc fundamentum retinent, ſive articulo fundamentali firmiter adhærent & aſſentiuntur, cum non videant aut intelligant ſuum errorem, & opinionem ſimul cum fundamento conſiſtere non poſſe, ſive alterum ab altero everti. Id enim ſi viderent, utrumq; ſimul non amplecterentur, ſed aut errorem ſuum miſſum facerent, aut ex affectu erga ſuam opinionem, quod nonnullis contingit, articulum fundamentalem ei poſtponerent, & expreſsè negarent.

VII. Exemplum nobis eſto Matthias Flaccius Illyricus, qui cum anno ſuperioris ſeculi LX. in diſputatione adverſus Victorinum Strigelium peccatum originale ſubſtantiam eſſe aſſeruiſſet, & aſſere-

re

re usque pergeret, non animadvertebat hinc sequi, Deum, si peccati auctor non sit, uti esse ipse negabat, omnium rerum & substantiarum Creatorem non esse, atque adeo præter Deum alium esse, propter quarundam rerum & substantiarum creatorem, & perinde duos Creatores duosque Deos; Hoc Flaccius ex suis Hypothesibus sequi, nec intelligebat, nec admittebat. Injuriam itaque fecerit Flaccio, qui dixerit, eum statuisse duos esse Deos, quamvis id ex ejus opinionibus per bonas & validas consequentias elici potuisset.

VIII. Quo tamen vicinior est error eversioni fundamentali, sive quò propius promptiusve per pauciores & evidentiores consequentias posito errore ad evertendum fundamentum iri potest: eò quoque perniciosior ille est, & magis vitandus. Quanquam itaque, qui ejusmodi errorem per meram ignorantiam, & sine malitia erravit, propter eum Gehennæ non fuerit adjudicandus, non tamen poterit admitti ad munus docendi in Ecclesia. Certè ut errorem suum disseminet, aut doceat, concedi ei non debet, nempe propter periculum, quod diximus ab admisso illo errore ad evertendum fundamentum, quo via ducit, & quidem prona, pergendi. Quamvis enim ipse, de quo agitur eò non progrediatur, viam tamen munit, qua ne progrediantur alii meritò metuatur.

IX. Tandem id quoque monemus, si de dogmate aliquo, prout communibus vel vulgò notis atque usurpatis verbis proponitur & explicatur, conveniat, etiamsi circa ejusdem propositionem terminis scholasticis factam, discrepantia fuerit, non tamen non fore, quare de ipso fundamento dissidium esse existimetur. Certè quemadmodum dogma populo proponi, & à populo credi oportet, ita & est consensus, atque eatenus idipsum omnibus ad salutem sufficit. Terminos disciplinarum & scholæ adhibere & applicare, non est, nisi eruditorum. Quos si alii aliter accipiant & accommodent, non propterea turbari debet Ecclesia, & abrumpi unio & concordia fidelium. Facile autem est hodie terminos, quos diximus, diversimodè intelligi, rebusque ipsis aptari, quum aliquamdiu philosophia & disciplinæ diversimodè fuerint traditæ, & nova illa atque prava Ramæa institutio veteres terminos partim aboleverit, partim aliter ac olim accepti fuerunt, intelligere docuerit. Hinc

itaque fit, ut à nonnullis termini, quos diximus, vel omnino non intelligantur vel aliter quam eorum fert sive indoles, sive hactenus apud alios receptus usus, accipiantur.

X. Si dicam Deus hominum, suo crimine & diaboli fraude in peccatum & exitium prolapsorum misertus, misit unigenitum suum filium. Ille pro hominibus homo factus, passus & mortuus, resurgens & ascendens in cœlos remissionem peccatorum & æternam vitam eis promeruit. Hoc suum suique filii tantum beneficium Deus per prędicationem Euangelii hominibus facit annuntiari & exponi. Qui se peccatores agnoscunt, & dolent, Euangelio assentiuntur, in filium credunt, & in ejus merito ac morte confidunt, illi Deo reconciliantur, remissionem peccatorum consequuntur, è statu irę & damnationis, in statum glorię & salutis transferuntur, in eo permansuri & ęternę glorię certò futuri participes, si, ex quo crediderunt & reconciliati Deo sunt, observationi mandatorum divinorum operam dederint, secundum carnem non vixerint, ac præeunte ac cooperante ope divina à peccatis contra conscientiam committendis, sibi caverint. Sic in præsenti vita justificabitur homo, & in futura glorificabitur. Si ad hunc, inquam, modum verbis ex communi usu loquendi desumptis, & à quovis intelligi facilibus utamur, non poterit de dogmate inter pios & mansuetos Christianos esse dissensus. Nemo enim quisquam istorum ita propositorum, nisi quis fortè tetrâ & malitiosâ contendendi & cavillandi prurigine laboret, in dubium vocabit. Ast, si dicam, hoc est causa efficiens principalis; hoc à principali proxima; hoc instrumentalis à parte Dei, hoc à parte hominis; hoc non nisi dispositio; hoc ipsa causa formalis; hoc materialis, hoc necessarium per se, hoc ex hypothesi, si, inquam ita loqui cœperim, tum facilè contigerit, vel me à nonnullis malè vel planè non intelligi, vel aliter intelligi, quàm ipse velim; atque adeo Controversiam moveri de usu & applicatione hujusmodi terminorum, quę tamen non nisi scholastica fuerit, nec, si dogmate popularibus verbis exposito convenerint tanti facienda, ut propter eam vinculum Christianæ charitatis & concordiæ abrumpatur.

XI. Hisce præmissis, ad negotium reconciliationis & belli quod inter

inter Lutheranos & Calvinistas (liceat nunc ita appellare) aperto quasi Marte geritur, sive sopiendi sive mitigandi, aliquantò propius accedamus, ut à controversiâ de æterna prædestinatione sive electione initium faciamus.

XII. Principio ponimus, DEUM ab homine non requirere ut æternum illud prædestinationis seu electionis decretum intelligendo penetret, & exactè capiat, sed servari posse hominem, modò ordinem, per quem in tempore DEUS ad Salutem nos perducit, sequatur & servet: Cætera de decreto in æternitate factò minimè sollicitus: nempe Euangelium audiat, & admittat, & in Christum credat, desideriis carnis repugnet & obsequium subtrahat.

XIII. In eam sententiam ipsa formula concordiæ: Arcanæ & occultæ prædestinationis abyssum perscrutari ne conemur. Item: Multa adhuc dominus de hoc Mysterio retinuit & occultavit, eaque soli suæ sapientiæ & scientiæ reservavit. Rursus: Ea est corruptæ naturæ nostræ curiositas, ut magis iis, quę abstrusa & arcana sunt, indagandis, quàm de iis, quæ de hoc negotio Deus in verbo suo revelavit cognoscendis delectemur: Pręsertim cum quędam in hoc mysterio tam intricata & perplexa occurrant, quę nos in mentibus nostris acumine ingenii nostri conciliare non possumus: Sed neq; id nobis à Deo demandatum est. Si igitur nec à Deo est mandatum, nec ad salutem nostram necessarium, ut æternum Electionis decretum, cum iis de quibus nobis aliàs constat, sive quę circa salvandos in tempore Deus operatur conciliemus; tum neque salute privabuntur, si qui conciliare tentaverint, & in instituendâ ac disponendâ eâ Conciliatione aberraverint, sicut ex illis, quę numero V. dicta sunt, intelligi poterit. Eadem formula prohibet, cum de ęterna Electione cogitamus, ne nudam, occultam, nulli homini exploratam & cognitam DEI providentiam ratione necessariâ perscrutari conemur. Existimat itaque non esse necesse, ut agentes de prędestinatione, de pręscientiâ divinâ accuratius exponendâ, & huic negotio applicanda admodum simus solliciti. Errores igitur hic sine fraude & malitia & per solam humani ingenii imbecillitatem, magnitudine rerum oppressam, commissos, uti DEUS condonabit, ita nos quoque condonare oportet.

XIV. Ea

XIV. Ea tamen expedita videtur ratio, æternum Dei decretum de salvandis hominibus cum executione ejus, sive cum actuali salutis hominum procuratione, quæ in tempore præstatur, conciliandi; Si dicamus, sicuti & dicere oportet, DEUM in tempore non aliter hominibus salutem conferre, quam decrevit ab æterno, nec aliter decrevisse ab æterno, quàm agat, & exequatur in tempore. Quum itaque in tempore neminem salvet, nisi requisito aliquo, quod ipse exigit à parte hominis, posito & præsente, quod est, videlicet fides in Christum: ita quoque ab æterno decrevisse salvare neminem, nisi credentem in Christum: Decretum igitur electionis æternæ non esse absolutum, sive non esse factum absolutâ DEI voluntate, hoc est, tali, quæ in eligendo nihil requisierit; nihil attenderit; Sed conditionata, hoc est, respicientem ad quandam à parte hominis conditionem, & quidem eam ipsam, quam, pro suo beneplacito, medium à parte hominis esse voluit, quo posito & præsente, illi participes salutis redderentur. Cæterum neque homines, neque fidem eorum in æternitate præsentes fuisse, à Deo tamen ignorari non potuisse, sed per suam præscientiam, quam nihil subterfugit, illum non minus certo, quàm si reapse præsentes fuissent, quinam homines aliquando in tempore euangelio obtemperaturi & credituri essent, in æternitate cognovisse. Electionem itaque juxta hanc præscientiam esse factam, sicut ita scriptura perspicuè enuntiat. 1 *Pet*. 1. 2. *Rom*. 8. *v*. 29. 30.

XV. Et hæc fuit sententia priscæ, primævæ Ecclesiæ, omniumque scriptorum, qui doctrinam æternæ electionis attigerunt, quæ ipsius etiam Augustini; usque ad exortum Pelagium, cujus hæresis sub initium quinti seculi cœpit emergere. Qui, cum non modo peccatum originis negaret, sed etiam necessitatem divinæ gratiæ, ad hoc, ut homines convertantur, credant, & salventur, tolleret: Augustinus, ut necessitatem gratiæ è contra sive demonstraret, sive exaggeraret, eousque est progressus, ut tribueret gratiæ divinæ non modò, quod ab ea sit facultas credendi, & ad DEUM sese convertendi; verum & quod per eam homines ad credendum, sese convertendum determinentur, atque adeo non possint non converti, & credere: Id autem dependere ab absoluto salvandi decreto, nempe,

quod

quod DEUS quosdam homines salvari velit absolutè, & ab æterno voluerit, his itaque gratiam determinantem conferri, reliquis non item; atque adeo juxta absolutum illud DEI de ipsorum salute propositum sive decretum necessariò servari, reliquos perire. Sic igitur Augustinus, ut necessitatem gratię fortius assereret, & adversarium premeret, Primus absolutum nonnullos homines, cæteris exclusis, salvandi decretum injunxit. Cum quo quia stare non potest, quod DEUS velit omnes homines servari, uti disertè docet Apostolus, ea verba torquere, & si fas est fateri, corrumpere cœpit. 1 Tim. 2. v. 4.

XVI. Hanc sententiam, cum quod per eam magnitudo divinæ gratię erga servandos maximè extolli & humanis viribus quicquid iis Pelagiani tribuerent, per compendium adimi videretur, tum quod esset Augustini, cujus authoritas & æstimatio merito magna multi in Latina Occidentali Ecclesia egregii viri amplexi sunt & secuti. Prosper inprimis & Fulgentius, Respensis in Africa Episcopus.

XVII. Cæterum nonnulli longius, adhuc profecti sunt. Cum enim ex sententia Augustini crederent, Deo placere, & ab æterno placuisse atque adeo decretum fuisse, ut illi peccarent, & peccando damnationem incurrerent (tales Monachi Adrumatini, item quos Prędestinatos vocarunt, quorum meminit Arnobius & Sigebertus Gemblacensis ad annum ccccxv. Item Lucidus Presbyter, contra quem scripsit Faustus Regiensis, item Godascalcus Monachus à Rabano & Consilio Moguntino damnatus Anno 1448.) Nonnulli duram hanc opinionem Augustino impingere conati fuerunt, vel certè ex ejus placitis deducere; quibus respondet Prosper.

XVIII. Interim apud multos imò plerosque in Ecclesia Latina obtinuit sententia Augustini, ab ipso etiam Magistro sententiarum, & Thoma Aquinate & melioribus Scholasticis recepta, ubi visum fuit Deo reformationem diu expetitam, & summè necessariam, in Occidentali Ecclesia moliri, & inprimis ejus, sive authoribus, sive administris, contra nonnullos, ex Scholasticis divinam gratiam imminuentes & viribus humanis nimium tribuentes, atq; adeo Pelagianismo obnoxios, agendum erat: Non modo Augustinum isti sunt secuti & ab absoluto salvandi proposito gratiam determinantem, certis hominibus conferendam derivarunt, sed etiam ad-

ditamenta prædestinatorum de hominibus ad perpetranda peccata & subeundam damnationem divinitus destinatis admiserunt.

XIX. Philippus Melanchton Comm. in Epist. ad Roman. id fecit, qui non minùs Judę proditionem, quam Pauli conversionem, Dei opus asseruit. Idem in locis suis communibus, primarum editionum contingentiam plane tollit: Libertatem, inquit, homini ademit divina prædestinatio. Eveniunt enim omnia juxta divinam prædestinationem, imò externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis; Obsecro, quid hac sententia clarius dici potuit, universa propter seipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum. Quod Lutherus vidit & approbavit, quippe qui hos ipsos locos Philippi, cum anno superioris seculi XXV. in librum suum de servo arbitrio præfatur; non solum immortalitate, sed Canone quoque Ecclesiastico dignos pronuntiarit. Et ipse in illo libro paria posthinc proponit, adserit, tuetur; Hic est, inquit, summus fidei gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos salvat, tam multos damnat, credere justum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, ut videatur delectari cruciatibus miserorum, & odio potius quam amore dignus. Si igitur possem ulla ratione deprehendere, quomodo is DEUS sit misericors & justus, qui tamen iram & iniquitatem ostendit, non esset opus fide. Item Deus absconditus in Majestate, neque deplorat, neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem & omnia in omnibus. Non vult mortem peccatoris, verbo scilicet, vult autem eam voluntate illa imperscrutabili. Agens de verbis, indurabo ego Pharaonem; non admittit interpretationes, per quas excusetur Deus, ni ipse sit author vel culpa nostræ indurationis, frustra, ait dicitur quicquid dicitur, pro excusando DEO, & accusando libero arbitrio; item si pręsciverit DEUS Judam fuisse proditorem, necessario Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ, aut ullius Creaturæ aliter facere aut voluntatem mutare. Item: DEUS mera sua voluntate homines deserit, indurat, damnat; Rursus, si placet tibi DEUS indignos coronans, non debet etiam displicere immeritos damnans. Si illic Justus est, cur non hic justus erit. Illic gratiam & misericordiam spargit in immeritos. Utrobique nimius ac Injustus apud homines, sed justus & verax apud seipsum.

Tom. 2. Edit. prim. VVitteb. p. 467. Pag. 479.

Quo-

Quomodo hoc justum sit, ut immeritos damnet, incomprehensibile est modo, creditur tamen, donec revelabitur filius hominis. Talia in isto libro plura occurrunt: Quin totus eo tendit, ut cuncta hominum facta, & qui hinc dependent eventus, non aliter quàm fiunt, nec contingenter vel voluntate & arbitrio humano, sed ex unica & mera voluntate, dispositione & ordinatione divina fieri credantur, nempe sub finem ita loquitur; si credimus verum esse quod DEUS pręscit & pręordinat omnia, tum neque falli neque impediri sua pręscientia potest, & prędestinatione; denique nihil fieri, nisi ipso, volente, id quod ipsa ratio cogitur concedere: Simul ipsa ratione teste nullum potest esse liberum arbitrium in homine, vel Angelo aut ulla creatura. Tandem librum finiens & concludens, Ego, inquit, hoc libro non contuli, sed asserui; & assero ac penes nullum volo esse Judicium, sed omnibus suadeo ut præstent obsequium.

XX. Quod hisce gemina, studio amplificandæ divinæ gratiæ & imminuendarum virium humanarum, docuerint Zvvinglius, Calvinus, Beza, & horum asseclæ, id nimis notum est, uti etiam hoc, quod eo nomine apud modernos malè audiant.

XXI. Factum autem est per contentiones in Belgio cum Arminianis, quos vocant, agitatas, ut si non omnes, certè plerique horrida illa, & quæ sententiæ Augustini superaddita sunt, missa fecerint, & ad Augustini dogma accesserint. Juxta quod DEUS quidem ex genere humano, sua ipsius culpa ex Diaboli fraude in peccatum & exitium prolapso, aliquos ex absoluto beneplacito & decreto & prævisionem peccatorum antegresso, in necessitatem peccandi & subeundæ damnationis pręcipitat.

XXII. Nostri, è quibus olim multi itidem absolutum decretum approbarunt; paulatim ad sententiam primorum quatuor seculorum; nempe decretum juxta pręscientiam factum sese receperunt. Qua in re multum & egregie laboravit Ægidius Hunnius. Difficile autem est, hanc sententiam ita proponere, ne quid Pelagianismo affine habere videatur, quemadmodum sanè Pelagianismi Hunnium accusant, tum Daniel Tossanus Calvinista, tum Adamus Tannerus Jesuita.

 Cum

XXIII. Cum itaque hodie ſententiæ de prædeſtinatione reductæ ſint ad iſtas duas, unam, quæ primorum quatuor ſeculorum fuit & à noſtris probatur, alteram, quę eſt Auguſtini, & Calvinianis arridet, & quemadmodum hæ duæ ſententiæ per annos mille & diutius in Eccleſia ſimul toleratæ fuerunt, ipſique diſſentientes ſeſe mutuò tolerârunt, uti etiam hodie inter pontificios, apud quos eædem diſſenſiones vigent, ſeſe mutuo tolerant, ita quoque apud reformatos tolerare poterunt, & forte debebunt, pręſertim cùm qui Auguſtini ſententiæ inhærent, quicquid peccant, peccent ſtudio aſſerendi gratiæ & gloriæ Dei, & qui quomodo aliter Pelagianiſmum effugere detur, neque intelligant neque aſſequantur.

XXIV. Quæ hinc inde apud alterutros occurrunt locutiones duræ & horridæ, ſilentio involvantur & conſepeliantur. Sufficit neminem hodie eſſe, qui eas probet aut imitetur. Quamque verò partem, honoris & exiſtimationis Magiſtrorum & Coryphæorum ſuorum ſtudioſam eſſe, & nolle ut odiosè in opprobrium eorum vertatur, ſi quid per æſtum contentionis inconſideratius effuderint, ab humanitatis indole non eſt alienum; quod in Luthero noſtro ferimus & in ejus ignominiam rapi nolumus, id quod alios pari culpâ obnoxios tenet, itidem contegi patiamur. Agnoſcamus viros quoque magnos interdum eſſe hallucinatos, & horum potius virtutis æmulemur, quàm nævos oſtendamus.

XXV. Conabimur ſimili ſive exemplo quodam, diſcrimen, quod eſt inter opiniones de prædeſtinatione ſeu Electione & reprobatione, ob oculos ponere. Eſto ingens lacus; in ripa ejus pueruli ludunt plurimi, accedit viator, & omnes eos in lacum præcipites agit, certè ibi perituros: Nonnullos tamen lacum ſubintrans, exitio eripit, quos ſcilicet ei pro ſuo beneplacito viſum eripere: reliquos nec eripit nec vult eripere, ſed prorſus quemadmodum projecit & exitio involvit, ita projectos & involutos relinquere. Ad hunc modum ſe habet Zvvinglii, Calvini, Bezæ & aliorum opinio; Deus ab æterno intuitus eſt humanum genus, ut nondum lapſum ſive ut conſtitutum in integritate ante ſuum lapſum; Unde in Belgio antelapſariorum vel ſublapſariorum nomen illis inditum. Decrevit autem & voluit, ut labęretur & damnationi fieret obnoxium: Inde

pro

pro mero suæ voluntatis beneplacito alios statuit liberare, alios perpetuæ damnationi devovere.

XXVI. Augustini sententia typus fuerit, si dicas pueros pone lacum sua lascivia & protervia sese in lacum immisisse, venire virum robustum, & animadverso submersionis præsentissimo, quod omnibus & singulis immineat, periculo, sese in lacum demittere, & quum posset omnes eripere, nolle tamen, sed pro lubitu suo alios extrahere, alios relinquere, nulla alia ratione quàm quod ipsi placeat salvare alios, & in servatis quantum hac in parte possit ostendi, istos autem perire suæque temeritatis & petulantiæ pœnas luere. Ad eundem modum ex sententia Augustini & plerumque, nisi fallor, hodiernorum Calvini sectatorum Deus suo decreto homines in lacum peccatorum & damnationis non projecit; sed ipsi sua culpa prolapsi sunt. Ita verò prolapsorum alios pro suo beneplacito, & uti ipsi videtur ad ostendendam benignitatem suam eripuit, alios in argumentum suæ severitatis & justitiæ proterit & relinquit; quum pari ratione omnes tractare ei esset integrum, quantâ gratiâ & benignitate paucos, quos servat, prosequatur, & ex reliquorum desertione & interitu clarius innotescit. Quanta hæc sententia priore sit mitiòr, & minus in bonitatem Dei impingat, nemini potest esse obscurum. Et quamvis cum dictis, Deus omnes vult servari, & neminem perire, conciliari nequeat, divinæ tamen gratiæ exaggerandæ studet, imo hoc fine est inventa & tolerari porro potest, quemadmodum hactenus in Augustino & Augustini assectis ultra annos mille non modo tolerata fuit sed etiam à multis magnisque Ecclesiæ doctoribus probata. Taceo, in Luthero longè duriorem deprehendi & toleratam esse.

XX.VII. Pergamus eundem Typum nostræ & primorum quatuor seculorum sententiæ aptare. Quum autem hæc ipsa duplici modo proponi possit, uno quidem ut Pelagianum quid involvat & redoleat, alia autem ut cum Pelagianismo commune nihil habeat; juxta priorem modum priore loco eam proponemus. Concedi vero nobis volumus, ut liceat, fingere seu ponere, prolapsos in Lacum ita pueros omnes istos esse debilitatos & fractos, ut liceat in aquis siveque quousq; aquę pertingunt, membra sua movere & manibus

 pedi-

pedibusque uti valeant, extra tamen aquam, ſive ſupra ejus ſuperficiem ne digitum quidem erigere, nec oculorum ſuorum aciem ad quicquam aſpiciendum exſerere poſſint. Hoc ipſo figurari volumus, lapſu Protoplaſtorum, atque inde derivato in omnes Originali peccato factum eſſe, etiamſi homines facultatem intelligendi & volendi quæ allucenti naturali lumine dijudicare poſſunt, non amiſerint, quod myſteria etiam ad ſalutem cognitu neceſſaria nequeant aſſequi, nec ſupernaturalia bona appetere & eligere.

XXVIII. Prioris Typus, quod immerſi Pueri intra aquas membra movent; poſterioris quod ſupra aquas tollere non valent. intuetur immenſum mundi hunc lacum DEUS O. M. & omnium in lacu palpitantium, & porro in profundum ſempiterni exitii ituorum, quoniam miſeri omnes ſunt & miſericordia indigni, miſeretur, & ereptos atque ſervatos cupit. Mittit unigenitum ſuum filium, qui tanquam robuſtus Gigas lacum ingreditur animo & deſiderio omnes eripiendi & ſervandi; Placet autem patri, tum ipſi ut peculiari quadam ratione, rationali Creaturæ congrua, nempe; non ſine ſervatoris ſui agnitione ſeu intuitu, quin & quadam ſuâ cooperatione ſerventur. Vult enim omnes ſervari, ſed voluntate non abſoluta, quâ tum neceſſariò ſervarentur omnes, verùm ordinat[illegible] conditionatâ) quæ ſemet ipſam ad ordinem quendam & conditiones, quarum interventu liberatio & ſalus contingat, demiſit ſive adſtrinxit: promittit igitur omnibus ac ſingulis liberationem & ſalutem, ſi oculos elevent, ſervatorem illum aſpiciant, & manui, quam ipſe ad eos extrahendos porrigit, ſuas manus inſerant, i. e. ſervatorem filium Dei agnoſcant, in eum credant, ei obtemperent.

XXIX. Hîc jam Pelagiani docent, omnes præſtare iſta poſſe, nec ad præſtandum peculiari ope vel gratia divina indigere. Negant verò prolapſu in lacum fractas eſſe omnium vires, ut ultra ejus ſuperficiem nec oculorum aciem, nec manum vel digitum attollere poſſint. 1. Negant lapſu protoplaſtorum eſſe factum, ut in omnes originale peccatum pervaſerit, omnesque privati ſint viribus Adamo primitus concreatis ad mandata Dei perfectè ſervanda, & quibuscunque ad ſalutem opus fuerit exactè præſtanda neceſſariis. Hæc autem opinio ab Eccleſia Chriſtiana ſemper fuit improbata, &

inter

inter hæreſes relata. Nempe absque peculiari divina ope & gratia nemo poteſt in Chriſtum credere, & vitam verè Chriſtianam vivere;& ut typo noſtro inhæreamus,nemo à lacu & exitio iſto poteſt eripi,niſi ſervatorem illum,qui lacum eſt ingreſſus,aſpiciat, & porrectæ manui ſuam manum inſerat: Sed id ipſum nemo ſibi relictus valet præſtare, quin ad hoc requiritur & neceſſaria eſt ipſius ſervatoris gratia, per quam fiat, ut qui immerſi ſunt aquis, ultra aquas oculos attollere, & manus exſerere poſſint.

XXX. Hic jam occurrit difficultas ſumma explicandi, quomodo ſimul conſiſtant. Deum velle omnes ſervari, & tamen omnibus fidem & gratiam, ſine qua ſervari nequeant,non largiri: ſive ſecundum noſtrum typum, ſervatorem illum velle omnes in lacum prolapſos eripere, & tamen nolle eripere, niſi adſpiciant & manus porrigant, quod illi tantum poſſint, quibus ipſe largiatur. Alii dum ſe expedire nequeunt, voluntatem omnes ſervandi negarunt, & abſolutam reſpectu eorum qui reapſe ſervantur, invexerunt. Alii ad Pelagianiſmum declinarunt. Nempe, Pelagianiſmus eſt in noſtro typo, ſi dicatur immerſos non eſſe ita viribus fractos, quin poſſint, modo velint, oculos ultra aquæ ſuperficiem attollere, verùm quid eſt, homines etiam poſt lapſum homines eſſe, & retinere humanas vires,& facultatem intelligendi & eligendi, quæ intra terminos naturæ continentur, & Judicio rationis ſibi relictæ ſubjiciuntur. In Chriſtum autem credere eſt deſideria carnis, ne in mortali noſtro corpore regnent, conſtanter reprimere: quod non eſt virium naturæ, ſed quemadmodum loquimur aliquid ſupernaturale. Pelagianiſmus in noſtro typo fuerit, oculos & manus altius elevari, quàm ipſa aqua ejusque ſuperficies ſe porrigit.

XXXI. Hoc poſito pergamus adumbrare, quo pacto, quod plerique pereant, Deo & Divinæ voluntati, tanquam renuenti ſervare, non ſit imputandum, ſed ipſis illis qui pereunt, quomodo item iis qui ſervantur, non tribuendum, quod ſuis viribus agant, quæ earum limites excedant, & ad peculiarem gratiam & operationem divinam referri oportet.

XXXII. Dicit ille,noſter Gigas; equidem vos omnes, qui immerſi eſtis, & in mortis periculo verſamini, ſervare cupio: ſed cum homi-

homines sitis, ita volo vos servare, ut meæ actioni aliqua actio vestra respondeat. Itaque me respicite, & manum meæ manui inserite, sic eripiam & servabo vos, hos autem fateri oportet, sese id non posse, adeo videlicet viribus defectos, ut quicquid ultra superficiem aquæ eminet, nec oculis queant videre, nec manibus attingere; Regerit Gigas noster, esto, ita sese habet, ecce à me remedium. Infundam aquis quibus mergimini oleum, mirabili & naturam superante virtute, à me indita, præditum, quod per universum lacum & loca in quibus hæretis, diffusum, cujuscunque corpus attigerit, ei non quidem necessitatem imponet, facultatem tamen præbebit me adspiciendi, manumque meam ad extrahendum porrectam apprehendendi. Hoc oleum est Euangelium ubique prædicatum, quod est Organon divinum ad fidem & salutem hominibus impertiendum destinatum, cum quo per aures ad mentem immisso conjuncta est gratia divina supernaturalis, per quam præstatur, ut homo qui sibi relictus pridem non poterat assensum & fidem præbere, jam possit. Facultatem itaque credendi, qua destitutus ante erat, consequitur, necessitate tamen nulla adstringitur, quia si indoli & pravitati suæ frœnos laxat, potest obsistere & obniti Spiritui S. & verbum Dei repellere, quemadmodum Stephanus Protomartyr, & Apostolus Paulus conqueruntur. Quod itaque homo Euangelium audiens & considerans credat, imò credere possit, acceptum ferendum est, non naturæ viribus, sed gratiæ cum Euangelio connexæ & per illud suppeditatæ; quod autem gratiæ possit refragari, congenitæ pravitati & indoli imputandum. Quia enim per gratiam quidem suam Deus efficax est & operatur, non tamen potentia absoluta sed conditiones & ordinem admittente, inde fit quod successu & eventu frustrari possit.

Actor. 7. v. 5. 1 Cor. 13. v. 46.

XXXIII. Id autem hic observandum est, posito, quòd Deus Euangelium revelaverit, & passim inter homines prædicari faciat per homines, non esse supra vires naturæ quod quis Euangelium audiat, concipiat, consideret, & cum iis, quæ ab aliis, Judæis puta vel Mahumedanis, tanquam divinitus revelata proferuntur, comparet. Hoc non est oculos vel manus ultra aquam attollere, sed tantùm ipsius aquæ superficiem stringere. Oleum illud à Servato-

re

re infusum, suapte sponte affluit, & immersos alluit. Quòd si aliquantulum absit, & in vicinis partibus hæreat, quia nihilominus ipsi aquæ ejusque superficiei innatat, potest à nostris immersis videri, possunt & juxta hypothesin in aquis eousque se movere, ut ad loca, in quibus oleum natat, veniant, ejusque contactui alluantur. Quod ubi factum fuerit, virtute ejus olei adipiscuntur vires & facultatem oculos & manus supra aquas & in altum extollendi; nempe intuendi suum Servatorem ejusque manum porrectam apprehendendi, possunt nihilominus, etiamsi oleum affluxerit, eoque satis largè alluantur, nolle tamen oculos & manus attollere. Ipsum enim, ut diximus, facultatem tollendi impertit, necessitatem non imponit. Possunt affluens & propinquans manibus in aquam agitatis, rejicere, & quo minus appellet prohibere: Possunt ubi affluere vident, sese subducere: possunt è locis, in quibus abundat, ad alia, in quibus nullum habetur prorepere. Quòd itaque facultatem oculorum & manuum sursum tollendarum alii non consequuntur, vel quamvis consequantur, ad usum non transferunt, vel rursus excutiunt, & proinde pereunt, id sibi suæque pervicaciæ & perversitati imputent; Gigantem illum nostrum seu Servatorem omnibus succurrere paratum non accusent. Qui verò oculis sublatis & manibus manui insertis servantur, tum salutem suam, tum quæ salutem illi attulerunt, nempe quòd Servatorem intuiti, manum ejus apprehenderint, & quod intueri & apprehendere potuerint, benignitati Servatoris & olei, quod ille adinvenit, attulit & effudit, non autem sibi suisque viribus quales ex se erant cum in lacu jacerent, tribuant.

XXXIV. Ita evitatur, quantum nobis quidem perspicere datum est Pelagianismus, nec quicquam viribus naturæ, quatenus talibus, adscribitur, nisi quod iis potest competere. Quis enim negat per eas præstari posse, quod earum Virtutem non excedit, & intra sphæram rerum, intra quas ipsæ aliquid possunt, imò in sensus incurrentium continet: non tamen in promptu fuit Augustino, Dei de salvandis hominibus conditionatum decretum, & unà necessitatem gratiæ explicare & defendere. In Disputationibus igitur contra Pelagianos, ne huic derogare vel viribus humanis quicquam incompetens tribuere videatur, illud rejicere, & in absolutum

lutum commutare maluit. Fuga igitur & odium Pelagianismi & studium asserendi & extollendi gratiam Dei absolutum decretum peperêre. Et profecto utraq; πρόφασις speciosa est & favorem meretur, quin, uti diximus, opus & labor est conditionatum decretum ita explicare, nequid nimium homini & hominis viribus ante collatam supernaturalem gratiam tribui videatur. In hac materia perquam difficili & perplexa ejusdem exquisitam enodationem sub pœna amittendæ æternæ salutis Deus à nemine exigit, qui ita versantur ut ab una parte Deum peccati & exitii authorem non faciant, & ab altera necessitatem gratiæ agnoscant, etiamsi in cæteris nonnullis accuratè explicandis & inter sese combinandis, utpote ab imbecillitate captûs nostri remotioribus, diffideant; se nihilominus invicem mutuâ ęquanimitate & charitate, ut Christianos decet, tolerare & amare & possunt & debent.

XXXV. De prædestinatione plura diximus quam sub initium animus erat dicere. Transeamus ad doctrinam de unione personali duarum in Christo naturarum, &c. plura vide apud ipsum auctorem, & ejusdem desiderium & studium concordiæ Ecclesiasticæ.

1654. Anno 1654. opus pacificandæ Ecclesiæ annos viginti in Germania intermissum, denuò aggreditur Joannes Duræus auspiciis & auctoritate Ecclesiarum Anglicanarum ad exteras & Euangelicas in Germania & alibi Ecclesias: quibus plerumque problemata de pacis Ecclesiasticæ consiliis capessendis proponit; quemadmodum etiam eadem proposuerat huic consilio Theologi, ut opinor, Angli, sed sine auctoris nomine, inter Duræi scedas reperto, & impresso Londini anno C. 1654.

Responsio ad problemata à Duræo Theologis proponi solita, quæ dedimus paulò antè præfixa consilio Theologorum Transsylvanorum.

Reverendi Fratres ac Domini in Christo observandißimi.

PErvenerunt nuper ad manus meas, Problemata quædam de Pace inter Euangelicas Ecclesias concilianda: lætatus sum vel ipsius tituli lectione: postquam vero obsecrationem illam perlegissem, quæ in fine Præfationis subjicitur, per viscera & miserationes

Jesu Christi,injecta mihi,fateor,religio est; neque potui committere, ut non hanc symbolam meam (tanquam situlam ad commune incendium restinguendum) conferrem. Atque illa ipsa vestigia, quæ in his Problematis impressa sunt, sequar.

De opere ipso Pacificationis in Genere ita censeo.

Nihil hoc Consilio sanctius aut pulchrius; adderem nihil utilius, si utilitatem in rationem aliquam venire hęc tempora permitterent: sed quod perinde est aut aliquanto etiam amplius, nihil salutarius; nihil cum officio aut Ministerio Euangelii; aut boni viri conjunctius: Atque ut à sanctitate sumam exordium: Principio Deus ipse, Deus pacis audit; cujus Filius Author & Princeps salutis nostrę Princeps Pacis, Spiritus sancti fructus, Pax. Tum filii Dei, filii Pacis. Eorum via, & institutum, via pacis, sapientia pura & pacifica; fructus in pace seritur pacificis. Quid igitur ad privatum cujusque officium potest esse Christiano dignius, quam ut sit, quod audit, filius pacis, ut dignè Deo incedat, cum omni mansuetudine, uno spiritu, unâ mente? Quid ad Ecclesię totius Commune bonum pulchrius & jucundius quam habitare fratres etiam unà? Habemus etiam expressum Dei mandatum: quod rectè incisum est. Commonitorii vestri frontispicio, non modo ut pacem inter nos colamus, sed si fieri possit (certè quantum in nobis est) cum omnibus. Quid turpius contra, quam inter Christianos & quidem Reformatores (si Christo placet) vigere illa opera carnis, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissentiones, sectas, invidiam? scilicet hoc est illud quod prophetavit *Esaias* de regno Christi: Lupus & Agnus *Esa* 11. 6.
pascentur simul, & Leo & Bos comedent pariter, non nocebunt, ne- 7.
que occident in monte Sanctitatis meę, ait Dominus. Testor spem nostram in Jesum Christum: Objectum hoc mihi & exprobratum ab hostibus fidei Judæis pro argumento, quasi Christus nondum venerit. Et ab Asseclis Curię Romanę; quid aliud audimus ferè quam dissensiones nostras inter nos? Hoc quoque prędictum (quod heu nimis verum experimur!) fore ut mordentes invicem ab invicem consumamur: O spectaculum non hominibus modo piis, sed & Angelis triste & miserandum, membra Christi se mutuò discer-

pere, dilaniare, detruncare! Sed reprimo me. Horum quidem vulnerum obligandi cura incumbit omnibus, præcipuè tamen Ministris qui dati sunt in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filii Dei. Ita olim Episcopi communicatis consiliis, fidei Unitatem & Pacem Ecclesiæ procurabant.

Qua de re videndi *Cent. Magdeburg. Cent.* 4. *p.* 522. & deinceps extant exempla apud *Cyprianum Epist.* 67, *&* 68. Hoc officio illi opportunius fungi possunt, qui neutri sese parti addixerunt. Eoque & Dei mandatum & amor Christi & muneris sui obeundi ratio, & Ecclesiæ ædificatio ipsos vehementer incitare debet.

2 *Quæ spes sit aliquid effici posse.*

GRavissimæ sunt fratrum offensiones, & Capitales imprimis, quę sunt de Religione inimicitiæ. Nec mirum, videntur nimirum habere pietatis & zeli commendationem, ut quanto quisque eas acerbius exerceat, tanto se putet Deo gratiorem cultum exhibere. *Rom.* 16. Sed tamen, Nil desperandum Christo Duce & Auspice Christo. Fortior est qui in nobis est quam qui in mundo. Deus Pacis conterret Satanam sub pedibus nostris. Inter omnia vero impedimenta, longè maximum superbia & insolentia quorundam, qui soli sibi videntur sapere. Tantummodo ex superbia nascitur contentio, *Prov.* 13. 10. Tum admiratio quorundam eximiorum Dei servorum: quæ ita minuenda videtur, ut existimationem bene de Ecclesia meritorum non lædamus. Hoc eodem morbo laborarunt *Corinthii*, ut constat ex 1 *Cor.* 12. *&* 3, 4, 6, 7, 8, 9. v. unde ab Apostoli praxi Consilium & Remedium petendum videtur. Jam quod quæritur, *Psal.* 133. Quid boni adferre possit Pax vel Ecclesiis vel Politiis? respondebit *Deut.* 8. Psaltes, Ibi Dominus præcipit benedictionem, vitam in seculum, *Act.* 9. 31. Robur accedet & firmitas Rebuspublicis veram Religionem profi- *Prov.* 6. 19. tentibus: Ecclesiæ ædificabuntur, ambulantes in timore Dei consolatione S. Sancti replebuntur. Quare inambulet sanè Cœli ac terræ odium, qui tam sanctum & salutare inceptum, aut impedit, aut pro virili non promovet.

De mediis Agendique modo.

ANte omnia recurrendum videtur ad auxilia superna, orationibus publicè & privatim (& indicto, si Magistratui videbitur, jejunio) prҫteritorum venia postulanda, petendumque ut deducat nostros in viam pacis, Deus Charitatis & Pacis. Et quoniam Re- *1 Cor.* 13.
gum ac Principum officium est non modo pacem in Rebusp. sed & 1.
Ecclesia procurare; juxta illud Propheticum: Erunt Reges nutritii tui, eorum quoque auxilia imploranda sunt in hujus Schismatis remedium. Extat prҫclarum exemplum Hezechiҫ, 2 *Chron.* 30. qui per celeres cursores reliquias decem Tribuum, ad verum Dei Cultum & Unionem cum Ecclesia (à qua divulsҫ fuerant *Ieroboami* Schismate) invitabat. Atque ex quo tempore Principes Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu per aliquot secula pependerunt, ut *Socrates* testatur; & si quis rationem inire velit, reperiet plus adjumenti ad Ecclesiæ Pacem & Reformationem attulisse authoritatem Principum quam studium Episcoporum. Exorandi sunt igitur pii Principes: ut legationibus aditus aperiant, ad Colloquium aliquot Theologorum ex utraque parte selectorum; quibus formulam Concordiæ inter Ecclesias Reformatas constituendi cura demandetur. Hoc loco ex compacto utrinque curandum, ut deligantur homines modesti, mansueti, pacifici, non tumidi aut ambitiosi; maturi judicii; quique præter Scholasticas Exercitationes, rerum Ecclesiasticarum aliquem usum habent. Ab hujusmodi collocutorum electione successus totius negotii potissimum pendebit. Quod ad modum attinet, procul dubio enitendum, nequid habeat offensionis aut exasperationis. Itaque honorificis & amantissimis titulis partes se mutuo compellent. Nihil præjudicati adferatur; differantur nonnulla; quædam ne commemorentur quidem, donec spes sit obtineri posse, &c. Quoniam vero ad Pacem sinceram constituendam; & communia dogmata & corruptelæ communiter oppugnatæ plurimum valere debent; cogitandum annon conveniat in hisce duobus prius hærere & penè habitare, in his consensum stabilire, antequam ad illa descendatur in quibus discordes sententiæ futuræ sunt. Ad præjudi-

catas opiniones tollendas; ostendi poterit Reformatores primos optimâ mente incubuisse in hanc curam; sed prudenter quædam sustinuisse, quæ tum corrigere non poterant. In quibusdam dum distorta corrigere conantur, in contrariam partem nonnulla & fortasse nimis inflexisse, homines fuisse, in quibusdam labi potuisse. Experiundo consilia optimè judicari: Deum Opt. Maximumq; interdum humanis infirmitatibus, dissensionibus & exacerbatione bonorum uti ad veritatis propagationem, veluti in dissidio *Pauli* & *Barnabæ*. Nimium altercando veritatem sæpe amitti. Jam olim nonnullos è Patribus disputationum æstu abreptos incommodè quædam scripsisse, cum tamen studiis potius quam sententiis dissiderent. Hæc aut hujusmodi medicamenta conquirenda sunt, quibus factionis tumor discuti possit.

In Controversis Capitibus magnopere curandum ut termini accuratè explicentur; ut quid sit in Confesso diligenter expendatur, ostendere (si fieri possit) oppositionem non esse, ad idem; partes orandæ ut nequid temerè aut rigidè pronuntient. Siquidem de quibusdam nullo modo convenire possit; videndum annon imperari possit silentium, de illis quæstionibus in particulari, ut generalia & Confessa publicè doceri sufficiat.

Quod quæritur de via scientifica & Charitatis, utra procedendum? Optimè *Marcus* Eremita, Cave ne unquam tentes rem difficilem per contentionem dissolvere; sed per ea quæ lex spiritualis facienda mandat; nempe, per patientiam, & precationem, & spem unicam disputationibus publicis parum aut nihil profici.

Expertum est, cum studium victoriæ & pudor succumbendi veritatis indagationem impediant; contentiones augeant. Contra nisi convicta conscientia frustra suasionibus agitur; itaque utraque via procedendum videtur, sed suasionibus publicè & pro concione Apodeixi privatim & in scripto potius quam frequenti auditorio, ut habeat pars convicta resipiscendi locum.: Zeli temerarii in fratribus condemnandis arguendi, loci inter alios hi sunto. Nos cognoscere ex parte & prophetare ex parte. Neque nobiscum natam neque morituram sapientiam, spiritus Prophetarum subjiciendos Prophetis. Ante omnia sectandam charitatem cujus via excellentissima.

tissima. Scitum est illud *Constantini* Magni, qui *Acesio* nimis rigidè lapsos exagitanti; Erige tibi (inquit) scalam *Acesi*, & solus ascende ad Cœlum:

De Controversis Capitibus.

QUanquam in cæremoniis pietas sita non sit, paucissimæque à Christo & Apostolis institutæ in Scripturis commendentur, quoniam tamen nulla communitas consistere potest sine aliquibus cęremoniis, & est plebs earum tenacissima, ipsaq; mutatio consuetudinis, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat, non est earum cura negligenda; sed post doctrinam primo loco (si quid ego judico) constituenda. Distinguendæ sunt Cæremoniæ. Sunt nimirum quædam quæ toto terrarum orbe observantur; alię quę per loca & Regiones variantur. Habet nimirum unaquęque gens suas privatas, quas traditiones Apostolicas indigitat. Multum hoc loco tribuendum videtur judicio eorum qui pręsunt Ecclesiis, quid commodè mutari possit. Privatim vero tenenda est regula *Ambrosii*: Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo aut quemquam tibi. Videatur de tota hac re *Augustinus*, *Epist.* 118. *Nicæna* Synodus de observatione Paschę regulam fixit, magno ut studio ita successu; sed post disquisitionem de fide, de rebus Adiaphoris, videtur ex Apostoli doctrina ad *Rom.* 14. & 1 *Cor.* 8. sic satis evidenter constare, abstinendum ab earum usu, neque libertate aut scientia nostra fretis, fratres infirmiores offendendos. Quoties verò accedit authoritas superioris utpote Magistratus, aut Ecclesię alia videtur esse Ratio. Adiaphoron ex vi verbi est, quod ad 1.
Pietatem nihil interest: Res Adiaphora natura sua urgeri potest ab 2.
iis qui Authoritate in Republica aut Ecclesia pollent, prospectu ordinis decori & unitatis.

Nec potest, ut videtur, sine temeritate aut nota contentionis ab eo, qui subest rejici, pretextu quod videatur indecora aut ad ędificationem non facere.

Adiaphora non mutant naturam accedente Superioris mandato, 3.
sed usum habent vel necessarium, vel illicitum. Itidem cum ab Idololatris usurpantur, usus eorum suspenditur, natura non mutatur.

Super-

Superstitio videtur esse in Religione excessus quidam sive in objecto cultus sive in mediis & modo; cujus defectus ex adverso est Atheismus.

Robustus in fide tenetur tolerare infirmos in omnibus & per omnia, ut nunquam liceat sui animi scientia, vel potestatis causa aliquid facere, quo offendantur vel contristentur.

Robusti in fide sunt qui scientiam habent & sensus exercitatos ad discernendum bonum vel malum: infirmi contra ignari, vel nondum de sua libertate persuasi.

De Caremoniis.

EXorcismus admodum vetusta est Cæremonia, & quæ palam declarat potestatem quam habet Satanas in filios Adæ, unde provenit, ut nonnunquam eos corporaliter obsessos teneat. Videatur hac de re *Chemnitius Tit.* de Baptismo, § 4. Qui videtur satis commodè & pacificè loqui de hac Cæremonia. De fractione panis in S. Cœna dubitare non possumus, quin ita Christus ipse tradidit, ita Apostoli usurparint, quoniam panes azymi lati, & fragiles, ibi formam habebant, ut eos cum cuique particulam distribuere vellent, non scinderent, sed frangerent, unde & toti actioni nomen inditum est, fractionis panis, ut *Act.*20. 7. sed cum in eo sita non sit alimenti Analogia, quod scindatur panis vel frangatur, aut minori forma integer ore accipiatur, sed facultati nutriendi, frustra de hoc ritu digladiantur; sicut & de tempore, si quis à cœna tantum communicandum contenderet, & in Azymo. Si dederit Dominus ut in aliis majoris momenti convenire possimus, de hac cæremonia post viderimus.

Auricularis confessio opinione & more Papistico non est, quod sciam, ab Ecclesiis *Lutheranorum* constabilita. Videatur *Chemnit. Exam. Part. 2. de Confess.* Sed absolutio pœnitentium pro Ministerio Reconciliationis à Deo imposito; id vero non est inter Adiaphora reputandum.

Altaria quæ dicuntur impropriè, sive ex saxo, sive ex ligno, mensæ sunt vero nomine: sicut & actio S. Cœnæ non aliter sacrificium quam commemoratio sacrificii in cruce semel peracti: Lig-

nea

nea, olim fuiſſe & linteamine cooperta teſtis eſt *Optatus Milevitanus*, *lib.* 6.

Imagines extra uſum cultus, atque ut mera ſunt monumenta rerum geſtarum, vel adhibentur ornatus gratia videntur Adiaphoræ. Ita linea veſtis quæ Papatu antiquior eſt in uſu Eccleſiaſtici. Conſociatio cum Chriſtianis, ſive in publico cultu, ſive in publico cultu, ſive in privata converſatione, dummodo nihil aut profiteamur, aut faciamus contra conſcientiam, omnino neceſſaria videtur, *Hebr.* Neque diſſenſum ſuum quiſquam profiteri tenetur, niſi poſcatur ex 1 *Petr.* 4. 15.

Quod de ſenſu quæritur illius loci, 1 *Cor.* 9. omnia qui dicit nihil excipit, ſed tamen res ipſa reſtringi poſtulat; ut nihil admittatur peccati, nihil falſi profiteamur, captetur ſemper opportunitas inſtituendi, & rectius informandi aliter affectos. Summa, Quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit, ſi enim eo modo impediat, ut majora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quam Calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt. Hæc *Auguſt. epiſt.* 119. *c.* 28. & infra quod aut inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etſi multa hujuſmodi, propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius imperare non audeo, *ibid. cap.* 19. Videantur ſequentia.

De Doctrinæ Capitibus.

QUod quæritur quomodo doctrinæ capita tractari debeant & (nempe ſi rectè capio) ut pax non lædatur.

Reſpondeo, utile imprimis videtur fore, ut ſecundum celebre illud *Moſis*, ſecreta & arcana Deo relinquamus, revelata tantum ad nos pertinere exiſtimemus. Tum ut non modo in reipſa, ſed ne in rebus quidem & Phraſi à formula S. Scripturæ diſcedamus, ſive in concionibus ſive in ſcriptis priuatis, ut pro concione conceptus &

discursus Sp. Sancti premantur potius quam adferantur à concionante, ut privatim lectores ad verba ipsa & seriem Scripturarum pensitandam, cum humilitate & charitate incitentur; & super omnia cum frequenti illuminationis divinæ imploratione. Quod ad clamosos Rabulas, siquidem nobiscum in eadem Repub. vivunt, orandi sunt Magistratus ut talibus silentium imponant. 2 Viri graves, & qui auctoritate pollent apud Populum, excitandi sunt, qui reprehendant hoc genus; & obtestentur populum ne talibus aures præbeant. Transferantur hujusmodi homines ad vitia popularia reprehendenda, & inter cætera hanc ipsam superbiam, ut nemini à nobis diffidere fas putemus. Quod si in aliena ditione vivant, non tam disputationibus cum illis, quam orationibus pro illis (sicut & pro nobis) est agendum. Disputationum atque altercationum Cacoethes, aliqua ex parte sanari posse videtur, si prohibeatur à Magistratu inter pocula super hisce quæstionibus Religionis controversis Sermones serere, & hospites, quoties ejusmodi occasio inciderit, tempestivè obviam eant, moneantque occasionibus litium abstinendum. Quarum loco introduci potest lectio alicujus partis S. Historiæ aut aliorum S. Scripturæ locorum, qui ad mores pertinent, & Psalmodia ex antiqua Ecclesiæ Praxi: Scholasticæ disputationes in Scholis necessario adhibendæ videntur; sed hic quoque absit omnis, non vehementia sed clamosa importunitas, adeoque amarulentia & impudentia. Et componantur Theologię studiosi ad gravitatem & modestiam. Res controversæ variis modis rectè tractari possunt, & satis tuto adversariorum dogmata everti, si modo disputantes rem ipsam putent & mittant malè loqui. Verùm nonnullis controversis prorsus interdicere bono pacis tutissimum fore videtur. Fundamentalium dogmatum à non-fundamentalibus distinctio videtur originem habere à loco *Pauli*, 1 *Corinth.* 3. *vers.* 11. Ubi habetur Christum Jesum esse fundamentum, pręter quod aliud poni non potest. Cum termini sunt Metaphorici vix est ut exactè explicari possint, nisi per quandam Analogiam. Ut quoniam fundamentum in ædificio primum est, ac licet minimè conspicuum, maximi tamen sit momenti, ad operis firmitatem; cui si quid non insistit, mole suâ ruinam trahit. Itidem in

Reli-

Religione prima principia, & præcipua dogmata vocentur fundamenta.

Fundamentalia igitur dogmata à non fundamentalibus non videntur commodius secerni posse quam symbolo. Ut nempe, quæ Ecclesia Christiana omnium temporum sufficere existimavit, ad contesserationem in communi fide faciendam, ea dicantur esse fundamentalia; cætera secus; sed principia ista mole minima, potestate maxima sunt; & fieri potest ut dogma aliquod verbis symbolo non repugnet, quod tamen re ipsa totum symbolum subvertat. Videatur. *August. lib. de Peccato Orig. 1. cap. 13. & cont. Iul. lib. 1. cap. 2. & 6.*

Controversę inter Reformatores doctrinæ capita si formaliter sumantur, non adhibitis consequentiarum fidiculis fundamentalia non videntur: utcunque ad fundamenta pertinent, & in eo videtur esse pręcipua partium culpa, quod suam quæque opinionem, pro Articulo fidei haberi vult. Persona Christi, decretum Dei, præsentia & Manducatio corporis Christi in sacra Cœna, Gratia quâ servamur; sunt sanè loci fundamentales, sed non continuo omnia quæ circa hos aut in his dogmata.

Videantur quæ hac de re asserit *Ioh. Frithus* apud *Ioh. Foxium* in *Martyrologio*, pulchrè si quid ego judico.

Non quivis error in fundamentali dogmate, sed ipsa subversio vel abnegatio fundamentalis dogmatis perniciosa est. Ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina, ut ait *Tertullianus*.

Dissensio inter *Lutheranos*, & cæteros Reformatos cum sit in terminis contradicentibus (ut utraque pars recte sentiat) conciliari non potest. Sed non est desperandum modo fraternè colloqui & sese explicare, fortasse etiam aliquid corrigere in melius daretur, & nonnihil remittere de severitate pronunciandi; quin pax conciliari possit, indicto saltem de quibusdam articulis silentio, sublatâque verborum acerbitate.

Quod quæritur quænam doctrinæ & exhortationis capita, ad ædificationem maximè sunt necessaria. Respondebit Apostolus, *1 Tim.* 1. 15. quæ ad peccatores informandos ad resipiscentiam, & *cap.* 4. 6, 9, 11. 12. quę ad spem in Deo vivo, ad Pietatem & usum

Creaturarum cum gratiarum Actione & Oratione. Item *cap.* 6. 4. Quæ ad omnes ordines in suo quosque officio continendos, 2 *Tim.* 2. 3, 4, 14. Quæ ad constantiam & patientiam, & spem futurorum bonorum. Sic, *Titus* 3. 8. 9. Quę excitant credentes, ut curent etiam bonis operibus præesse. Ex hisce & similibus permultis: Constat illa doctrinæ capita maxime salutaria, quæ ad fidem & charitatem, & officium plus componunt. Extremum illud de caussis dissensionum, diligentissima contemplatione dignum est. Equidem sic censeo, ex defectu curæ Pastoralis magnam partem harum dissensionum enatam esse. Atqui videndum ne hic defectus profundiores habeat radices.

Multas quisquilias & purgamenta ejecerant ex area Dominica primi Reformatores, & certè in eo veterno, quo tum laborabat orbis Christianus, opus fuit non modo inclamare vehementer, sed penè inclementius dicere. Jam Magistri ex suis moribus fingunt discipulos. Ab Hostibus etiam provocati contumeliis non abstinuimus, factique sumus in nos invicem morosiores. Mitto jam factiosam personarum admirationem, mitto fervidas & inconsultas Adolescentium conciones: Nam populus veluti tibia est, utque inflatur ita resonat. Sunt quibus nihil satis reformatum videtur, & quicquid antiquum Antichristianum. Ad hæc mala magna remedii pars esset (quæ optanda potius quam speranda videtur) Adolescentium in Schola Theologica recta Educatio. Altera cura ordinandorum. Tertio librorum imprimendorum severa censura. Quid si & impressorum? sed hæc cogitabunt, quos Deus tanti operis Ministros excitabit. Unum addo quod ad pastoralem curam excitandam, & instaurandam pertinet. Cum solenne sit quibusdam usus Doctrinæ, quos appellant, commemorare; consultius fortasse facturos, si ista non tam dicerent quam facerent: gratia non tantum valere hanc aut illam Doctrinæ partem ad reprehensionem, exhortationem, consolationem, quam hortarentur, reprehenderent, consolarentur. Nunc perinde faciunt, ac si quis ex Antidotario alicujus medicinæ facultatem, & vires enarret, cum res poscat ægro medicinam propinari.

Hæc

Hæc habui Reverendi fratres & Domini in Christo observandi, quę super problematis vestris consultus, & pené jurejurando constrictus responderem. Quæ nolim tanquam decreta quædam & pronunciata haberi: fieri enim potest, ut mihi ipsi in nonnullis aliter alias videatur, sed habetis ex sincero corde opinionem meam; quam libenter meliori judicio, quam quo ego sum, subjectam volo. Consilium quidem ipsum pacificationis adeo pium & Christianum est, ut omnes meos conatus, omnia consilia, cogitationes, vitamque adeo ipsam eo conferre (Deo quidem dante & adjuvante) non dubitem.

Postquam ex Anglia transfretasset Duræus, primò adiisse videtur Helvetios Tigurinos, quibus hunc obtulit Scopum, quem in irenico hoc studio sectari solet.

In Pacis Ecclesiasticæ Studio hoc tempore instaurando, Johanni Duræo propositum est, Deo Opt. Max. juvante, Ministros Verbi piè doctos in Ecclesiis & Theologos in Scholis, conscio cujusque loci magistratu, adire, cumque iis de Consiliis Evangelicæ Veritatis conservandæ, & Concordiæ inter Ecclesias procurandæ agere, ut rebus omnibus ad Evangelicorum Pacem & Schismatis abolitionem spectantibus ritè præparatis, Communio Sanctorum inter Euangelicos efflorescat, & ad mutuam fidelium ædificationem constanter excolatur; & ad aliorum conversionem propagetur, utque sub auspiciis supremi in quolibet loco Magistratus, offensiones, quæ cursum Evangelii liberum hactenus impediverunt, è medio tollantur, & communis Evangelicorum causa, adversus communes hostes, communibus consiliis & studiis spiritualibus defendatur & promoveatur:

Atque hunc sibi & non alium Scopum unicè propositum esse, manus suæ subscriptione coram Domino, cordium Scrutatore, testatur.

JOHANNES DURÆUS.

Tigurinorum Judicium de Reverendiss. D. Duræi Scopo.

INter dulcissimos illos fructus, quos Pax inter Anglos & Belgas constituta Ecclesiis Reformatis affert, hic præcipuus esse videtur, quod Ecclesiæ & Academiæ Anglicanæ, eas in Societatem vocent Pacis, & Religiosam cum illis Correspondentiam inire gestiant. Nec contenti Ecclesiarum Reformatarum conjunctione, ad cæteras quoque Euangelicas, per Universam Europam, hos Pacis & Dilectionis suæ fructus dilatare & extendere cogitant, ut Controversiis odiosissimè passim agitari solitis, sepositis, ad Communionem fraternam cum Reformatis ineundam, humanissimè invitentur atque alliciantur.

Ad opus tàm præclarum, & Ecclesiis Euangelicis adversus communes adversarios muniendis perutile & necessarium, Prædictæ Ecclesiæ Proxenetam illum ipsum sibi offerri gaudent, qui ante annos complures, tum in vicinis Regnis atque Provinciis, mutuæ coalitionis saxum, ad calamitates, tum indies crescentes, diminuendas & avertendas, strenuè prudenterque voluerat, ut pristina illa pia sollicitudine postliminio adhibita, periculum faciat, an fortè nationes, tot malis fractæ, jam pacifica illa Consilia, & monita salutaria majori cum desiderio amplectantur, & Reformatis cæteri Euangelici æquiores se præbeant. Is est vir ille omnibus bonis, ab ingenuo candore, à pia Modestia, à ferventi sinceræ charitatis erga omnes indiscriminatim Euangelicos zelo, atque ab inculpato salutaris veritatis, sine inutilium Contentionum fervore & strepitu, propagandæ conatu, commendatissimus D. Johannes Duræus, verbi Dei Minister apud Anglos, quem ad pacis religiosæ consilia hoc tempore iterum capessenda & tractanda sufficienti authoritate à suis instructum esse videmus: Ac proinde gratias Deo pacis agimus, quod Ecclesiis & Academiis Anglicanis animum hunc dederit, & D. Duræo, verè εἰρηνοποιῷ vires animi & corporis, ad negotium hoc instaurandum integras conservaverit eundemque supplices veneramur, ut ipse infirmitatum & distractionum nostrarum misertus, omnibus, quorum interest, consilia suggerat ad mutuam Eccle-

Ecclesiarum pacem, atque consociationem procurandam conducibilia & necessaria: ut, sicut hactenus sub uno capite invisibili, Domino nostro Jesu Christo, conjunctissimi revera in ejus conspectu fuimus, ita ad majorem ipsius gloriam, in unum universo mundo conspicuum communionis fraternę corpus, cum omnium Sanctorum tàm Angelorum, quàm hominum applausu, brevi coalescamus. Ad hunc enim Scopum pari cum Ecclesiis & Academiis Anglicanis affectu, piis nostris desideriis & precibus aspirantes, laudatissimos D. Durçi conatus, pro virili omnibus nostris officiis & studiis, Deo favente, favendos, juvandos, & promovendos suscipimus: Deo supplices, ut ipsum nostrum veluti ἐργοδιώκτην ad felicem desideratissimi operis successum, Spiritu suo roborare, & incolumem diu servare dignetur.

Deputati Ecclesiæ Scholæque Tigurinæ Pastores & Professores, horumque omnium nomine subscripsi 5. Iunij 1654,

JOHANNES JACOBUS HULDRICUS.

Uberior Scopi declaratio.

POstquam Reverendo & Clarissimo D. Durço visum est, pacificatoriæ suæ πραγματείας Scopum nobis exhibere, & ipsi nos vicissim Judicium nostrum, laborum ipsius approbatorium tradidimus, conscio Amplissimo nostro Magistratu, ulterius progressi, ante omnia uberiorem Scopi breviter descripti explicationem ab illo petendam esse duximus. Is pro singulari sua humanitate, nobis gratificatus, de Scopo nobis exhibito ita perspicuè & copiosè in consessu nostro disseruit, ut facile jam videamus, in illo summatim omnia illa expressa esse, quę circa negotium tam arduum ritè aggrediendum perpendenda occurrunt. Sive enim Personas, quibuscum agendum est, sive res de quibus tractandum est; sive denique modum spectemus, omnia brevissimo, verborum ambitu descripta sunt.

Nam personas quod attinet, statuit ipse, non solùm cum scholarum

rum Theologis seorsum, aut Ecclesiarum quibusdam Ministris; sed cum utrisque simul; nec cum hisce tantùm, sed cum supremo cujusque loci Magistratu negotium esse suscipiendum, ut scilicet illo non tantum conscio, sed consilia dirigente & idoneos Viros ad opus deligente, Concordiæ obtinendæ studium procedat.

Deinde circa Res ipsas nihil omissum dixit, quod cum fructu aliquo quærendum sit. Nam & Veritatis Euangelicæ, id est Doctrinæ ad salutem necessariæ, & Concordiæ Pacisque procurandæ, & schismatis abolendi, & Communionis Sanctorum, mutuæque fidelium ædificationis excolendæ & aliorum qui extra Ecclesiæ communionem adhuc sunt conversionis ad veram fidem quærendæ & offensionum, quatenus quidem liberum Euangelii cursum impediunt, è medio tollendarum; & causæ communis adversus communes Hostes, armis videlicet spiritualibus, defendendæ & promovendę ratio habetur. Atque his positis nihil præterea in hoc opere spectandum occcurrere & si aliquid horum aut negligatur, aut à Scopo rejiciatur, officium Christiani hominis deseri, nec ad optatum eventum negotium perduci posse.

Denique, cum agendi modum instituit, ut in Consiliis agitandis non solùm rerum, de quibus cogitatio suscipienda est, ordo consultationis fini respondens observetur; sed ut diversis consultantium & agentium in negotio procurando Ordinibus, suæ cuilibet partes, prout cujusque officio consentaneæ sunt, assignentur.

Nam in rerum tractandarum Ordine, primas sibi vendicare judicat Veritatis conservandæ curam, secundas, Pacis sectandæ Consilium. Nam frustra Pacem sinę jacto Veritatis Euangelicę salutari fundamento quæri.

Hisce autem debito ordine constitutis & absolutis deliberationum capitibus, reliqua prout hisce subordinata sunt, suo loco intendi posse, & agitari, ut scilicet ex agnito in salutari veritate partium consensu, de schismatis abolitione, & ex Pacis Euangelicæ nativa proprietate, & amicabili fructu, de communione Sanctorum introducenda inter Ecclesias cogitetur. Ex quibus tandem Consiliis reliqua officiorum momenta sponte sua sint secutura: quomodo nimirum, tàm mutua fidelium inter sese ędificatio, quàm infidelium con-

conversio promoveri debeat? Et quomodo de offensionibus è medio tollendis, & hostibus communi Consilio & opera resistendo cogitandum sit? Hæc enim postrema nequaquam in deliberationem venire posse, antequam priora illa determinata fuerint.

Et hæc quidem de rerum tractandarum ordine in scopi sui descriptione subindicata esse. De Ordinibus autem consultantium, eorumque in agendo partibus, ejusdem descriptionis ductum secutus, sic disseruit: Ad Ministros quidem & Theologos, habito quodam inter ipsos delectu, consultationes de rebus hisce primò & propriè spectare: Ad supremum verò Magistratum cujusque loci totam rei directionem tàm in capessendis, quàm executioni mandandis Consiliis pertinere: præsertim ut offensionum in publico tollendarum autoritas, & correspondentia ad communis causæ defensionem, adversus communes hostes inter Ecclesias instituendæ fovendæque ratio, ad piam ipsius Prudentiam referatur

Cùm igitur ex tam prompta & clara explicatione intelligamus, prædictum D. Duræum, in brevi illa Scopi sui descriptione saluberrimè concepisse & proposuisse omnia, quę ad negotium hoc Pacificatorium suscipiendum, & tractandum spectant, pro tam fideli opera nobis prȩstita gratias illi debitas agentes, eandemque Amplissimo nostro Magistratui prædicaturi denuò testamur, studium nostrum ipsi, & Reverendissimis Angliæ Ministris atque Theologis fore in eodem negotio promovendo conjunctissimum, idque tum propter rei in sese spectatę excellentiam, tum propter Ecclesiarum necessitatem, & ante omnia propter Divinę Majestatis reverentiam atque auctoritatem, quę Veritatis Pacisque sectandę officium nobis prȩcipit. Zach. 8. 16. 19. Ephes. 4. 3. 15. Nec dubitamus, id ipsum porrò inclyto nostro Magistratui curæ cordique futurum, ut ita ex utraque parte monitis Divinis in re pulcherrima, & Ecclesiis summè necessaria obsecundantes, divinum illud Beatitudinis βραβεῖον veritatis & Pacis amantibus promissum, reportemus.

Actum 9. Iunii 1654.

Præſentibus

Reverendo & Clariſſimo Domino Duræo & deputatis Eccleſiæ Scholæque Tigurinæ Paſtoribus & Profeſſoribus.

JOHANNES JACOBUS HULDRICUS
omnium nomine ſubſcripſi.

Declaratio Eccleſiarum & Academiarum Helvetiæ Reformatæ.

1655. Cùm Vir admodum Reverendus & Clariſſimus D. *Iohannes Duræus*, Theologus Anglus Celeberrimus ad nos veniſſet, & nobis expoſuiſſet, in animo ſibi eſſe telam τῆς εἰρηνοποιΐας inter Euangelicos obtinendæ, ante viginti annos à ſe orſam; nunc auſpiciis Eccleſiarum & Academiarum Anglicanarum reordiri, & pertexere; de illius adventu ceu Angeli Pacis meritò nobis gratulati ſumus: *Deo immortali*, qui curam Eccleſiæ ſuæ nunqum deponit, gratias agentes, quòd in tantis tamque diuturnis Eccleſiarum colliſionibus etiamnum nuntios mittat pacis, qui omnem ſuam operam in id impendant, ut vulneribus & ſchiſmatibus, quâ licet, quâ decet, mederi conentur, quò diſſidiis compoſitis, cum omni animi ſubmiſſione, cum iræ cohibitione alii alios ſuſtinentes per charitatem, ſtudeamus conſervare unitatem ſpiritûs, per vinculum pacis.

Poſteaquam ergo *Arovia* in ſolennibus *Procerum noſtrorum Comitiis*, literis publicis, quas eo nomine habebat, expoſitis, inſtituti ſui ſcopum expoſuiſſet & tradidiſſet; *Inclyti noſtri Magiſtratus à Dom. D. Legatis* ſuis informati, pium ejus ſtudium approbantes; Autores ei fuerunt, ut Eccleſias præcipuas inviſeret, & cum Theologis ſuis ſuper hoc negotio coràm conferret & deliberaret. Quod tum ipſe φιλαδελφίας ſuæ teſtandæ causâ lubentiſſimè præſtitit, tum nobis quoque pergratum & perjucundum accidit. Hac ergò occaſione, ante omnia propoſitum ſibi ſcopum, quem ab eodem ante

ante annos complures acceperamus, denuò nobis aperuit, & communicavit, tum etiam media, modumque procedendi, per quæ scopus ille faciliùs obtineri & favente DEO, concordia tantoperè expetita sarciri possit, scriptis peculiaribus obtulit; pensorum denique seu scriptorum quorundam, ad idem hoc concordiæ studium feliciùs promovendum, elaborandorum, delineationem nobis exhibuit, à nobis petens, ut non solùm super his omnibus judicium nostrum ipsi declaremus, sed etiam, si quid circa illa fuerit monendum, aut si aliud quid suggerendum, se nobis offerat, quòd majore cum Euangelii & Ecclesiarum Reformatarum emolumento, aut tutiùs aut commodiùs, suscipi posse judicemus, liberè sententiam nostram proferamus, & secum communicemus.

Scopum ergo, *Rev. Domini Durai* nobis exhibitum omnibus modis & ὁμοθυμαδὸν exosculamur, & collaudamus; quem charitatis ex mundo corde, conscientia bona, fide minimè simulata, oculo quasi columbino, intuetur, ut per *Dei gratiam*, luculentiùs enitescente, & agnito in fundamentali Religionis Veritate & puritate consensu, sequatur funesti schismatis abolitio, vigeat communio Sanctorum, cessent λοιδορίαι, invectivæ, anathematismi & cætera bonæ causæ adversùs communes hostes, consiliis & studiis communibus, defendendæ obstacula; *Dei gloria*, concordia & pax inter omnes fideles efflorescant; ut qui in cœlo revera sunt fratres, Cives Sanctorum, & Domestici *Dei*, iidem etiam in terra tales esse velint. Ad *Media* quod attinet à *Dom. Duræo* nobis proposita, cum Judicio simul facto de eorum tum acquisitione, tum commoda & prudenti ad prædictum scopum adhibitione & accommodatione, in quibus maxima ardui hujus negotii difficultas, & potissimus sperandi, optatique successus cardo versatur; agnoscimus illa in se esse bona & cum judicio delecta & cónscripta, eademque non simul & semel, sed ex ipsa *Rev. D. Durai* mente gradatim secundùm subordinatas naturæ suæ proprietates, usurpanda. De quibus ut & de aliis, quæ nobis occurrerunt, prolixiùs jam agere nolumus, quia præcipuarum apud nos Ecclesiarum Theologi sua particularia judicia *Rev. Domino Duræo* exhibuerunt, quæ aliis quoque Ecclesiis & Theologis, ad quos venturus est, submittunt, parati semper meliora amplecti

&c sequi, quę communi seu plerarumque judicio talia deprehendentur. Necessarium & utile inprimis negotio aggrediendo unanimiter judicamus; ut non à disputatione aut tractatione dogmatum controversorum, quando cum *Lutheranis* agendum erit, initium fiat; sed potiùs à quodam quasi armistitio, quo injurię, contumelię, & hostilitates omnes utrinque hactenus acceptæ ἀμνηστίᾳ perpetuâ sepeliantur, & novę in futurum præcaveantur. Sicut enim hostes diutinis inter se impliciti bellis, si serio aliquo pacis desiderio teneantur, inducias inter se paciscuntur, donec pax plena fuerit constituta: ita existimamus hanc primam, tutissimamque viam futuram, & gradum ad almam inter Euangelicos pacem conciliandam, si initium fiat ab induciis; & hostilitatibus mutuis hactenus exercitis, & inveteratis, janua occludatur, ac mutua quædam tolerantia utrinque indicatur, quod *supereminentibus Potestatibus*, Ecclesiarum Nutritiis, curæ cordique futurum speramus.

Ad hæc & alia omnia Pacis consilia & Media, quà licet, quâ decet amplectenda, uti nos propensissimos esse sincerè profitemur; ita etiam aliis eadem, quàm possumus studiosissimè commendamus, omnibusque, qui itidem affecti erunt, operam studiumque nostrum addictissimum & conjunctissimum sincerè spondemus & pollicemur: idque tum propter rei in se spectatæ excellentiam, tum propter Ecclesiarum necessitatem, tum inprimis propter *Divinæ Majestatis* Reverentiam, quę Veritatis Pacisque sectandę officium toties totiesque nobis pręcepit.

Quod superest, *Deum Opt. Max.* rogamus, ut fideli huic servo suo in hoc opere Divinâ suâ gratiâ assistat, eum ab omni malo custodiat, & in *Christo* triumphare faciat, detque adeò opus hoc pacis prudenter inchoari, gnaviter continuari, & tandem feliciter consummari, ad nominis sui Sacrosancti gloriam, Ecclesiarum Euangelicarum consolationem & incolumitatem, hostium denique communium, *Satanæ* & *Antichristi* confusionem, per Principem illum Pacis, *Dominum* ac *Servatorem nostrum* JESUM CHRISTUM, Amen.

Datum

Datum Tiguri, 15. *Aprilis*. 1655.

Ecclesiarum & Academiarum Helvetię Reformatarum, *Tigurinæ*, *Bernensis*, *Glaronensis*, *Basileensis*, *Schaphusiana & Abbatiscellana*, *Rhaticarum item*, *& Genevensis*, *Sangallensis*, *Mylhusina & Biennensis*

Pastores & Professores,

Et horum omnium nomine

JOHAN. JACOBUS HULDRICUS, Ecclesię Tigurinę Pastor.

Declaratio Amplissimorum Helvetiæ Reformatæ Magistratuum, super negotio Pacificatorio Reverendi & Clarissimi D. Duræi.

POsteaquam Vir Reverendus & Clarissimus, *D. Iohannes Duræus*; non solùm à venerandis & Clariss. Ecclesiarum & Academiarum Angliæ Pastoribus & Doctoribus auctoratus: sed ab ipso etiam *Serenissimo & Celsissimo D.D. Olivario, Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Protectore*, nobis commendatus, Aroviæ à Deputatis nostris auditus fuisset: nosque ex fidâ illorum relatione cognovissemus, ea de concordiæ Ecclesiasticę negotio ab illo fuisse proposita, quæ per dilectos & fideles nostros verbi Dei Ministros & Theologos scire & considerare permagni referret; consultum visum fuit ei suadere, ut illos adire, deque instituto suo cum illis conferre ne gravaretur. Id cùm lubenter pariter ac feliciter jam præstiterit, &, quod sperabamus, à Ministris & Theologis nostris suffragia & studia concordissima, & judicia æquissima, unum imprimis omnium commune, impetrârit, & pręfati insuper *Serenissimi &*

Celsissimi D. D. Protectoris verbis, ulteriùs à nobis petierit, ut authoritatem rerum tractationi addamus, & non solùm sensum de hoc instituto nostrum exponamus; sed etiam concursum ad rem promovendam talem declaremus; Qualem hoc tempore Ecclesiæ Euangelicę utilitas requirere videatur: non potuimus hisce postulatis non assentiri, & officii nostri, quod Magistratibus Christianis incumbit, memores, hac in parte bono publico deesse non debuimus.

De hac igitur oblata nobis occasione, quâ communi Ecclesiarum *Dei*, & publico populi Euangelici commodo, nos quoque operam collocare nostram; cumque aliis, præcipuè autem cum Reipublicæ & Ecclesiæ Anglicanæ præcipuis Rectoribus, studium nostrum conjunctissimum testari possumus, impensè nobis gratulamur: deque pia illorum sollicitudine, qui cogitationes suas huc convertunt, ut luctuosis populi Christiani dissidiis, & Euangelicorum imprimis inter sese distractionibus medelam afferant, valdè lætamur.

Fuit hoc ipsum Majoribus nostris, quorum illustria facta perpetuò imitanda nobis proponimus, inde à prima reformatione curæ cordique, ut variis conatibus, zelum suum hac in parte posteritati approbarent.

Nec sine magna voluptate aliquot antè annis vidimus, negotium hocce in ipso motuum Germanicorum fervore, à statibus & Theologis Euangelicis agitari, & per intervalla promoveri: uti apparuit;

1. Ex *Colloquio Lipsiaco*, *Anno* 1631, *Serenissimorum Electorum*, *Saxonis, & Brandenburgici, & Hassiaci Principis*, auspiciis habito.

2. Ex Decretis *Statuum Euangelicorum*, *Anno* 1634. *in conventu Francofurtensi factis & D. Duræo* traditis, de solicitando videlicet omnium, ad concordiam promovendam statuum Euangelicorum concursu.

3. Ex *Instrumento Pacis Monasterii*, *& Osnabrugi* tandem conclusæ; in cujus 7. *articulo*, concordiæ Euangelicæ fundamentum solidum jactum, & controversias, quę hactenus compositæ non fuerint, ulteriori tractatui reservatas esse videmus.

4. Ex aliis item documentis, quæ *D. Duræus* nobis exhibuit, de præparatis alibi multorum animis, ad hasce curas suscipiendas.

Quo-

Quocirca, ut temporum hac intemperie, & dubio rerum ſtatu, præparationibus iſtis ulterior aliquis conatus ſuperſtruatur, qui unitatem & pacem Euangelicam inter Eccleſias Proteſtantes plenè ſtabiliat, & perficiat, id non ſolùm è re fore, ſed ad conglutinandos fidelium, miſerè diſtractorum animos; ad prçveniendas hoſtium, qui noſtris è diſſidiis ſua quçrunt compendia, molitiones; ad offenſiones, quibus ira *Dei* adverſus omnes provocatur, è medio tollendas; ad promovendam denique, per concordem ejuſdem fidei confeſſionem, ***Dei gloriam***, ſummè neceſſarium eſſe judicamus.

Ac proinde, ut laudatiſſimo huic operi auctoritatem & concurſum noſtrum commodemus, declaramus unanimiter, curæ nobis fore; operamque nos daturos, primùm ut prçdicti noſtri Miniſtri & Theologi in concionibus, & cæteris ſuis operibus, piorum ſuorum deceſſorùm more, ab omni verborum acerbitate, in eos, qui diverſimodè ſentiunt, abſtineant; & veritatis profeſſionem, atque Spiritus unitatem, in vinculo Pacis retineant: quod ultrò bonâ fide ſe facturos pollicentur.

Deinde ut vicinos nobis Euangelicos & amicos ſtatus, ad idem propoſitum ſuſcipiendum, & inter eos, qui illorum imperio ſubſunt, executioni mandandúm, excitemus atque provocemus; ut mutua Chriſtianæ & fraternæ fiduciæ officia, eò promptiùs & alacriùs inter omnes ejuſdem fidei conſortes, omni oblata occaſione præſtentur.

Poſtmodò ut Eccleſiarum noſtrarum precibus, hoc concordiæ promovendç ſtudium, identidem commendetur.

Poſtremò ut in correſpondentia ſuper hac re, cum aliis omnibus pacificis, religioſa procuranda, fovenda, & propaganda, nihil quod à nobis proficiſci poſſit negligatur. Quæ quidem ſinceriſſimç noſtræ declarationis ſumma ſunt capita.

Ad extremum omnes, ad quorum notitiam hç prçſentes pervenient, obſervantia & reſpectu ſingulis debito, rogamus, ut & ipſi Irenica hæc ſtudia ſibi cordi eſſe permittant, & ſimiles nobiſcum reſolutiones capeſſant; deque nobis non aliter ſentiant, quàm quòd in *Dei* timore propter amorem, quem ſermoni veritatis, ſeu Euangelio ſalutis, & charitatem, quam afflictis, & in ſummum paſſim diſcri-

discrimen adductis Ecclesiis, nos debere agnoscimus, hæc, quæ diximus, & religiosè promittamus, & re ipsa, *Deo* juvante, præstituri simus. In cujus rei fidem, hasce secretiori *Civitatis Tigurinæ* sigillo, nostrum omnium nomine, obsignari curavimus *vicesimo primo Aprilis, Anno supra millesimum & sexcentesimum quinquagesimo quinto.*

Iudicium Ecclesiæ & Academiæ Genevensis, de Concordiæ ecclesiasticæ inter Euangelicos studio.

I. QUod votis calentibus, precibusque ad Deum assiduis contendimus hactenus, quod efflagitamus etiamnum pro instauranda Ecclesiarum Euangelicarum pace ac Concordia, jam nobis gratulamur spem ejus consequendi aliquam affulgere, cùm viros Dei strenuos in eo totos esse videmus, ut componendis fratrum dissidiis, quibus familia Patris cœlestis justo judicio propter peccata suorum tamdiu vexata & dehonestata fuit, renovandæque Ecclesiarum faciei, pro virili collaborent. Inter quos siquidem vir Reverendus & Clarissimus Dominus JOHANNES DURÆUS, fidelissimus Domini Jesu Christi servus, hoc instituti urgere ac promovere peculiariter susceperit, ut ab ipso per literas & coràm intelleximus. Lubentes contestamur, grandi nos beneficio reputare, quòd missus in hanc messem à Domino, qui pacem fecit, pacem euangelizat, tum iis qui longè, tum qui propè sunt, indefessam operam in ea collocaverit, & porrò collocaturus sit apud Ecclesias, pro laudatissimo Domus Dei, quo flagrat, zelo, mentemque illi nostram super ipsius proposito aperire non dubitamus.

Gratulatio de spe Concordiæ, & Approbatio studii à Duræo suscepti.

II. Rebellavit equidem diu morbus, & pharmacis salutaribus, à viris pietate ac eruditione præstantibus utrinque sæpiùs tentatis restitit: non ideò tamen despondendum animo, quin potiùs studium acrius impendendum est, ne vulnus recrudescat, sed ut coalescat, & consolidetur charitatis balsamo, neque desinendum, donec Deus omnipotens, cui obnoxia sunt tempora & opportunitates, exitum optatissimum largiri voluerit. Romanus Episcopus, & conjurati omnes hostes fidei, nullum non movent lapidem, ut dissociando Christi membra, vel committendo fratres inter se, vires eorum facilè

Quærendum dissidii remedium constanter propter Morbi naturam & hostium molitiones.

cilè frangant; atque adeò latus utrumque Corporis Christi adversariorum ictibus apertum objiciant, quò non solùm altera pars, sed utraque etiam, successu temporis, dejiciatur iis calamitatibus, quibus familia fratrum altercationibus ac litibus proscissa pessum ire quotidiana probat experientia. Nunquid partes sunt fidelium omnium, quos tangit studium gloriæ Dei, & salutis animarum cura, omnes animi vires unâ explicare, ut technis Satanę furentis ac frementis, quia sciat sibi pauculum superesse tempus, obnitantur, & sepositâ discordiâ, conjunctis studiis, communium hostium erroribus propulsandis, animorumque consociatione & mutuis charitatis officiis ædificandæ Ecclesiæ, uni utrorumque matri, totos se dedant. III. *Satanæ technas.*

IV. *Priorum temporum in Concordia prosperitatem.*

Bene cessit Patribus nostris, cùm ab initio Reformationis exierunt Babylone, cùm muros ejus, hæreses nempe in fide idololatriam, ac superstitiones in cultu, & tyrannidem in regimine, eadęm manu evertere cœperunt, atque horum eversione portam aperire ad libertatem auream, quam Christus Jesus ipsum vera fide complectentibus prætendit; cum postea fidei Euangelicæ confessio, Carolo V. Imperatori ab Illustrissimis in Germania Principibus, qui Ecclesiæ Reformationem urgebant, Augustæ in Comitiis imperii exhibita fuit. Verùm abinde Euangelicos fratres, quos oportuerat constanter & unanimiter hoc agere, vidit universus orbis discordiâ disjungi, quodque longe pejus est, in partes abire, non sine acerbissimo piorum omnium dolore, & odiosa veritatis hostium exultatione, non sine memorabili partis utriusque, ac fidei propagandæ detrimento, calamitatibusque gravissimis, ad quarum memoriam adhuc cohorrescimus. *In discordia adversitatem.*

V. *1. Remedium mali est in conjugio veritatis & charitatis.*

Huic malo ut medicæ manus admoveantur, cavendum inprimis, ne pacis obtentu gloriæ Dei, à quo & propter quem sunt omnia, veritatique, unico mentium Soli, animarumque pabulo, quippiam detrahatur; ne veritatis etiam prętextu, charitati contestandę, fratribus in nonnullis aliter sentientibus officiatur. Veritas vincat ac regnet, si modò charitas militet ad coagmentationem Sanctorum, quò eventum consequatur aliquando Prophetæ vaticinium: *Benignitas & fides occurrent inter sese. Iustitia & Pax mutua sibi figent oscula.* Ad utrumque

istud officium arctè tenentur, quotquot Christi se discipulos gloriantur, Pauloque præcipienti τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, obtemperare satagunt.

VI. *Quod Pontificia Ecclesia applicari nequit.*

Cum lethalibus erroribus, qui Veritatis Euangelicæ fundamenta diruunt, vel pietatis animam extinguunt, Syncretismum colere qui sustinuerit, peccatum idem peccaverit, ac si Christum cum Belial, Arcam fœderis cum Dagone, Sponsam Domini cum adultera conciliare mala fide tentaverit: qua dè causa cum Meretrice Babylonica, proculo scortationum veluti Circæo, Reges ac Magnates terræ dementante, non venimus in unitatem, non veniemus, ni resipuerit ab homicidiis, furtis, scortationibus ac veneficiis suis, Iliademque errorum fundamentalium, quibus laborat, ejeraverit, sin minùs, injustitiæ suæ contumaciter adhærenti extremum interitum denunciamus.

VII. *Applicatur autem Euangelicis, propter fundamentalem in veritate consensum.*

Gratias Deo immortales persolvimus, quòd exitiales hasce plagas neutri Ecclesiarum Euangelicarum parti siverit infligi, sed præcipua fidei dogmata in utraque conservari, cum utraque fœdus gratiæ perpetuari voluerit. Utrique enim ex solo Dei Verbo sapere, fidemque ac cultum ex præscripto ejus instituere docti, justificationem hominis peccatoris in unius Christi Servatoris nostri justitia, fide suscepta, spem nostram in uno ejus sacrificio, intercessione Mediatoris unici repositam consentiunt; quicquid boni spiritualis obtinent, id excellentissimæ gratiæ Dei Patris, & potentissimi Spiritus Sancti efficaciæ tribuunt, abdicatis meritorum & satisfactionum humanarum, indulgentiarum, purgatorii, idololatriæ ac gloriationis Pharisaicæ portentis: Precibus ad Deum & cultu spirituali paribus, iisdem Sacramentis à Christo institutis utentes, falsa Ecclesiæ Romanæ dogmata, cultum adulteratum, una mente, ore uno aversantur & oppugnant. Caussæque adeò sunt gravissimæ, cur fraternitatem mutuam colamus; *Incedentes cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate tolerantes alii alios per charitatem, studentes servare unitatem Spiritus, per vinculum pacis:* quia in uno Christo, unum Corpus invisibile constituimus, uno acti adoptionis Spiritu, vocati in unam spem vocationis nostræ; unum Dominum, unam fidem, unum Baptisma, unum Deum & Patrem

trem omnium, qui est super omnes & per omnes, & in omnibus nobis, profitentes.

VIII. Si quibus visum majore dissensione nos invicem distrahi, factum ideò res loquitur, quia prӕjudicatis opinionibus hinc inde prӕpeditӕ mentes, partem alteram gravioribus accusationibus, quas sanctis adjurationibus à se removet, plus nimiùm prӕgravârint, consequentias quasdam nectentes, quas altera pars non admittit (v.g. ut exemplo utamur uno, referre molestum est, insimulatos nos fuisse, quasi horrendum illud impietatis monstrum, quod ne nominandum quidem arbitramur, Deum authorem peccati, & alia id genus, statueremus, quӕ toto pectore coràm Deo Angelisque ejus detestamur, & anathemate ferimus.) Idem propè hoc pacto contigit, quod Israëlitis olim, qui Gaditas & Rubenitas, quia constructum ab his altare trans Jordanem, altari Dei oppositum prӕcipitantiùs conceperant, malè fuissent habituri, nisi prudentia Ducum prӕvertisset exitium; viros delegando, qui re cognita fidem fratrum inculpatam retulerunt. Eandem hodiè Prudentiam tollendis è medio prӕjudiciis adhiberi par est; eumque in finem uti nos Fratrum mentem ac sententiam non ex privatorum scriptis, sed ex publicis Ecclesiarum Confessionibus eliciendam judicamus, rogatos utique volumus illos, ut sensa nostra non ex hujus, vel illius verbis interpretentur; sed ex Confessionibus nostris solennibus, quibus fidem nostram Summis Potestatibus, Orbique universo testatam fecimus. Quod si utrasque seriò expensas, pacatis animis absque prӕconceptӕ opinionis impedimento conferri obtigerit, constabit luculenter de Communi utrorumque consensu in iis, quibus summa Religionis Christianӕ comprehenditur, quӕque necessariò ad Dei gloriam, salutem animarum, solidamque conscientiarum consolationem faciunt.

2. Remedium in prӕjudicatis opinionibus omittendis.

IX. In aliis suborta quӕ fuerunt sententiarum discrimina, Religionis vel Pietatis Cor haud petunt; ita ut citra salutis periculum dissensus in iis tolerandus veniat, neque causӕ sint idoneӕ, cur dissuatur Unitas ac Concordia omni major pretio. Ecclesia quippe, tum Veteris tum Novi Testamenti, dissensionibus membrorum suorum ejusmodi per omnia secula laboravit, neque tamen ideò

3. Remedium in levioribus dissidiis sit tolerantia.

tum in superiore seculo, divina luce collustratorum, omnique virtutum genere instructissimorum, pacem Hierosolymæ sanctè sollicitantium.

Connitendum est equidem, ut in unitatem fidei coalescamus omnes, Fratresque aliter sentientes ad Divinæ Veritatis originem adducantur; quò idem sapiamus omnes, idem loquamur in Domino, in unam compositi sententiam, alienis ad fidem alliciendis operam conferamus. Initium tamen gerendi hujus negotii faciendum non putamus à Dogmatum tractatione, sed institutis primùm induciis, cavendum à convitiis omnibus, insectationeque mutua, ut postmodum Christiana moderatione, sedatis animis, via facilior componendis dissensionibus aperiatur. *Ne igitur nobis eveniat, quod denunciat Paulus, ut invicem mordendo nos & lacerando consumamur, abstinendum potiùs à certamine, quàm ut communi Ecclesiæ jactura vulnus augeatur.* Verba sunt Calvini nostri, cujus hac in parte insistentes vestigiis Viri præcellentissimi Martini Lutheri b. m. præclarissima merita, dotes eximias Ecclesiæ Reformationi salutariter collocatas suspicimus, quamvis Jesum unum Doctorem ac Dominum nostrum profiteamur, neque ab hominibus, quantumvis præstantibus, hominibus tamen, sed à Christo totam familiam & in cœlo & in terris denominandam, authore Apostolo, censeamus, virorum Fratrum in tanti viri sententiam euntium τὸ ὁμόψηφον in præcipuis nobiscum Christianæ Religionis articulis probantes, non destitimus illos, exemplo Majorum nostrorum compulsi, fraternè excipere, cùm ad nos se receperunt; etiam in solennibus precibus ac jejuniis nostris pro calamitatibus eorum adflicti prostratique coram Deo, pacem iis salutarem adprecati, restitutam gratulati ex animo sumus; Et quantum vel nos penes fuit, vel occasio se dedit, prodesse illis sinceris charitatis officiis, absit verbis jactantia, hactenus annisi fuimus, annitemur in posterum semper. Omnes vicissim Fratres Viri fraterno in nos animo affici dignentur, rogamus, obtestamur, per pacem & salutem Ecclesiarum, per Christum Jesum, cujus ad tribunal sistemur omnes: Paulus audiatur verbis his fideles tàm amicè, tam potenter compellans. *Si qua est in Christo consolatio, si quod solatium charitatis, si qua Communio*

X. 4. *Remedium ut deinceps à conviciis abstineatur, quò fiat initium tractatuum*

Cùm Reformati charitatem fraternam exerceant erga Lutheranos.

Spiritus, si qua viscera ac Commiserationes, explete meum gaudium, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes & sententiis uni, nihil gerentes per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex animi submissione alii, alios existimantes sibi praecellere. Fores alii aliorum tandiu pulsemus, donec aliquando, si Deus fecerit (quem penes est hominum corda inflectere) eò res adducantur, ut facti Concordia foelices facti, mutuis adjuti auxiliis, sacrum hunc hymnum una Deo psallamus: *Quam bonum, quàm amoenum est habitare fratres una: est unguentum illud optimum, superfusum capiti, descendens super barbam Aharonis, quod descendit usque ad oram vestium ejus: ut ros Chermon, qui descendit super montes Tzijonis, nam illic mandat Iehova benedictionem in seculum.*

eandemque felicitatem omnes simul percipiant.

O aetatem auream, aetatem Angelicam, quâ tantum obtigerit beneficium, beatos oculos, quibus dabitur hoc intueri, beatas aures, quę audient. Felices terque quaterque Principes ac Dynastas, Pastores ac Doctores, qui authoritatem ac studia sua operi santo, tam salutari commodaverint: Dominus exaudiat illos in die tribulationis, protegat eos nomen Dei Jacob, mittat iis auxilium de Sancto, & de Tzijone tueatur eos.

Adhortatio ad Principes & alios, ut hac studia promoveant

XI. Reverendum denique & Celeberrimum Virum, Dominum JOHANNEM DURÆUM, pium in sacro hoc instituto ἀγωνιστὴν, nullis laboribus aut molestiis terreri se passum, quô minus id instauret, Deus ille Pacis clypeo suo tegat, salutaribus consiliis dirigat, gratiaque apud Viros Fratres, quibuscum rem acturus est, & superfusa largiter laboribus ipsius benedictione donet ac cumulet, ad summi Nominis sui gloriam, veritatis in Pace stabilimentum, & salutem totius Corporis Christi, *quod congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas Commissuras, ex vi mutuâ agente, pro mensura uniuscujusque membri incrementum capit, corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem.* Amen: Qui veritatem & Pacem Christi amant, nobiscum dicant AMEN.

Conclusio habet Votum pro Duraeo & Pacis stabilimento.

Dabamus Genevae Anno Æræ Christianæ MDC LV. *V. Idus Februarias.*

Pastores

Pastores & Professores Ecclesiæ & Academiæ Genevensis, & omnium nomine

THEODORUS TRONCHINUS Pastor & S.S. Theologiæ Professor, & pro tempore Moderator.

STEPHANUS GROSSIUS Pastor.

DANIEL CHABRÆUS Ecclesiastes.

ABRAHAMUS DUPANUS Pastor.

PHILIPPUS MESTREZATIUS Ecclesiastes & Professor S. S. Theologiæ.

ANTONIUS LEGERUS Verbi Dei Minister & S.S. Theologiæ Professor.

FRANCISUS TURRETINUS Verbi Dei Minister & S. S. Theologiæ Professor & p. t. Academiæ Rector.

PETRUS A FONTE Pastor.

Typographus Lectori S. D,

MOnendus es, Benevole Lector, ab eo, qui curavit hoc judicium subjici typis; quod lemmata quæ vides in marginibus, ab eo sint apposita, ut rerum momenta faciliùs observes; observata reperias. Vale.

EOdem anno 1655, impressus est Amstelædami tractatus ad pacem interEuangelicos conciliandam, cui titulus, *Actes Authentiques, des Eglises reformeés de France, Germanie, grande Bretaigne, Pologne, Hongrie, Pais Bas, &c. touchant la paix & charité fraternelle, que tous les serviteurs de Dieu doivent sainctement entretenir avec les Protestans, qui ont quelque diversité, soit d'expreßion, soit de methode, soit mesme de sentiment; rassembleés en un pour la consolation & confirmation des ames pieuses, & pour l'instruction de la posterité, par David Blondel.* Cum verò hic tractatus sit prolixior, dabo tantum ejus minimam partem: cætera multa ad pacem ecclesiasticam procurandam eximia, in ipso tractatu inveniet Lector: hæc habet pag. 7.

Le

Le Synode National assemblé à Vitré en Bretagne, le seiziesme de May 1583. suivant la mesme route dressa son decret en ces termes, Article vingtseptiesme des faits particuliers.

SUr ce qui a esté proposé que nous devions procurer l'union & accord des Eglises d'Allemagne avec les nostres; la Compagnie a esté d'avis, que Monsieur de Chandieu sera sollicité & prié de vouloir entreprendre le voyage, & là où ledit Sieur de Chandieu auroit excuse legitime, le Sieur de Serres est prié de vouloir suppleer à son defaut.

Article vingthuictiesme.

Monsieur Salvar sera prié d'escrire au nom & en l'authorité de cette Compagnie aux Princes & Theologiens d'Allemagne, & pour le subject des lettres, il en conferera avec le Sieur du Plessis, & lesdites lettres seront envoyees audit Sieur de Chandieu pour les presenter.

Le premier d'Aoust suivant Iacques de Segur Seigneur de Pardaillan & Sofroi, de Calignon, depuis Chancelier de Navarre, Ambassadeur de Henry le Grand, pour lors Roy de Navarre, & depuis de France, vers les Princes Protestants, leur fist offrir une charité fraternelle de la part de tous les Protestans François, & sur la demande d'une assemblée composée des deputés de toutes les Eglises qui se sont separées de la Romaine, remporterent response conforme à leur desir, de la part des Electeurs de Saxe & de Brandebourg, & des autres Princes correspondans.

L'an 1586 le 26 de Mars & suivans, Theodore de Beze & Anthoine de la Faye, Pasteurs & Professeurs en Theologie, deputés par l'Eglise de Geneve, avec Abraham Muscule & Samuel Hupner Pasteurs, & Claude Aberi Professeur en Philosophie, delegués par le Canton de Berne, à la priere de Frederic de Wittemberg, Comte de Montbeliard, offrirent de bonne foy, & rendirent, tant qu'il leur fust possible, tous offices de fraternité & charité Chrestienne, à Jacques André Smidlin, Luc Osiander & Thierry Snepff, Theologiens

giens convoqués de Tubingue dans la ville de Montbeliard ; non obſtant qu'ils ſe feuſſent monſtrés juſques alors paſſionnés ennemis & calomniateurs de toutes les Egliſes Reformées, tant ſur le point de la Predeſtination, que ſur ceux de la preſence reele & perſonne de noſtre Seigneur.

La diſpoſition des Reformés en France, Allemagne, grande Bretagne, Pologne, Tranſylvanie & Païs-Bas, n'a jamais eſte autre deſpuis: car l'horrible tempeſte qui batit l'an 1620 le party Proteſtant en Allemagne, ayant eſpars cà & là les membres des Egliſes, que la juſte colere de Dieu avoit couvert d'un deluge de maux, permettant qu'ils devinſſent la proie des ennemis conjurés dés le commencement à leur ruine. Les Reformés des Païs circonvoiſins ont à l'envy ouvert leur ſein à tous ces pauvres affligés, & faiſant voir à l'univers, qu'ils ſe ſentoient *navrés de la froiſſure de Ioſeph*, ont, ſans aucune diſtinction de Lutherien & de Calviniſte, embraſſé, conſolé & ſecouru ceux qui ſe ſont venus jetter entre leurs bras, & par leurs vœus & larmes ont juſtifié, qu'ils compatiſſoient ſincerement aux douleurs de ceux qu'ils ne pouvoient delivrer. perſonne d'eux ne s'eſt aviſé de leur impoſer la neceſſité d'abjurer la creance qu'ils avoient premierement imbue, & de les reduire à de ſi miſerables termes, que pour obtenir quelque ſoulagement en leur extreme diſgrace, ils fuſſent forcés à dementir le ſentiment de leur conſcience, & perdre les penſées de paier les offices de leurs freres d'aucun pris, que d'une entiere proſtitution de la bonne foy. Bien loin de ſuivre le conſeil du deſpit, & abuſer de l'occaſion, que leur calamité ſembloit offrir. Chacun s'eſt efforcé de guerir les prejuges indignes, dont la ſuggeſtion de quelques Docteurs mal intentionés avoient offuſqué leurs eſprits, non en ſe vengeant de leur erreur, & puniſſant leur meſpriſe par une rigueur implacable & Tyrannique, mais en leur bien faiſant, & les mettant à l'eſpreuve d'une charité, qui ne pouvoit proceder que d'une foy non feinte. L'an 1631 la providence de Dieu preſenta un nouveau moyen aux François de juſtifier la ſincerité de leurs intentions.

Sur la demande faicte par la Province de Bourgogne, ſi les fideles ſuivans la Confeſſion d'Ausbourg pourront eſtre reçeus à contracter mariage, & preſenter des enfants au Bapteſme en nos Engliſes, ſans *Actorum Generalium c.*

abjuration precedente des opinions qu'ils tiennent, contraires à la creance desdites Eglises. Le Synode declare, qu'attendu que les Eglises de la confession d'Ausbourg conviennent avec les autres Reformées es principes & points fondamentaux de la vraye religion, & qu'il n'y a dans leur culte, ny Idolatrie, ny superstition: les fideles de ladite Confession, qui avec esprit de charité & vrayement passible se rengent aux assemblées publiques des Eglises de ce Royaume, & desirent leur communion pourront, sans faire abjuration, estre receus à la saincte table, à contracter mariage avec les fideles de nostre confession, & à præsenter en qualité de parrain des enfans au Baptesme, en promettant au Consistoire, qu'ils ne les solliciteront Jamais à contrevenir, soit directement, soit indirectement, à la doctrine creue & professée en nos Eglises, mais se contenteront de les instruire es choses, desquelles nous convenons tous.

Ce decret dicté par l'esprit de paix & d'unanimité Chrestienne, & souscrit par tous les Deputés des Provinces, notamment par Guillaume Rivet Sieur de Chanvernou, & Iean de Croy Pasteurs de Taillabourg en Xaintonge, & de Beziers au Bas Languedoc, ayant esté impugné par ceux de l' Eglise Romaine; Iean d'Aillé, l'un des Pasteurs des Protestans residans à Paris, fust chargé par ses Collegues & tout le Consistoire, de le defendre, tant en son Apologie imprimée en Francois & en Latin, avec beaucoup de fruit, & l'approbation universelle de tous les bons, qu'en sa responsе aux invectives de Nicolas de Nets Evesque d'Orleans, parlant pour le Clergé de France. Theophile Brachet de la Milletiere, qui meditoit des lors son passage à l'Eglise Romaine, & en couvroit le dissein, par le specieux pretexte de concilier les partis contendans en fait de religion, ayant fait imprimer un petit escrit, touchant la necessitè pretendue du Papat, ou il accusoit le Synode National, d'avoir fait une *paix fourrée*, & un *syncretisme* honteux, & dont ne reviendroit que du desordre; David Blondel, qui dans le Synode mesme, avoit escrit le decret, demonsta toutes les machines de sa calomnie & verifia par une lettre qui fust deslors imprimée, que le Synode n'avoit rien resolu contre, la sincerité, mais qu'avec raison & de bonne foy, il avoit recognu les Lutheriens pour freres, & jugé que

leur

leur dissentiment ne devoit causer aucune rupture entre les Eglises; & la mesme cause a esté defendue par des lettres de plusieurs grands hommes, tant de France, que de la Grande Bretagne, respondans à la consultation de Iean Duræus Escossois, Ministre du S. Euangile. Moyse Admiraut Pasteur & Professeur en Theologie à Saumur, a soustenu la mesme chose par un traicté expres; Godefroy Hotton, l'un des Pasteurs de l'Eglise Françoise recueille à Amsterdam, muny de l'approbation du Synode assemblé dans Dordrecht le troisiesme d'Auril 1641, & de la pluspart des Eglises Reformées, a publié son traicté *de la tolerance Chrestienne entre les Euangeliques de l'Europe*. George Calixte, Docteur & principal Professeur en Theologie en l'Université d'Helmstad, s'est declaré l'an 1650, par ses traictés intitulez *Iudicium & votum*, & Jean Hoornbeeck, Professeur en Theologie en sa Harangue d'adieu a l'Université d'Utrecht: long temps auparavant, David Paræus, Docteur & principal Professeur en Theologie en l'Université de Heidelberg, avoit composé sur ce sujet son *Irenicum*. Pierre du Moulin, estant Pasteur pour lors de l'Eglise de Paris, avoit des l'an 1615 conspiré en mesme sentiment, & l'avoit notifié par son escrit intitulé *Ouvertures, &c.* dont le sujet sera rapporte cy dessous. & tous ensemble ont pris à tascher de verifier, qu'il ne s'ensuit nullement, que si quelques uns dans le party Lutherien ont fait & font des choses indignes d'eux, condamnans ceux avec lesquels ils conviennent en la substance de la Religion, & refusant de les reconnoistre pour freres: les Reformés doivent s'oublier jusques là, que de leur rendre la pareille, violans la fraternité qu'ils ont tousjours eu en principale consideration, & foulans aux pieds l'advertissement de sainct Paul, *que tous les fideles cheminent d'une mesme reigle, en ce à quoy ils sont parvenus, qu'ils sentent une mesme chose, que si quelques uns sentent autrement, Dieu leur revelera*: item *qu'il ne faut point que le servi teur de Seigneur soit debateur, mais qu'il soit doux envers tous, supportant patiemment le mauvais*. D'où resulte, que c'est mal prendre ses mesures, que de conclurre pour la rupture, pource qu'il y en a qui la causent contre leur devoir, & taschent de reduire les amateurs de la paix à la perte de tous leurs soins, de mesme que s'ils avoient à entreprendre le voyage des Indes par le Nort, & se rendre, de gayete de cœur, le jouet des glaces & des tormentes. Car puis que le precepte de Dieu est expres pour la recherche de la paix, & l'establissement du

Philip. 3. *v.* 15 & 16.

Tim. 2. *cap.* 2.

ſupport mutuel, nul des enfans de paix ne doit ſe rebuter par la rencontre des difficultés, qui peuvent traverſer le deſſein qu'il a de parvenir à ſon but, & tomber dans l'apprehenſion de ſe jetter dans un chemin qui le códuiſe à une ruine certaine. Veu que les experiences de la benediction de Dieu, ſont des aſſeurances capables de fortifier ſa foy & ſa charité, & l'entretenir dans cette ferme fiance, qu'il pourra obtenir, de tous ceux qui teſmoignent de l'alienation, qu'ils ſeront touchez de la vertu de Dieu, & ſe porteront à l'imitation des Egliſes recueillies dans la Pologne, & prattiqueront, à leur grande louange, le dire du Prophete: *O que c'eſt choſe plaiſante que les freres habitẽt enſemble.*

Si les Egliſes reformées ſont demeurées conſtantes dans la reſolution d'ouvrir leur ſein aux Lutherienes, & entretenir avec elles tous devoirs de fraternité, à plus forte raiſon ſe ſerõt elle ſenties obligées, à eſtreindre dans les liens de l'affection fraternelle, ceux qui ſont moins eſloignés de leur ſentiment commun, & ne different qu'en quelques menues hypotheſes. Chacun ſçait, que quand le diſordre, qui a troublé & trouble le Pais-Bas, eut fait naiſtre les noms des Remonſtrans & Contre-remonſtrans, le Sereniſſime Roy Iacques, Philippe de Mornay Seigneur du Pleſſis, & pluſieurs autres Amateurs du repos & de l'edification de l'Egliſe, deſiroient, que le different peut eſtre terminé par un concordat. Pierre du Moulin envoya de Londres, où il avoit eſté honorablement invité, aux Egliſes de France & Pais-Bas ſes *Ouvertures*, qui furent tournées en Flaman, & ſe trouvent entre les mains des curieux François, Anglois, & Hollandois, chargées entre autres de ces termes: *j'eſtimerois qu'il faudroit choiſir un lieu de ſeur & commode accés, où ſe trouvaſſent deux Theologiens envoiés par ſa Majeſté, deux par les Egliſes de France, & deux par celles du Pais-Bas, deux des Cantons de Suiſſe; un ou deux de chaſque Prince d'Alemagne de noſtre Religion. Le lieu que je penſerois eſtre le plus commode eſt la Zelande, &c. là je ne voudrois point qu'on diſputaſt de la Religion, car depuis que les Eſprits ſont eſchauffez, ils ne ſe rendẽt jamais, & chacun s'en retournant dit qu'il a vaincu. Mais je voudrois que ſur la table fuſt miſe la Confeſſion des Egliſes de France, d'Angleterre, d'Eſcoſſe, des Pays Bas, du Palatinat, de Suiſſe, &c. que de ces confeſſions on taſchat en dreſſer une commune, en laquelle on diſſimulaſt pluſieurs choſes, ſans la cognoiſſãce deſquelles on peut eſtre ſauvé, comme eſt la queſtion de Piſcator touchant la juſtification, & pluſieurs opinions ſubtiles propoſeés par Arminius ſur le franc Arbitre, la predeſtination, & perſeverance de Saincts, &c.* An-

Anno 1656. prodierunt Literæ Reverendissimi in Christo Patris Domini Johannis Matthiæ Episcopi Stregnensis, ad Serenissimum Sueciæ Regem: quibus consilia concordiæ Ecclesiasticæ hoc tempore inter Evangelicos promovendæ suæ majestati prolixè commendat. 1656.

Serenissime & Potentissime Rex, Domine Clementissime.

IN ea nos, Te Rege, Summus Ille rerum humanarum Arbiter & Moderator Deus singulari sua gratia & favore post acerbiora nonnulla fata & minus speratas rerum vicissitudines, servavit tempora, ut incertus hæream, sitne felicitati nostræ domesticæ vel externæ potius gratulandum. Quippe domi natus est filius Regius, Princeps hæreditarius primogenitus, spes Regni, fulcrum domus & familiæ, Te patre extra Regnum, intra horrisonos belli clangores triumphante, in quorum duorum salute & incolumitate universæ patriæ nostræ salus conquiescit; Foris verò sub justis & victricibus tuis armis per immensam Dei bonitatem mirabili & inusitato rerum successu hostes terrore sunt perculsi, & validę Gentes & Nationes sine ulla ferè sanguinis humani effusione sub Imperium & obsequium tuum redactę. Tot & tanta sunt hęc, tamque inaudita & gloriosa, quę Deus O.M. paucorum mensium decursu in Te & Orbem hunc Septentrionalem contulit beneficia, ut neminem adeò vecordem & ingratum suspicari possim, qui non exultet & totus gaudio non perfundatur: Ego certè pro ingenuitate mea ex tot tantisq; Dei in Te misericordiæ testimoniis nihil aliud colligere mihi videor, quàm Te ad majora adhuc natum & ad altiora à Deo destinatum esse. Videris enim mihi rebus pręclare gestis non ad unius populi duntaxat, sed Orbis universi salutem temporalem & æternam collimare, atque augusta tecum mente circumversare, qua ratione, quove pietatis pignore cœlum ipsum tibi obligare debeas.

Factum est Divinâ Providentiâ, Rex Potentissime, ut multi populi Imperio Tuo jam subsint, quorum integræ provinciæ virulentis controversiarum clamoribus & stomachosis opinionum conflictibus, Incolarum animis in diversos de sacris sensus distractis, ita resonant, ut ferreus planè sit, qui tot rupturis non ingemiscat, &

tantis malis non indoleat. Nam plerumque evenire solet inter tot sententiarum divortia & mutua omnium odia, ut illi, qui Christianorum optimi sunt, angantur maximè animis; qui imbecilliores, ad desperationem ferè adigantur, & sicubi eminus qualemcunque unitatis vel stricturam vident, ad eam per errores etiam, ac præcipitia tendant; qui distinctiores ingenio & vita sunt, malè de Religione sentire incipiant, tandemque in Atheismum prolabantur, extremum, quod in hominem cadere potest in hac vita, maximèque omnium horrendum & exitiale malum. Quin etiam ipsa experientia docuit, quàm contra vim alienam invalidum fuit illud Regnum jam tua virtute bellica occupatum, quod domi tot sacris dissidiis & civilibus contentionibus satis diu fuit attritum, *Omne Regnum*, inquit Dominus Dominantium, *omnis urbs in se divisa devastabitur*. Diversæ quidem in Religione sententię tolerari possunt, dum quietæ, turbarum fugientes & sic sine noxa sunt Reipublicæ. Interim tamen ut nunc sunt comparata ingenia humana, nescio quo deterrimo Christianorum more, fatoque ex diversitate Doctrinę facilè in diffidentiam mutuam nulla etiam jurisjurandi religione securam, in odia internecina, in convitia, injuriasque, in seditiones denique & bella publica, eaque intestina plerumque, bellorum omnium maximè abominanda degenerant. De quo dubitare non sinunt cùm historiæ veteres & novæ, tum ipsa totius Europæ Regna, quæ ut bellis immanissimis non ita pridem arserunt omnia, ita primam mali flammam ex sacris dissidiis concepêre, unde liquidò constare potest quàm res sit periculi plena, habere Imperium in populum, qui in diversa trahitur, & in discordantes circa Religionem opiniones scinditur. Quietem enim politicam sine pace Ecclesiastica raró bonam, nunquam certè tutam, nunquam securam esse testantur annales, multi viri eruditi & magni terrarum Domini loquuntur. Hæc omnia pia mente mecum perpendens, Clementissime Rex, non potui pro debito meo in Tuam Majestatem obsequio & sincero affectu, nec non devoto in promovenda veritate & pace Ecclesiastica studio (quod novit ipse, qui scrutatur renes & corda) intermittere, quin has ad Tuam Majestatem Literas ea, qua par est ac decet, omni animi submissione darem, quibus hoc unicè intendo, quod Deo

gra-

gratum, Ecclesiæ salutare & Reip. omninò utile esse videtur, scilicet, ut Sacra Tua Majestas pro Authoritate, quam Deo in terris secundam habes, pias aliquas cogitationes suscipere digneris de sanandis Ecclesię Christianę vulneribus & resarcienda inter dissidentes concordia ecclesiastica, prout decet verè Christianum Principem optare, & in eam curam incumbere, ut sepositis omnibus erroribus fundamentalibus efflorescat aliquando Ecclesiæ status, & Regnum Domini sub toto cœlo amplietur. Cum verò sciam, rem esse difficilem, imò impossibilem, omnes omninò diversas in sacris sententias conciliare, donec absurdum illum effectum, quem nonnulli intendunt, omittant, videlicet, non ut coalescat Ecclesia in unam simplicem veritatem sublatis ab omni parte erroribus, scandalis & abusibus, qui in illam irrepserunt, sed ut pars altera cedat, transeatque in alteram tota: quod nunquam fieri potest, præsertim cum partem Ecclesiæ Reformatæ ad non Reformatam transire velint, licet non ignorent causam, propter quam ab illis secessum est, fuisse desideratæ orbi tot abominalium abusuum Reformationis defectum. Idcircò de concordia Christiana inter Euangelicos ineunda pium & maturum consilium à Tua Majestate clementer capessendum esse existimo, quo feliciter formato, ad reliquam partem conciliandam facilior ratio patescet. Inter Protestantes autem pacem & concordiam ecclesiasticam redintegrandi viam nostro quidem seculo non adeò difficilem & arduam esse arbitrantur omnes tam Theologi quàm Politici quicunque rem absque prǫjudicio saniore mente contuentur. Nec desunt illi suo officio in promovendo & stabiliendo, quantum in ipsis est, negotio tam pio, tam pulchro, & Reipub. Christianæ tam salutari & necessario. Nam & Principes Illustrissimi & Præsules vigilantissimi & Doctores piissimi verbis & factis vehementiam istam nimiam nonnullorum hominum in disputationibus & contentionibus de rebus dubiis & abstrusis, ac minus necessariis, aversantur, & quantum possunt retundunt, & pacem Ecclesiasticam, pacis politicę Matrem, pacis ęternę anteambulonem, multis modis restaurare satagunt. Et ne longius procedam, habes in Polonia, Rex Serenissime, in Borussia, & vicinis Provinciis viros Euangelicos quam plurimos, moderatione

ne

ne insignes & eruditione probatos, qui scriptis & vocibus pacificis amicè & sincerè compellare solent Zelotas alios & intemperatiores, eosque ad pacis, charitatis, benevolentiæ & amoris leges dandas & accipiendas descendere, per viscera atque miserationes Domini nostri Jesu Christi orare & obtestari. Imò spirat jam universus propè Orbis Euangelicus Sacrarum litium pertæsus, dissidiorum Ecclesiasticorum, turpissimè per Europam tot annis Ecclesiam Dei vexantium, compositionem. Nec unquam sanior pars Mundi ab hoc opere victa desistet, donec turbæ Ecclesiasticæ & litigia in rebus sacris aut prorsus consilescant, aut ad Evangelii cursum, ad florentem Ecclesiæ conditionem, ad Dei gloriam & totius Orbis bonum, ringentibus frustrà ingeniis rixosis, pacatiora, quod Deus clementer concedat, evadant omnia. In Te autem, Rex Clementissime, omnium oculi hoc nostro ævo sunt conversi, Te Caput & velut Angelum cæterorum Principum aspicit jam & veneratur universa Protestantium cohors. Tuum consilium, patrocinium & auxilium implorat: Te primum & ultimum sanandis suis vulneribus in tempore nunc opportuno à Deo datum esse certò sibi persuadet. Tibique Divinâ providentiâ tot provincias cessisse, & tot populos Religionibus inter se discordes subactos esse credit, ut sub Tuo Celsissimo Auspicio, cura & prudentia, per veritatis & pacis vinculum in unum Gregem aliquando coalescant. Agnoscit quidem vulnera sua Ecclesia Orthodoxa: Agnoscit & dolet distractiones suas in partes, sed tamen agnoscit hæc omnia sanabilia esse, si modò sub tuo Augustissimo imperio conveniens adhibeatur medicina, convocatis in principio, loco commodo, paucis numero Theologis eruditione justa, eloquentia pia, prudentiaque simplici conspicuis, & moderatione ingenii ac honestate vitæ insignibus, qui ad normam verbi divini amicis, placidisque inter se collationibus negotium illud pacificatorium in timore Domini aggrediantur, & seclusis ac sepositis dubiarum & inutilium quæstionum spinis, quibus nullum non Religionis caput hodie à nonnullis gravatur (quas tamen priora & meliora secula aut ignorarunt, aut sapienti consilio devitarunt) absque rixis & litibus veritatem eam, quæ secundum pietatem est, pia & sincera mente quærant, & unanimi con-

consensu approbent. De successu operis & optato eventu dubitare non sinunt severissima Dei præcepta de charitate Christiana inter omnes colenda, ejusdemque divina vaticinia de felici, tranquilla & gloriosa Ecclesiæ conditione sub ultimis his temporibus mundi ubique in sacris Literis obvia. Hoc autem commodi exinde in Ecclesiam redundabit, ut cùm Illi, qui à Religione Evangelica alieni sunt, quibus nunc per nostras discordias opprobrio exponitur, ne de illa discenda, recipiendaque vel cogitationem suscipiant (quis enim sibi persuaderi patiatur, ut ad eos accedat, quos inter se in factione videt esse divisos?) cum gaudio & exultatione ex variis mundi plagis ad unitatem & veritatem accurrant. Imò ipsi Judęi qui jam horrent ad veritatem N. T. accedere, quamprimùm intellexerint nobis inter nos de doctrina inde deprompta convenire, absque ulla tergiversatione juxta prophetias de isto populo factas, nobiscum convenient. In statum verò Civilem quàm multiplices provenient fructus, si extinguatur Incendium illud Religionis Euangelicum, utrique jam parti perniciosum, longum esset recensere. Ita enim Protestantes mutuo veritatis & charitatis vinculo juncti, junctis quoque viribus & armis, feliciore contra hostes communes successu pugnabunt, juxta vetus illud, *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Docet ipsa experientia quàm perniciosum & exitiale sit malum in ipsis Rebuspubl. discordia civium, adeoque nec magis tolerandum quàm membrorum in corpore humano inter se dissidium. Certè non fert Dux belli suos milites, nec navis Gubernator nautas, nec Dominus servos animis & operis discordes: nisi enim Capiti suo sese præbeant morigeros, & conjunctis viribus alii aliis subserviant, nunquam quæ suscipiunt, probè succedent, aut ad optatum finem perducentur. Et quemadmodum navis, cujus latera, prora puppisque; & Domus, cujus fundamenta, parietes, trabes, tectum & cęteræ partes minus firmas & fixas habent juncturas, quavis tempestate & procella concutiuntur, percelluntur, & tandem ruunt; ita jure nos existimare oportet politiam nostram infirmari, subrui & funditus subverti, si singula membra inferiora non se regenda & dirigenda submittát capiti, si non suo quęq; loco sociorum & conservorum commodis sese applicent, & mutuo & subor-

dinato consensu auxilia sua efficiant firmiora; sicut enim non est ferendum membrorum cum capite dissidium, sic nec membrorum inter se distractio; Quid multis? Deus pacis, nunquam secum disconveniens, vult nobis inter nos conveniat, ut unum sentiamus omnes, ut unum loquamur. Te igitur iterum atque iterum propter Dei gloriam & communem Euangelicarum Ecclesiarum salutem temporalem & æternam, omni animi subjectione oro & obtestor, Rex maxime & felicissime, ut non dedigneris consilia hæc Irenica à pia mente fidelissimi tui servitoris profecta, clementer acceptare, & cum confœderatis Monarchis & Principibus Euangelicis, deliberationibus maturè habitis, Euangelium pacis apud omnes ita promovere, ne gaudium quod sub tuis auspiciis ex belli civilis felicissimo progressu Ecclesia cepit, infelici schismatis Ecclesiastici continuatione cum dolore & tristitia piorum omnium diutius sufflaminetur. Sic fiet, Serenissime Rex, ut Respublica Christiana gloriosa & tuta sub Dei alis & tua protectione subsistat, & mutuis consiliis & auxiliis magis firmetur & invalescat, nec non arctiùs unita solido veritatis & pacis coagulo hostium injuriis minùs pateat. Sic fiet ut cætera omnia non modò ad vitam degendam necessaria, sed & omnia, ut tempore Davidis & Salomonis ad ornatum facientia, Deus affatim suppeditet. Sic fiet ut Dominus exercituum perturbet in æstu iræ suæ omnes inimicos tuos, & orthodoxæ Religionis oppugnatores, & virgâ ferreâ omnes contra Jehovam & Christum ejus consultantes & machinantes contundat, & ut vas figulinum confringat. Sic fiet ut cæteri quoque terrarum Domini & Principes Orthodoxi ad unanimitatem faciles concurrant, & sopitis inter se controversiis junctâ operâ cum Tua Majestate indesinenter operam impendant, ut omnes & cæteræ Nationes credant *Iesum esse Christum illum filium Dei, & credentes per ejus nomen vitam æternam habeant.* Deus pacis sancta pacificornm omnium consilia ex alto prosperet, ac illis benedicat, qui præcipuis ac primis votis atque conamine, & præ reliqua hujus mundi gloria & potentia Christi regnum promovere student, ac tuam inprimis Majestatem Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ bono salvam & incolumem diutissimè servet, atque tandem in seculo futuro æternæ pacis & felicitatis corona frui concedat. Hoc ex animo submissus vovet & impensius precatur

Sacræ Tuæ Maj.

Subjectiss. & Humillimus Servus

Streng. d. 7. Martii 1656. *Ioh. Matthiæ Episc. Streng.*

Atque hæc sufficere mihi videbantur, benevole Lector; dabo autem reliqua plurimarum Ecclesiarum Consilia ad studia pacis Ecclesiasticæ promovenda, per earumdem assensum & consensum, compendiosè à Duræo in hoc sequenti Syllabo nobis relictum.

Syllabus documentorum, quæ ab Ecclesiis & Magistratibus per Helvetiam & Germaniam Euangelicis, ad concordiæ Ecclesiasticæ Studium inter sese & apud exteros suis suffragiis excitandum & promovendum tradita sunt in Authographis IOHANNI DURÆO, qui hactenus hanc causam apud Ecclesias sollicitavit.

Documenta à Ministris & Theologis tradita hæc sunt.

1. Ab Academiis Anglicanis & Ministris Londinensibus, qui declarant se cum Duræo in hac causa suam operam conjungere; ac proinde rogant omnes, quos aditurus est, ut illi fidem adhibeant in iis, quæ ipsorum nomine dicturus est, & petunt, consilia super hac re, quæ volent sibi cognita, ipsi communicent. A. 1654.
2. Ab Ecclesiis & Academiis Helveticis; earumque confœderatis, quarum Declarationes sunt
   1. Particulares:
      1. *Tigurinorum* de Scopo, quem pleno ore approbant; -- 5 *Iunii.*
         uberius explicant. —— —— — 9 *Iunii.*
         Mediis, quæ summatim recensent, & approbant & adhiberi posse judicant & pro illorum communicatione gratias agunt — 13 *Iulii.*
         Modo procedendi, quem dilaudant, postquam variis adductis argumentis probarunt successu non cariturum —— —— — 26 *Iulii.*
      2. *Bernensium*; ubi de Duræi ad se adventu sibi gratulantur; Scopum & Media dilaudant, suam omnem ope-

ram offerunt in posterum, & de successu spem suam proferunt — — — — A. 1654. 27 Aug.

3. *Basileensium*; in qua gratias Deo agunt de renovato Concordiæ studio; gratulantur sibi de Duræi ad se adventu; deque commendatitiis, quas attulit ad Magistratum suum literis à D. Protectore. Scopum collaudant & explicant, Mediaq; & Modum procedendi collaudant, sed tamen judicant justo esse prolixiora; atque ideo suadent, ut ab induciis fiat initium, in quibus, conviciis & calumniis finis imponatur, quousque induciæ illæ sint extendendæ; quid sit in hoc negotio Magistratus officium & quomodo induciæ procurari queant; ubi explicant, quid à Serenissimo Domino Protectore fieri velint cum consensu reliquorum in hoc studio Reformatorum; de pensis elaborandis judicant, ea non esse adhuc efferenda, nec ab Helveticis solis suscipienda, tandem concludunt excusando libertatem suam cum voto pro Duræi successu — — 16 Octob.

4. *Schaphusiensium*; ubi postquam demonstrarunt necessitatem excolendæ inter Christianos charitatis, Deo gratias agunt pro excitatis concordiæ Religiosæ procurandæ organis, sibique gratulantur de Duræi ad se adventu & enarratis propositionis ab ipso factæ præcipuis circumstantiis, Scopum, Media & Modum procedendi planè approbant; in pensis elaborandis circumspectionem monent esse adhibendam, & actis Duræo pro communicatione gratiis, suam operam in negotio spondent. — — 12 Nov.

5. *Sangallensium*; ubi de Duræi ad se adventu cum gratulatione prolixa differunt: Deo gratias agunt pro studio concordiæ suscepto; necessitatem illius studii etiam Gallicis Ecclesiis aptant. Initium faciendum ab Induciis. Doctrinam de Eucharistia clarius à parte Reformata esse explicandam; eamque paucis explicant, ut Lutheranæ parti melius satisfiat, tandem Duræo in studio hoc bene precantur. — — — — 6 Decem.

6. Lau-

6. *Lausannensium*; ubi de pacis colendæ inter Christianos officio, mutuaque tolerantia differunt; sibi gratulantur de Duræi ad se adventu; & de scopo suscepto, Deo gratias agunt, seque illum osculari declarant; Media etiam approbant; & præcipuè, ut ex confessionibus publicis fundamentalis veritatis fiat Demonstratio, & ut ad congressum sub Authoritatis supremæ auspiciis res adducatur suadent, ac Duræo omnem optant successum in re procuranda —— —— —— —— 18 *Janu.* A. 1655.

7. *Genevensium Declaratio* typis exstat: In ea est gratulatio de spe concordiæ; approbatio studii suscepti ad eam quærendam, Consilium de remedio discordiæ in conjugio veritatis & pacis; in præjudiciis tollendis; in levioribus rebus tolerandis; in convitiis reprimendis, in tractatibus inchoandis, ad quos Reformatos propensos esse declarant, & ad eosdem hortantur Lutheranos, Magistratusque omnes, omnesque Ecclesiasticos, ut huic studio incumbant animant, tandemque Duræo benedictionem apprecantur —— —— —— —— 9 *Febr.*

8. *Bielensium & Neostadiensium*; ubi laudant concordiæ in Duræo Studium, gratiasque agunt pro omnibus iis, quæ sibi communicata fuerunt de Scopo & Mediis, quę se approbare profitentur & Deum pro felici progressu negotii implorant & Duręo bene precantur. —— —— 16 *Febr.*

9. *Abbatiscellanorum*; Laudant & pacem & Duręum pacificum; probant scopum; de eventu sperant; pacem describunt quam quęrunt, & Consilium suggerunt in ea obtinenda & Duręo bene precantur —— —— —— 20 *Mart.*

10. *Neocomiensium*; ubi gratulantur sibi de studio concordiæ suscepto, commendant illud officium multis argumentis; Media suggesta approbant; promittunt suam operam conjunctam in Meditatione & precibus; de scopo judicant fore, ut ad Dei gloriam vergat, deque successu benè sperant, & Duræo felicitatem apprecantur —— —— 3 *Maji.*

11. *Mulhusinorum*; ubi laudant concordiæ ſtudium, ſuaq; ſtudia ſe pacificis conjungere velle teſtantur; Duræo bene precantur & ei gratias pro Conſiliorum communicatione agunt, ſeque conſenſum ſuum aliorum deſideriis addere profitentur —— —— — —— A° 1655. 6 *Iunii.*

2. Eſt communis omnium Cantonum & confœderatarum Eccleſiarum, in qua res ſibi à Duræo propoſitas enarrant; Scopum & Media ſtudii Irenici approbant; de Modo procedendi Conſilium ſuggerunt: aliis negotium ſerio commendant, ſuamque in eo operam porrò offerunt — — 15 *April.*

3. *A Miniſtris VVetteravicis:*

1. *Hanovicorum*; ubi de fide & charitate diſſerunt; de Duræi ſtudio narrationem inſtituunt. Illud collaudantes; ſpem ſuam de ſucceſſu declarant; Conſilia ſuggerunt; veritatem fundamentalem ſtrictè retinendam; in extrafundamentalibus Tolerantiam eſſe admittendam. Tractatus Davenantii & Forbeſii & aliorum eſſe recudendos, in quibus demonſtratur diſſenſum non eſſe Fundamentalem: Allaborandum à parte Lutherana, an velint de ſchiſmate abolendo cogitare, Initium in hoc labore à ſummis Magiſtratibus faciendum, ut ſuos Theologos eò adducant. Denique ſe ſtudia ſua huc collaturos ſpondent & Duræo bene vovent in ſucceſſu conatuum. —— —— —— 11 *Iulii.*

2. *Birſteinenſis Inſpectoris*; ubi Scopum laudat; Conſilia approbat & nomine ſui Comitis Iſenburgici Birſteinenſis omnem operam ſpondet —— —— —— — 26 *Iulii.*

3. *Braunfelſenſium*; ubi Duræo gratulantur de continuato pacis ſtudio & ſibi etiam: communicata omnia de Scopo, Mediis & Modo procedendi approbant & de pleniore omnium Solmenſium Miniſtrorum conventu vocando, propoſitum aliquid eſſe innuunt: atque ita bene Duræo precati, ei valedicunt —— —— —— —— 10 *Aug.*

4. *Griffenſteinenſium*: ubi concordiæ ſtudium commendant & Scopum, Media & Modum procedendi approbant, operam conjunctam offerunt & Duræo in opere bene precantur - 11 *Aug.*

Budin-

5. *Budingensium*; ubi Helvetiorum & Genevensium Iudicio se subscribere ajunt & operi successum & Duræo bene vovent — — — — — A° 1655. 24 *Aug.*

6. *Wittgensteinensium*; ubi studia piorum in Ecclesiæ commodis promovendis dilaudant; Durço gratulantur adventum; studium laudant. Suo calculo Helveticorum & Genevensium Iudiciis subscribunt: Concursum suum in Mediis promovendis offerunt & non obstantibus quibusdam difficultatibus bene sperant & Duræo bene cupiunt — 1 *Sept.*

7. *Francofurtensium*; ubi enarrant ab alto originem ortarum contentionum inter Ecclesias Christianas & damna Euangelicis data à dissidiis. Laudant Durçum à pacis studio, Consilia approbant; animum addunt & ei bene precantur. 1 *Sept.*

8. *Berleburgensium*; ubi de Satanæ astu in dissidiis fovendis disserunt & Dei providentiam in iis, qui ei resistunt, excitandis observant; inter hos Duræum collocant; cujus Scopum & Consilia collaudant, & eum, ut in opere pergat, hortantur — — — — 5 *Sept.*

4. *A Ministris & Theolog. Nassovicis.*

1. *Dietsensium*; ubi suæ cum Lutheranis jam initæ concordiæ rationes explicant & ulteriorem suum concursum ad Principis sui nutum referunt — — — 20 *Aug.*

2. *Herbornensium*; ubi de Instaurato à Duræo concordiæ studio sibi gratulantur; querelam de Lutheranis quibusdam instituunt; attamen ideo de pace non esse desperandum censent. Concursum spondent in opere. Consilia suggerunt de veritate ex Confessionibus manifestanda. De Armistitio à rixis. De Magistratus Authoritate accedente, & Duræo animum addunt ut in opere pergat. — 7 *Sept.*

3. *Tillenbergensium*; ubi de viis Concordiæ antehac quæsitæ disserunt, & viam, quàm Duræus sectatur, comparatam cum prioribus laudant præ illis; se Herbornensium Judicio subscribere significant. — — — 17 *Sept.*

5. *A Ministris & Theolog. Hassiacis.*

1. *Cassellanorum*; ubi de Veritate & Pace, & de Concordiæ utili-

utilitate differunt; Duræum in studio suscepto confirmant. Suecica postulata probant. Consilium suggerunt, quomodo Duræo sit procedendum, ut possit tandem Lutheranorum quoque consensum impetrare, & rem ad tractatum perducere, & in toto negotio suam offerunt operam ei & Ecclesiis — — — — — *A.* 1655. 7 *Decem.*

2. *Marpurgensium*; ubi desiderium pacis variis argumentis laudant. Eos, qui consilia pacis in Anglia & Scotia agitarunt antehac & etiamnum cum Duræo agitant, honorificè nominant. Scopum Duræo propositum recensent, comprobant, & in eo promovendo suam spondent operam suo tempore; Interea de Mediis, Modoque procedendi, & aliis communicatis scriptis dicunt se suo tempore, si ad speciales tractatus devenietur, sententiam suam patefacturos, vovent operi & Duræo successum. — — 31 *Dec.*

6. *A Palatinis Ministris & Theologis.*

1. *Bipontinorum*; ubi repetitis quibusdam, A° 1653. in hoc studio actis excusant tarditatem in respondendo. Narrant mandatum Principis, & ad singula Duræanæ Epistolæ capita respondent distinctè, eique valedicunt. — — 9 *Nov.*

2. *Heidelbergensium.*

D. *D^ris Spanhemii per Epistolam*, in qua laudat studium, & operam suam in eo promovendo spondet, & de Genevensibus urgendis ad editionem Harmoniæ Confessionum seriò se cogitaturum dicit, & Duræo bene precatus, ei valedicit — — — 24 *Dec.*

D. *D^ris Hottingeri per Epistolas*; ubi Consilia specialiora

a. quædam, quæ à Duræo explicari petierat, se appro- 25 *Dec.*

b. bare declarat; Item fatetur sibi satisfactum à Duræo ad objectiones quasdam, quas antea proposuerat, suadetque continuationem in opere, & ait, Heidelbergæ Irenica Consilia ita fervere, ut forte cum Duræo pro palma certare possint; cùm Sereniss. Electori animus non desit negotium diu deliberatum in effectum ipsum producendi — — 15 *Febr.*

c. Denuò

c. Denuò asseverat, Sereniss. Electori conatus Irenicos valde probari ——— ——— ——— ——— ——— — *A. 1656. 2 April.*

d. Mittit in hac Duræo prodromum suum Irenicum, ita scribens: *Initium feci Meletematum Irenicorum; in progressu, cum Deo videbis, quid de te & conatibus tuis sentiam; persuasissimum habeto, me causam hanc bona fide acturum* ——— ——— — *23 Maj.*

7. *Ab Anthaltinis*; ubi institutum animitus amplectuntur, octo Suecorum Theologorum postulata approbant; prout ab Helvetiis limitantur. De procedendi modo consilia suggerunt. De Generali Reformatorum Confessione cogitandum censent ex Harmonia Confessionum, ad quam edendam Genevenses hortantur; & ad Correspondentiam cum Duræo porrò fovendam in hoc Studio se paratos profitentur ——— ——— ——— — *24 Febr.*

8. *A Lippiacis*; ubi explicato Comitis sui Mandato, ut suam promant de Duræi Studio mentem, dicunt, Se putasse, Lutheranos primò compellari potuisse; sed tamen acquiescere in ordine, quem Duræus sequitur in agendo. Atque ita gratulantur sibi de Studio suscepto & Methodum & Media proposita approbant; suggerunt successum posse explorari, antequam ad congressum deveniatur, per paucos aliquot Theologos, & cavendum majoris dissidii periculum. Duræum multis verbis confirmant in conatu & spondent operam & preces ——— ——— ——— *26. Febr.*

9. *Ab Embdano Ministerio*; ubi collaudant Duræi Studium, deinde de successus possibilitate & Personis, quibuscum agendum putant, disserunt. Consilia de Modo procedendi in tractatibus cum moderatis Lutheranis suggerunt, & Duræo bene precati, ei valedicunt ——— ——— ——— ——— ——— — *17 Mart.*

10 *Ab Embdano Cœtu*, ubi enarrantur ea brevibus, quæ coràm cum Duræo Embdæ in ipso Cœtu acta fuerant, tum gratias ei agunt, quod se accedere voluerit & ipsis Informationem de successu operis sui præstare. Deinde Scopum & Media communicata, itemque Modum procedendi approbant; denique de rigidioribus Lutheranis ad tractatus perducendis & flectendis Consilium suppeditant, quomodo id fieri possit, nempe, inter alia, per Suecum & Danum Saxonem esse flectendum ——— — *14 Iulii.*

11. *A Bremensibus*; ubi de operis successu ex concursu tot consiliariorum sibi gratulantur: conjunctam spondent suam cùm aliis Ecclesiis operam, Scopum approbantes & Media. Suadent, ut cùm Lutheranis de Scopo agatur, an velint illum intendere; tum contestato ab illa parte affectu erga Scopum, de Induciis à contentionibus esse cogitandum, deque mutua tolerantia & aliis concordiæ firmandæ viis, quas paucis enarrant & Duræo bene precantur — — — — — — A° 1656. 27 *Mart.*

12. *A Tecleburgensibus*; ubi collaudato Veritatis & Pacis sectandæ officio, Duræi Studium probant; Media & quæ à Suecis proposita sunt & ab aliis sc. Helvetiis, Hassiacis, & Anthaltinis prolata, suo calculo approbant & optatum eventum apprecantur. Spondent pro sese in omnibus suis officiis moderationem: & causas, quare illam omnes observare debeant, allegant, & operi ac Duræo bene vovent — — — — — 2 *Iunii.*

13. *A Bentheimensib. & Steinfurtensibus*: ubi deplorant dissidii Ecclesiastici incommoda & frustraneos in eo componendo conatus priores; attamen de eventu necdum desperandum censent, propter oblata & ab aliis & Duræo remedia, quæ approbant & de iis sibi gratulati, consultationem inter moderatos utriusque partis instituendam suadent, & progressibus Durei bene precantur 28 *Iunii.*

14. *A Synodo Generali Iuliacensium, Clivensium, Marchicarum & Montensium Ecclesiarum* in artic. 30. ubi enarrata informatione à Dureo oblata, de progressu consiliorum pacis declarant, se concursum suum testari velle publica declaratione, quę omnium nomine concipienda est à quatuor viris ad id officii Deputatis — 14 *Iulii.*

15. *A Synodo Provinciali Gelriæ* art. 2 & 7. ubi enarratur, quod post Informationem de progressu studii concordię oretenus à Duræo acceptam & per Deputatos ex originalibus scriptis agnitam, esse veram. Synodus non solum studium Durei aprobavit, sed recipit se velle de eo agere cum correspondentibus secum Synodis; se velle Classium suarum Judicia super negotio audire, & si opus fuerit, cum suo Magistratu de eo conferre. — — — — — — 4. *Augusti.* *st. nov.*

Docu-

Documenta à Magistratibus Euangelicis. A° 1634.

1. *A Statibus Euangelicis* Decretum in Conventu Francofurtensi factum de negotio Concordiæ Ecclesiasticæ, in quo declarant, qua ratione Durçum per Deputatos suos audiverint & quid occasione rerum ab ipso exhibitarum deliberatum fuerit apud Status: nempe, negotium publica Auctoritate esse promovendum & ad colloquium perducendum, in quo de fundamentali confessione condenda sit agendum, atque interea ab Invectivis & Eristicis scriptis utrinque esse abstinendum; Moderationem ubique promovendam & in precibus publicis consilia hęc Deo commendanda ——— ——— ——— ——— A° 1655. 14 Sept.
Hoc decretum fundamentum est, cui innititur hoc tempore tota rei tractandę renovata consideratio apud Euangelicos Principes & Magistratus.

2. *A Proceribus Helveticis* Declaratio, in qua explicant circumstantias suorum cum Durço tractatuum & argumenta, quibus inducuntur ad operam suam concordię promovendę instituto offerendam ——— ——— ——— ——— ——— 14 April.
Hæc Declaratio Typis impressa est

3. *A Comite VVilhelmo Ottone in Ysenburg, & Budingen* per Epistolam; in qua gratias Durço agit pro communicatis sibi ab illo scriptis informatoriis de negotio Irenico; exoptat tractatuum Irenicorum reassumptionem inter omnes Status Euangelicos; suadetque Durço, ut ad Directorem Correspondentię Wetteravicę rem deferat; suamque operam in ea promovenda spondet ——— ——— ——— ——— ——— ——— 23 Iulii.

4. *A Comite VVilhelmo à Solms* per Epistolam, in qua agnoscit, se à Durço per Literas accepisse informationem de suo Studio, gratiisque ei actis pro communicatione de felici successu negotii spem suam explicat & concursum in opere promovendo promittit ——— ——— ——— ——— ——— 11 Aug.

5. *A Principe Bipontino* per Epistolam Declaratio, in qua studio Euangelicæ Moderationis collaudato, spem suam de successu conatuum Duræanorum exponit, & suam operam per se

suosque Ministros in iis promovendis spondet —— —— A° 1655.

6. *Ab Electore Brandenburgico* Instructio ad suum in Anglia Residentem super hoc negotio, ut cum D^no. Protectore illud agitet. — 10 *Octob.* A° 1656.

7. *Ab Hassia Landtgravio* per Declarationem, in qua concordiæ quærendæ inter Euangelicos necessitatem agnoscit, & Duræi studium & vocationem legitimam ad rem tractandam approbat, suumque concursum in negotio promovendo spondet —— 5 *Ianuar.*

8. *Ab Anhaltinis Principibus*, videl: *Casimiro, Christiano, & Lebrechto* per Declarationem, in qua Duræum sibi exposuisse suum in concordia quęrenda studium testantur, de quo sibi gratulantur; pristinum suum in hoc conatu cum aliis statibus exponentes concursum, spondent se inposterum non defuturos huic operi apud suos Theologos promovendo —— —— —— —— 18 *Febr.*

9. *A Bremensi Senatu* per Epistolam, in qua summopęre sibi probari conatum Duræi, suoque Ministerio missas ab ipso Literas se exhibuisse testatur, & remittens sui Ministerii responsum, omnem suam in re promovenda concurrentem operam spondet —— —— —— —— —— —— 4 *April.*

10. *Ab Embdano Magistratu* per Epistolam, in qua laudant Duræi Conatum, quem ut se promovere velle spondent, ita ajunt, se suis Theologis illum commendâsse perpendendum, à quibus Duręo remittunt responsum, eique fausta omnia in suo conamine apprecantur —— —— —— —— —— 1 *Maj.*

11. *A Comite Mauritio in Benthem & Teclaburg* per Declarationem, in qua incommodis dissidiorum & remediis in statu Imperii (sed frustra adhibitis) explicatis, Duræi Studium in concordia solicitanda approbat, suamque operam in re posthac promovenda pollicetur. —— —— —— —— —— —— 4 *Iunii*

12. *A Comitibus Ernesto VVilhelmo & Philip. Conrado* Fratribus in Benthem & Steinfurf per Declarationem, in qua post dilaudatum pacis studium, Duręi ad se adventum & res propositas enarrant, Scopum & Media ad Instituti promotionem tendentia comprobant & operam suam deinceps in negotio procurando spondent, ac Duræo omnia fausta precantur —— —— 27 *Iunii.*

Supple-

A. 1656.

Supplementum syllabi: documenta à Ministris & Theologis tradita hæc sunt.

1. *A Synodo Ultrajectina* extractum ex actis refert ——— ——— *Septemb.* 2 & 3.

Art. 1. Seff. 2. quid Duræus ad cætum admissus proposuerit oretenus & in Scriptis Authographis & quos Synodus deputaverit ad Authographorum inspectionem.

Art. 6. Seff. 3. refert, Deputatos ad Examen Authographorum retulisse Synodo, se Collatione Instituta inter Syllabum & Authographa invenisse plenum & verum consensum: prætereа se vidisse etiam ultra Documenta in Syllabo recensita Lutheranorum quasdam Declarationes; ac notabilem quandam Illius partis Epistolam ex Ipso Authographo fuisse Synodo prælectam; Itaque Deliberatione habita, unanimiter Decretum, Se inhærere suæ A°. 1635. super hac re sumptæ resolutioni; D^{i}. Duræi Institutum præcellentissimum collaudare, Eique gratias agere probo magnoq; hoc opere impenso, seque velle sua in futurum Consilia cum Gelrica Synodo Harderwici ultimo habita conformare.

2. *A Synodo Gallo-Belgica* judicium, quod impressum est, ubi collaudato pacis Euangelicæ studio & Duræi in ea procuranda conatu; testantur se vidisse Documenta à Duræo sibi exhibita, ex quibus non exiguam Scopi obtinendi spem concipiant; suamque omnem operam in re promovenda offerentes, cùm videant ab aliis apposite de Mediis jam dissertatum, assensum iis suum præbent & præcipua enarrant Consiliorum momenta, quæ ad octo Capita referunt; tum animo ad Deum converso suas spondent preces pro felici operis successu & Duræi incolumitate & prosperitate ——— ——— ——— ——— — 13 *Sept.*

3. *A Classe VValachriana.*

1. Extractum ex actis, ubi enarratur, Deputatos Constitutos ad Autographorum inspectionem, Classi retulisse, se omnia examinâsse; & vidisse in iis approbationem omnium

Ecclesiarum Germanicarum & Helveticarum operis à Duræo suscepti; cumque in Mediis enarratis quædam habeant Duræo proponenda, judicabant specialiorem quandam Declarationem sibi à Durço super iis esse faciendam; quæ postquam in pleno cætu ab eo facta est, visum fuit Classi consultum adhærere Decreto quondam à Classibus quatuor Zelandiæ super hac re facto A° 1635. Art. 15. in quo operis Scopus & Duræi in Eo conatus scripto laudandus statuitur, neque ulterius sibi esse progrediendum, donec Illustr. Ordinum Zelandiæ consensum obtinuerint ad tractandum: Interea tamen Deputatos duos ex suo numero constituunt, qui Correspondentiam cum Duræo fovere debent in hoc negotio ——— ——— ——— ——— 21 *Sept.* A° 1656.

2. *Iudicium*, ubi demonstrata quærendæ inter Euangelicos Concordiæ necessitate, enarrant Durçi & antehac & nuperrimè institutos secum tractatus; Scopum dilaudant, sibique de Duræi ad se adventu gratulantur; suam in re promovenda operam liberaliter, ubi locus & tempus & alia requisita ad rei tractationem ipsis innotuerint, spondent, Eoque fine Correspondentes constituunt, qui suo nomine cum Duræo commercium literarum foveant; denique Deum precantur pro operis progressu, & Durçi in eo promovendo successu — 11 *Octob.*

4. *A Facultate Theologica* in Acad: Ultrajectinâ Judicium, in quo de pacis Euangelicæ optabili studio renovato sibi gratulati, enarrant, quid Duræus secum egerit & quid à se petierit; quousque accepta omnia sibi fuerint & quæ oretenus exposuit & quæ in scriptis communicavit, Itaque omnem suam in re promovenda operam offerunt, Declarantque se putare, Euangelicos omnes in eodem fidei Salutaris fundamento consentire, & debere Illos fraternam inter sese charitatem exercere & Concordiam sancire, Eoque fine de Conventu instituendo Consilium suggerunt Exemplo Colloquii Marpurgensis & Lipsiensis & Synodi Sendomiriensis, Denique concludunt precibus ad Deum conceptis pro operis successu & Duræi incolumitate & prosperitate. — — 7 *Octob.*

A Fa-

5. *A Facultate Theologica* Duisburgensi Judicium, quod missum fuit à Principe Mauritio Nomine suo & reliquorum Regentum Ducatus Cliviæ sub Seren. Electore Brandenburgico; in quo sensum suum declarant 1. de Scopo Irenico, quem describunt, approbant & possibilem judicant & operam suam in eo prosequendo, additis quibusdam cautelis & limitationibus prudenter offerunt. 2. de Mediis Modoque procedendi, quæ approbant & in quibusdam magis distinctè explicant, ubi de ambiguis Concordiæ formulis vitandis, de Scripturæ interpretandæ Methodo & Juventute in Scholis ad utilem Eruditionem acquirendam exercenda quędam bene monent ——— ——— ——— *A. 1656. Prid. Cal. Octob.*

6. *A Facultate Theol. in Acad. Leydensi Iudicium*, in quo deplorant dissidii inter Euangelicos Incommoda; solantur sese in eo, quod Reformatis, qui semper Concordiam quæsiverunt, non sint imputanda, & quamvis irrito conatu hactenus agere visi sint, tamen desperandum non sit de Eventu, dummodo studium instauretur eo, quo decet modo; In quo conatu Ecclesiarum Anglicanarum & Duræi laudant constantiam, nec propter lentos in eo progressus esse de fructu malè ominandum censent; Media proposita, Modumque procedendi servatum approbant, quamvis subesse justam metus causam putent, sementem hanc ad messem plenam nondum esse maturam; nihilominus quoniam aut cum Lutheranis, aut cum nullis pacem ambiendam esse judicant propter Consensum inter nos & illos fundamentalem, ideo ad Scopum obtinendum duo requirunt pręliminaria 1. ut explorentur Lutheranorum æquè ac Reformatorum animi, an Scopum intendere velint. 2. ut imploretur Magistratuum utriusque partis Consilium & authoritas ad pręparatorios conventus indicendos, & alia quę ad concordię viam sternendam requiruntur efficienda; hisce positis spondent omnem suam in opere Industriam, prolixè & alacriter affuturam, ac tandem precibus ad Deum & hortamentis piis finem suo discursui imponunt ——— *Post. Cal. Novemb.*

7. *A Facultate Theol: in Acad: Groningana Iudicium*, in quo de pacis studio quædam pręfati, laudant conatus publicos & privatos ad concordiam inter Euangelicos sanciendam institutos, inter quos

Duræi

Durei molimina recenſent, cui etiam eo nomine bene precantur, Scopum, Media, Modumque procedendi ab eo ſibi propoſitum approbant; Tolerantiam ſuadent, conventum à Magiſtratu inſtituendum proponunt, votum deniq; ad Deum pro ſucceſſu concipiunt, contentioſos culpant & aliis meliora ſuadentibus ſe auſcultaturos promittunt ——— ——— ——— ——— *13 Novem.*

Documenta à Magiſtratibus hac ſunt.

1 *Ab Ordinibus Generalibus*

a Reſcriptum datum ——— ——— ——— ——— *23 Auguſt. St. N.*
in quo declarant, Duræi poſtulatum Scripto ſibi oblatum fuiſſe, quo petebat ut negotium ſuum vellent Eccleſiis & Academiis Unitarum Provinciarum commendare & ſuper eo ſuam quoque Declarationem ſibi concedere; Super hoc poſtulato habita deliberatione viſum fuiſſe conſultum Deputatis Provinciarum, Illud poſtulatum unà cum addito impreſſo libro recipere & ſuis principalibus communicare. ——— ——— *7 Novemb. St. N.*

b Reſcriptum datum, ——— ——— ——— ———
in quo declarant poſtulatum aliquod ulterius à Duræo ſibi oblatum unà cum additis ſcriptis de concordia inter Lutheranos & Reformatos procuranda, de qua re poſt habitam deliberationem, conſultum viſum, rem apud particulares Provincias eſſe promovendam, & rogandos eſſe Deputatos provinciarum *Ao. 1659.* in collegio Generali Ordinum velint ſuos principales promovere.

2. *A Deputatis Ordnum* in particularibus Provinciis, nempe

1. *A Deputatis Ultrajectinis* reſcriptum datum ——— ——— *14 Octob. St. V.*
in quo declarant, ſe Informatione ſcripta quam Duræus de ſuo ſtudio exhibuit & relatione Deputatorum ex ſuo cætu, qui cum Ipſo conferre miſſi fuerant, audita, laudare ſummopere Duræi zelum atque laborem, Eique eo nomine gratias agere, optantes & Deum orantes, ut opus in effectum deducatur ad Nominis ſui gloriam & commodum Eccleſiarum Euangelicarum, cui fini etiam omnem ſuam Ordines Deputati promittunt omni tempore opportuno operam.

A De-

3. *A Deputatis Frisicis* Rescriptum Datum ——— ——— *6 Novem. St. V.* 3.
in quo declarant, se audita informatione, quam oretenus sibi Duræus in cętu suo exhibuit de Negotio suo irenico, non solum judicasse illud institutum summopere ad Dei gloriam promovendam pertinere, sed etiam magnopere laudasse zelum & laborem approbasse, quem Duręus operi impendit, eique gratias eo nomine egisse, successum optatum à Deo apprecatos fuisse & omnem suam operam in re promovenda promisisse.

3. *A Deputatis Groninganis* Rescriptum datum ——— ——— *14 Nov. St. V.*
in quo declarant, se audita Duræi de suo negotio in cætu informatione oretenus facta & acceptis ab ipso scriptis quæ per Deputatos ex ordine suo habita cum ipso Collatione prolixa cum autographis contulissent, non solum laudasse ejus zelum & laborem constantem approbâsse, sed rogâsse ipsum ut in eo perseverare vellet, optantes à Deo & eum orantes, ut propediem fructus desideratus ex hoc labore emergat, qui ejus nomini sit gloriosus & Ecclesiis salutaris, ad quam rem promovendam suam omnem spondent operam.

5. *A Curia Gelrica* rescripum datum ——— ——— ——— *24 Nov. St. V.*
in quo declarant, in suo Senatu comparuisse Duræum & exposuisse sibi negotii sui Irenici statum, se non solum laudasse Christianum ipsius zelum, sed negotium suscepisse recommendandum Ordinibus Provinciæ in proximo suo Conventu, non dubitantes, quin tum talis futura sit Ordinum Resolutio, quæ ad Concordię scopum promovendum spectabit; Interea Duręo pro laudabili labore huic causę impenso gratias agunt.

Claudo hæc eruditorum virorum scripta, consilia, judicia, documenta Irenica: unum modò subjungo Frederici Spanhemii, jam nuper Lugduni-Batavorum Theologiæ Professoris doctissimi ad Davidem Buchananum, breve, elegans, eruditum & generale ad pacem conciliandam consilium, & ad κακοήθεα Euangelicorum ulcera utrinque sananda, remedium præstantissimum & præsentissimum: *Id itaque seriò curandum*, inquit, *ut zelus sit verè zelus* Dei & secundum scientiam, *& ignis sacer. Studendum quoque ut, quo se extendere non potest* Canon fidei, *eò se extendat* canon charitatis, *hoc est, ut qui de aliorum & sincera pietate fiduciam habe-*

re non possumus aquè ac de nostra, judicio *tamen* charitatis *infirmos etiam fide adeòque & sanctitate habeamus pro fratribus, quousque non apertâ impietate seipsos communione Ecclesiæ externæ indignos prorsus esse testantur. Scala, quâ in cœlum ascenditur, gradus habet; qui non in media parte consistit consistit sæpe in ima, inde si deturbatur, arcetur planè ab ingressu Cœli, admissus verò sensim ad altiores scalæ gradus conniti & in societate Ecclesiæ ascendere potest. Expendant hic etiam fratres cum animis suis, an non alios nobis charitatis characteres proponat Apostolus* 1 *Corinth.* 13. *vers.* 5. 7. quippe quæ non cogitat malum, omnia credit, omnia tegit, omnia sperat, omnia sustinet, *quacunque tegi, credi, sperari & sustineri ullâ ratione possunt. Proclivis admodum in nimio rigore lapsus, & publicanus pœnitentiam professus, quamvis nondum actibus crebris pietatis & charitatis testatus, despici tamen non potest, nisi cum pietatis & charitatis dispendio. Non omnium liberorum in domo eadem dona, profectus, robur; nec in domo Dei filiorum ejus* χαρίσματα *eadem: nec idem in omnibus* μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. *Et in cœlo diversa magnitudinis stellæ sunt, stellæ tamen omnes & in firmamento: sic & in hoc Ecclesiæ cœlo diversa possunt esse membra, quamvis, sive luce fidei, sive calore zeli, sive sanctitatis gradibus dispaira; nec desiit filius hominis ambulare inter candelabra septem, quamvis diversis lampadibus instructa, imò quarum multa excitabant fœtorem, ut patet ex concionibus illis* στηλιτευτικαῖς *querelisque, quas Ioannes audivit de cœlo. Nec ob misturam illam cum alieno metallo desiêre vocari candelabra illa aurea à Spiritu sancto Apoc.* 1. 12. *denominatione sumptâ à meliori, si non à majori, prout Apostolus electos ac sanctos vocat cœtus in quibus tamen infirmi multi reperiebantur & carnales.* Hactenus Spanhemius.

Vidisti benevole Lector, magnum Euangelicarum Ecclesiarum, omnium ferè in Europa nationum, ad pacem Ecclesiasticam avidè inclinantium, numerum: Vides in eundem finem, multa & præclara doctissimorum Theologorum, diversarum Confessionum consilia & desideria: Imò habemus istius pacis & conciliationis & unionis Ecclesiarum discrepantium luculen-

tum, prudens, & omnibus Christianis imitandum exemplum in Polonia, ubi Ecclesiæ Confessionis Augustanæ, Helveticæ & Bohemicæ in majori & minori Polonia, Russia, Lithuania, Samogitia & reliquis regni provinciis, diu observarunt, & etiamnum observant, consensum verè Christianum in prædictis & tam diu & tam acriter disputatis articulis, quod unicuique notum fieri potest, ex publicis diversarum Synodorum Actis, quę constabant ex tribus illis jam dictis diversæ Confessionis Ecclesiis, congregatis Sendomiriæ, ubi primò ille in religione consensus est sancitus, an. C 1570, posteà verò confirmatus & stabilitus Posnaniæ, Cracoviæ, Petricoviæ, Wlodislaviæ & Torunii, uti videre licet in Harmonia Confessionum.

Audiamus super hac re, si placet, & super hoc Sendomiriano consensu, declamantem & exultantem Celeberrimum virum Joan. Hoornbeeck, nunc Professorem Theologiæ Lugd. Bat. in oratione habita in Academia Ultrajectina anno C. 1654. de Ecclesiarum inter se communione. *Nullus*, inquit, *aut conventus hanc in rem aut consensus melior illustriorve fuit Sendomiriensi in Polonia, anno C. 1570; ubi tres Ecclesiæ Confessionis Helveticæ, Augustanæ & Bohemicæ in unam jurarunt etiam super negotio Cœnæ sententiam, seque invicem pro orthodoxis ac fratribus habuerunt; Ecclesiasque ita voluerunt socias, ut hinc inde ad sacram Synaxin reciperentur earum membra & ad generales Synodos tum hujus tum illius semper partis vocarentur delegati. Quam Augustam illarum Ecclesiarum coitionem eodem anno ita confirmarunt in Posnaniensi Synodo, ut Bohemica Ecclesia in Templum Lutheranorum manè, à meridiè Lutherani ad Bohemicos magnâ solemnitate & frequentiâ accesserint, & Bohemici apud Lutheranos & Lutherani apud Bohemicos, habitâ ad mutuam communionem exhortatione, prælectâque consensus formulâ invicem accinerint:* Ecce quam bonum & jucundum est fratres habitare in unum? *O factum benè & præclarum facinus, quòd omnes probent, nulli non imitentur inter Ecclesias vel Confessiones, quas non tum sed semper, non ibi solum sed ubique & apud omnes oporteat istum in modum esse confœderatas? Benedicit anima mea talibus pacificationibus, mihique interesse videor eulogiis & acclamationibus, ubi eas lego; neque aliam mihi mentem unquam opto,*

quam qua Ecclesiarum unioni ubique & semper bene cupiat, precetur, studeat.

O Sanctæ in terris animæ, quibus illa per singularem Dei gratiam data voluntas! felices ter & amplius, quibus illa cælitus contigit mens! *Beati* εἰρηνοποιοὶ,*acificatores*, inquit Christus, Matth. 5. 9. qui ita paci conciliandæ student, ut *eos à quibus ipsi offensi sunt, sibi, eos qui inter se dissident, sibi mutuò, denique eos quibus cum Deo non convenit, Deo reconciliare conentur*; quemadmodum Chromatius suâ declamatione egregiè declarat: quæ omnia pace hâc Ecclesiasticâ præstari posse constat. Quare cœlos video apertos Regibus, Principibus, magistratibus, quorum animus tam divinis occupatur cogitationibus: Episcopis, Pastoribus, Theologis, quorum sanctis consiliis Principes ad cœlestem illam pacem excitantur:

Sic vestros animos amor,

Quo cælum regitur regit. Hoc agendo *Deus charitatis & pacis erit vobiscum.* 2 Corinth. 13. vers. 11. Nam hoc est imitari Deum, qui *non est dissensionis Deus, sed pacis.* 1 Corinth. 14. vers. 33. qui tam studiosus fuit faciendæ pacis, ut filium suum unigenitum dederit, quo inimicum hominem sibi reconciliaret, *pacificaretque per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Coloss. 1. vers. 20. Hoc est imitari Christum, Deum & Dei filium, qui *ut fieret pax nostra, ut faceret utraque unum, & reconciliaret ambos*, gentes & Judæos, *in uno corpore, Deo crucem subiit, interfecitque inimicitiam in semetipso.* Ephes. 2. vers. 14. 16. Veri igitur filii Dei erunt, qui Deo & Dei filio simillimi omnium præstantissimi operis ejus imitatores existunt. Idcircò addit ille *Princeps pacis* (Esaiæ 9. 6.) *& filii Dei vocabuntur*, (Matth. 5. 9.) id est æstimabuntur & reipsâ erunt. Præterquam enim quod pacis & Ecclesiasticæ unionis seu concordiæ studium, quo hac in vita Deo similes fieri conati sunt, toti orbi declarabitur, donabuntur palam, ut genuini filii Dei, Dei hæreditate, facti coheredes unigeniti filii Dei. Hoc est imitari sanctos Apostolos, qui non armis nec feritate morum, sed Christianâ mansuetudine mundum erant expugnaturi, eique daturi pacem, quam mundus dare non poterat. *In quamcunque domum introjeritis*, inquit Christus, *primum dicite,*

te, Pax huic domui. Orandus ergò publicis, & privatis & constantibus precibus omnipotens Deus, ut Principes, pulsis crudelissimis & perniciosissimis bellis, sceleratissimis latrociniis & prædationibus, ab impia Christiani sanguinis effusione desistant, & sanctissimam potius iis infundat mentem, quâ pacem Ecclesiis dissidentibus procurare studeant: quod semper & ubique optant, desiderant, precantur, cum suspiriis & gemitibus anhelantes flagitant omnes pii bonique. Vobis, Principes, illa pro pace Ecclesiarum cura à Deo demandata est: Vos estis à Deo constituti *Esaia* 49.
Ecclesiarum nutritii: vos estis utriusque tabulæ custodes, tutores, *Rom.* 13.
vindices. *Et omnis anima*, inquit S. Paulus, *potestatibus superemi-* 1. *&c.*
nentibus subdita sit; non enim est potestas, nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo ordinata sunt. Ita quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis judicium accipient. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Siquidem ministri Dei sunt reges, inquit S. Augustinus ad Cresconium, *in quantum reges sunt serviunt Deo, jubendo bona & prohibendo mala, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad divinam religionem*: quod etiam evidenter docent acta Regum Veteris & Novi Testamenti.

Utinam placeret hujus ævi Principibus, imitari fœlix & nunquam non laudandum, nulli non imitandum Polonicarum Ecclesiarum exemplum! Utinam aliarum nationum Ecclesiis tam grata, tam accepta esset, quam Polonorum auribus fuit, suavissima illa regii Prophetæ cantio, *Ecce quam bonum & jucundum est*, &c. Et quam utilis, quam sancta, tam facilis est hæc Ecclesiarum Euangelicarum conciliatio, uti ex his omnibus præmissis diversarum Confessionum & nationum scriptis pacificis, unicuique perspicuè liquere potest, si modò ad hoc tam salutare negotium pacata convocentur ingenia. Pauci sunt articuli, in quibus Euangelicæ Ecclesiæ inter se discrepant; & quod amplius, in iisdem quoad necessaria & fundamentalia conveniunt, quoad mysteria solùm, & nobis abscondita, & captum humanum superantia, tam diu litigatur. Nescire velle, quę Christus docere noluit, & nescire nos voluit, pia & erudita est inscitia. *Sicut qui omnes fluvii partes,*

 inquit

inquit S. Chrysostomus, *aquæ transire cupit, is maximè fluvii proprietates ignorat: & dum nimis præsumit secreta penetrare, omissis planioribus locis, perit temeritate suâ: Ita & de Deo, qui omnia scire vult, & improbâ temeritate cuncta rimari, hic, qui sit Deus, ignorat.* Et S. Augustinus soliloq. lib. 5. *Quo intellectu Deum* (& quę Dei sunt) *capit homo, qui ipse intellectum suum, quo eum vult capere, non capit.* Et in Enchirid. ad Laurent. cap. 59. *Quid opus est ut affirmentur, ut negentur, ut definiantur cum discrimine, quæ sine crimine nesciuntur.* Sed non sine crimine nesciuntur & negliguntur opera charitatis, quæ ad unionem inter diffidentes Ecclesias procurandam, & ad pacem cum Deo servandam maximè requiruntur. *Nam si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sumus resonans. Et si habeam prophetiam & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Charitas patiens est, benigna est, &c. Non habet Dei charitatem*, inquit S. Augustinus, *qui Ecclesia non diligit unitatem.* Adducatur ergò tantum ad hoc sanctum opus charitas, & producetur inter Ecclesias pax: Hac de caussa *Veritatem tantum & pacem diligite*, inquit Deus apud Prophetam Zachariam: quia per pacem invenitur veritas, & veritas per se est pacifica. In primis ergo utrinque cessare debent injuriæ, contumeliæ, invectivæ, calumniæ, convitia, dicteria, scommata, opprobria, maledicta, & facilis & expedita erit ad pacem via. *Sic nec sacrificium Deus recepit dissidentis*, inquit B. Cyprianus lib. de Orat.
Matth. 5. Dominica, *Et ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus, & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus sancti plebs adunata.*

Quare, si placet benevole lector, proponamus nos universæ omnium Euangelicarum conciliandæ Ecclesiæ aliquod specimen, per Concilium Generale: nam in omnibus Ecclesiis, cujuscunque sit Confessionis, inveniuntur homines pii, moderati, pacifici, docti; quales soli ad hoc Concilium convocandi, iisque frequenter & attentè meditanda & ruminanda omnia hæc præcedentia Irenica scripta & præcipuè totum caput duodecimum Apostoli ad Romanos, quorum omnium hic scopus est: *Si fieri*

fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus in pace vivite. Atque illi omnes prædicti pacis Doctores & Auctores, unanimi ferè consensu, censent, ea, quę inter dissentientes Ecclesias Euangelicas sunt controversa, per se non esse necessaria, neque salutifera, neque mortifera. Da ergò quæsumus, benigne Deus, ut hoc tam pium, tam sanctum, tam divinum negotium, Potentissimi, Generosissimi, Prudentissimi, Christianorum Reges, Principes, & Magistratus, hoc vel simili modo aggrediantur, & per tuam gratiam feliciter perficiant, & simul ut hæc eorum sacra consilia tam reipublicæ quam Ecclesiæ Christianæ sint salutaria. Da Deus pacis, ut omnes Episcopi, Pastores, Theologi, memores novissimorum verborum filii tui, quibus unicè nobis pacem in mandatis dedit, εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, ut inquam, conspirantibus animis, conjunctis operis, uno corde, ore, calamo, ea quę sunt pacis curent, doceant, scribant in terris, quorum fructus universi percipiamus in cœlis. Amen, Amen.

Primò constitui posset Conventus ex diversarum Confessionum Principibus, aut eorum legatis, quibus concedenda auctoritas convocandi omnes omnium Christianorum Ecclesias Euangelicas, & omnia dirigendi ad unionem, pacem aut tolerantiam, inter omnes ubique nationes procurandam. Scribendæ ab iis epistolæ amabiles, blandæ, antiquæ fidei sinceritate & Christianæ charitatis ardore flagrantes: quibus ad hoc Concilium convocarentur omnes omnium nationum Ecclesiæ Euangelicæ, id est, illæ omnes, quę cum veteri & primitiva Ecclesia sacram scripturam statuunt omnium credendorum & agendorum unicam & certam regulam. Conscribantur ergò & convocentur ad hoc Concilium Generale Ecclesiæ Germanicæ, tam illę, quæ sunt Augustanæ Confessionis quam reformatę: uti & Gallicæ, Anglicanæ, tam Prælaticę, quam Presbyterianæ & Independentes: Scoticæ, Hibernicę, Danicę, Suecicæ, Helveticę, Belgicæ Contraremonstrantes & Remonstrantes, & quædam Mennoniticæ: Transsylvanicæ. His adde Polonicas, Lithuanicas &c. ex tribus Confessionibus compositas seu potius unitas Ecclesias; quæ cæteris esse possent loco exemplaris: cum videbunt beatam & fraternam eorum conjunctionem, piam, ami-

cam

cam & jucundam fidei unitatem, & stabilem & Christianam concordiam.

Urbem, in quam hoc Concilium convenire posset, eligendam prę cęteris existimo, Amstelędamum, tum propter situm & commoditatem loci: quia ferè in medio omnium prędictarum nationum collocatum est, quo terrâ marique quam commodissimè pervenire possunt, ubi etiam summa omnium rerum est abundantia: tum etiam quia ibidem, non sine magna magistratus prudentia, omnium ferè Confessionum publica sunt exercitia.

Convocandi præterea ex omnibus prædictis Ecclesiis non alii, ut diximus, quam viri pii, prudentes, humiles, pacis Ecclesiasticæ amantes, docti: secundum consilium Frederici III. Electoris Palatini, relictum cum fidei confessione, repertâ in ejusdem testamento, suis liberis, quod invenitur in Harmonia Confessionum, & omnibus piis & prudentibus magistratibus non semel legendum; illis enim electio tam Ecclesiasticorum quam secularium ad hoc Concilium, cum literis pacificis mittendorum omni modo competit. Hi ubi ad locum convocati Concilii venerint, supradicto Principum conventui se sistent, & literas Pacificas seu Credentiales se adferre significabunt.

Quando omnes omnium Ecclesiarum legatos, aut ipsos, aut per procuratores, aut saltem plurimos & pręcipuos advenisse Principum conventui constabit, die constituto ad Templum, ubi Patres solenniter congregandi, eundum.

Prima Actio per jejunium & preces ad Deum pro concordia Christiana & pace Ecclesiastica inchoanda est: subsequatur Oratio per pium, eloquentem & inter Pacificos eminentem Theologum, de jucunditate, utilitate & necessitate concordiæ inter Christianos ineundæ: quod etiam fieri posset per aliquem ex Politicis nomine Principum.

Actione secundâ post preces, omnium Ecclesiarum legati conventui Principum exhibebunt literas suas pacificas, idque ordine inter civiles actiones usitato: quibus lectis super sancta Euangelia jurabunt, se depositis animorum affectibus, & omni φιλαρχίᾳ, φιλονεικίᾳ καὶ φιλοκαινίᾳ, nihil adferre præter summum desiderium & conci-

ſtudium conciliandæ & *ſervandæ* in religione ***unitatis, cum vinculo pacis***, ſecundum ſanctam ſancti Apoſtoli admonitionem.

Actione tertiâ poſt preces, per diverſos Theologos dicendas, accedendum ad ſopiendas veteres inter Euangelicos controverſias: nempe de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, & de prædeſtinatione & gratia: quę facilè per mutuum omnium conſenſum ad concordiam reduci poterunt, ab exemplo Polonorum, per colloquium Lipſiaçum, & plurima doctiſſimorum virorum conſilia, ſententias, & teſtimonia, quę in Irenicis ſcriptis per caduceatorem Durçum (quē intereſſe huic Conſilio, ſi ſupereſt, utile eſſet) & alios nobis exhibitis, unicuique hic abundè ſatis offeruntur: ex quorum lectione omnibus commodiſſima datur occaſio animum ad pacem pręparandi, & inveniendi ſolidiſſima ad unitatem fidei procurandam, argumenta. Exempli gratiâ: In venerabili Euchariſtiæ ſeu Cœnæ Dominicæ Sacramento, dicamus, τὸ QUOD EST, nempe ***panis & vinum*** in Euchariſtia, ſecundum Chriſti & S. Pauli verba, ***corpus & ſanguis*** Chriſti: τὸ QUOMODO ibi ſit ***corpus & ſanguis*** Chriſti, non inquiramus ulterius; non magis, quam QUOMODO in baptiſmo nos abluat ſanguis Chriſti, non magis, quam QUOMODO in Chriſti incarnatione, naturæ divinæ humana, in eandem hypoſtaſin uniatur: myſteria hæc ſunt fide adoranda & admiranda potius quam ſcrutanda; in quibus captivandum eſt ingenium ad obſequium fidei, ut loquuntur Theologi. *Greg. Nazianzenus orat. de Theol. τὸ ὅπως μὴ ἀδιεργαζέσθω, μὴ ἀδιεπερχόμενον.*

In articulo de prædeſtinatione & gratia Dei, credamus Deum ab æterno decreviſſe in tempore ſervare omnes in Chriſtum crediturus, & in fide perſeveraturos, idque per gratiam divinam, immeritam, gratuitam: & propter Chriſtum: ſed τὸ QUOMODO illa gratia in nobis operetur, QUARE & QUOMODO diſtribuatur, inveſtigare deſiſtamus; quia non intelligimus, nec ſcire utile eſſet. Credantur ea cum prima & priſca Eccleſia ſimpliciter, rimanda non ſunt. Nam myſterium hoc magnum eſt, & necdum nobis revelatum. Si hoc QUOMODO in hiſce quæſtionibus creditu neceſſarium fuiſſet, inter articulos fidei etiam collocaſſet ſancta & vetus Eccleſia. Exclamemus potius cum S. Paulo: *O altitudo divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei? quam*

 inſcru-

inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus: quis enim cognovit mentem Domini, aut quis illi fuit à consiliis? &c. Et dicamus cum Osee Propheta, *damnationem esse ex nobis, salutem verò nostram esse ex Deo.* Interim secundum admonitionem Pauli, *cum timore & tremore nostram operemur salutem* (*per fidem, qua est per charitatem efficax*) *Nam Deus est, qui agit in nobis velle & perficere*, & statuamus cum B. Bernardo, *Bona opera non quidem esse caussam regnandi, sed viam ad regnum*, & tamen ad salutem necessaria, nec *præcedere justificandum, sed sequi justificatum*, secundum Augustinum, & id ex dono gratiæ divinæ. Et hæc ad pacem animarum & Ecclesiarum optima sunt remedia. Si verò in hisce quæstionibus conciliandis aliqua cuipiam difficultas occurrat aut aliquis scrupulus obrepat, adferat tantum scrupulum semissem charitatis Christianæ, sponsor sum, illa sola, cum bono Deo, ex animo illi omnes evellet scrupulos, & omnes nodos dissolvet; quod erit pulcerrimum victoriæ genus. *Potest concordia bonos*, inquit Imperator Constantinus, *apud vos incorruptus servari, atque communio inter omnes atque consociatio manere, etiamsi inter hos aut illos aliqua de minimis rebus sit dissensio: quando neque omnes velle eadem possumus, neque omnibus eadem est aut indoles, aut sententia.* *Nolo humanis documentis*, inquit Augustinus, *sed divinis oraculis Ecclesiam demonstrari: procedat in medium Codex Dei, audi Christum loquentem, audi veritatem dicentem.* Velle debemus, quę ille Princeps pacis voluit, & pauca voluit necessaria.

Euseb de vita Constant. lib. 2. cap. 68.

Actione quartâ recognitis præcedentis actionis controversiis, & firmiter statutis necessariis & sufficientibus credendi regulis, cogitabitur de constituenda communi, brevi, & fundamentali omnium Ecclesiarum simili Confessionis formula circa credenda & agenda, idq; ad normã primitivę & Catholicę Ecclesię. Nam quę ad salutem primorum & meliorum seculorum Christianis & sanctissimis Christi martyribus suffecerunt, hęc etiam hodie nobis sufficere possunt. *Credendá* ex sacra scriptura in summarium redacta, à primitivæ Ecclesię Patribus comprehensa sunt in *Regula fidei* ab iis dicta, quæ sequentibus seculis, paucis additis articulis, Symbolum fidei seu Apostolicum, à potiori parte per Apostolos Discipulis tradita, nuncupata est. *Hoc*

ipsum

ipsum Symbolum, inquit Baronius, *Catholica Ecclesia adeò semper veneratá est, ut in sacrosanctis Conciliis œcumenicis quasi basis quadam & fundamentum totius structura Ecclesiastica consueverit in primis recitari.* Baron. an. 44. pag. 357.
Qua tamen antiqua sanctorum Patrum consensio, inquit Vincentius Lirinensis, *non in omnibus divinis legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda.*
Agenda continet Decalogus. *Quædam*, inquit Bellarminus, *in doctrina Christiana tam fidei quam morum, simpliciter sunt omnibus necessaria ad salutem: qualis est articulorum Symboli Apostolici, item cognitio decem præceptorum, & nonnullorum Sacramentorum.* Bellarm l. b. 4. de verbo Dei non scripto c. 11. *Omnis Dei cultus*, inquit Molinæus, *consistit in duobus articulis, nimirum in benè agendo & benè credendo. Et habemus summarium primi in Decalogo, secundi in Symbolo.* De novit. pap. lib. 1. cap. 46. Ramsæus Pastor Edenburgensis suo & suorum collegarum nomine, in Consilio Irenico, paulò ante citato hæc inter cætera habet: *Fundamenta salutis posita sunt in illis, quæ creditu & factu sunt necessaria. Quæ creditu sunt necessaria Symbolo Apostolico; quæ factu opus Decalogo comprehenduntur. Porrò salutis fundamenta censentur, quibus salus innititur, uti domus fundamento. Tu autem*, inquit Gregorius Nazianzenus, *quid salute majus quaris? Gloriam nempe qua illic est & splendorem* (hinc illæ lacrymæ) *mihi verò maximum est ut salver, & futura effugiam tormenta: tu viam incedis, maximè tritam & difficilem, ego verò per regiam, quæ multos salvavit.* Greg. orat. de modest. servanda in dispcept. Inter Agenda etiam referuntur ritus & ceremoniæ, sed illæ sint Apostolicæ, Originales, matrices, ut loquuntur Patres: quæ *semper & ubique & ab omnibus sunt* observatæ, ut loquitur Lirinensis, & August. lib. 4. de bapt. cont. Donatist. cap. 24.

Actione quintâ fiat omnibus Ecclesiis communis Liturgia, ad exemplum illius, quę est *Actor.* 2. 42. & apud Justinum Martyrem in Apologia ad Antoninum Pium, de quâ liturgia à nemine, ut de reliquis veterum, dubitatur, &c. Si verò hęc vel illa Ecclesia, propter consuetudinem, his vel illis delectaretur ritibus adiaphoris, æquò animo ferendi sunt: nam, ut loquitur apud Eusebium B. Irenæus, *dissonantia jejunii fidei concordiam commendat.* Qui tamen ritus seu ceremoniæ aliis, ad illas Ecclesias venientibus Christianis, etiam sunt observandi; quemadmodum B. Ambrosius Romæ diebus sabbati jejunabat, Mediolani non jejunabat.

Actione sextâ, compositæ Controversiæ, Confessio, & Liturgia legenda, recognoscenda, examinanda, corrigenda, si opus sit, & stabilienda.

Actione septimâ & ultimâ finiatur Concilium cum jejunio & gratiarum actione ad Deum, pro felici successu & summo Dei beneficio in conciliandis diversarum Confessionum Ecclesiis: subsequatur amabilis, blanda, attamen seria & efficax commendatio & exhortatio ad conservandum in Ecclesia Catholicismum in fidei unitate & pace Ecclesiastica, ad Concilii Irenici patres & ad populum; tum demum cantu Psalm. 133. *Quam bonum & jucundum est* &c. laudandus Deus & exhilarandus populus: quibus finitis, ab omnibus Concilii patribus & à Conventu Principum Acta subscribantur.

Hisce feliciter peractis & per singularem Dei gratiam Ecclesiis diversarum Confessionum ad pacem & unionem reductis, de Concilio œcumenico cogitandum erit: (nam gradatim hæc agenda esse ipsa docet ratio) ad quod honestissimis titulis, multis & gravissimis rationibus invitanda esset Ecclesia Romana, quæ semper fuit dignitate omnium prima, & Græca seu Orientalis, omnium vetustissima, ut, in nomine Domini, depositis simultatibus Christiano orbi pacem dare Ecclesiasticam non detrectarent, nam *si fieri potest quantum in nobis est, pax cum* OMNIBUS *colenda est*, ut loquitur Paulus Rom. cap. 12. 18. Nec ego hac de re desperandum omnino puto, cum idem utrimque sit omnium Deus, idem Christus, idem Spiritus sanctus: idem fidei symbolum, idem Decalogus, eadem oratio Dominica, eadem spes, idem baptismus; summa & fundamentalia Christianæ religionis principia: nam, ubi transitur ab una parte in alteram, novo baptismo opus esse utrimque negant, & his Christi institutis fieri Christianum utrimque affirmant. Utrimque sacræ scripturę recipiunt auctoritatem: Utrimque Concilia quatuor œcumenica, Nicænum adversus Arianos, Constantinopolitanum adversus Macedonianos, Ephesinum adversus Nestorianos, Chalcedonense adversus Eutychianos approbant: utrimque Patrum primitivę Ecclesię Catholicum consensum laudant & magni faciunt. Utinam his utrimque una adesset charitas, quæ est *vinculum perfectionis*! Quidni igitur,

igitur, & inter hos in præcipuis & ad salutem necessariis articulis consentientes, si non unio, saltem Christiana pax procurari posset, si modo utrimque ad hoc tam sanctum negotium pia, mitia, prudentia, & docta eligerentur ingenia.

Casaubonus epist. ad Cardinalem Perronium.

Verissimè scriptum esse, inquit Casaubonus, *in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων, Rex arbitratur, rerum absolutè ad salutem necessariarum, non magnum esse numerum. Quare existimat ejus majestas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quam si diligenter separentur necessaria à non necessariis, & ut de necessariis conveniat, omnis opera insumatur: in non necessariis libertati Christianæ locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expressè verbum Dei præcipit credenda faciendave: vel ex verbo Dei necessariâ consequentiâ vetus Ecclesia elicuit. At quæ ex constitutione hominum, præter verbum Dei, quamvis piè & prudenter pro tempore in usum Ecclesiæ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari, posse existimat, & quod Pius II. de clericorum cœlibatu dicebat, bono olim jure sancitum, meliore nunc iri antiquatum, id in genere de plerisque observationibus Ecclesiasticis, extra verbum Dei introductis posse usurpari Rex credit, si ad decidendas hodiernas controversias hac distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candidè separaretur, non videtur de iis, quæ sunt absolutè necessaria, inter pios & moderatos viros longa aut acris contentio futura: nam & pauca illa sunt, ut modò dicebamus, & ferè ex æquo omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant.* Ea verò consistunt in credendo & agendo, uti optimè quondam dixit S. Athanasius: Credenda comprehenduntur Symbolo Apostolorum, Agenda Decalogo; veluti docuimus verbis Baronii, Bellarmini, Molinæi & Ramsæi paulò ante citatis.

Imò ipsa Synodus Tridentina vocat *Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ Inferi nunquam prævalebunt*, loquitur autem de Nicæno, seu potius Constantinopolitano. *Sessione 3.* Confessio Helvetica Articulo 17. inquit: *Fides Catholica non est nobis tradita humanis legibus, sed scriptura divina, cujus compendium est Symbolum Apostolicum:* Cujus fides Maldonato est & *historica, & miraculorum, & justificans*: quod *Math 9.2.* celeberrimo Voetio *continet objecta fidei proximè & formaliter justificantis.* *Thesi de symbolo.*

cantis. Iustificati ergò ex fide, inquit S. Paulus, *pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum: & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Hæc habet ille tractatus cui titulus, discussio Apologetici Rivetiani: *Talem pacem, quæ Papæ omnipotentiam tribuit, & in Ecclesia & in Imperii rebus, sicut Casaubonus non probavit, ita nec probat Grotius, nec qui in Gallia & alibi sunt sapientes Catholici; qui & falli posse Papas putant, & auctoritatem eorum certis finibus contineri: sicut in Florentina Synodo decretum est, Papam esse Principem Sacerdotum, & gubernatorem Ecclesiæ secundum Canones Conciliorum universalium, & salvis juribus Patriarcharum Orientis. Innocentius tertius magni nominis Papa, regi Francorum scripsit: Verum, si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & humanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii periculum immineret, cum contra promissam veritatis sententiam nostra non posset auctoritas dispensare. Sed & olim Clerus Romanus Cypriano scripsit: Nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habere consensum. Damasus verò in epistola, quæ est inter Ambrosianas: Neque contra sententias vestras; (Episcoporum in Concilio congregatorum) mihi tentandum est aliquid. Zosimus Narbonnensis; Contra statuta Patrum concedere aliquid vel immutare, ne hujus quidem potest sedis auctoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxère reverentiam. Tritum illud Hieronymi ad Euagrium: Si auctoritas quæritur, Orbis major est Urbe. In Octavo Concilio, Actione xvj. Chalcedonensis Episcopus dicit: Si Pontifex aliquid contra canones facere velit, rejicimus: si cum Canone, acquiescimus. Carolus Magnus in Synodo Francofurtensi: Ego me Apostolicæ Sedi & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Sub Carolo Calvo Galliæ Episcopi dicunt, se parituros epistolis Papæ, salvis privilegiis Metropolitanorum, & secundum sacros canones & decreta Pontificum, ex iisdem sacris canonibus promulgata. Hincmarus aliorum Episcoporum Galliæ consensu dicit: Quod ex Apostolicæ Sedis nomine secundum sanctarum scripturarum tramitem prædicationemque majorum & Orthodoxorum decreta scribitur, sequendum & tenendum non ignoramus. Præcesserat verò: Irritum est quicquid*

quid Episcopi Romani præcipiunt, quod nec sacris literis nec Conciliorum statutis, nec consuetudine Ecclesiæ universalis roboratur. Synodus Viennensis ad Paschalem secundum: Si verò, nostræ paternitatis assertiones prædictas, roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos à vestra subjectione & obedientia repelletis. Concilium Basiliense, quod in Gallia receptum est, sui temporis Papas sic describit: Nihil aliud Papa prætendere videtur, nisi ut Ecclesiam pessundet, jusque sibi & successoribus faciat, non solum abrogandi ritum sacrorum Conciliorum & ea pro libitu dissolvendi, sed & ipsorum sacratissima decreta, spiritu Dei promulgata, à quibus status pendet universalis Ecclesiæ, irritandi & abolendi & præsertim declarationem illam, quod in iis, quæ ad fidem, extirpationem schismatis & generalem Ecclesiæ reformationem in capite & in membris, pertinent, quilibet, etiam Papalis dignitas, decretis generalis Concilii subjicitur. Egregiè hac de re sensum Gallicanæ Ecclesiæ expressit Ivo Carnutensis Episcopus, Epistola lx. Et: *Tyrannis Papa metuenda non est, ubi primatum, metropolitanorum Episcoporumque aliorum jura benè servantur, & ubi reges in electionibus Episcoporum piè utuntur ea potestate, quam Siciliæ reges habere se dicunt, non nova concessione, sed veteri jure regio; quod & de Hispaniæ regibus dixit Ferdinandus Vasquius & pro suis Galli complures. Spopondit autem pridem pro Papa Cardinalis Perronius Iacobo magnæ Britanniæ regi, si cum sede Romana concordiam vellet, nihil ipsi de jure regio periturum.* Verum enimverò si, quod valdè vereor, in forma regiminis Ecclesiastici dissensio occurrat, servari posset utrimque assuetus gubernandi in Ecclesia modus, Quod, meo quidem judicio, salvâ fide & pietate, propter Ecclesiæ pacem, admitti posset:

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior.

Idem ille tractatus paulò post hæc habet: *Cardinalis Perronius in epistola ad regem Angliæ inquit, agnoscatur realis Christi præsentia in Eucharistia & Sacrificii veritas, si neque pro mortuis preces, neque preces ad Sanctos hâc vitâ exsolutos damnentur, de cæteris facilem fore conventionem*, Ego illam facilitatem non video, idque in primis propter partium acerbam, atrocē & inimicam alienationem. *N'y a il donc nul moyen d'accord? le mal est il desesperé?* inquit Petrus Molinæus, *Certainement l'accord est fort aisé, & par de moyens si justes*

Pierre du Moulin au Bouclier de la foy.

justes, & faciles, que nul n'y peut contredire sans faire ouvertement la guerre à Dieu, & se declarer alterè du sang de ses freres, qui Iesus Christ à rachetez par le sien. Car tous confessent que Iesus Christ à institué le sainct Sacrement, comme il faut, & qu'en son institution il n'y á rien à redire. Qu'on celebre donc la saincte Cœne en la forme, que Iesus Christ l'a institué: Qu'on parle en ceste action, comme Iesus Christ à parlé: qu'on face comme il à fait, sans disputer d'avantage: & lors nous nous trouverons volontiers es sainctes assemblées, à fin de luy glorifier unanimement. Lubet hic apponere, ut verbis Calixti loquar, *verba viri, nostrâ ætate, ingenio, judicio & eruditione eximii, concordiaque Ecclesiasticæ cupidissimi. Omnes,* inquit, *& Pontificis & Lutheri & Calvini discreti sectatores in eo convenimus, circa sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, nobis in eo verum ac reale Christi corpus verè & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? cur hic terminum dissensionum non collocamus? cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum nobisque penitus ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit tam audacter dissentimus, ut qui cum nostra desipientia non desipiat, eum à charitate & communione religiosa & Catholica excludamus? Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis sopienda facilimus modus, ut omnes veritatem corporis Christi in sumenda Eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus, & ex hac dissensione schismata coalita extinguamus. Stemus in solo quod fit, nempe verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi; verba scripturæ, ut sunt, ut jacent retineamus & usurpemus, quomodo res fit ne investigemus anxiè. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se; ne addas quidquam verbis illius & arguaris inveniarisque mendax. Cur ergo dicente Christo, hoc est corpus meum, nos addimus, est corpus per transsubstantiationem, consubstantiationem, figurativè duntaxat & non realiter, fide percipiendum & non ore &c. Hoc est addere sermoni Dei unde facile arguamur & mendaces inveniamur. Cur ob ista nostra addita contendimus, ut schismate Ecclesiam dividamus? Idem Christi corpus omnes comedimus, sed modum quo id fiat omnes ignoramus.* Hæc Calixtus. *Quis enim revelabit, quod Deus texit? Unde sciscitandum est? Inde & ignorare tutissimum est, præstat enim per Deum nescire, quæ non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpserit.* Tertullianus de anima. *Utinam huic*

Georg. Calixtus in dedicat. dial. de communione sub utraque.

huic sano & recto consilio omnes obtemperent, inquit Georgius Calixtus. Longe fortè prudentius, quam plurimi Christiani, judicat lib. 15. de usu partium Galenus, agens de admirandis quarundam partium functionibus: QUOMODO *hoc factum sit si coneris scrutari*, inquit, *convinceris neque tuam intelligere imbecillitatem, neque Opificis tui potentiam. Nos ergo*, inquit Cyrillus Alexandrinus, *magnum, quaso, ex peccatis aliorum faciamus profectum, & firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud* QUOMODO, *aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est & extremi supplicii caussa. Ideò Nicodemus etiam, cum diceret* QUOMODO *hac fieri possunt? meritò audivit, tu es magister in Israel & hæc ignoras? Aliorum igitur, ut dixi, culpâ perdocti, cum Deus operatur, non quaramus* QUOMODO, *sed operis sui viam aut scientiam illi soli concedamus. Multis in hanc sententiam verbis eo loco differit de adverbio*, QUOMODO, *contra Iudaos: idemque Chrysostomus, Leontius, Theophylactus faciunt in commentariis, & Gaudentius in tractatu 2. ad Neophytos.* Maldonatus in 6. cap. Joannis. Prætereatur ergo alto & perenni silentio illud QUOMODO & loquamur ipsissimis verbis Christi apud Matthæum cap. 26. Marcum cap. 14. Lucam cap. 22. Paulum 1 Cor. 10. & 11. & agnoscamus in Eucharistia nobis exhiberi verè corpus Christi: cætera taceamus, quia tacere ea voluit Christus & tacuerunt Apostoli & nos ignoramus; quod luce meridianâ clarius nobis apparebit, si attento animo consideremus, quam varii in his sint primitivæ Ecclesiæ Doctores, & quam diversos habeant de præsentia corporis Christi in Cœna Dominica explicandi modos prisci Patres: neque tamen ea de caussa unitas in Ecclesia scissa fuit. *Non recipio*, inquit Tertullianus lib. de carne Christi, *quod extra scripturam de tuo infers.* Ubi aliquis quid novi in Ecclesia S. Cypriano proponit, statim quærit unde hoc habeat? utrum ex Propheticis, Euangelicis aut Apostolicis scripturis? *Mysteria de lavacro & internis mysteriis*, id est, de Baptismo & Eucharistia, *velut habet traditio Euangelii & Apostolorum, ita perficiuntur*, inquit B. Epiphanius in Compendio fidei: & utinam hodie ita apud omnes perficerentur; *ut cum in claritate cœlesti Dominus venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit*, ut loquitur S. Cyprianus epist. 63. & nos alibi dicimus, nec unquam satis dicitur.

Si verò, quod metuo, non plena unio aut consensio in omnibus inveniri poterit, cessent saltem utrimque convitia, contumeliæ, injuriæ, persecutiones & reciproca anathemata: *Omnis amaritudo*, inquit S. Paulus, *& excandescentia & ira & clamor & maledicentia tollatur ex vobis cum omni malitia: sed estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò offensas, sicut & Deus in Christo condonavit vobis. Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti: & ambulate in charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Quapropter *quæ pacis sunt sectemur, & ea quæ sunt ædificationis. Idem sapite, pacem colite, & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum.*

Ephes. 4. 31.

Rom. 14. 19.

2 Cor. 13. 11.

Ab una igitur parte proponatur Concilium Tridentinum, ab altera Confessio Augustana (quæ utrimque à litigantibus conscripta & constituta sunt) & secundum veritatem sacrosanctæ scripturæ, & consensum Patrum primitivæ Ecclesiæ, piè, leniter & Christiana cum modestia examinentur; quo facto reipsâ constabit, ea non tantum dissentire, quantum à quibusdam discrepare indicantur. Auferatur modò ab oculis γλαύκωμα præjudicii & odii, & illustrentur collyrio charitatis & mansuetudinis, & utrimque veritas sufficiens sole clarius splendebit. Si fortè in quibusdam non necessariis, non fundamentalibus, aut adiaphoris dissentiant, utrimque cum B. Cypriano ex epistola Synodica, (quando de rebaptizandis hæreticis cum Stephano Episcopo Romano anno C. 256. non leviter contenderent Asiatici & Africani Episcopi) & cum ejusdem Christiana & mutua tolerantia dicant: *Cæterum scimus*, inquit tota Synodus Carthaginensis, *quosdam quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere: Qua in re nec nos cuipiam vim facimus aut legem damus, cum habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Et Epistola 73. *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus* (de prædicta videlicet quæstione) *frater charißime, neminem præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, cum collegis & Coëpiscopis*

pis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus, maximè cum & Apostolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei: servatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegis honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotii. Dicant cum Firmiliano Cæsareæ Cappadocum Episcopo, epist. 75. inter epist. Cypriani: *Hos autem qui Romæ sunt, non ea omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat apud illos esse aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesia Catholica pace atque unitate aliquando discessum est.* Dicant cum S. Hieronymo: *Quæ licet non sequamur, damnare tamen non possumus; quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres Christi ea dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundet & cuncta Domini judicio reserventur.* Sic loquitur de Chiliastis: non vult omnia ea, quæ non approbamus, & tamen ex more vetustissimo ab aliis fiunt, statim à nobis damnari vir sanctus: in quo, livore, odio & ignorantiâ abrepti, non pauci præcipites turpiter lapsi sunt. Dicant cum S. Augustino: *Quis non sentiat in variis & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurißima opera Dei, sive ad scripturarum abditißimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est: & multa ignorari salvâ Christianâ fide & alicubi errare sine aliquo hæretici dogmatis crimine?* Idem: *Sunt in quibus inter se aliquando etiam doctißimi atque optimi Catholicæ regulæ defensores salvâ fidei compage non consonant. Itaque dilectißimi*, inquit idem Augustinus, *ne vos perturbet quæstionum obscuritas; moneo vos primum, ut de iis, quæ intelligitis agatis Deo gratias: quicquid est autem quo pervenire nondum potest vestra mentis intentio, pacem inter vos & charitatem servantes, à Domino ut intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cum dixisset nondum se esse perfectum, post ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus, continuòque subjunxit: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit: veruntamen in quod pervenimus, ut idem sapiamus, in eo ambulemus.* My-

August. de pecc. originalic. 23.

Lib. I. contra Iulian. Pelag cap. 6.

Lib de grat. & lib. arbit. cap. I.

Phil. 3. 15.

Iacob. 3. 17.

 steria

ſteria Dei neſcire velle, verè ſapere eſt. Et *quæ deſupernis eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, facilis, plena miſericordia & fructibus bonis, non dijudicans, non ſimulata. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.* Videantur præter alios Caſauboni epiſtola, Regis Jacobi nomine ſcripta ad Cardinalem Perronium, & Grotii & Riveti ſcripta adverſaria.

His, qui nobis hęc dabunt gaudia, paucis mutatis dicent cū S. Paulo omnes pacificii: *Pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris, in quam & vo-*
Coloſſ 3.15. *cati eſtis in uno corpore & grati ſitis. Ipſe enim* (Chriſtus) *eſt pax noſtra,*
Epheſ. 2.14. *qui fecit ex utriſque unum & interſtitium maceriæ diruit, ſimultatem per* (pacem) *ſuam, legem mandatorum in decretis ſitam abrogans, ut duos conderet in ſemetipſo, in unum novum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per* (pacem) *perempta inimicitia per eam: & veniens euangelizavit pacem vobis, qui procul aberatis, & iis qui propè. Quoniam autem per illum habemus aditum utrique in uno ſpiritu ad patrem, qui non eſt diſſenſionis ſed pacis Deus: Iam non eſtis hoſpites*
1 Cor. 14 33. *& advenæ, ſed concives Sanctorum ac domeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, exiſtente ſummo angulari*
Epheſ. 2. 19. *lapide ipſo Ieſu Chriſto: in qua quæcunque ſtructura coägmentatur, ea creſcit in Templum Sanctum in Domino, & vos coædificamini per Spiritum in habitaculum Dei,* id eſt, in unam ſanctam Eccleſiam Catholicam.

Concilia hæc imaginaria, benevole Lector, extorſit animus pacis amantiſſimus, & ejuſdem inſtigatione, hoc addo conſilium: Paſtores, diſcite à mitiſſimo pacis Principe Chriſto, animi lenitatem & animi humilitatem, & invenietis requiem in animabus veſtris: Docete populum tam exemplo quam verbis, pietatem in Deum, fidem in Chriſtum, charitatem in proximum; linquite ſcholis fidem Theologicam, docete populum fidem Catholicam & invenietis pacem in Eccleſiis veſtris: Et ſic demum omnes pii bonique, hilares & læti, uno corde & unâ animâ, cum ſanctiſſima Angelorum militia Deum laudantes, ſemper & ubique in reſtituta Eccleſia Catholica, cum cœleſti & ſuaviſſima harmonia, cœlum terramque perſonabunt, diu noctuque concinentes:

Δόξα Θεῷ ἐν ὑψίστοις καὶ ἐπὶ γῆς,
εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις
εὐδοκίας.

INDEX
RERUM & VERBORUM,
Quæ in hac parte secunda continentur.

A.

Carolus

Gallia

G.

H.

I.

Con-

horum

M.

P.

Errata Typographica.

Pag. 16. lin. 23 pro *quare* pone *nam.* p. 26. lin. 6. leg. Ezechias p. 28. lin. 7 leg. de conſenſ. p 31 lin. 23. leg. Felicem p. 34. lin. 4. leg. voler & 8. poſt *Tilianum* lege, *ſic dictum à Ioanne Tilio.* p. 35. lin. 32. poſt *ſynodi* pone *&* p. 50. lin. 1. leg. Curopalates. Qui. & lin. 2. de principatu pag. 67. lin. penult. l. 841. p. 68. lin. 17. *quia nimirum favebat imaginum cultui* in parentheſi & 34 malè dicitur hæc *Edeſſena.* pag. 70. lin. ult. poſt *propheta* pone *&.* p 71. lin. 5. poſt *poſſe* pone *Polydorus lib. 6 cap.* 13. p. 72. lin. 28. leg exculit p 92 lin antepen leg. fortè p 95. lin. 12. leg minaces p. 143. lin. 23. poſt *Leo Papa* adde *cum toto clero & populo Rom* p 148. lin. 23. leg pro *Ottonis, Eduardi regis.* p. 182. lin. 23. leg. reſecantes p. 201. lin. 32. leg. Erigenæ p. 217 lin. 1. lege *non ſegregavit* p. 230. lin. ult. leg. Philippus primus p. 248. lin. 30. poſt *poteſtatem* pone ſignum interrogationis p. 272. lin. 30. leg. Apoſto p. 307. lin. 28. leg. 1059 p. 335. l. 5. patrem p. 359. lin. 19 leg. dicunt p. 360. & 361. diverſa Romanis literis contenta parentheſi erant claudenda p. 379. lin. 25. leg. concilio p. 381. lin. 12. poſt *pater* dele ſignum interrogationis p. 397. lin. 16. leg. æſtimatione lin. 18. leg. Canonicum p. 425. lin. 8. leg. Gregorius VII. p. 503. lin. 2. proſperos p. 517. lin. antepen leg. innocentium lin. pen. leg. damnatum p. 521. lin. in initio appone juramentum &c. p. 526 lin. 25. leg. innocentium p. 618. lin. 9. leg. quod p. 531. lin. ult. poſt *tant* lege *plus.* p. 537. lin. 25. poſt ſchiſma pone punctum p. 538 lin. 5. leg. Rituales p. 555. lin. 1 leg l'arrivee de quelque p. 556 lin. 5. poſt *Nohemia* pone *urbis* p. 570 lin 1. leg. *confirmantur.* p. 575. lin. 11. leg. eſſe p. 578. lin. 34. pro eſt, lege eſſe, p. 581. lin. 18. leg. contentez lin. 23. leg. ſi p. 589. lin. ult. leg quid p. 597. lin 26. leg. manantem p. 607. lin. 9. quod p. 684 lin. 10. leg. utrique p 688. lin. 21. leg requiritur p. 698. lin. 19. leg. verſ. 19. p. 708 lin. 12. ἀδυνατεῖς p. 727. lin. pen. leg. inoleverunt p. 729 lin. 13. leg. intenta p. 737. lin. 3. leg. impetrata p. 749. lin. leg proſequi pag. 749. lin 3. leg. ſententiæ p. 755 lin. 31. leg. veſtras p. 761. lin. 5. eccleſiaſtico, p. 778. lin. 9. leg. poculo p. 786. lin. 32. leg. demonſtra p. 817. lin. 10. leg. Concilio.

FINIS.